





# REGVLÆ<sup>mi.</sup>

## P. N. BENEDICTI ABBATIS.

PRO GENVINA LITERÆ INTELLIGENTIA,  
ET CONSCIENTIÆ OBLIGATIONE.

*NOVISSIMIS CVRIS, PECVLIARES,  
ET NECESSARIÆ.*

Addita Lacinia aduersus placita R. P. D. Ioannis Caramuelis Abbatis  
Merlofensis.

*AVTHORE MAG. Fr. NICOLAO BRAVO PINTIANO,  
Ex Cisterciensi Obseruantia Hispaniæ Monacho Superatensi, &c.*

NVNC CATHOLICI REG. PHILIPPI III. MVNERE,  
Oliuæ Abbate, ac Regio Consiliario.

*DICATÆ IPSI REGALI, SACROQVE OLIVÆ COENOBIO,  
Cum eius Chronologia, & Superati.*



EXCVSSE CVM LICENTIA:  
OLIVÆ, Per MARTINVM à LABAYEN, & DIDACVM à ZABALA,  
Typographos Regni Navarra. Anno M. DC. XLVIII.

PRO GENUINA LITERE INTELLIGENTIA  
ET CONSCIENTIAE OBLIGATIONE

Abbas Lacinis aduentus placet R. P. D. Iohannis Caramellis Abbatis  
INNOCENTII R. G. PHILIPPI III. MYNERIS  
Olus Abbas, ac Regio Consilio.



Typographos Regni Naster. Anno M. DC. XLVIII.  
LIVE, PER ARTIVM & ABAYM, & IDACVM & ABALA

**D**OY Fè y testimonio yo Iulian de Lizarza Secretario del Real Consejo deste Reyno de Nauarra, que por el dicho Real Consejo està mandado imprimir por tiempo de doze años, vn libro intitulado, *Nota Literales Regula Sanctiff. P.N. Benedicti Abbatis, compuesto por el P. M. D. Fr. Nicolas Brauo, Predicador General de la Orden de San Bernardo, y Abbad del Monasterio Real de la Oliua*, el qual dicho libro lo tassaron los Señores del dicho Real Consejo á cinco marauedis cada pliego, y no mas, como consta de los recados que quedan en poder de mi el dicho Secretario en cuya certificacion lo firme. En Pamplona à treinta y vno de Marzo de mil seiscientos quarenta y ocho años.

Iulian de Liçarça Secretario.



ERRATAS.

**P**AG. 2. col. 2. lin. 48. tantum, lege tamen. Pag. 12. col. 2. lin. ab infra 5. scripsisset, lege scripsisse. Pag. 35. col. 2. lin. 27. includunt, adde r. Pag. 42. col. 2. lin. 47. Statuti, adde s. Pag. 53. col. 1. lin. 23. inunitur, l. inuenitur, & col. 2. lin. 35. omitunt, l. emirunt. Pag. 75. col. 2. lin. 43. dixit. l. dixi. Pag. 79. col. 2. lin. 45. seminis, l. feminis. Pag. 115. col. 2. lin. 48. tum, l. cum. Pag. 122. col. 2. lin. 5. ille, l. illæ. Pag. 144. col. 2. lin. 10. supererogatio, l. supererogatio. Pag. 197. col. 1. lin. 21. quod. l. quot. Pag. 177. col. 2. lin. ab infra 8. diutur, na perpetua, l. diuturna, perpetua. Pag. 198. fol. 2. lin. 5. malis, l. mauis. Pag. 206. lin. 14. strictitia, l. tristitia. Pag. 237. col. 1. l. 26. ganua, l. genua. Pag. 237. col. 2. lin. 33. correctionibus, l. correctioribus. Pag. 241. col. 2. l. 15. paulatim, l. quo paulatim. Pag. 284. col. 2. lin. 21. fraudulentur, l. fraudulenter. Pag. 285. col. 2. lin. 29. inuudentium, l. inuidentium. Pag. 294. col. 2. lin. 11. curata, l. curta. Pag. 296. col. 1. lin. non, dele. Pag. 302. col. 1. lin. 9. quem, l. quam. Pag. 309. co. 2. l. 47. ciritatione, l. irritatione. Pag. 314. col. 2. l. 5. continet, l. cotinent. Pag. 318. col. 1. l. 8. egestata, l. egestate. Pag. 351. col. 2. l. 48. post dictionem se adde a. Pag. 364. col. 1. l. 22. Abbatissa, l. Abbatissa, & col. 2. l. 34. obedientia, l. obedientia. Pag. 393. col. 2. lin. 18. festuce, l. festuca. Pag. 425. col. 1. l. 16. exercita, l. exercita. Pag. 427. col. 2. l. 22. S actio, l. Sanctio.

De OY Es y testimonio yo Julian de Lizaso Secretario del  
Real Consejo desta Reyno de Navarra, que por el dicho  
Real Consejo es mandado imprimir por tiempo de diez  
años en esta ciudad de Navarra, por el P. M. D. Fr. Juan de  
General de la Orden de San Bernard. y Abad del Monasterio Real de  
la Oliva, el qual dicho libro lo traxeron los Señores del dicho Real  
Consejo a cinco maravedis cada pliego, y lo mas como consta de  
los recibos que quedan en poder de mi el dicho Secretario en cuya  
conformacion lo firmo. En Pamplona a trece y uno de Marzo de  
mil seiscientos quatro y ocho años.

Julian de Lizaso Secretario.

ERRATA.

ERRATA.

P. 40. 2. col. 2. lin. 4. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 139. 140. 141. 142. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 149. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 164. 165. 166. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 174. 175. 176. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 187. 188. 189. 190. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202. 203. 204. 205. 206. 207. 208. 209. 210. 211. 212. 213. 214. 215. 216. 217. 218. 219. 220. 221. 222. 223. 224. 225. 226. 227. 228. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 237. 238. 239. 240. 241. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 249. 250. 251. 252. 253. 254. 255. 256. 257. 258. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 269. 270. 271. 272. 273. 274. 275. 276. 277. 278. 279. 280. 281. 282. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. 293. 294. 295. 296. 297. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 312. 313. 314. 315. 316. 317. 318. 319. 320. 321. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 328. 329. 330. 331. 332. 333. 334. 335. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343. 344. 345. 346. 347. 348. 349. 350. 351. 352. 353. 354. 355. 356. 357. 358. 359. 360. 361. 362. 363. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372. 373. 374. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 381. 382. 383. 384. 385. 386. 387. 388. 389. 390. 391. 392. 393. 394. 395. 396. 397. 398. 399. 400. 401. 402. 403. 404. 405. 406. 407. 408. 409. 410. 411. 412. 413. 414. 415. 416. 417. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. 425. 426. 427. 428. 429. 430. 431. 432. 433. 434. 435. 436. 437. 438. 439. 440. 441. 442. 443. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450. 451. 452. 453. 454. 455. 456. 457. 458. 459. 460. 461. 462. 463. 464. 465. 466. 467. 468. 469. 470. 471. 472. 473. 474. 475. 476. 477. 478. 479. 480. 481. 482. 483. 484. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 498. 499. 500. 501. 502. 503. 504. 505. 506. 507. 508. 509. 510. 511. 512. 513. 514. 515. 516. 517. 518. 519. 520. 521. 522. 523. 524. 525. 526. 527. 528. 529. 530. 531. 532. 533. 534. 535. 536. 537. 538. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 545. 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 553. 554. 555. 556. 557. 558. 559. 560. 561. 562. 563. 564. 565. 566. 567. 568. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576. 577. 578. 579. 580. 581. 582. 583. 584. 585. 586. 587. 588. 589. 590. 591. 592. 593. 594. 595. 596. 597. 598. 599. 600. 601. 602. 603. 604. 605. 606. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 613. 614. 615. 616. 617. 618. 619. 620. 621. 622. 623. 624. 625. 626. 627. 628. 629. 630. 631. 632. 633. 634. 635. 636. 637. 638. 639. 640. 641. 642. 643. 644. 645. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. 653. 654. 655. 656. 657. 658. 659. 660. 661. 662. 663. 664. 665. 666. 667. 668. 669. 670. 671. 672. 673. 674. 675. 676. 677. 678. 679. 680. 681. 682. 683. 684. 685. 686. 687. 688. 689. 690. 691. 692. 693. 694. 695. 696. 697. 698. 699. 700. 701. 702. 703. 704. 705. 706. 707. 708. 709. 710. 711. 712. 713. 714. 715. 716. 717. 718. 719. 720. 721. 722. 723. 724. 725. 726. 727. 728. 729. 730. 731. 732. 733. 734. 735. 736. 737. 738. 739. 740. 741. 742. 743. 744. 745. 746. 747. 748. 749. 750. 751. 752. 753. 754. 755. 756. 757. 758. 759. 760. 761. 762. 763. 764. 765. 766. 767. 768. 769. 770. 771. 772. 773. 774. 775. 776. 777. 778. 779. 780. 781. 782. 783. 784. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791. 792. 793. 794. 795. 796. 797. 798. 799. 800. 801. 802. 803. 804. 805. 806. 807. 808. 809. 810. 811. 812. 813. 814. 815. 816. 817. 818. 819. 820. 821. 822. 823. 824. 825. 826. 827. 828. 829. 830. 831. 832. 833. 834. 835. 836. 837. 838. 839. 840. 841. 842. 843. 844. 845. 846. 847. 848. 849. 850. 851. 852. 853. 854. 855. 856. 857. 858. 859. 860. 861. 862. 863. 864. 865. 866. 867. 868. 869. 870. 871. 872. 873. 874. 875. 876. 877. 878. 879. 880. 881. 882. 883. 884. 885. 886. 887. 888. 889. 890. 891. 892. 893. 894. 895. 896. 897. 898. 899. 900. 901. 902. 903. 904. 905. 906. 907. 908. 909. 910. 911. 912. 913. 914. 915. 916. 917. 918. 919. 920. 921. 922. 923. 924. 925. 926. 927. 928. 929. 930. 931. 932. 933. 934. 935. 936. 937. 938. 939. 940. 941. 942. 943. 944. 945. 946. 947. 948. 949. 950. 951. 952. 953. 954. 955. 956. 957. 958. 959. 960. 961. 962. 963. 964. 965. 966. 967. 968. 969. 970. 971. 972. 973. 974. 975. 976. 977. 978. 979. 980. 981. 982. 983. 984. 985. 986. 987. 988. 989. 990. 991. 992. 993. 994. 995. 996. 997. 998. 999. 1000.

REVERENDISSIMI P. N. GENERALIS OBSERVAN-  
tia S. Bernardi Hispania facultas.



OS MAG. Fr. DIONYSIVS ZIMBRON,  
Cisterciensis Ordinis, Meliflui, Diuique Bernardi Patris in Al-  
ma Hispaniarum Observantia Regulari (licet indignus) Ge-  
neralis, &c. Tenore presentium concedimus licentiam & fa-  
cultatem tibi R. admodum Patri Mag. Fr. Nicolao Brabo,  
nostræ Observantiæ Diffinitori, & Prædicatori Generali eme-  
rito nuperque à Cesarea Maiestate Philippi Quarti Regalis Monasterii Sanctæ  
Mariæ de la OLIVA in Regnis Nauarræ, in Prælatum, & Superiorem provide  
designato, vt librum quem tam accurate, quam acute conscripsisti, cuius titulus  
est: *Nore Literales ad Regulam Sancti Benedicti*, Typis mandare possis, præmis-  
sa prius, vt moris est, facultate Regii Senatus: quia iam per grauiissimos viros, &  
Magistros dictæ Observantiæ, quibus videndum, & approbandum Commis-  
imus, summo & æquali omnium consensu, variis encomiis laudatum, approba-  
tionemque videmus, simul & letamur: quia tandiu à tempore quo officii nostri  
habenas suscepimus, opus hoc anxie sperabamus, quod in maximam vtilitatẽ  
totius Religionis credimus esse futurum. Vale & viue feliciter. Datum in no-  
stro Regali Colegio Sanctæ Mariæ de Meyra, die vigesima quinta mensis Au-  
gusti. Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto.

*Fr. Dionysius Zimbron*  
*Generalis S. Bernardi.*

*Demandato Reuerendiss. P. N. Generalis*  
*Fr. Thomas Gomez Secretarius.*

(1)

RE

*Demanda do Reuerendissimo P. N. Generalis*  
*Fr. Dionysio Zimbron*

787

REVERENDISSIMI P. N. VICARII GENERALIS  
Congregationis Cisterc. Aragoniæ, &c. facultas.

**N**OS DON FR. RAPHAEL TROBADO SANCTÆ  
Theologiæ Magister, Abbas Regii Monasterii Beatæ Mariæ Vallis-  
dignæ, Prior de Monte Sancto, Vicarius Generalis Congregatio-  
nis Cisterciensis in Regnis Aragoniæ, Principatu Cathalonïæ, Va-  
lenciæ, Maioricarum, Nauarræ, &c. Tenore præsentium facultatem concedi-  
mus dilecto nobis in Christo, Confratri admodum Reuerendo Patri Magist.  
Don Fr. Nicolao Brabo, Congregationis Cisterciensis in Regnis Castellæ filio,  
& in nostra Congregatione Regalis Monasterii Beatæ Mariæ de la Oliua in  
Regno Nauarræ, Patri Abbati quadrienali, à Magno Philipo Rege nostro Ca-  
tholico, nominato, à nobisque confirmato, vt *Notas Literales ad Regulam San-  
cti Benedicti*, quas ipse composuit, & grauissimi viri, ac Magistri nostræ familiæ  
Cisterciensis in Congregatione Castellæ approbarunt, in lucem emittere va-  
leat. Dat. in nostro Regali Monasterio Vallis-dignæ sub impressione nostri  
maioris sygilli, & nominis nostri subscriptione, & nostri Secretarii fide. Die  
28. mensis Ianuarii. Anno 1646.

*Fr. Raphael Trobado Abbas  
Vallis-dignæ, Vic. Generalis.*

De mandato Reuerendiss. D. Abbatis Vic. Generalis,  
*Fr. Hieronimus Domingo Secretarius.*

RES

RESPONSVM  
ILLVSTRIS · D · D · M · F ·  
ANGELI MANRIQVE EX

OBSERVANTIÆ CONGREGATIONE S. BER-  
NARDI HISPANIÆ EPISCOPI PACENSIS.

*Ad amicum, à quo de his Commentarijs, & eorum Authore,  
rogatus fuerat.*



COMMENTARIA perpetua in Sanctam Regulã Mag. Fr. Nicolai Brauo, non solũ Cisterciensi professione, sed intima amicitia mihi coniuncti: Quem, post repetitas in Obseruantia Hispaniæ amplissimas functiones, nunc in Vasconia, Regia presentatio Oliuensem constituit Archimandritã; Cõmentaria, in quã eius, in S. Regulã, de quibus percõtaris, magna ex parte, qua licuit, & potui, legi: & veneratus sum opus cunctis illius Professoribus, non solũ vtile, sed pernecessariũ; in quo neq; eruditionẽ in colligendo, neque in eligendo iudicium, neque in dicendo claritatem, neque in probando efficaciam quis desideret. Mentẽ Legislatoris eximie pãdit. Et Professoribus præscribit obligationẽ, sub qua in singulis rebus parere debent. Non adeo laxus, vt omnia consilia faciat: Quod quis cordatus dicat? Aut pius credat? Nempe, vt sponsio viuendi secundum Regulam, à cunctis Monachis in professione facta (Tertiariorum, si Deo placet, similis, aut ratione materiæ forte inferior) nullum onus imponat, vinculum nullum. Sed neque nimium strictus, rigidus ve: vt quod olim Gregorius de textu dixit, *Stylo luculentum, discretionẽ præcipuum*; merito ad Commentarium extendi valeat; in quo re vera vtrumque est inuenire. Atque Hæc de opere.

De Authore plura dicerem, nisi eius me modestia retardaret. In vtraq; Theologia æque versatum, nec minus ideò suauiores musas colentem, calentemq; rebus administrandis etiam parem, longa experientia in multis demõstrauit. Id vnũ tamen silentio non præteream, in quo, meo iudicio, longe præcellit: Inter immensos Monachorum greges, qui Benedicti vestigia sunt sequuti, vix vllum alium obsequentiorẽ filiũ, aut pium magis, facile inueniendum. Ne mpe totus in ipso, & est, & fuit, ex quo cœpit sub ipso, neque vllum tempus ei vacuũ ab hac cura. Cecinit Iuuenis vitam, & acta Sancti: Vir, multis annis imitatus exemplar est: senex interpretatur illius Regulam. Vt nec fructibus his, præuncii flores in tempore defuerint; & illis floribus respondeant maturi fructus, quibus largè pascamur, doceamurq; quicumque suaui Benedicti iugo colla subdidimus. Reliqua Tu, cum legeris, videbis; nec dubium quin, his paucis, plura addes. Vale, ex nobili Vrbe Pacis. Augustæ, Quæ nunc sub bello (heu) gemit; septimo Kalend. Septembris. Anno M. DC. XLVI.

*Fr. Angelus Manrique.*

(2)

APPRO-

APPROBATIO ET CENSURA R. P. M. Fr. LVPI DE  
Cauañas, Monasterij Vallis-paradisi olim non semel Abbatis,  
ex iniuncto Reuerendissimi Generalis Reformatoris  
Obseruantie Hispanæ.



IDI NOTAS, quas ad Regulam Sanctiss. P. N. Benedicti, Reue-  
rendissimus Pater, & perdoctus Magister Fr. Nicolaus Brauo, nu-  
per ex nostra Cisterciensi Obseruantia in Abbatem Oliuensem  
Regia electione assumptus, elaborauit, easque legi attentè, & ma-  
xima cum voluptate perlegi. Elucet enim in eis Authoris non vulgaris erudi-  
tio; sacræ profanæque lectionis diligens studium, stilus grauis, & mira orationis  
concinnitas & elegantia. Nihil continet quod Catholicæ Fidei aduersetur, ni-  
hil sanctæ Matris Ecclesiæ dogmatibus dissonum, omnia consonant, & optimis  
moribus instruendis sunt aptissima. In explanatione autem Regulæ optimum  
agit Interpretem. Sanctissimi P. Benedicti sensum eruit, & præ oculis ponit, oc-  
cultas quæque pandit, & quæ difficiliora & obscura esse videntur, tanta clarita-  
te donat, vt non tam Notas, quàm fulgentem faciem apposuisse dicas. Iam vero  
in disputatione, quàm in *Introductione* præmiali textit, de obseruatione &  
obligatione Regulæ, & in *Laciniâ* ad finem addita, Neothericum quendâ, qui  
Sanctæ Regulæ habenas, aliaque, nimium laxare ausus est, palàm & nomina-  
tim, tanta dexteritate arguit, & redarguit, tam doctè confutat, tam euidenter  
conuincit, vt omnia in contrarium machinamenta penitus destruat: & quam  
ille commouere visus est S. P. Benedicti Monasticam disciplinam, perdoctus  
& pijsissimus Author, tamquam verus illius filius, firmissimis iactis rationum  
fundamentis fulcit, roborat, & sustentat. Quapropter, hac vna de causa, etiam  
si nulla alia superesset, non solum vtile, sed valde necessarium iudico, quod præ-  
dictæ Notæ prælo mandentur, & in lucem prodeant: vt præ manibus habeat,  
sanctæ Regulæ professoribus & amatoribus, omne penitus offendiculum au-  
ferant, & labendi periculum è medio pellant. Ita censui apud Monasterium  
S. Mariæ de Meira, die 24. Augusti, anno 1645.

Mag. Fr. Lupus de Cauañas.

Sapien-

**L**ITERALES Notas ad Regulā Sanctissimi P. Benedicti Abbatis,  
Authore Reuerēdiss. P. M. Fr. Nicolao Brauo Pintiano, ex Cisterciensi S.  
Bernardi Hispana Observantia Monacho Superatensi, &c. ( & in ipsa  
olim quater Diffinitore, septies Abbate ) atque nunc apud Nauarram  
Regij Monasterij de Oliua Antistite, iussu Supremi Regni Nauarræ Senatus di-  
ligenter perlegi. Nihil contrarium, nihil Catholicæ Fidei, bonisque moribus  
in eis difonum continetur. Vidi Notas, & notabilia inueni: Voluptuose perle-  
gi, vtiliter profeci, sane genuinam Literę intelligentiam assequitur Author, &  
Sanctissimi Patris Benedicti mentem, animumque feliciter pandit: Neque la-  
xus nimis, neque Rigidus nimium, medium in omnibus tenet, subtiliter dispu-  
tat, efficaciter cōfutat, prudenter resoluit: Et licet in opere longo, facile sit obr-  
reperere somnum, tamen nec oscitauit Author, sed vigili cura, omnique erudi-  
tione imbutus, nullis cuiusuis materiæ, siue Scholasticis, siue moralibus, siue hi-  
storicis disquisitionibus parcit: in quibus indefessam lectionem, optimam ele-  
ctionem, solidissimam doctrinam, subtile ingenium, admirabiliter, & modeste  
ostentat, & non solum literam, vim & proprietatem vocum simplicium maté-  
rialiter expandit, sed moralem adiunctam obligationem, qua talis litera affici-  
tur, cordate resoluit: discutitq; quot, qualia ve extent præcepta, & in qua vi, &  
robore perseuerent, & insuper qua culpa, leui ne, an graui conscientias astrin-  
gat. Hic labor, hoc studium est Authoris: Etenim in hoc opere, nihil displicet,  
omnia placent, cuncta sine adulatione laudo, & laudabit cordatus, dignum sa-  
ne, vt fruatur luce, & Typis mandetur, sic censeo, sic meum iudicium profero.  
Datum Pampilonę duodecima die Aprilis anno Domini 1647.

*Doctor D. Ioannes de Tafalla.*

ERVDITISSIMI P. Fr. BERNABAE ALPHONSI,  
Theologi, ac Prædicatoris Superatensis Cænobij,  
censura.

**A**T TENTE vidi, & iucundius perlegi Reuerendissimi P. Magistrî  
Fr. Nicolai Brauo, Abbatis Regii Monasterii de Oliua, & huius de  
Superato Religiosæ propaginis, opus, scilicet, *Notas Literales su-  
per Regulã Sanctiss. P. N. Benedicti*, & sane admirabile ad amusim  
literæ perpolitum, haud vulgaribus testimoniis abundans Sacræ suppelle-  
tilis exuberans copia, & breui licet schemate, omnium fere Commentario-  
rum vim sua virtute complectens. In quo Sanctam Regulam noua luce conue-  
stitam aspicio, eiusque moralis disciplinæ materiam ad certas Classes con-  
gruentissime reductam contemplor, & adiectam in fine *Laciniam* supra mo-  
dum admiror, in qua dum nouellum Authorem, quibusdam quasi cimariis te-  
nebris candorem Sanctæ Regulæ obnubilantem, proprio gladio iugulari cer-  
no, adhuc amplius in admirationem, & gratulationem rapior. Quibus aliisque  
titulis lucubrationes istas, & quasi postremas rei curas, in lucem prodire, maxi-  
mam Monachorum vtilitatem, Ecclesiæque nitorem iudico. Sic censeo, me  
cumque sentient docti quique. In monasterio de Superato, Kalendis Augu-  
sti. Anno 1645.

*Fr. Barnabas Alphonsus.*

ERV

(8)

APPRO

APPROBATIO ET CENSURA R. P. Fr. IOANNIS LOPEZ  
à Barahona Theologi & Prædicatoris, Conuentusque Seraphici  
Sancti Francisci Pampilonensis Guardiani.

**E**X commissione, & mandato Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini  
D. Ioannis Queypo de Llano Episcopi Pampilonensis, & nunc iam  
denuo Giennenſis electi, Regiæque Maiestatis Conſiliarij: Hunc librũ,  
cui inſcriptio eſt: *Nota Literales ad Regulam Sanctiſſimi P. N. Bene-  
dicti Abbatis, Authore Reuerēdiſſ. P. M. Fr. Nicolao Brano ex Cisterciensi s. Ber-  
nardi Hispana Obſervantia Monacho Superatensi, apud Nauarram Regij Mona-  
ſterij de Olina Antistite.* Attente vidi, & ſimul cum Lacinia in fine addita, dili-  
genter perlegi. Et nihil in eo Catholicæ fidei, bonis que moribus contrarium  
reperi: Quin potius omnẽ deſiderabile ad veram, & perfectam prædictę Regu-  
lę Literalem intelligentiam. In eo namque omnes quotquot circa hanc Regu-  
lam difficultates excitari poſſunt, ſumma cum eruditione, præſtantique ingenio  
& doctrina examinantur, & iuxta verum & magis genuinum ſenſum ſatis ſub-  
tiliter & eruditę, omnique cum modeſtia Religioſa (ſicut decet) enodantur &  
diſoluuntur: In quo ſapientia Authoris ſimul cum prudentia, nec non & zelus  
circa Monasticam Obſervantiam maxime elucet. Proindeque opus non ſolũ  
hanc Regulam proſitentibus pernecceſſarium, ſed etiam omnibus quibuſcun-  
que ad perfectionem adſpirantibus vtiliſſimum iudico. Ideoque vt Typis mã-  
detur, & in lucem prodeat dignum cenſeo. Datum Pampilonenſis, in Conuen-  
tu Seraphici Sanctiſſimi P. N. Franciſci Octauo kalendas Februarii. Anno Do-  
mini 1647.

Fr. Ioannes Lopez à Barahonã  
Guardianus.

**N**OS Dominus Doctor Ioannes Queypo de Llano, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Pampilonensis, & electus Giensis, Regiusq; Consiliarius, &c. Cum ex commissione nostra P. Fr. Ioannes Lopez à Baraona Theologus, & Prædicator, Conuentus que Seraphici Sancti Francisci Pampilonensis Guardianus, hunc librum nuncupatum: *Notæ Literales ad Regulam S. Benedicti*, Authore Reuerendiss. P. M. Fr. Nicolao Brauo, ex Cisterciensi S. Bernardi Hispana Obseruantia Monacho Superatensi, & apud Nauarrâ Regii Monasterii de Oliua Abbate, sedulo, & attente perlegit, & nihil in eo Catholicæ fidei, & bonis moribus contrariū reperisse, nobis retulit. Immo potius magnam vtilitatem ( si in lucem prodiret ) posse omnibus studiosis afferre, testaretur, quia in eo eminet acumen Authoris doctrinæ pietate proficuum, & ingenii claritate conspicuum, & quantum ceteros, qui in hanc materiam conscripserunt, anteuertat. Ideo tenore præsentium, vt in præsentia ciuitate, & Diocesi Pampilonensi, Typis mandari possit, licentiam, & facultatem impartimur, cum hoc, quod antequam in lucem prodeat, illum nobis præsentare teneatur, ad comprobandum cum suo originali. Datum Pampilonæ in Palatio domus habitationis nostræ, die quinta mensis Februarij, anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimoque sexto.

*Episcopus Pampilonensis.*

De mandato Illustriss. Dñi mei Episc.  
*Licent. Blasius à Redondo Secretarius.*

REGALI  
OLIVAE  
COENOBIO.

Fr. NICOLAUS BRAVO, IPSIVS ABBAS, S.



DE O Dedicandi libros consuetudo præualuit, vt expositus & sine parentibus iudicetur partus, cui non aliquis, vnde cumque ascitus, accedat Patronus, interdum & ab Authore ignoratus, & ipse etiam libri dedicationem ignorans; quãdiu non in dedicatum incidit librum. Quod de facto verè accidisse, testis sum oculus, in peculiari casu, & aliàs euenisse exploratum habeo; vt sepe titularis inscriptio, quasi in tumulis Cœnotaphium sit, aut si epithaphium, præterea nihil. Non ita dedicatio nostra, SACRA DOMVS, vbi functionum mearum, & honorum antea actorum, me Regiã cohonestatum Coronide, ac <sup>a</sup> speciosa OLIVÆ in campis, oleo benignitatis fotum, & vltra merita condecoratum contemplor: vt amoris & gratitudinis monumentum ponam; constituensque trophæum, non Maronis <sup>b</sup> ingentem quercum, decisiss vndique ramis, sed quasi Patriarchæ Iacob, <sup>c</sup> erectum in Bethleem lapidem, fusso desuper oleo, nec eo <sup>d</sup> peccatoris, quo blanditer impingetur caput, sed <sup>e</sup> letitiæ & exultationis illius OLIVÆ, cuius & præsentis Abbatix nomen, participium est: & cui ego, licet velut *f oleaster insertus*, eius tamen pinguedine vinctus, participata vntionis gratiã, memorię testimonium relinquam. Etenim mos sua dedicantium opera, esse solet, vt munus oblatum deprimant, voluntatem offerentis extollant. Ego neutrum mihi impono. Non primum; quia liber iste, REGULA est illius, qui <sup>g</sup> Dux noster, Magister noster, & Legifer noster est, vnde magnus, Pater etiam noster, B. Bernardus pretium auxit; quod ego non deteram, cum aliunde mihi pensandum non sit. Non secundum: nam voluntas offerentis ea est, vel tanquam Parentis ad Natos; & quid amplius exaltem? Vel (si mauis) tamquam <sup>h</sup> gaudentis sponsi ad sponsam; & quid vltius exagerem?

<sup>a</sup> Apo. II.

<sup>b</sup> Act. II.

<sup>c</sup> Gen. 28.

<sup>d</sup> Psal. 108.

<sup>e</sup> Psal. 44.

<sup>f</sup> Rom. II.

<sup>g</sup> Ser. de S. Bened.

<sup>h</sup> Isai. 62.

Nam

*i Gen. 2.* Nam si, propter eam, *i relinquendus Pater, & Mater*, id verè præsto,  
*k Psal. 44.* *k obliuiscens populum meum, & domum Patris mei.* Aggrediar autem  
*l Cant. I.* in hoc Prouinciam, Dedicatoriis Epistolis familiarem & consuetã,  
*m Job. 5.* scilicet laudatoriam, vt Sponsa ad instar illius, *l pulcherrimæ mulie-*  
*rurum*, non ignoret se, sed potius, *m visitans speciositatem suam*, in  
*n Iac. I.* Deum semper referendam, non peccet; sed illi perfectam & emacu-  
*o 1. Cor. I.* latam feruet. Atque ex quò, quisque tantæ domus alumnus, Reli-  
*p Lauretus* giosum eius sortitus est domicilium, ipsius considerata amplitudi-  
*Pierius, &c* ne, quot titulis laudem, ex *n datis optimis*, & *donis perfectis*, quæ de  
*q Cant. I.* *sursum sunt*, ex crescere inuenerit: tot amoris ignibus, in conferen-  
*r Ser. 15. in* tem raptus feratur, nec euanesceat ineptus, sed humiliter gratulabũ-  
*Can.* dus, *o in Domino gloriatur.* Ad quem scopum mihi semper præ oculis  
*s Psal. 51.* habendum, mirificè nomen ipsum OLIVA iuuat; dum sibi *p pacis*  
*t Osee. 14.* *symbolum*, & indicationem *clementiæ*, & signum *misericiendiæ*, & *sa-*  
*v Isai. 41.* *pientitiæ*, *iustitiæ*, ac *sanctitatis* argumentum adiungit: eiusque fructus,  
*x Mar. II.* in Sponsi nomine, sicut *q oleum effusio*, sit *lux*, *cibus*, *medicina*, *r Ber-*  
*y Isai. 17.* *nardo*: & Cisterciensibus eius filiis, nihil pulchrum & gloriosum sit,  
*z Psal. 132.* nihil bonum & optimum, ad quod ex nomine non debeat aspirare,  
*a Eccli. 50.* qui ab illius indigitatione nequaquam discedens, sicut, *Oliua fru-*  
*b Monimẽ-* *ctifera* fuerit, in hac domo Domini. Ei autem, (vt à nomine procedamus ad rem) non incongrue aptanda venit comparatio, & erit  
*c In ipso pri-* *quasi r Oliua, gloria eius*: illa nempe Oliua, quam *r in solitudine &*  
*D. Garcia.* *deserto*, fausta significatione dandam promittit. De cuius virore, si & decerpendæ *x frondes & cedendi rami sternendi in via* Saluatoris:  
 Si excutiendæ oleæ, non solum *due y vel tres in summitate rami*, sed plures de vbertate furculorum illius: si exprimendum oleum?  
*z In caput, descensurum in barbam, & usque ad oram vestimenti*: Ipsa utique etiam primitus radix plantæ perscrutanda est, vt vnde quaque gloria, quæ & vera, & in Domino sit, appareat. ¶ Fuit igitur à principio, Regali manu & cultu, & in ipsa Regia, huius OLIVÆ plantatio, non mutatura situm, sed continuatura nomen. Nam quæ eodem vocabulo secularis, in termino & aula Regis, præcesserat: Spirituali-  
*a pululans, & in altitudinem se extollens*, emerit, erupitque Monachalis, vergente ad finem anno, quo initium regnandi in Nauarra fecerat Dominus Garcia Ramirez: *b Videlicet millesimo centesimo trigesimo quarto*: accitis ab ipso de Scala-Dei, haud multum distito Cisterciensi Cœnobio, primo Abbate Bertrando, cum duobus Monachis, donatione Regis, *c ad Abbatiam secundum Ordinem Cisterciensem, construendam, præcedente*. Quibus & habitatio Regis, cum veteri Ecclesia data: & commoratio iuxta capacitatem, si tunc

indisposita, at pro tempore disponenda: ac etiam ingens Reliquiarum, quæ hodie extant, thesaurus, cū aliis Regis muneribus collata sunt. Hoc sane principium eius. ¶ Sentio tamen, iam, his gloriæ Oliuæ primordiis, minus acquiescere plures, & hos <sup>d</sup> *pannos infantie, quasi caligine obuolui*. In quo, si (vt ex nomine fas est) is sum, qui <sup>e</sup> *paci fere manu ramum prætendam Oliuæ*, pacificè & pacate mihi agendum, maxime si discrepem, cū ab aliis, tum à clarissimo Pacis Iuliæ Episcopo, omnibus venerando, sed mihi peculiariter colendissimo. Nec enim minus disonum esset, paci Oliuam opponi, quàm à Pace nisi Oliuensem desiderare: Sed nullatenus id timendum de pace Dei, quæ <sup>f</sup> *exuperat omnem sensum, & custodit intelligentias in Christo Iesu*. Præsertim cū in plenissimis eruditione Annalibus, considerem ipsum, prolata sibi instrumenta prudentissimè sequentem, sed difficultatis probe conscium, & maiorem tenebris lucem exoptantem, atque inter diuersas, & deuias fundatæ OLIVÆ opiniones, fatentem, sic: <sup>g</sup> *Si annus foundationis Oliuæ mutandus est, facilius multò anteponam, quàm retardabo*. Non itaque discrepo ab intentione, potius desideriiis inseruio, quatenus foundationem antepono fundamentis in materia præcipuis. ¶ Nam in primis adest testimonium priuilegii præfati D. Garcia Regis, (quod, sicut & cætera, quæ proferam) in tablino asseruatur authenticum, integrum, & emaculate distinctum de Era M. C. LXXII. videlicet, anno iam dicto Christi 1134. Contra quod, ipsi Manriquiani Annales, & eximius Author in eis, ait: <sup>h</sup> *Vnde arguam non inuenio, nisi quòd donata hereditate à Rege Garcia, pro Cœnobio struendo, potuit opus differri, & fortè Conuentus missio retardari, &c.* Quod sub *potuit*, & sub *fortè*, dictum, irredarguibilis instrumenti fidei, obesse nō debet. ¶ Deinde accedit aliud eiusdem Regis priuilegium, <sup>i</sup> non iam ad Abbatiam construendam, sed ad præsuppositam vt constructam, confirmans & addens specialius loca & possessiones donationis primæ, datum anno 1150. ultimo scilicet Regni ipsius. Quam verè Confirmationem esse, agnoscunt dicti Annales, vtique illius prioris, & ad quam, aliæ successorū Regum, videlicet vtriusque Sancii, filii, & nepotis, pari forma & auctoritate, foundationem & dotationem prædicti Regis Gartia præsupponentes, adiunguntur: prout in Chronologia Oliuæ, addenda pro Appendice ad finem Operis, cum aliis plenius, in serie Abbatum, indicabo. ¶ Prætereà fulcitur idem de Tempore, & Fundatore, ex publica & antiqua <sup>k</sup> Tabula Oliuensis Cœnobii, cum recepta, & cōmuni seniorum, (quæ in omnibus plurimum semper valet) traditione, maxime eisdem priuilegiis consona, & vestigiis villæ

d Iob. 38.

e Virg.

f Philip. 4.

g Ann. 1149. cap. II. nu. 5.

h Annal. vbi supr.

i in Tablino Oliuæ.

k Tabula Oliuæ.

villæ Oliuæ, & Palacii, & Ecclesiæ veteris, adhuc cum annua consecrationis celebritate, die sexta Septēbris, perdurantis, adminiculata. Cui testimonio adeò deferunt iura, vt ad probationem dixerit: *Census & monumenta publica, potiora testibus esse, vbi, per monumenta,* Glossa Dionis. Gottifredi, *publicas cuiuscumque territorij tabulas,* in fide præferendas alienis, intellexit. Quare immerito opponitur alia Cistercii Tabula, quæ simplex, & generalis, & authenticis instrumentis, & domestica traditione, destituta, propriè speciali ipsius domus præponenda non est; nec ei simplici scriptioni cedere potest priuilegium Regale grauissimum & authenticum. ¶ Quid erit igitur, ob quod, adeò radicata OLIVÆ plantatio, eradicetur, aut fundamentum adeò solidum nutet? Forsitam quod Ioannes Mariana *m* in annum 1195. proiciat foundationem Oliuæ? Attamen hanc esse deceptionem notoriam constat, & tale incongruens dictum, non ad propriam & primitiuam foundationem, tot annis antea factam, confirmatam, & auctam, esse referendum, sed ad ædificia, Ecclesiamque, quæ insigni fabrica, per id tempus perfecta, hodie amplissima durat. Quibus verbis, id optime nouit, & refutauit Historiatorem illum Noster Pacensis Antistes: " ac posset, ex eadem æquiuoca erectionis, & fabricæ magnificæ confusione, similis Cistercii Tabulæ deceptio supra allata refelli. ¶ Igitur obstabunt ne priuilegia, quæ D. Raimūdi Barchinonensis Comitis, & Aragoniæ Regis, vt ei deferatur fundatio, proferuntur? Cæterum ex illis vnum, sub Era 1162. de errore temporis, erudite conuincitur ab ipso Pacensi & Historiographis: & in re non continet, nisi concessiones quasdam & immunitates, quæ conterminis & finitimis Regnis, propter communia confinia promisiue, indulto Regum, caueri solēt. Alterum verò sub Era 1186. anno scilicet, 1148. expeditum est, & continet quidem consimilem quandam donationem Villarum & possessionum, factam etiam Abbati Scalæ Dei, qualem fecerat Rex Nauarræ D. Garzia: sed certo & indubitato iudicio: Ex parte Regis Aragoniæ, solum fuit tētata prærensio inuasionis Regni Nauarræ, quam & antecessorem ipsius Ramirum tempore Garziæ habuisse, Historiæ testantur: & ex parte Oliuentium, aut Matris Scalæ Dei, sollicitæ, vt gallina de pullis, metus fuit; aut cautio, ne in finibus ipsis positi opprimerētur: & vt propter varios vclorum euentus consolidantes donationem, etiam ab intendente Regno, se in rebus propriis tutius conseruarent. Tamen & vtrumque priuilegium, ad intentum legitimi fundatoris, euanescit, cum Oliua & eius termini, numquam cesserint Aragoniæ: ex quo nec illius priuilegii aliqua vspiam habita est ratio, sicut neque

l L. 10. ff. de  
Probation.

m De rebus  
Hisp.

n Annal.  
Manriq. vbi  
sup.

o Garibay,  
& alij.

alio-

rum, quæ extant, ipsius & aliorum Regum de protectione Oliuæ, non alia ratione, quam ex vicinitate, aut deuotione. Quo pacto, in simili, de inclyto illo Monasterio Hortensi, refert præfatus, illustrissima eius proles, ipse Manriquius, *p intra fines Castellæ situm, atque à Castellæ Regibus fundatum, sub protectione nihilominus Regum Aragoniæ susceptum, & multa ab eis impetrata priuilegia: Ut non sit nouum,* idem in nostro casu inueniri, sine præiudicio foundationis propriæ Regis Nauarræ. ¶ At excipiet quispiam, & sane fortius, opponens temporum pugnantiam: Nam si OLIVA certa filia est Scalæ Dei, & huius ortus ad annum 1137. designatur, qui fieri potest, filiam anteuertere parentis ortum? Ad hoc (fateor) substiti diu, obstaculo pressus, & herbam dare fere coactus, incidens in inextricabilem nodum, nulla congruè incisione soluendum: donec inuentum est, quo non rumpendo, sed enodando, nostræ propugnationi adderem collophonem. Talem ad hoc reputo Epistolam R. P. Fr. Iacobi de Saramea, Prioris Scalæ Dei, viri (vt ex ea apparet) docti & eruditi, quam, in hac re interpellanti Oliuæ, & nuntium peculiariter ad id destinanti, responsuam transmisiit, & habetur cum eius subscriptione, & proprio Scalæ Dei sigillo, & clara & omni rationem petenti prompta. In ea ergo, omiſſis aliis prolixioribus, quæ doctrinaliter interponit, ad propositum inde fideliter hæc transcribo. In primis eius inscriptionem, videlicet: *Reuerendis admodum in Christo PP. de Oliua Ordinis Cisterc. S. P. E.* Deinde incipit: *Reuerendi admodum Patres, Sanctissimæ que domus Scalæ Dei dilectissimi filij, &c.* Post quæ; sequuntur cætera responsiua & parenética, concludens ad finem sic: *Scalæ Dei translatio facta fuit, à Priore à Sancta Christina, de consilio Vicecomitis Leuitani (ob cæli & soli grauem crediderim intemperiem) in hunc locum anno Domini 1118. cum antea ad radices Pirinei montis in valle Campan, in fundo vocato Cabadur extitisse, nulli debet esse dubium, licet ex tanta domo, nihil aliud nobis reliquerit antiquitatis libor, præter quedam fundamentorum vestigia, sentibus & vepribus obducta, vigesimo ab ortu Cistercij, &c.* & subscribit: *Frat. Iacobus Saramea Prior Scalæ Dei, absente Abbate, ac sigillo magno, apertis literis distincto, munit.* Extante igitur hoc testimonio vere authentico, fidedignæ auctoritatis viri, eiusdem domus Prioris, in materia specificè requisiti, cui eleuare fidem mihi integrum non est (nescio an aliis) cessat omnino in compassibilitas temporis, nec peruertitur Filix partus, cum ortu Matris. Qua propter manet integra radicatio OLIVÆ, vt gloriæ illius vernantes furculos, fructusque decerpamus, & qui in illa per Monasticam inseruntur professionem specialissime se considerantes à ra-

p 10.2. Annual. in serie Abb. Hortæ III.

q in Tablino Oliuæ.

dice

- r Rom. 11. dice talis *Oliua portatos*, & focios eius pinguedinis & sanctitatis se exhibeant. Hoc enim potissimum exigit munificentia Regum, hoc protectio Pontificum; hoc estimatio fidelium: & ad hoc unum inuitare debet omnia, & in Dei obsequium promouere; quæ subindico.
- s Sylua de Albornoz. ¶ Situs quidem Domus, & Oliuæ solum, amenitate copiosi fluminis prope fluentis, frondositate nemorum, planitie camporum, pascuorum vbertate, vicinitate montium, ferarum frequentia aliisque, iam ab aliquo, satis poëtice decantata, suam, eo stilo, delectationem legentibus intulerunt. Sit ea farrago Camenæ; mihi interea serius, & hybernus algor, & veris præsertim intemperans torrentis caumatis æstus, quæ nonnulla habitatoribus morbida discrimina parant, ea videntur esse, quæ Monasticis locis conuenire existimabat B. Bernardus, vt cum Apostolo sentiens, tunc sint *cum infirmantur fortiores*, & sanctitatis virtute potentes; nec iucundiora vitæ, immemores mortis esse, exitiosa obliuione permittent. Emergit exhinc, suo tempore infirmantium haud parum meritoria curatio: attamen tamquam ex propria Oliuæ misericordia, *Dominus opem fert*, non solum illis, & *super lectum doloris eorum*, nitido medicamentorum, prouida humanitate, præuento myropolio, sed cæteris etiam in fospitate tuendis, & cunctis bene valituris, capaci, quem non ad voluptatem, sed ad valetudinis pharmacum reduco, concreti gelu, in frigiditatem potus extracto puteo niuario: opportunum & necessarium æstuantis & malignantis caloris, piè excogitatum antidotum, vt Euangelicus *aqua frigida calix* reputetur, qui alioqui delitiosè exquisitus, haud satis Monasticus haberetur. Quod verò, vt Religiosos alat, & Religiosa munia compleant, in temporalibus gregum, & armentorum, apta adsit substantia: y *& in frumento, vino & oleo*, (tametsi suo Dei nuru, hoc tempore, vsque ad radices adacta glacie, & *mentitum sit opus Oliuæ*) decens *stabilimentum* extet: hæc aliaque similia omnia, tanquam accessoria iudico, *& adiecta a primis quærentibus Regnum Dei*. Ad hoc enim, & Conuentus conuersatio tendit, & pertrahit ipsa domus dispositio. Vbi namque Scala-Dei latera fixit, *b domum eius*, & *portam cæli emulari* oportebat. Templum itaque, & fortitudine ædificii, & amplitudine, Regiam retinet maiestatem, & vtriusque Sancti, Sapientis & Fortis: qui paternæ, auitæque deuotionis heredes, eam Ecclesiæ fabricam, adiuncto etiam regulari, haud dispari opere claustro ex parte promouerunt, perfeceruntque: vt vere esset *c laus eorum apud Deum in Ecclesia magna*. Dispositio eius, à grauissima Cathedrali non disentiens: longa ei lataque intercapedo, à choro vsque ad maiorem aram, quæ egregio & elegantissimo artis imaginamen-

to exornata, & aureo fulgore oculos, & picturæ proprietate animū  
 rapit; cæteris altaribus, imitationem è vicino præstans. In eo magni-  
 fico templo, specialius gloria & honor Deo soli cantatur, dum intra  
 clausuræ Monasticæ metas constitutum, tanta solitudine gaudet hu-  
 mana, vt nullus, fœminei sexus deuotioni, accessus pateat: & ab alio  
 etiam conforcio solitarii, laudes Domini die noctuque reboantes, d Psal. 137.  
*d in conspectu Angelorum tantum canere dicantur Monachi.* Nihilomi-  
 nus cum isto, *quasi e horto concluso,* hæc pinguis claudatur Oliua, eius e Cant. 4.  
 tamen misericordiæ oleum, repagulis non cohibetur, quin in vici-  
 nos pauperes, & peregrinos, abundanter effusum, dum eleemosynâ  
 iugi, *& stans insuper diebus, s ex Regum institutione,* ingenti, cælestis f Privileg.  
 Regis promerendo gratiam, pariter sibi conciliat humanos cum ho- Reg. Caroli  
 norificentia fauores. Horum enim, & isthinc á Deo origo, & ad ip- II.  
 sum (cui gloria) deuoluenda relatio. Quare eius sit, in generalibus  
 Regni Cõmitiis, præ participibus Cisterciensibus, locus *g & antela-*  
 tio. Eius etiam sit non sine aliorum conforcio, *Consiliarij Regis Rega-* g Monumẽ-  
*libus privilegijs,* *b expressus titulus:* sicut & alia plura Religionis, ta Commic.  
 Pietatis, Honoris, & similia: in quibus omnibus, quod agnosco bo- Regni.  
 num candide & sinceriter enarrans, nullam cum cæteris præfulgen- h Carol. II.  
 tibus, & illustrissimis Cœnobiis, collationem intendo, nullam face-  
 re præsumo, nec vllatenus (quod absit) quidpiam cuique de qualita-  
 te diminuo. Sed tamen ea, aliaque omittenda modo, & cum cæteris,  
 in promissam Chronologiam remitenda, vt Epistolari agimini rerū,  
 receptui canamus. Sitque nunc ad OLIVAM, pro tempore no-  
 stram, mei semper eius, vltima peroratio: Vt obsequium oblatis Ope-  
 ris, quod eius vltronea & vnica largitate, videt lucem, boni cõsulat,  
 & prælibata laudationis elogia, pro sua cuiusque portione (vt confi-  
 do) non reddantur vacua: atque ego pauper & modicus, qui tot spe-  
 cialibus vinculis constringor, seruorum Dei, (quod enixe & humili-  
 liter exposco) precaationibus adiuuari promerear, & simul  
æternæ fælicitati, cum eisdem adscribi:  
 Fiat, Fiat.






# LECTORI AVTHOR.

**P**ROPRIVM Operis huius motuum, methodum seruandam, & momentum rei, specialiter expressa habes (Studiose Lector) in ipsa prooemiali *Introductione*, *Artis*, & atque occasio, & intentum additæ ad finem Operis *Lacinie*, in ipsius Segment. I. distinctè continentur. Quare, quæ semel in prooemulo vestibuli, cuique sunt manifesta, rursus ob oculos proponere, necessarium non est. Illud verò, & legenti lucem, & lectioni solet conciliare auctoritatem, si Scriptoris non prorsus ignoretur persona, etiam si ab ipsa (quod non est nouum, nec si modeste fiat, inuisum) notitia præstanda sit, quæ tamen ad rem pertineat. Non parùm autem ad eam pertinent, Studium, peritia, & experimentum, à quibus, rectum, & prudens, in omni ferè materia, iudicium dependet. Et quamquam prædicta mihi vtrò arrogare, vanissima elati animi confidentia foret: velem nihilominus, Diuino Numine præstante, opportunè adfuisse mihi; nam ad id quantum est ex me, vrgens ex legitima obligatione, incubuisse onus, & merito, iureque teneri, conuincunt plura. In primis ætas in Religione Cisterciensi, Regulæ Benedictinæ genuinâ & propriâ, vltra quinquagesimum annum, sub Diui P. N. Bernardi OBSERVANTIA Hispana, Cœnobiali conuictu, & Conuentuali conuersatione, semper exacta. Præterea, professio literarum, à primis Religionis cunabulis, me & discipulum & magistrum agente, diu exercita; ac etiã Doctoratus, seu Magisterij Theologico apice, Academicè insignita. Deinde Abbatialis dignitatis septies iterata functio, in præfata Congregatione: Ex qua Catholico Rege Philippo III. euocante, octauam, in Oliuæ Monasterio Nauarræ, Prælaturam in præsentiarum ago. Rursus Diffinitoris officium, quater iteratis vicibus, studiosè, quoad potui, exactum. Et licet generalis Concionator à Capitulo nostro electus, & verbo, & scriptis Euulgatis, eam susceptam exercuerim Prouintiam, ex qua copiosa suggesti seges, Regulæ Commentariis prouentura videbatur: non tamen hinc, non inquam hinc, sed ex ante dictis sperandus intentus meæ scriptionis prouentus, qui circa ipsam literam, & circa moralem conscientie obligationem, prioribus potius innititur principiis. Ad hæc non nuperum & recenter excogitatum hoc Scholium: sed meditata diu NOTÆ, non solum post veteres Commentatores haud superflua, sed nouioribus in Regulam voluminibus, sua cuique ratione, vt in discursu patebit, necessariè. Nec omittam peculiarem, quam confert laboribus energiam, vinida animi mei, erga ipsum Beatiss. P. N. Benedictum à primeuis annis propensio, quæ si in mea adolescentia, ad vitam eius heroico illo Hispano poemate decantandam, ardentè incaluit: nullatenus ad Regulam quæ potior illius vita est, considerandam etiam in senio refriguit. Sed sicut naturalis ad centrum impetus rei, velocitatem vnde cumque sit, adquiret, & vehementiam motus potiorè: ita & meus continuus, in literarium istud eius obsequium, conatus: vt vnde lassitudinis ergò, timendus erat defectus, inde Hieronymianus bos lassus fortius figat pedem. Igitur (vt quò tendat oratio, tandem perueniam) cum in qualibet facultate, illius peritos præferendos, ratio iuraque doceant: sanè quamuis cætera essent omnino paria, minus fidendum est tyroni, quàm veterano: minus in

experto & summis labris exiliter degustanti cibum, aut subodoranti liquorem, quam assiduo usu, & frequenti rerum ex officio, experiētiā alto & nutritio: minus alienæ professionis alumno, quā proprio ipsius Regulæ professori: minus ingerenti insolita, plerumque de nouitate suspecta, quā antiquiora tempore ipso solidata, & adiecta autoritate tuenti: minus denique contentiosis, si forte ex emalatione discursibus, quā sedata disquisitione pacatis. Sed tamen inter omnia, si quid præferendum, iusto titulo existat, illud indefectibiliter in omnibus accedat, quod Coronis est, & complementum omnium, iubar scilicet Sancti Spiritus, sine quo, neque Author, doctrinæ præbere lucem, neque illius habere poterit Lector fructum & ardorem. De quibus quidem mihi desiderium, & sollicitudo est in Christo, cui in eodem Spiritu seruiō: & cui ut cuncta, & ubique, siue fautor, siue censor existas, famulentur, exoratum te velim: de cætero nihil te moror. Nam, & si scribendi exercitium Cassiodorus *spectaculum bene considerantibus gloriosum*, dixerit: tamen memor sum Nazianzeni monentis: *Vsitata ne spernas, nouitatem non aucuperis, ut nominis splendorem tibi, apud vulgus, concilies.* Hanc itaque auertat ab scriptis nostris vanitatem Deus, cui soli, semper, & vnde quaque, in omnibus volumus esse gloriam.





INTRODVCTIONIS

# AD NOTAS

## LITERALES.

### DE ARTICVLATIO.



ARTIC. I. De præcipuis Regula S. Benedicti Commentatoribus.

Artic. II. De peculiari, præ alijs commentarijs, harum Notarum literalium, scopo, & intentione.

Artic. III. De nonnullis ad Regula Sanctæ textum, opportunè præcognoscendis.

Artic. IIII. Quod Regula S. Benedicti, non est ex illis Regulis, aut Constitutionibus, quæ ad culpam non obligant.

Artic. V. Classes & capita, ad quæ potissimè, omnia quæ continentur in Regula, reducuntur.

Artic. VI. De ijs quæ ad primam Classem pertinent, resolutio.

Artic. VII. Quid de ijs quæ ad secundam classem spectant, sit tenendum?

Artic. VIII. Circa ea quæ in tertia Classe continentur, discussio & determinatio.

Artic. IX. Quid dicendum sit de illis, quæ ad quartam Classem reducta sunt.

Artic. X. De quinta & ultima Classe resolutio.

Artic. XI. De aliquibus, pro moderamine prædictorum, & dicendorum, generaliter aduertendis.

Præcapitulationem Regulæ, & NOTARVM, materias post *Introductionem*, habes. Sicut & post ipsas Regulæ Notas, etiam *Laciniæ* additæ *Indiculum* reperies, & demum pro omnibus *Indicem* vniuersalem in fine.

INTRODUCTIONS

# ADNOTAS LITTERALES DEARTICVLTIO.

ARTIC. I. De praecipuis Regulae & Benedicti Commentariis.  
 Artic. II. De praecipuis praecipuis commentariis, hanc & hanc  
 litterarum, sicut & intentione.  
 Artic. III. De nominibus ad Regulae & Benedicti textum opportune praecognoscenda.  
 Artic. IIII. Quod Regulae & Benedicti non est ex illis Regulis, aut Constitutionibus, quae ad culpam non obligant.  
 Artic. V. Classis & capitula, ad quae pertinent; omnia quae continentur in Regula, reducuntur.  
 Artic. VI. De his quae ad primam Classis pertinent, resolutio.  
 Artic. VII. Quid de his quae ad secundam Classis spectant, sit resoluendum.  
 Artic. VIII. Quae in tertio Classis continentur, resolutio & deinde resolutio.  
 Artic. IX. Quid dicendum sit de illis, quae ad quartam Classis redacta sunt.  
 Artic. X. De quinta & ultima Classis resolutio.  
 Artic. XI. De aliis quibus pro academiarum praedictorum, & dicendum, generaliter aduertenda.

Præcipuam hanc & post ipsas Regulas Notas, etiam Latine adhibere iudicatum reperitur & deum pro omnibus iudicium universalem in fine.



## INTRODVCTIO

## PROOEMIALIS

A D

NOTAS LITERALES,  
REGVLÆ SANCTIS.

P. N. BENEDICTI ABBATIS.

De præcipuis REGVLÆ S. BENEDICTI Commentatoribus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

I.  
Quò tendat  
Introductio

**N**OTATIONES istas Commentarios vé, in facram beatissimi Patriarche BENEDICTI REGVLAM producturus, nonnulla præfari paro, quæ, cum ipsius Operis pretium, tum peculiari nostri laboris intentio, pro apta rei introductione deponunt. Ut non solum ea edisseram, quæ materia ipsa, NOTIS illustranda præsentibus, præambulo sermone, in sui cognitionem exigit: sed & id etiam constet, quod nos, post tot antiquos recentioresque Commentatores, ad meditandum hæc nouiter adegerit. Utque perspectum habeat Lector, vel RELIGIOSVS, qui sub hac Regula alia ve, nomen monasticæ militiæ dedit: vel ERVDITVS, qui literariæ palestre seriò,

addictus, laudabilibus incūbit studijs, SCOPVM quem contendimus: quem & præcipuè collimare, cæteris prætermisissis, præsentis instituti sit.

Ad quod præmitto seriem Authorū qui hūc laborē, vel ex parte vel in totū obiere; quos etiam sicut & alios, per quos, in Opere, profecerim, suis locis, opportunè laudabo. Ex ijs ergo, nē nullos agnoscimus testimonio Petri Diaconi; cuius verba ex M. S. Bibliothecæ Casinensis, protulit diligentissimus scriptor Constantinus Caietanus, in libro quē in scripsit. *Vita triū Episcoporum, &c.* Vbi, in *Isidoro*, loquitur Petrus Diaconus sic: *Sed nos idcirco breuiter hanc Regulā exponem⁹, quia in huius rei negotio operā dederūt, Paulus Casinensis Diaconus, Rabanus Maurus, Doctor Isidorus, Stephanus, ac Paulus Abbates, &c.*

II.  
Expositores  
Regulæ.

A

Ex

III. Ex quibus in primis, constat de Petro Diacono, licet cæteris numeratis recentiore: cuius tantum habemus, quæ in lucem edidit prædictus Constantinus, loco citato. Opus Rabani Mauri citatur M. S. à Iacobo Pamelio, in *Tertull. annotat. in titulum. lib. de Pallio.* Sed & excussum iam, tom. 5. operum ipsius, extat. Ex aliis verò prænominatis, scilicet Paulo Casinensi Diacono, Stephano, & Paulo Abbatibus, mihi nulla lux, quorum alibi rara mentio. Tamen de Paulo Diacono, meminit Leo Ostiensis in *Chronico Casin. lib. 1. cap. 17.* de quo ait: *Rogatus ab Abbate & fratribus, expositionem Regulæ S. Benedicti per vtilem dedit.*

III. Ceterum, quod ex D. Isidoro habemus, quidam Regulam ipsius censent, atque in eum modum, eius verbis sæpè vsus est Smaragdus, de quo infra. At Constantinus Caietanus, ubi supra, reputat esse, *breuiarium Regulæ S. Benedicti*, vel saltém id solum intendisse, ut *Hispanis monachis sub S. Benedicto militaturis, illius Regulam à se dumtaxat enarratam, & ad terræ Hispaniæ vsu paululum de flexam*, (prout ipse Benedictus Prælatorum discretioni pectorique permisit) obseruandam proponeret, &c. Quod confirmat ex Braulio Episcopo Cesaraugustano, dicente de D. Isidoro, scripsisse: *Monastica Regula librum vnum, quem pro patriæ vsu, & in ualidorum animis, decentissimè temperauit.* Tamen neque in fronte, neque in corpore ipsius Regulæ, vlla est S. Benedicti mentio. Potius in *Prefatione*, ait: *ex maiorum institutis, à sanctis Patribus sparsim prolatis pauca colligere.* Quod manifestum est ex Operibus ipsius D. Isidori, ubi etiam est testimonium oculati testis, nomine Redempti. de morte Isidori, Era 674. Scilicet anno Christi 636. ut de ipsius tempore constet.

V. Deinde, ad annos 670. floruisse fertur Benedictum, Abbatem SS. Petri & Pauli, qui ad monachos scripsit librum, cui titulus, *Concordantiæ Regularum.* Quem tamen tribui diuer-

sis inuenio, neque esse aliud quam Regularum congeriem. Sed sequitur ad annos 817. *Capitulare Regum*, sic appellatum, quia scriptum fuit in libro *Capitulario Francorum*, est autem ipsum Concilium Aquisgranense, tempore Ludouici Pij, sub Paschali primo iuxta Leonem Ostiensem, lib. 1. *Chron. Casin. cap. 18.* celebratum, per Episcopos Prouintiales, ac etiam Ordinis S. Benedicti Abbates, & alios Monachos Franciæ Germaniæque, in Obseruationem Regulæ S. Benedicti. De quo ediderunt 80. Canones, quos à Casinensibus, tamquam Regulam obseruatos, refert Cardinalis Baronius, in *Annal. anno prædicto.* Inuenitur autem in editione Conciliorum Seuerini Bini, tom. 3. par. 1. sect. 2. & ex parte, habetur expositum, apud Mag. Fr. Antonium Yepes, insignem virum, patriam Pintianum, professione Benedictinum, in 3. tom. *Chron. generalis, S. Bened. in Appendice.* Quibus adde *Declaratorium Regulæ*, quod, longissimo postmodum interuallo, condidit Congregatio Casinensis, & M. S. accepi, cum aliis excussis, quæ *infr. num. 8.* adduco.

Accedit Smaragdus, Abbas S. Michaëlis, in Lotharingia: qui iuxta Chronologiã Ecclesiasticam excussam Bononiæ, scripsit ad annos Christi circiter 930. eiusque Commentarium seu expositionem, super totam Regulam, non semel prælo datam, præ manibus habemus. Præterea, ad annum 1065. numerari potest Cardinalis B. Petrus Damianus, Episcopus Ostiensis, quem ad prædictum annum vixisse, me docent verba ipsius, *Opusc. 37. de varijs quæst. argum. 2. dub. 3.* Qui quidem aliqua, pauca tamen, Capita *REGULÆ* tractauit, *Opusc. 13. de Perfectione monach.* & alibi obiter, dum se se res offerebat, tamquam de communi, & tunc ferè vnica Regula Monastica. Antantum eidem propria, ipse anceps reddit, qui professione Eremitica gloriosior, haud multum detulerit Coenobitarum instituto, cum aliis quæ notabo,

Capitulare Regum.

Declaratorium Casin.

VI. Smaragdus.

B. Petrus Damianus.

Petrus Diac.

Rabanns.

Steph. Abb.

Paulus Ab.

D. Isidorus.

Eius opera & mors.

V. Benedictus Abbas.

tabo, in NOTIS, ad Prolog. à num. 8. & Cap. I. Regul. à nu. etiam 8. & cap. 58. num. 20.

VII. Cur autem, ordine temporis, non interseram Sanctiss. P. N. BERNARDUM, Clareuallensem Abbatem, Doctorem Ecclesiæ Theodidactum, eximium Religionis ornamentum, mihi & omnibus, antè omnes huius Cathalogi Authores, venerandum? Ipse, non quidem tantum, in Tractatu de Gradibus humilitatis, & in egregio Opusculo, de Præcepto & dispensatione, Sed in Epistolis, & alibi frequenter, Regularem Patris communis BENEDICTI spiritum suauiter spirat. Adiungam tamen ipsi contemporaneam S. Hildegardem Abbatissam, ex habitu Benedictino nigro, in album Cisterciensem translata, cuius admiranda scripta, in Synodo Treberi celebrata, approbavit celebriter Papa Eugenius III. Cisterciensis Ordinis primus. Vnde fœmina licet, suum inter Scriptores, occupare hic locum promeruit, scripsit enim vlteriùs expositionem super REGVLAM, cuius honorificè meminere plures. Atque de ea latiùs, noster Fr. Chrysoströmus, Enriquez, Hortensis, Monachus nostræ OBSERVANTIÆ, de qua, & optimè meritis, in libro cui titulus, Lilia Cistercij, tom. I. dist. 8. cap. 2. vbi simul cum eius vita, præfatam expositionem Regulæ, quam ad petitionem Hunniensium monachorum, confecit, nouiter excussam communi-  
cauit.

VIII. Longè postea, hoc opus aggressus est Cardinalis Ioannes à Turrecremata, professione Dominicanus, circa annum 1460. & magna cum laude perfecit; quod & autoritatè, & rerum copia, vsque ad nostrum tempus, inter potissima reputatur. Nam qui, ex eadem inelytâ Prædicatorum familia, vt D. Thomas Aquinas, Antoninus Florētinus, Siluester Prierat, & alij circa aliquot determinatos articulos Regulæ S. BENEDICTI, inter alias disputationes pertractant, à nobis, non

in hoc albo recensentur; adducendi & citandi, suo tempore, sicut alij quam plurimi Authores, antiqui & moderni, qui similiter, ad peculiaria nostra, sæpè descendunt. Operi autem integro & perfecto Cardinalis prædicti, adiungi potest inchoatum Ioannis Tritemij, Spanheimensis Abbatis, circa annum 1500. qui in Commentario, solum vsque ad Cap. 7. Regulæ peruenit; atque sic imperfectum typis excussum habemus. Non tamen eos, quos ipse citat, Richardum Casinensem, S. Iustinae Abbatem, Ioannem Belgam Abbatem S. Babonis, & alios. At anno 1571. prodijt Camaldulensium DECLARATIO in REGVLAM, pro ipsis non parum autoritate munita; & Fuliensium anno 1595.

Adhæc, non præteribo Doctorem Fr. Franciscum Vaquerum, qui ad annum 1616. sub nomine Apologie, edidit, laudatoriu opus in Regulam S. BENEDICTI, lingua vulgari, excussum Cæsarauguste, vbi plurima laboriosè coaceruauit, tum ad mores attinētia, tum ad historiam; sed in eis ex optimo affectu, non tamen æquo delectu, ad mittendo aliqua, quibus lima, (quod non est mirum) opus sit. Ei tamen in Moriuo 30. acceptam fero notitiam aliquorum Authorum, in REGVLAM, quorum opera non sum consequutus: qua propter solum nomina dabo. Hi sunt Benedictus Abbas, quem memorauit sup. num. 5. Item Bernardus Abbas Casinens. cuius testimonijs & ipse vitur in Apologia. Deinde Ioannes Monachus Castellensis, atque Petrus Boetius Abbas Bianensis, cuius etiā meminit Tritemius. Demum addit Rupertum Abbatem Tuicensem, cuius libros in REGVLAM Tritemio, Sixto Senensi, alijsque incognitos, nouissimè inter opera Ruperti, excussam Moguntia, adiectos fuisse audio.

Omitto interea Fr. Ioan. de Robles Benedictinum, Congregationis Vallis-Oletanae, qui Regulam in Hispanum sermonem translata, Notationibus raris & exilibus resperfit. Sic Latinam edidit Mag. Iacobus Ferragius,

I. Tritemius.

IX. Franciscus Vaquerus.

Rupertus Abbas.

X. Fr. I. Robles.

VII. S. P. N. Bernardus.

S. Hildegardis.

VIII. Card. Turrecremata.

IIIIX

*Iacob. Ferragius.*

*Fr. Alphonsus Leonis.*

*Mag. Ludouicus Bernaldus.*

ad annum 1627. cum notulis, seu potius citationibus per exiguis & raris. Sed nihil contemnendum. Similiter Magistrum Fr. Alphonsum de Leon, qui itidem, Vernacula lingua, super Regulam edidit: *Aduertentias Vitæ spiritualis*, quæ per se proficua licet sint, sed meo instituto & scopo (quem sequenti Articulo huius *Introductio-nis*, pando) fere nihil conferunt. Omitto etiam de hac materia Opus, quondam à Magistro Reuerendissimo Fr. Ludouico Bernaldo, nostræ Congregationis Cisterciensis Hispanæ præclarissimo alumno, in eaque Generali & in Salmantina Academia, Sacrorum Bibliorum Cathedræ moderatore, tentatum, prout eo superstitite, in nostra accepimus iuuentute. Cuius eo morte sublato, solus superuixit rumor; nec quidpiam aliud superesse scimus.

XI.

*Mag. Anton. Perez Epif. Vrgel.*

At precipue ad rem, anno 1625. prodijt in totam REGVLAM, integer Commentarius doctissimi Mag. Fr. Antonij Perez, Monachi Benedictini, Congregationis Vallis-Oletanæ: eiusque Generalis emeriti, atque in Episcopum Vrgellensem assumpti. Quem sic semper à me citari, nihil detrahat honorificentia debita, sublimiori dignitati Archiepiscopalis Sedis Tarraconensis, ad quam inde dignissimè promotus fuit. Nam Opus illud in Regulam (circa quod, nos olim Madriti ex iniuncto Supremi Senatus, Catholici Regis, Censoris approbantis officium libenter gessimus) lucem vidit eo tempore, quo Vrgellensis Episcopi nomenclatione gaudens, NOTAS istas capimus meditari; Et ita sub quo nomine ab eo editum, & illo tempore, citatum, ita remansit, né semel debite scripta, qualibet mutatione personæ adueniente, lituris expungerentur in vanum. Sicut & semel cognita cuiusque Authoris dignitate, in citationibus repetitis, titulos honorum nõ reperimus, frustra. Nam & in citandis sanctissimis Ecclesiæ PP. & DD. August. Hieron. &c. solo nomine cõten-

ti, nihil de honore volumus minorari.

In eo igitur, Commentatorum sanctæ REGVLÆ, substitit tunc series, qui memoria digni mihi occurrerant. Sed tamen post præfatam enumerationem, moras trahente hoc factu, adhuc alios recentiores Catalogo deesse comperio; nec, quandiu locus est, quoad ipse permisserit, reticebo. Scilicet Fr. Ioannem Crasbehec, Cisterciensem, cuius opus in Regulam, Duaci nouiter excusum nõdum vidi. Benè tamen quod nouissimè dedit prælo Magist. Fr. Ioannes Caramuel. Cisterciensis, Abbas Melrosensis, Brugis anno 1640. in quo *Historicum, Scholasticum, Moralem, Iudiciale, Politicum*, se promittit, & exhibet. Et licet pro Viri ingenio, quem nostræ OBSERVANTIÆ Congregatio, à crepundijs vsque ad honorificum studiorum statum aluit, excoluit, prouexit, cuncta mihi suspicienda potius, quàm suspitione quauis notanda veniat: tamen in nonnullis, nescio an, mutatione loci, doctrinam etiam Hispaniæ familiæ familiarem commutauerit. Ita enim procedit diuersimodè, ita nouiter, vt cum aliàs opusculum hoc nostrum, supprimendum certè, ingenti volumine eius videretur; tamen aliundè cogit, vt quorum iam studiosè scripseramus, reddamus pro opposita nouitate, firmemusque rationem. Quia verò iam NOTÆ istæ quas parabamus prælo, absolutæ & calamo exarata, distinctæque suis numeris erant; nec interseri, præ marginum angustia, & liturarum offensione, poterant adijcienda; necessè fuit in finem voluminis, Auctuarij vice ea relegari, atque suppleri, parcens etiam labori toties transcribendi, qui amanuensi non vtor. Pro quibus, vltra pauca, quæ non differenda, breuiter fortè inferam; illuc Lectorem conuenio, in addita ad finem *LACINIÀ* his NOTIS annectenda.

Enim-verò (quod dictum volo de omnibus Authoribus, quos mihi iuxta de-

XII.

*I. Crasbehec*

*I. Caramuel. Abb.*

*Remissio impugnationis Caramuel.*

XIII.

*Cautio pro proprijs & alienis.*

debitam cuique reuerentiam, colēdissimos propono) haut mihi erit curā, cunctis, quę non placent (nec tamen est, in quo non placeant plura) nigrum affigere theta: sed solum, liberi cursus, ac discursus nostri amouere rationabiliter impedimenta, & gressuum offendicula complanare; ne, quo ad fieri possit, legentes offendant ad lapidem pedem suum. De cætero mihi primo, cum omnibus & præ omnibus, humiliter sentiendum est. Quis enim ad oppiparum apparatusissimumque cōuiuuium, tam edax insatiabilisque, (si diuina demas) qui omnia voret, aut eodem gustu, diuersissima fercula libet? Et quis etiam strenuissimus dapum instructor, parans escas alijs, quorum velle nescit & ignorat, omni palato, pari transmittendas sapore, nihil vé respuendum præsumat? Certé præsumet nullus. Ac testes, ad probationem, Euangelica autoritate, legitimam, incunctanter exhibeo, duos vel tres.

XIV.  
Ad id SS.  
exempla.

Nam eximius ex actissimusque Ecclesię Doctor Augustinus, *Retractionum* libros euulgando; non præsumpsit. Hanc, ait ille, in earum prologo, perfectionem nec nunc arrogo, cum iam sim senex, quanto minus, cum iuuenis cepi scribere? Beatiss. BERNARDVS melifluā suauitate dulcissimus, publicans, ante tractatum de *Gradibus humilit.* scriptorum suorum reprehensiones proprias; non præsumpsit. Qui etiam, ad opus *Declamationum*, præloquens fratri, cui illud dirigebat, inquit: *Quoniam suspecta mihi ignorantia propria, propriaque obliuio est, hortor & moneo, vt si qua deprehenderis digna reprehensione, ipse ea corrigenda studeas.* Item B. Petrus Damianus Cardin. sanctitate & eruditione præclarus, scribens tribus Abbatibus discipulis communem epistolam, vt omnibus manifestarent, suum sermonis cuiusdam lapsum, non præsumpsit; vbi scilicet, lib. 6. *Epist.* 10. ait: *ibi nimirum, fateor, errasse comperi, & insipienter loquutum, &c.*

Sufficiat ergo nobis, si quidem in ore duorum vel trium stat omne verbum Viceplurium, horum tantorum virorum paradigma triplex; ne nos vel vana huius præsumptionis obnubilet vmbra, aut aura titillet, veniatque amplectenda illa Hildeberti Cenomanensis sententia, in prologo ad *Vit. S. Hugonis*, apud *Biblioth. Cluniac.* dicitis: *Officiosa res est, & prudenti gratæ scriptori correctio.* Ego autem haudquaquam sub illa vmbra dormiam, neque in secreto arundineæ æstimationis, calami scribentis ignorantiam demulcebo: sed ad Deum, de luce meæ cogitationis semper euigilans, non solum ipsius indefectibilis veritatis Regulæ, quam in ECCLESIA sua constituit, me meaque regulanda libens subijciam: sed & patienter feram, in quo Opus istud, cuiuslibet sapienti prudentique displicuerit, vt ordinet, si aliter iudicauerit. Quæ verba sunt ipsius Sanctiss. P. N. cuius aggreddior REGVLAM, cap. 18. in quibus eadem sapit præfatorum saluā sanctorum. Atque ex eisdem ego, vel præcitati Augustini proprius mihi vsurpans sententiam, qui primas non potui habere sapientiæ, secundas habeam partes modestiæ, humiliter de me, vt par est, sentiendo; labentique alteri, sicut & vellem mihi, ingenuè parcendo.

Sed adhuc in materia huius articuli cunctante editione, pro serie Commentatorum augenda, nouissime habes, nuper hoc anno 1645. editum Hispaniæ vulgari sermone, sed haud vulgaris prætij, primum tomū in Regulam S. BENEDICTI sub titulo, *Sol del Occidente*, à Reuerendissimo Mag. Alphonso de San-Victores Congregationis S. Benedicti Vallisoletani Generali emerito, vbi inter alia *Preludia*, ad sequentes, quos parat, eiusdem Operis tomos, cathalogum prædictorum Authorum duplicato ferè numero ad augeat. Ex quibus aliqui nobis non extant, fortè nec illi, nisi nomine tenus; aliqui in scrinijs M. S. latitant: aliqui

XV.  
Humiliscorrectioni subiectio.

XIV  
Donatus  
Johannes  
marius  
1645

XVI.  
Mag. F. Alphonsus de San-Victores.

XVIII  
Benedictus  
Hactenus  
Ludovicus

neque in Scrinijs, qualis est relatus, *sup. num. 10.* M. Ludouicus Bernaldus, cuius duodecim libros in Regulam, ait afferuari (quod secus est) in nostri Collegij Salmanticensis Bibliotheca.

XVII.  
Laudatio &  
censura dif-  
ferentiam  
petit.

Quod verò authores à me relatos, aut referendos interdum non parificè elogio, sed diuersimodè iudicium feram, ex eo facio, quia genericus sermo specialem & in indiuiduo requisitam notitiam non adducit, fortè nec præ alijs æstimationem, quos æqualis censura complectitur. Quam diuersitatem desiderabat Plinius Iunior, *lib. 3. Epist. ad Voconium*, non solum in Authoribus, sed in quolibet libro. Et quidem *Omnia sine delectu laudare*, non probat D. Chrysostomus *homil. 9. de laudibus D. Pauli, tom. 3.* Ideò in præsentì & sequenti Articulo, & aliàs, eo modo procedimus, idque nec adulatoriè, nec liuidè, sed candidè, & reuerenter, & humiliter, vt iam dictum est *sup.*, & ea moderatione se geret Opus nostrum. Cui iam fere excripto, superuenit granissimus hic Author, in prædicto *Prætoriorum* tomo, principaliter, Apologetico, & cum Basilianis Monachis, vt potè prouocantibus accerrimè digladiatorio, & cõcionatoria vbertim dictione tessellato. Eique & pro *REGVLA*, iuxta veritatem literæ, & pro communi P. N. S. *BENEDICTO*, secundum exigentiam proprii honoris, me fidum à latere sociũ exhibebo. De cetero precor ignoscat, si non in omnibus confensero: sicut etiam alii Authores, à quibus vel disentire, vel propriã, aut aliorum doctrinam eis præferre, sine iniuria, omni Scriptori dandum est & ferendum.

XVIII.  
Benedictus  
Haestenus  
laudatur.

Postremò, vt coronidem huic cathalogo imponam, ad meas vltimò deuenit manus, Opus & magnitudine, & rerum copia egregium, cui titulus *Disquisitionum Monasticarum lib. 12.* præmissã, ad Regulã S. *BENEDICTI* illustratorem, quam prædictis libris meditatur, vitã ipsius sanctissimi Patriarchæ à D. Gregorio conscripta, cum commenta-

rio Annotationum: Authore Benedicto Haesteno Benedictino, Monasterij Affigeniensis Præposito, excussum Antuerpiæ anno 1644. In quo omnigena eruditione, benè tinctus, nullis cuiusuis materię disquisitionibus parcit, vbi doctrinæ specimè admirabile profert: etiam in ijs, in quibus ab ipso nostra, seu à nobis ipsius sententia interdum distat, non negandum.

Fateor autem, operis & tractatum exuberantiã perspectã, meritò à me opusculi nostri exilitatem suprimendam, si non animaduertentem scopum *NOTARVM* præsentium, quem *art. sequenti*, declaro, adhuc ab ipso tantummodò libatum, integrum super esse; in quem peculiare meum studium haud superfluè cadat; præter necessarium occursum, quem *sup. num. 12.* indicavi, quodammodo mihi relictum, & plurium instantia demandatum, cõtra Authorem illum quasi domesticũ Ioan. Caramuelem. Insuper & in alijs confido in Deo adhuc aliquid in medium proferri, non aliàs collatũ, quod præcedentium scriptis *Auctuarium* esse sequat.

Quantum verò ad præsentem cathalogum Commentatorum *REGVLÆ*, ipse quidem multorum vice potest esse mihi, vt abstinẽam à numeratione eorum, quos refert, *lib. 2. tract. 5. disquis. 4.* partim à me supra indicatos, partim ab eisdem. In quibus, præsertim ignotis, quid noui aduertam non habeo. Video enim, sæpe huiusmodi, ex aliorum scriptis transferri: & errantibus prioribus, posteriores in eisdem errores induci. Hoc euenit in præsentì authore, etiam circa Mag. Ludouicum Bernaldum, de quo dictum est, *sup. num. 10. & 16.* & idem dicendum de aliquibus alijs quos noster Chrysostomus Enriquez, in *Phœnice reuiuiscente*, vel deceptus, vel sinceriter credulus, vocat Scriptores. Nescioque an fortè indè effluxerit, quod prædictus Haestenus, *prolegom. 1. ad vitam S. Bened.* dũ inter Poetas, qui metro, sanctissimi Patris vitam decantauerunt, me etiam com-

XIX.  
Adhuc no-  
stro labori lo-  
cus.

XX.  
Cathalogi  
additio, &  
animadu-  
ersio.

commemoratur, & meum, de ipso, Poëma, insigni elogio (ob quod ei & habeo, & refero in præfati gratias) commendat & laudat, ait, *Hexametro versu*, fuisse à me compactum. Quod inuere videtur Latinum fuisse carmen, cum tamen Heroicum fuerit, sed Hispanicum & BENEDICTINÆ nomine notū. Quod verò me Abbatem S. Annæ Matritensis nuncupet, tempus significat, quo fortè prædictus Enriquez, de me scribebat; non illud in quo, inter ipsa literarum studia, adolescens, succisuis horis, etiam carmina illa pangebam, honestis paruus floribus ludens, vt factus vir, euacuarem quæ erant paruuli.

Iam deniq; vt cūque, finitam mihi

Dé peculiari, præ alijs Commentarijs, harum NOTARVM LITERALIVM scopo, & intentione.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

**N**VNC autem, post longam Authorum supra adductam seriem, quò excellentior præstantiorque est concursus, maiorem ingerit nouitatem, nouum, circa rem toties actam, instaurare laborem: iteratamq; operam eidem negotio conferre, cū discrimine nauis, & né crambe repetita dicatur. Sed tamen non est inuisum, nec inuisitū, post copiosam messionē, aliquod nec inutile spicilegium super esse: atque vberi vindemia peractā, non in iucundam restare racemationem. Et forsitā id, in præfati euenire posset, satis notum, quod de messe, *Ruth. 2.* & de vindemia tradidit, *Deuteron. 24.* Quare in illorum Authorum abundantia & copia, vel spicilegiū egisse, vel racemasse, nihil Superioribus, ac præcedentibus detractum; sed meo iure pauperis & pupilli vsum, quispiam, si à præfatis nō discrepet testimonijs, benignus & æquus censor iudicauit. Nā & sic: *Quod à perfectis reiectum est reperit puellus, & in quod prætercursum à sapientibus,*

incidunt idiotæ: & id quod occultatum à magistris, comparuit discipulis: dixit in simili, D. Gregorius Nazianzenus, *serm. de Defunct.* Sed & ego etiam, vtinam cum Iesu-Sirach. *Eccli. 33.* dicere possem: *Et ego nouissimus euigilaui, & quasi qui colligit acinos post vindemiatores. In benedictione Dei, & ipse spe speraui, & quasi qui vindemiat, repleui torcular.* Neque reor, erit eo pacto in gratum ei, qui linguas infantium disertas faciens, atque ex lactentium ore, suo munere, laudem persiciens, si etiam, in bonum sensum, vt pygmei compleat pulchritudinem, efficiat, iuxta Prophetam *Exech. 27.* Acceditque sententia B. Augustini, *lib. 3. de Trin. in Proem. to. 3.* & contramendatum, *cap. 6. tom. 4.* boni consulentis repetitam multiplicatam Scriptorum, de eadem materia, quam impensissimè commendat, & amplectitur Cardinalis Robertus Bellarminus, Hæretico-mastix insignis, in præfati. *ad tom. 1. Controuers.* & quæ in rem congerit Pineda ad illud *Eccli. 12. Faciendi plures libros nullus*

XXI.

Et eiusdem conclusio finis.

I.  
Nouitatis  
sugillatio.

Minuitur  
exemplis.

Et rationibus.

*lus est finis.* Ac denique quod de pluralitate festorum B. BENEDICTI, profero ex S. Oddone Abbate, *infr. artic. 3. num. 10.* hic de Commentatoribus REGVLÆ ipsius, proportionaliter vsurpo. Quæ, fugillationis minuendę gratia, dicta sint.

II. Ut verò explicem intentum; considero intriplici rerum genere potissimè versari sermonem, qui circa REGVLÆ textum, vt sic, à Commentatoribus potest institui. Primò, Parænetico & hortatorio modo, ad instar Contionatoris mores instruētis, hinc inde rationibus petitis, & eruditione vndiquè corrogata, vt REGVLÆ doctrinam, Legislatoris ænomia, moraliaquè eius documenta confirmet. Proficuum sanè & doctrinale dicendi genus, sed ad eò amplā & laciniosa methodo, diffusum & latum, vt non tot quin plura, quin cuncta ferè huius rationis, possis ad propositum REGVLÆ transferre, & varijs argumentis, assumptis, seu thematibus argutè excitatis, quidquid aliò conduxeras, huc rursus non minus propriè reuocare. In quo dicendi stylo, quantus additioni sit locus, vt addendi finis nunquàm pateat, videbit quispiã. Ego autem ab hoc instituto prorsus desistosita vt etiam, vbi S. BENEDICTVS, Ecclesiastem agere videtur, nihil eiusce muneris adijciam, sed sciens præteribo. Quare non hæc à nostris NOTIS requirat prudens Lector nisi forte rarissime aliquid, & remissiuè, obiter perstringere acciderit. Alij plene de hoc modo & genere scribendi: sic B. Petrus Damianus, sic Tritemius, sic Smaragdus, Cardin. Turre-cremata, Episcopus Vrgellensis, & alij, qui licet non totas, laxiores tamen, in hoc, protendunt habenas; vt vel in solo cap. 4. *De instrumentis bonorum operum*, dimidium pœne voluminis Vrgellensis in sumat; & sic alij, quorum illustres, pietate & doctrinã plenas lucubrationes, illibatas penitus, sed cum veneratione relinquo.

III. Secundum genus est: dùm ad literalem contextum, literæquè explicatio-

nè attenditur, vt in rigore textuali cõstet, tùm verà cuiusquè difficilis periodi sententia; tùm & simplicium vocũ propria vis & significatio; tùm obseruantiarum & præceptorum sensus & distinctio, & quæ quasi theoriam, textusquè intelligentiam complectuntur. Hoc pacto etiã procedunt, ex alia parte, prænotati Authores, licet leuius & ieiunius, nõ tamen inerte, circa quæ ipsis visa sunt explicatũ digniora. At de eo precisè, omni alio secluso, videtur esse explicatio S. Hildegardis, & Petri Diaconi, & quod memorauit Capitulare Regum, & Declaratorium Casinense, & alia similia. Nam in hoc D. Isidorus, vel propriam Regulam constat, vel alienas breuiat. Cùm autem, in literalis generis studio, animaduertam aliqua omiffa; quædam leuiter pressa; nonnulla in controuersiam posita, nec satis agitata; in quibus non ignobiles quæstiones admiscuntur & scitu dignæ difficultates, quæ ad textũ intelligentiam, ac literæ rigorem conducunt, non solùm locorum congruētium adductione, sed adiecto, ex eorum collatione rationequè iudicio: ideò ex hac parte, quam intendimus, hæc nostræ NOTÆ LITERALES, & nomẽ sumunt, & ad id maxime diriguntur. Sed tamen simul cum eo, quod sub eodem titulo contentum, iã declaro.

Nam tertium genus, prout à duobus præfatis distinguitur, & præ illis omnimonacho, S. Benedicti REGVLAM proficenti, optabilius esse debet: est illud quod agit de obligatione, quã quis, ratione professionis, tenetur in obseruatione Regulæ; non solùm generaliter id docendo; quod aliqui ex prædictis, & alij, de quibus in sequentibus, egerunt: sed etiam sigillatim, in quocumque Regulę Capitulo, discutiendo quot, qualia ve extent præcepta, & in qua vi & robore obseruationis perdurent, atque sub quã conscientie culpa, leui ne an lethali, obliget & cõstringant. Hic labor est & studium, à quo fere omnes se abstinēt, ita vt in pluribus, altum de

*genus mara  
literalis con  
siderationis.*

*Admititur.*

III.

*Et etiam 3.  
genus conf  
cientie.*

*hac*

hac materia in particulari silentium; in aliquibus rara huius memoria, apud neminem verò, exacta hæc per singula capita disquisitione. Neque tamen id, in ea latitudine, quæ materiam omnem Monasticam aut Regularem complectatur; ad quam extant propria Authorum volumina, sub titulis, vel de Religione, vel de Statu religioso, vel de Regularibus, vel de Directione prælatorum, vel de Iure Abbatum, & similibus quæ circumferentur; & tametsi à quolibet Religiosorum Regulâ, aliena non sint: non tamen in quamlibet transfundenda, nisi quantum inde ad propositum meum præcissum sumi oporteat. Vnde intra magis legitimos REGVLÆ terminos, commētarius iste brevis cohibendus est, ipsi quidem proprius, & alijs Religionibus, in pluribus, non extraneus.

Igitur cum hæc conscientia; meriti vel demeriti pars, seu genus malitia; & bonitatis, ab illa moralitate, quæ Tropologiam respicit, prout in primo genere declarata est, distinctū sit, & nō limitibus mysticæ aut expositiua; Theologiae contentum, sed ad scholasticam actus humanos morales indagantem, & docentem pertineat: ideo sub literali examine, & tractatione NOTARVM LITERALIVM, hoc simul cum præcedenti

genere compræhendo. Quare adhuc duo posteriora genera, nostræ doctrinæ dictio, & annotatio recurret. Nec post antiquas nouasque sententias, in utroque genere, apparebit superflua, sed forte omninò necessaria; vt antiquæ & solidæ, recipiant lucem & firmitatem; & aliæ nouellæ, quæ forte minus veritati pietatique nituntur, etiam si bono animo (nec aliter iudico) inducatur, detecta infirmitate, fatiscant. Insuper vt obiter non nulla pauca licet, & propria, à quibus, alij ferè omninò abstinent, specialius patefiant.

Ex quibus iam manifestè constat, istius mei Operis proprius, & propositus Scopus, qui sub titulo, NOTARVM LITERALIVM, vtrumque genus amplexatur, secundum scilicet, & tertium ex assignatis, vt non solum literam materialiter expendat, sed adiunctam moralem obligationem; quæ veluti formaliter afficitur litera, & constituitur in esse talis legis, constitutionis, aut præcepti, prout in nostra S. BENEDICTI Regula inuenerimus. Et in hoc quasi duplici cardine, vertetur tota hæc perpetui Commentarioli rota, geminato intento; quæ vtinam Plena oculis circumspectionis, diuini que luminis, illuc ubi fuerit spiritus impetus, gradiatur.

VI.  
Scopus Operis huius.

De nonnullis, ad REGVLÆ sanctæ textum, opportunè præcognoscendis.

### ARTICVLVS TERTIVS.



T autem hæc nostra, in REGVLAM S. BENEDICTI, proœmialis isagoge, vtrumque genus sermonis sapiat: de priori literali textus, aliqua, in hoc Articulo præcognoscere dignū erit; quæ resoluenda breuiter, suo ordine poterunt inquiri. Et PRIMÓ queritur: Quis qualis ve sit Author REGVLÆ? Non est parū conducens hoc, ad Operis intētum, & commendationem eius; cum nihil exactius respondeat Quæsito, quā

ipsa semper coelestis Sanctis. P. N. BENEDICTI vita, tot meritis præclaris instructa, tot singularibus excellēs prærogatiuis, tot naturæ gratiæque stematibus illustrata, tot miraculis, ortum etiam ante vertentibus, & obitum longe superantibus, insignita. Ea enim exēplaris ac Idealis forma est scriptæ REGVLÆ, & tanquàm primaria substituta delineationis imago. Vt quod D. Athanasius, Magni Antonij narraturus historiam, dixit: *Ingens mihi lucrum est, & utilitas.*

V  
Ipsum genus  
moris ad lite-  
rale reduci-  
tur.

I.  
Quis Au-  
thor REGV-  
LÆ.

Vtilitas, hoc ipsum quod recordor Antonij: perfecta siquidem ad virtutem via, Antonium scire, quis fuerit: id ipsum de Beatiss. BENEDICTO, compendio vtens, verissimè dixerim. Quo & vsus est D. Gregorius, lib. 2. dialog. c. 36. vt REGVLAM commendaret ex VITA: Quia Sanctus Vir (ait) non aliter potuit docere, quam vixit. De eius autem vita, primus historiographus, ipse primus & magnus Gregorius Papa, citato libr. 2. dialog. cuius autoritas vndequaue inconcussa, commendatione non eget noua: & hodiè tēpore postremus forte præcitatus supra Magist. Antonius Yepes, tom. 1. per totum. Inter hæc autē extremas aliorum de hac Scriptorum, plurima (vt ita dicam) turba sumus. Paulus Casinensis Diaconus, de Gestis longobardorum lib. 1. Aimonius, de Gestis Francorum lib. 2. Adrebaldu, qui libros quatuor de miraculis S. Benedicti edidit, apud Bibliot. Flori. Ioa. à Sacrobosco. Marcus Poëta: relatus à Sigiberto, de viris illustribus, cap. 33. Arnaldus Vuion, in ligno vitæ. Cardin. Baronius, in Notis Martirologij, die 21. Marcij, & in Annalibus. Benedictus Gononus, Celest. In vitis P. P. Occidentalium, li. 1. Generales Authores agiographi, Laurentius Surius, Aloisius Lipomanus, & alij Latini, & vulgares. Deniq; ferè omnes Historici, tam veteres quam recētiores, quos ad longum & seriatim, exactè perstringit Benedictus Hæftenus, prolegom. 1. in vita S. Benedicti. inter quos etiam Nos numerum auximus; vt iam indicatum, sup. art. 1. num. 20.

II. SECUNDO queritur: Quo tempore, lo-  
 Quando & ubi REGVLA scripta sit? Ad quod sciendum est, S. BENEDICTVM, natum feliciter fuisse anno CHRISTI Domini, 480. Deindè anno etatis sue quarto decimo, à Roma sublimiorem sectaturum vitam, recessisse. Consequenter, morà aliqua in Effide factà, Nutrice què relicta: triennio, in specu Sublaci delituisse. Nimirum ibi ANACHORIST initiatus, antè coenobialem vitam, & ab eremo incipiens monachatum, qui in illius solitudinem desinere sole-

bat: quia & facile est, in oculis Domini, (Eccli. 11.) subito honestare pauperè, nescitque tarda molimina Spiritus sancti gratia: & vt fortè in eo, decussarentur manus Iacob, vt minor habita COENOBIALIS vita, ià inde fortior, securior, vberior, quasi ad dexteram collocata, pro omni Religioso statu, Ecclesie, probatior & acceptabilior, tanto Duce, prævaleret. Circa trigessimum annum, transijt ad Monasterium regendum, Sublaco vicinum, & post trigessimum, monasterijs ædificatis ibidem, anno etatis 49. aduentauit in Casinū montem. Quem Harum fuisse appellatum, refert Amonius Floriacensis, in Ser. S. Benedicti. At Holaus Magnus Episcopus Vspalensis, lib. 8. hist. cap. 15. appellat, Baurum; atque Leo Marsicanus Ostiensis, in Chron. Casin. libr. 1. capit. 5. Mello, tunc vocari testatur. In hoc ergo CASINO, vbi vetustum Apollinis templum, in Monasterium conuertebatur; iuxta Zachariæ Papæ testimoniū, quod dabo infra num. 6. anno etatis quinquagesimo, sacro Iubilei numero consecrato, REGVLAM propriam, ià diu meditatam, & lectione experientia que affiduā exultam, diuino docente, SPIRITV concinnauit; atque tamquam legem Monasticam, per totū occidentem diulgandam, & obseruatione religiosa tuendā, propria manu conscripsit, & veluti in Monte sancto diuinitus acceptā, ascensuris in montē Domini, legitimè ibidē promulgauit. Ex quo non bene Frācisus Lōgus Coriolanus, in Breuiario Chronol. anno Christi, 504. ait: hoc anno incepit Ordinem suū S. Benedictus in monte Casino, corrigendus per semetipsum, qui verius anno 529. inquit: Hoc anno S. Benedictus ex Sublacenſium montium angustijs, diuino monitu, ad montem Casinum egressus, religionem Monasticam, penè collapsam instaurauit, &c. atque sic Sigibertus & alij, eodem anno. Vnde Chronologia Ecclesiastica impressa Bononiæ, de temporibus Scriptorum, apte B. Benedictum designat, ad annū Christi 530. nec antea potuit; recta supputatione

Casini nomi  
na.Correſtus  
Coriolanus.

facta; Scriptor Regulæ designari. Ab hoc autem discrepat Mag. San-Vitores, *tom. 1. prælud. 2. cap. 2. num. 2.* cum Yepes, & aliis, anno vno, parua & cõponibilis discrepantia; & necessaria, vt detur locus Scriptioni, post aduentum in Casinum. Discrepat autem magis, dum ibidem. *Prælud. 4. cap. 1. num. 4.* vult Regulam, saltem virtualiter, aut viuæ vocis Oraculo, approbatam ab Hormisda Papa, cuius tempore, Regula nondum erat scripta. Nempe emendandus etiam per semetipsum, qui *Præl. 1. cap. 12. num. 22.* & *præl. 2. cap. 2. num. 15.* meliùs id adscribit Bonifacio Secundo, quod forte, per equiuocationem, tribuit Hormisde.

III. TERTIO quæritur; quâ autoritate & approbatione gaudeat REGVLÆ? De quo B. Gregorij Magni, Papæ I. & Zachariæ I. circumferuntur Apostolicæ approbationes, & confirmationes eximie; quibus accesserunt aliorum Pontificum, & Conciliorum egregia testimonia. De quibus omnibus, latè & accuratè citatus Yepes, *tom. 1. ad annum 529. cap. 5.* cum alijs, & de eisdem Card. Baronius, *anno 494.* & *529.* Qui in Concilio Romano, à præfato Gregorio asserit approbatam. Quin & tempore antecedente ad Gregorium, certissimè est non caruisse approbatione, illo tempore vsitata & requisita: sufficientique ad conferendam vim obligatoriam Regulæ, in vi legis aut statuti superioris. Quamuis enim solennis approbatio sedis Apostolicæ, super inducta, maior, diuturnior, vniuersalior & efficacior sit, ad anterioritatè & primatum: aliosque effectus præcipuos, ex tali approbatione prodeuntes; cum insigni differètia ab Episcopali, de quo Franciscus Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 2. de essentia status Relig. cap. 17. à num. 15.* tamen ea quæ antea limitata non erat Episcopis, saltè antè tempus Innocètij III. cuius est decretalis, *cap. 11. de Relig. domibus*, innouata à Gregorio X. *cap. vnico, eod. tit. in 6.* sed potius propria, demãdata & exercita ab ipsis Episcopis, in proprijs territorijs, vt ex Cõ-

cilio Agathensi celebrato anno 506. adducit Gratianus *18. q. 2. cap. de Monachis*: semper necessariò interfuit validæ institutioni REGVLÆ, & publicationi seu admissioni illius, in Monasterijs cuiusque territorij. Quod quidem, non solùm congruo elicitur discursu, sed & id solidè disputat & prosequitur Suarez, *vbi sup. cap. 17.* & Thomas Sæntius, *lib. 5. summ. cap. 1. num. 15.* citato Vazquez, *1. 2. quæst. 96. art. 4. disp. 165. cap. 4. num. 38. 39.* Vfusque eâ probatione fuit Scipio Lancellotus, I. C. postea Cardinalis, in Allegatione, pro præcedentia Lateranensium, vt suadeat approbationem REGVLÆ S. Augustini iure factam ab ipso D. Augustino, tãquam ab Episcopo. Quod tamè tantum probat de eo, in Hypone Africæ, vbi Episcopus fuit, sicut de B. Basilio, in Cæsarea Capadociæ ad summum, & nõ amplius. Nisi dum in alienis locis, ab alijs Episcopis, iuxta cuiusque iurisdictionem, autoritas requisita impendebatur. Vt amplius insinuo *infra Artic. 4. num. 9. 10.* & II.

Scio autem hanc aprobationem nõ fuisse, nec posse affirmari generaliter in omnibus: Tùm quia non omnes, qui Regulæ scripserunt, aut ordinariere seruandas in Monasterijs, erant Episcopi, qui eam autoritatem haberent: tum quia etiam extrâ dioceses talium Episcoporum, traddentium proprias Regulæ, eis aliisque, absque eo requisito positue & soleniter adiecto, aliquando vsa sunt Monasteria, quæ & interdum, per Tradditiones maiorum, aut per consuetudinem seu regimen peculiaris Patris, sanctitate conspicui, (vt videbimus) gubernabantur, intrâ limites religiosæ potestatis, ortæ ex voto obedientiæ: & ex permissione Ordinarii, aliam autoritatem instituto non conferentis. Nihilominus licet S. BENEDICTVS, intrâ Abbatiale tantum officium, seu paternale munus, se continuerit, tunc, Episcopali dignitati, in proprijs locis, aut Papali, modo ordinario, subiectus; adeo tamen, cum Regulam condidit, sanctitatis illius & nominis

III. Non desuit ille REGVLÆ S. BENEDICT.

San-Vitores  
Emendatus.

IV  
III.  
Authoritas  
& approbatio  
REGVLÆ.

Modus approbationis  
antiquior.

minis excreuerat fama & opinio: vt nō solum erigenda monasteria, sub eius instituto, instanter postulerent plurimi; sed & iam erecta ab alijs, ad idem certatim se transferrent: procurantibus sine dubio, eisdem locorum Prælati Ordinarijs, quorum Episcopali curæ, tam præcipua Spiritualis regiminis pars incumberebat. Quorum, præter alia, quæ meum hîc non est persequi, argumento esse potest, ipsum D. Gregorium, aliosque, antè solemnem Papatûs illius approbationem iam dictam, sub habitu & professione monastica, tenuisse ipsam REGVLAM, Romæ; aut permissam & ex autoritate solum monastica, praticari ceptam, aut à Romæ Pontificibus (qui, à Felice III. vsque ad Gregorium Magnum, fuere nouem) saltem quoad loca, limitato consensu admissam, extenso autem postea ad omnia, per vniuersalem propriam & illimitatam approbationem. Cuius veritatis de professione D. Gregorij, contra Card. Baronii opinionem, habes propugnatorem Fr. Antonium Yepes, *tom. I. ad annos 575. cap. 2. nec dissentit, re inspecta, Suarez, tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 2. tenetque absq; dubitatione plurimi, de quibus etiam Magist. San-Victores, contra Galonium, tom. I. Præf. 9. cap. 1. num. 5. in quo nihil omittit intactum.*

V. Cognito itaque supra designato tempore Regulæ S. Benedicti, manifestum est, esse posteriorem alijs, quorum Authores præcesserunt. Sic Benedicto antiquior Augustinus; sic Basilius Augustino; sic utroque plures, quos refert Suarez vbi sup. cap. 1. & Ascanius Tambur, *tom. 2. de iure Abb. disp. 24. quæf. 2.* alijque, deducentes eos à tempore Apostolorum, qui tunc etiã Monastici institutores fuere: à quibus precipue exercita & deriuata institutio, vt plurimum cum certâ directione scripta esse oportebat. Similiterque post Basilium, qui obiit anno 380. seculo integro præcessit S. BENEDICTVM inam & Hieronymo contempo-

raneus fuit Augustinus, & Ioânes Casianus Augustino Synchronos, & alij deinceps Patres Monachorum, in diuersis Orbis partibus, distinctas Regulas habentes. Imò & in eisdem, vt testatur D. Gregorius, *lib. 2. dialog. cap. 1. & 3. de Romano Monacho*, a quo B. Benedictus sancte conuersationis in eundem iuuamen accepit, qui tunc in *Monasterio sub Theodati Patris regulâ debebat.* Et colligitur ex ipsa REGULA S. Benedicti, *cap. 1. vbi in NOTIS, n. II. 12. &c.* & vbi firmabo, nullius alienæ Regulæ professorem, vnquam fuisse S. Benedictum.

Nihilominus quamuis hæc REGULA, tempore posterior sit illis, at approbatione Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ, PRIMA omnium est. Eam enim præsupponunt plura Concilia, & Canones, quæ vltra citatum Yepes, *num. 3.* congerit Antonius Massa Galleus I. C. in Allegatione, pro præcedentia Casinensium, quam simul cum citatâ Lanceloti, adducit citatus Ascanius, *tom. I. disp. 25. quæf. 1.* Quæ approbatio Pontificia propria, & potissima Regulæ forma est, & præ alijs omnibus approbationibus iure speciali & vsu ab Episcopis locis, pro suis territoriis, præcipua; eaque, longissimo interuallo, præcedit omnes alias Regulas, sicut in tali approbatione, sic in vero & proprio formali esse Regulæ, posteriores. Quapropter post B. Gregorium, qui in Concilio supra dicto, *nu. 3. Eam obseruari præcepit ab omnibus, qui seculo renuntiare, & ad Deum conuerti voluerint, in omnibus regionibus seu Prouincijs Ecclesiæ Latinæ.* Zacharias Papa (quem etiam alij Pontifices sequuti sunt,) Deum mirabilem in Sanctis suis laudat, qui *Beatiss. BENEDICTVM Patrem omnium constituit Monachorum,* & ipsum in Monasterio Casinensi REGVLAM (quam iteratò approbat) scripsisset, testatur, ad ipsam D. Gregorij laudationem, & ordinationem, propriam insuper adiiciens. Quibus tot accefferunt cœnomia, vt non solum, prout B. Petr<sup>o</sup> Damianus & plures alii, illam

Argumento  
D. Gregor.  
&c.

VI.  
Approbatio  
ne anterior  
cunctis.

Laudatione  
potior.

illam etiã S. Hildegãrdis, *Spiritu-  
sancto factam & completam* REGV-  
LAM, singulariter profuntiet: sed &  
factã collatione, quam non siluit An-  
toninus Florentinus, 2. par. *hist. tit.*  
15. §. 7. & cui consonant testimonia  
plurium, alijs excellentiorem Regu-  
lis, euasisse, non cunctetur asserere. De  
quo apud citatos Authores, commen-  
tatores Regulæ, *artic. 1. & sup. num.*  
1. & quæ nuper datissimè, vt potè  
optimus Paterni honoris amulator,  
& REGVLÆ cūctarum primiceriæ acer  
asseror, adducit & perpedit præcita-  
tus Mag. San-Vitores, *tom. 1. prælu. 4.*

Sed iam QUARTO queritur: An ex-  
tet REGVLA originalis, cum qua cæ-  
terã exemplaria conferri possint? De  
qua quæstione, habemus testimo-  
nium, quod tempore Zachariæ Pon-  
tificis, quando reparatum est mona-  
sterium Casinense, per Petronacem  
Abbatem, ex dono illius, REGVLAM  
recuperauit, sic enim ait Adrebaldus  
Floriacensis, *lib. 1. de mirac. S. Bened.*  
*cap. 13. Huic Venerabili viro Petrona-  
ci, dilectus Domini Pontifex Zacha-  
rias, plurimum auxilij contulit, libros  
scilicet sanctæ Scripturæ, nec non &  
alia quæ ad vtilitatem monasterij perti-  
nere poterant, insuper, & REGV-  
LAM, quam ipse egregius Pater, san-  
ctissimis conscripsit manibus, paternã li-  
beralitate concessit. Fuit autem Zacha-  
rias ad annum Christi 740. Quo verò  
casu Regula ad eius manus peruenerit,  
videtur esse is, de quo Leo Marsica-  
nus Ostiensis, in *Chron. Casin. lib. 1.*  
*cap. 3. ait: Fugientes ex eodem cænobio  
Casini Fratres, Romam profecti sunt, co-  
dicemque S. Regulæ, quam S. Benedictus  
scripserat, & alia quadam scripta: sed  
& pondus libræ panis, & mensuram vi-  
ni, &c. deferentes. Quod etiam refert  
Aimonius, lib. 3. de gestis Franc. cap. 79.**

VIII. *Videtur non  
extare, aut  
quomodo?*  
At cum hæc ita sint, ex eodẽ Leo-  
ne Ostiensi, eodem etiam lib. cap. 51. cõ-  
stat post annum 884. perijsse, ait enim:  
*Monasterium Teanense, in quo fratres,  
(de quibus supra) degere ceperunt, oc-  
culto Dei iudicio, cum omnibus operibus*

*suis, igne absunptum est; vbi etiam Re-  
gula, quam S. Benedictus manu sua con-  
scripserat, & sacci in quib, diuino iussu,  
eidem Patri Benedicto esca delata sunt,  
&c. conflagrauerunt. Ideoque cõstissi-  
mo autographum REGVLÆ ad intentũ  
quæsitum, non extare, etiã si alias con-  
stet, propria manu codicẽ duplicasse;  
vt colligi potest ex Authoribus, qui et-  
iam B. Mauro in Galliã discessuro, Re-  
gulã, quã scripserat manu propria, de-  
disse ferunt, eamque in Reliquiarũ lo-  
co asseruari in maiori Turonẽsi mona-  
sterio. Cuius apud Ben. Hæftenũ lux,  
sed ante eũ igniculus mihi quem pro  
asserẽdis B. Benedicto, quibusdã Opus-  
culis, accendit Mag. Andreas Salaza-  
rius, in *Nois ad eadem Opusc. in fine  
Regulæ, quam minutissimis typis, ex-  
cussit Romæ anno 1614. Quarẽ ex pru-  
denti iudicio, rectã vè crisi, bonis ac  
receptoribus exemplaribus, quorum  
antiquiorum & recentiorum plurima  
copia est, standum erit, si in aliquo di-  
uersitas lectionis occurrat,**

IX. *Corpus S.  
Bened. vbi  
sit?*  
QUINTO disquiri potest: vbi cor-  
pus S. BENEDICTI requiescat? Non  
hæc ad institutum Commentarij NO-  
TARVM vè, multum conducens quæ-  
stio, nisi id, tamquam huius proœmij  
parergon habeatur. Sed dico, hanc in-  
ter Casinenses & Floriacenses esse in-  
terminabilem litem, de qua apud Bi-  
bliotecã Floriacensem excusam Lug-  
duni anno 1605. satis plura, quam &  
interminatam, difficultate pressus, di-  
missit Card. Baronius. Cui etiam vt  
neutri parti succumberet, inter vtram-  
que partitur spolia, anceps aliqui  
colligitor Yepes, *tom. 2. fol. 265.*  
Nec ab hac antinomã se expedit Ma-  
gist. San-Vitores, *tom. 1. prælu. 1. cap.*  
*18. alterius (meo videri) partis pò-  
tius declamator, quam asseror; diffi-  
cultatis nebulã omnino perdurante.  
Ego autem vnum inuenio benè fir-  
matum, scilicet plures S. BENEDI-  
CTI festiuitates, per annum celebra-  
ri solitas; cum autem Natalitijs dies  
vnus sit, quo SANCTVS diem obiit,  
nempè die 21. Martij, reliquæ vti-*

que ad alia referendæ sunt. Quod breuiter, prout potero, expediam ad propositum.

X.  
Triplex S.  
Bened. festum.

Attulit lucem confuſſioni, quâ in hac re plures laborare animaduerti, S. Odo. Abbas, *Serm. de S. Bened.* apud Bibliotecam Cluniacensem, excuſſam Lutetiæ, anno 1614. in hæc verba: *Quasi parùm esse desiderio deuotorum, Deus prospiceret, si semel tantum in anno, solemnitate eiusdem Patris fideles coluissent; existere causas præstitit, quibus & alias solemnitates gaudio Christianorum adangeret, de sancta videlicet illius Translatione, nec nan & Tumulatione, quas diuinitus esse dispositas, multa signorum documenta produunt, &c.* Vndè tres annuæ festiuitates S. BENEDICTI colliguntur. Neque id singulare, nam & sic, in *Viennæ antiquitatibus, cap. 3.* inuenio festum S. Mamerti, quorannis tertio celebrari, in Ecclesia Aurelianensi: Et ad lib. 2. *Adrenaldis*, notare est cum Bosco, varias S. Benedicti esse festiuitates. Varietas verò, plusquam duplicitate cõstat.

XI.  
1. Obitus eius.

2. Translationis.

Sed quænam ratio harum festiuitatum sit, opus est declarare. Nam præter Natalem obitus sui diem, allucinantur aliqui. Videas enim (vt vidimus) concionantem ipsius Translationis die, scilicet vndecima Iulij, ea miracula de soluto Ligeris Fluuio gelu, de nudis ripæ arboribus refrondescentibus, populo inculcare; quando ingruente, etiam Caniculæ feruore, æstiuamus. Igitur confuſſio dispellitur, cum duplici illâ designata festiuitate Translationis, & Tumulationis. Illa prior est, quæ celebratur, dictâ die vndecima Iulij, de qua Martyrologium Bedæ, Vsuardi, & Adonis, vbi habetur: *Quinta idus Iulij, Translatio S. Benedicti Abbatis, de Italia in Floriacum Galliarum monasterium, &c.* Sic etiam Breuiaria nostra & vsus. Annus autem assignatur, in libro Veterum consuetudinum Floriacensis Monasterij, cap. 3. ad finem, vbi hæc. *Anno Domini 660. sub Clodoueo filio Dagoberti, translacum est Corpus B. Benedicti,*

*à monte Casino, apud monasterium Floriacense, per Argulphum monachum. De quo a nullo dubitatur.*

Altera verò, quæ Tumulatio dicitur ab Odone, ea in libro nuper citato appellatur *Reditus*, ait enim in *Vigilia S. Benedicti de Reditu, post Completorium, quadraginta pallia super altare, &c.* Hæc autem est quasi secunda Translatio, quæ celebratur pridie Nonarum Decembris, vt habetur ex quodam Martyrologio, & ex Breuiario Aurelianensi id constat; ratioque festiuitatis hæc est. Nam cum monasterium Floriacense direptum esset à Danis, Monachi Reliquias in Aureliã, asportauerunt; vnde postea ab Aurelia, scilicet in Floriacum reductæ sunt, tempore brumali, directâ sine remige naui, glacieque Ligeris liquatâ atque solutâ, & vtriusque ripæ arboribus frondescentibus. Quare ob hunc mirabilem *Reditum*, & quia ea die Decembris quarta, honorifice tumulata sunt sacra ossa, à Mumulo Abbate, cum ingenti honore (vt refert *Adrebalduſ Floriacensis in hist. cap. 9.*) & loco de cælo ostenso, inde *Tumulatio nis*, vel *de Reditu*, nomen accepit. Atque in id, Petrus Mauricius Venerabilis, titulasse videtur hymnũ, in quo prædicta decantat: *De Translatione simul & illatione S. Benedicti*: vt habetur inter opera eius, apud *Bibliot. Cluniac.* notauitque Card. Baronius, ad annum 1088. Licet nescio, qua rerum confuſſione, aliqui hanc Tumulationem, seu Reditum aptent alteri Translationi, quam Casinenses contendunt factam rursus à Floriaco in Casinum, quæ in extricabiles patitur difficultates, quas vel non sentiunt, vel dissimulant aliqui. Hæftenus autem à quæstione abstinuit, quod miror in exactissimo tantoque volumine *Disquisitionum*.

Et ego ad propositum quæsitum nihil certius habeo. An verò suppositâ certissima Translatione, quæ die II. Iulij à Casino in Floriacũ vniuersaliter celebratur, & cum alia miraculo sa

XII.

3. Tumulationis, aut de Reditu.

III

III

XIII.

Respondetur quæſito 5.

brumali nullatenus cohæret; postea Monasterium Casinense sanctam, vel ex parte, recuperauerit translata glebam, mihi ignotum est. Nec tamen ob hoc, de recuperatione corporis & Reliquiarum, quidpiam derogatum velim Casinensibus, quibus etiam fauet Ascanius Tamburinius, tom. 2. de iure Abb. disp. 24. ques. 5. iuxta Anastasium, & Arnoldum, quod me parum mouet. Nisi derimatur questio, sicut tentauit diligentissimus discussor, Antonius Yepes, sup. num. 9. citatus, vt concessa secundâ Translatione à Floriaco in Casinum, (cuius tamen celebratio non extat) retentâ bona & æqua reliquiarum parte, altera in Casinum sit redacta. Quo pacto utrobique Corpus S. BENEDICTI esse, non insolito exemplo & usurpatione, verificatur; per ipsam extensionem, vt ait Ioannes Molanus, de Martyrolog. cap. 23. Vel etiam dum, semel translatis à Casino tantum ossibus, in sepulchro remansit resoluta caro tota, corpus etiam inde remansisse dicatur SANCTI: cuius, sicut de alijs Sanctorum Reliquiis, ait Nazianzenus, orat. I. in Iulian. ad effectum honorum, & miraculorum, vel sola sanguinis gutta, atque exigua passionis signa, idem possunt, quod corpora. Quod, in proposito, acceptauit Baronius, ad annum 664. cum Paulo Diacono, &c. Sed partibus nihilominus litigantibus aut contendentibus, libera est electio: sicut & credulitas cæteris. Quo autem pacto, insignem huius sanctissimi Corporis reliquiam, vnũ scilicet ex grandioribus ossibus (quod solemnissima pompa, & celeberrimo apparatu, in tenerioribus iannis hisce oculis Valis-Oleti vidi deportari) Regium illud & religiosissimum Cœnobium VLLIS-OLETANVM totius Hispaniæ Cōgregationis Benedictinæ Nigrorum caput, possideat; ratio redditur, apud Bibliot. Floriac. citatam, in Fragmentis Sex Author. Fragm. 6. Mihi enim non amplius progrediendum, né nimium digrediar, tametsi non extra ipsum B E N E D I C T V M: cuius spi-

ritualis pars, iam tantâ perfruens in æternum gloria, compartem terream comparticipem expectat, cui hūc memoriæ impendisse honorem nemini erit ingratum.

Sed SEXTO, magis ad intentum peti potest: Quæ, quotque Congregationes, aut Religiones, hanc profiteantur REGVLAM, eique subdantur; quibus, eius præsentibus NOTÆ deseruiant? Et de hoc longum est recensere, sicut & de earum rigore, mitigatione, Obseruantia, & Ordine: latissima, atque valde difussa materia, generalibus Annalibus, & specialibus Chronicis remittenda, suis etiam difficultatibus scatens, & contentionibus, quæ mihi curæ non sunt. Sed & simpliciter ad compendium redacta, de ea inueniuntur multa in authoribus: & ego aliquid in mea Benedictina Cantu 8. & 9. maximè ex Arnolde Vuion, in Ligno Vitæ, Ioâne Tritemio De Viris illustr. S. Bened. lib. I. cap. 3. & alijs.

Tamen ex numeratis à Tritemio, exime Carthusiensem Ordinem, sub propriis statutis militantem, & per errorem, aut leuem cognationem ab eo Benedictinis adiectum. Nec crederem, in re deceptum fuisse Tritemium, nisi in similibus facile corrogandis gloriis, sanctissimo Patriarchæ, qui propriis satis abundans, alienis non eget, interdum inaduertentiæ, aut credulitatis insimulatum aduerterem, non solum apud alienos, vt Card. Baronium, in Annal. ad ann. 494. in fine, cuius censuræ consenrit Suarez, tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 2. num. 10. sed & apud proprios, vt Anton. Yepes, tom. I. anno 550. capit. 3. Nec in eo singularis est Tritemius; nam & Arnoldus alijque alijs insignes viri, non sine delectu, & collatione temporum, legendi sunt. Et etiam cum frequenter loquantur de Ordine S. Benedicti in genere, inde sub illo latent plures æquiuocationes quasi specierum; in quas omnis Ordo à parte rei multipliciter distribuitur,

XI.

Quot sub hac Reg. Cōgregationes

Et dirimitur dupliciter.

IVX

XV.

Corrigendi Authores aliqui.

Tritemius, &c.

Os Vallis-Oleti conditum.

At quantum ad Carthusienses, oscitavit pariter Ioannes Le-Paige, in Bibliotheca Præmonstratensi, *1. par. lib. 1. cap. 13.* & pariter corrigendus; leuiusque, qui rem, nec propriam, nec ex professo ibi agebat. Ex opposito extremo, peccauit Gabriel Pennotus, in *generali Hist. tripart. Ordinis Clericorum, Canon, lib. 1. cap. 50. num. 5.* Sed eius lapsus, aut excessus, satis modestè, eruditione, & stylo, quibus in suis affolet libris, compescuit noster Franciscus Biuarius, Nucalensis Monachus, in *Apolog. pro Flavio Dextro, §. 5.* ne legitimas quasdam Congregationes notissimas, à sua radice deceptus, aut ignorans abscinderet.

Denique huic sexto requisito, satisfacit tibi copiosissimè Ascanius Tamburinius, *tom. 2. de iure Abb. disp. 24. q. 5.* Vbi ingentem congerit vim Congregationum, & Religionum, quauis ratione, hanc Regulam S. BENEDICTI profitentium, aut quomodolibet re-

cognoscentium eam, numerans (si rectè supputauit) vsque ad Octoginta quinque. Et videtur non sinè delectu Authores perlegisse, qui Tritemium iam habens, insinuat erroris ducem, imò & alium fortè sequacem: ab eis prorsus discessit. Verùm tamen loco citato, *nu. 48. & 50.* Congregationem Cisterciensem OBSERVANTIÆ Hispaniæ in Regnis Castellæ duplicat, & rãquã duas distinctas enumerat. In quo, nescio vnde deceptione incurrit, cum in tẽpore, in loco, in institutore, omnimoda stet identitas, & Nos, qui eiusdẽ Congregationis sumus, plenã facere fidẽ possumus, vnicã esse Cõgregatione à principio, & nunc vsque: de cuius iure, & potestate, nuper *Tractatum Monasticum* edidimus, etiam si ipsi nostræ OBSERVANTIÆ peculiarem, sed alijs consequenter proficuum, Itaque de alijs Congregationibus, penès ipsum Authorem, aut Authores, vnde ipse hausit, fides sit.

Eriam Ascanius Tambur.

Quòd REGVLA S. Benedicti non est ex illis Regulis, aut constitutionibus, quæ ad culpam non obligant.

### ARTICVLVS QVARTVS.

I.  
Pro his quæ dicenda sunt  
Authores.

**N**VNC ergo iam in altero, ad meum institutum, dicendi genere plura mihi, qui breuitati studeo, supponenda sunt, ex ijs quæ ab Scholasticis, & Summistis, latè tractantur, de legibus, & quæ sub ea materia continentur, de Consuetudine, de Priuilegijs, &c. De quibus noster, olim Generalis, & Complutensium Primarius Mag. Petrus à Lorca, *1. 2. D. Thom. 10. 2. P. Francisc. Suarez, & Ioã. Salas, integris, tom. de legib. Martinus Bonacina, 10. 2. Emanuel Roder. & eius Cõpendiator Hieronymus in 99. Regular. Ludouicus Miranda, in Manuali Prelatorum, & alij, vel Cõmentatores D. Thomæ citato loco, vel propria methodo omnia tractãtes, vt Siluester, Reginaldus, Filiucius, &c. Sed peculiariùs ad rem nostrã, Religiosorũ que materiam, citatus Suarez, *10. 3. &**

*4. de Religione, citati etiam Emanuel & Miranda. Thomas Sancius, in summ. 10. de statu Religioso, Vazquez, Opusc. de Benefic. Bartholomeus à S. Fausto, quem, breuiandi gratia, Faustum sepius cito, in Thesaurò Religiosorũ, &c. Quin & propiùs ad nostram Regulã S. Thomas. Quodl. 1. q. 9. Siluester verbo, Religio 1. Cardin. Turrecremata in Reg. S. Bened. tract. 4. 5. & 6. Episcopus Vrgell, in Cõment. ad Reg. 2. 21. & notissime Ascanius Tambur. de iure Abbat. cum alijs indicatis supra Artic. 1.*

Pergens ergo ad rẽ, titulus Articuli, videtur supponere, & ego ita suppono, posse esse legẽ, regulã, aut cõstitutione, quæ ad nullã culpã in cõscientia obliget subditos: dummodò id legis Author declaret, aut certò aliàs cõstet, suã voluntatem esse, non obligare, sub conscientia culpæ vè reatu. Probatio,

II.  
Posse esse legem nõ obligantem ad culpam probatur.

tio, quæ per argumentum ab actu ad potentiam, irrefragabilis est, ad est, ex frequentissimo exemplo, & stylo talium Constitutionum in Religionibus. Ita de Ordine Prædicatorum, testatur Siluester, verbo, *Religio*, 1. *quæf.* II. *num.* 2. & 3. De Minoribus, Passarellus, in *Privileg. Minorum*, cap. 25. De Societate Iesu, eius Constitutiones, 6. *par. cap.* 5. De Fulliensibus Cisterciensis Ordinis, Faustus, in *Thesauro*, lib. 6. *quæf.* 10. Pro Congregatione S. Iustinae Paduanæ, cauit Eugenius III. in eius *privil.* Pro Bursfeldensi, præmittitur, in *proæmio Ceremonialis eiusdem*. De institutis Præmonstratensium, Ioannes Le-Paige in eius *Bibliot.* 1. *par.* De constitutionibus suorum Clericorum Antoninus Diana, *tract. de Bulla Cruc. Resol.* 13. Pro Congregatione S. Benedicti Vallis-Oletani Paulus V. in *Confirmatione Constitutionum*, nisi ubi illæ contrarium expresserint; Idemque in nostra OBSERVANTIA Cisterc. quantum ad Constitutiones Ordinis quas *diffinitiones* vocamus, vt expresse declaratur in illis, *cap.* 47. & sic fortè in alijs Religionibus.

Exemplis.

III.  
Item autho-  
ritate, & ra-  
tione.

Probatur deindè autoritate quàm plurium, quos referunt Azor, *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 2. & Thomas Sancius, *lib.* 6. *sum.* *cap.* 4. *num.* II. & 12. Item ratione, quæ desumitur, ex libertate Legislatoris, à cuius voluntate, sicut pendet ipsa lex, ita & obligatio legis. Nam licet nullus admittat, in re leui, cadere posse grauem culpã, propter naturalem incapacitatem materiæ: at verò in materia graui, sicut poterat Princeps, aut Superior, eam non præcipere, ita non cogitur strictiùs iubere, quàm velit; sed pro sua voluntate, poterit moderari obligationem, ad leuem culpam, aut nullam. Nec est vndè conuincatur necessitas ad oppositum. Et ita cū suprã citatis, rationabiliter amplectuntur hanc partem Faustus ubi *sup. quæf.* 10. Suarez, *de legibus lib.* 3. *cap.* 27. & *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. & Ioannes Sanchez, in *selectis disput.* 15. *num.* 16. citatis etiam quàm pluri-

mis, quorum sententiam sequor. Confirmaturque: Quia id non denegatur Consuetudini, quæ obligationem legis grauem, potest deducere ad leuem, & ad nullam; ergo idem poterit Legislator condens legem, cui non minor efficacia concedenda est. Rursus confirmatur: à paritate voti, quod lex priuata est, & ex voluntate vouentis, potest obligare tantum ad veniale, etiam in graui materia; vt docet Thomas Sancius, *lib.* 4. *summ. cap.* 1. *num.* 30. & *cap.* II. *num.* 4. & Suarez, *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *de obligat. voti, cap.* 4. *num.* 7. & alii.

Confirm. 1.

Confirm. 2.

At quamuis ij, qui oppositam sententiam tuentur, concedant posse Superiorem condentem statuta, auferre obligationem conscientia; contendunt tamen, eo casu, non saluari in omni rigore rationem propriam legis. Quod etsi aliquibus voluntariè videtur dictum, ab ijs qui eum rigorem essentialem legi, ad suum intentum præsupponunt, potiùs quàm probent; sed nihilominus ad admittendam obligationem conscientia; sine præiudicio nostræ sententia; sufficit, quòd hæc obligatio ad culpam constituatur, non in transgressione legis, vel constitutionis; sed in subeundo pœnam, quando à Superiore, cui per legem subiicitur transgressor, ei fuerit applicata, si lex eã habeat, aut arbitrio illius, sit imposita. Quod de sua Religione, tenet S. Thom. Antoninus, & Siluester, & generaliter Suarez, *tom.* *de legibus lib.* 5. *cap.* 4. & *to.* 3. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 19. & *tom.* 4. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. & 6. Imò ad hanc concordiam reduci debent Authores, qui aequaliter videntur oppositi, dum quidam censent transgressores legis non obligantis ad culpam, teneri sub culpã, ad subeundam pœnam; & alij ad nullã culpam teneri. Hi enim loquuntur de obligatione pœnæ, quãdiu per Superiorem non imponitur. Neutri autè dissentiant, nec dissentire possunt, ab eo quòd subditus obligetur, si transgrediat legem, ad pœnam; si eam Superior

IV.  
Concordan-  
tur oppositi  
authores.

imponat. Nam hoc includi in ipsa subiectione religiosa, tenet, cum Antonio, citatus Suarez; & ex vi professionis, per quam constituitur subditus, subijci Prælato imponenti pœnam, in huiusmodi correctionibus, secundum Regulam aut statuta ordinis, siue transgressio sub peccato mortali obliget, siue sub veniali, siue sub nullo. Doctrina est D. Thomæ 2.2. *quæst.* 186. *artic.* 9. *in corp.* quem exponit Thomas Sancius ubi *sup. num.* 9. & consequenter, *tom.* 2. *consil.* lib. 5. *cap.* 1. *dub.* 34. *num.* 7. Valentia, 2.2. *disp.* 10. *quæst.* 4. *punt.* 5. *circa circumstantiam*, 27. & admittitur ab Azor, *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 2. *in fine.*

V. Stareque optimè eam obligationem in conscientia, subeundi pœnam modo dicto impositam, sine culpa transgressionis, præter dicta, confirmatur ex regula iuris in 6. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniedus.* Nam licet absit culpa, à transgressione talis legis vel constitutionis; non tamè deest *causa*, ut possit pœna imponi à superiore, & debeat eam subditus sustinere, sub propria obligatione conscientia, iuxta qualitatem pœnæ. In quo saltem, lex aut Constitutio, quantumlibet libera à culpa, in transgressione, retinet rationem præcepti, quod est propria materia obedientia, siue generalis, quæ omni legitimæ superioritati debetur, siue votiue, quæ ex vi voti exigi possit. Imò & certo modo quantum ad hanc pœnam adesse culpam, in casu de quo loquimur dici potest, in transgressione legis, non obligantis in conscientia; scilicet culpam non moralem quæ reum apud Deum constituat transgressorem, ut sic; sed civilem, quæ causa est, ut subdatur pœnæ. Quam distinctionem, & modum loquendi, cum Valeria & alijs, admittit Bonacina, *to.* 2. *d. legib. disp.* 1. *q.* 1. *p. ùt.* 7. *§.* 2. *n.* 3. &c.

VI. Hæc cum ita sint, dicendum est, proculdubio REGVLAM S. Benedicti obligare in conscientia, nec excludere culpam in transgressionibus eorum, quæ modo præceptiuo, aut recepto ut tali, continentur in ea. Aduerto autem

me in hac assertione, non determinare sub qua culpa, veniali an mortali; nec de quibus præceptis, & qualiter: quæ in sequentibus distinctius sunt enucleanda, sed generaliter prout iacet. Et eo modo, probatur ex dictis. Quia ut lex aut constitutio superioris legitimi, nõ obliget ad culpam, seu in conscientia subditos transgressores, ad minus necessè est, ab ipso conditore aut Authore legis declarari; vel à Pontifice sub ea conditione approbari: Sed talis voluntas neque S. BENEDICTI ordinantis Regulam, neque alterius Superioris, ad quem pro tempore competeret confirmatio, & requisita iurisdictionis Ecclesiasticæ adiectio, constat: ergo remanet REGVLA in suo esse & vigore, quem ex natura sua nata est habere, quæcumque propria & legitima constitutio & dispositio, videlicet ut præcepta obligent sub culpa aut mortali aut veniali, & consilia sub nulla. Quod est præcepta obligare in conscientia, & consilia non obligare. Quæ distinctione exposuit, D. Gregorius, *Cap. Denique dist.* 4. ubi ait: *Decretum necessitatem fecit, exhortatio autem liberam voluntatem excitat.* Et D. Augustinus, *lib. de sancta Virginit.* distinguens præcepta, & consilia, inquit: *illa exiguntur, ista offeruntur, &c.* Estque communis certa, imò, & Catholica doctrina, ut insinuo infra *num.* 12. & in sequentibus iteranda, eaque latè prosequitur Suarez, *tom.* 3. *d. Relig. lib.* 1. *cap.* 8. & 9. *num.* 24. Salas, *d. legib. disp.* 10. *section.* 9. *num.* 69. &c. Et rursus infra. *Art.* 9. *num.* 6. redibit.

Quæ propter opus fuit, in Regulis aut Constitutionibus, *num.* 2. adductis, declaratione expressa de obligandi ad culpam; quæ deficiente, secum & ex natura sua habet lex quæcumque, obligationem in conscientia. Neque ab hoc excipitur lex pœnalis, ubi nec ipsa aliud declarat, aut legislator; vel ubi vsu, & communi sensu, intellecta non est, aut declarata. Ut dilucidè tradidit à Mag. Lorca, *1.2. sect. de legibus disp.* 21 *memb.* 2. cum alijs, & à Thoma Sancio *lib.* 6. *summ. cap.* 4. *num.* 67. cum pluribus.

VII. Etia in præceptis adiungentibus pœnam.

bus. Vnde ex REGVLA ipsa, præcluditur effugium illius sententiæ, quæ tenet, legem pœnalem etiam mixtam, non obligare in transgressione ad culpam, quam cum Nauarro, Valentia & Villalobos adstruit Diana, *tract. de legibus Res. 20.* quæ necessario intelligenda est, de obligatione modo dicto, vel ex declaratione legislatoris; vel ex communi sensu & vsu consuetudinis, quæ apta interpretatio & declaratio legis est. Alias naturæ suæ relicta lex, semper propriè præsupponit culpam ad pœnam, quæ siue exprimat siue non, in lege aut præcepto; in eius transgressione continetur semper.

VIII.  
Probatur ex  
ipsa Regula.

Hinc ergo, Dux & legifer noster D. BENEDICTVS, etiam si sæpe præcipiat, sub pœnâ talis disciplinæ, vel vindictæ regularis, siue in Regula aliquando taxatæ, siue (quod frequētius & ferè semper est,) per Abbatem imponendæ & taxandæ; super culpas cadere exprimit. Sic *cap. 23.* in titulo dicit, *De excommunicatione culparum.* Sic, *cap. 24.* in textu, ait: *Secundum modum culpæ, disciplina debet extendi mensura.* Sic, *Cap. 25.* *De grauioribus culpis* & aliàs, *de leuibus*, idque sepius supponens, & inculcans. Neque addidisse pœnas, est à culpa releuare; sed potius exprimere correlatiuum culpæ, cui nihilominus correspondet, & est imponibilis pœna, etiam non expressa, ad arbitrium imponentis: & ita obligatio Regulæ moralis & in conscientia est. Quod amplius ex dicendis patebit; & contra nouum Authorem, & singulariter perperam eleuantem omnem obligationem, scilicet, P. Ioan. Caramuelem, loco destinato, ad finem NOTARVM Regulæ, stabilietur vndequaue in LACINIA, *plicat. 1.*

IX.  
Potestas ad  
eam obligationem  
imponendam  
ostenditur.

Illud tamen ad præsens, quod iam, *sup. art. 3. à num. 3.* tetigi, animaduerto. Scilicet verum esse, obligationem legis, aut præcepti, sine Authoritate iurisdictionis & (in nostro casu) potestatis Ecclesiasticæ: non existere; atque huiusmodi authoritate caruisse olim, priscos illos monachorum Præfectos

& Abbates, non solum quando laici erant, & propterea à tali iurisdictione spirituali, & eius exercicio alieni; sed etiam quandiu non erant exempti ab Ordinarijs Episcopis, penes quos erat ordinaria iurisdictione, vt docet bene Suarez, *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 1.* Quæ exemptio, vix à tempore Gregorii I. inchoata creditur ab ipso, *ibid. num. 16.* iuxta, *cap. Quam sit necessarium 18. quæf. 2.* Licet alii, anteriora vestigia inferant, ex Aimonio, *lib. 3. Rerum Franc. cap. 2.* & Renato Coppino, *Monastic. lib. 2. tit. 2. num. 19.* Atque ideo etli defectu illius iurisdictionis, propriâ authoritate, non potuerit condere legem aut Regulam, in conscientia obligantem ex se; nihilominus tamen, accedente tunc authoritate Episcoporum, quibus iure subiecti erant monachi, & monasteria, & quorum erat Religiosi instituti approbatio; cui postea etiam superuenit Pontificum Romanorum confirmatio; atque tandem collata Prælati, seu Abbatibus & Religioni per exemptionem & priuilegia, ordinaria iurisdictione; etiam à principio ipso, nunquam defuisse videtur sufficiens potestas, ad statuendam obligationem, per legem aut præcepta Regulæ, vt sic obligantia, ex superioritate iurisdictionis spiritualis Ecclesiasticæ: præter obligationem Dominatiuam, quâ aliàs ex vi voti Obedientiæ, independenter & separabiliter ab illa iurisdictione, poterat exigere Abbas. De qua distinctione, & vsu, tetigi, *sup. art. 3. citato, & infr. art. II. num. 8.* & pro occurrentiâ loci, agam, *ad cap. 71. Regula à num. 12. &c.*

X.  
Declaratur  
amplius.

Imò ad propositum addo: Quod licet Religio à principio, steterit cum hac potestate Dominatiua, profecta ex votis & professione, modo tunc, vel solitariis Anachoretis, vel Canobitis apto, & eo tempore recepto: accessio tamen alterius iurisdictionis spiritualis, & superioritatis Ecclesiasticæ, quâ aliquandò caruere Abbates & Monachorum Superiores, non fuit necessè expectaret exemptionem Religionum

ab Episcopis. Nam simul cum ea subiectione, quam ante exemptionem habebant monachi, cohærebat, posse Abbates Monasteriorum, habere illam ordinariam iurisdictionem. Quod constat: nam subordinatio iurisdictionum, non tollit eas esse ordinarias. Sic Episcopi iurisdictione respectu Põtificis, cui subest, etiã ordinaria est. Sic & respectu Episcopi Parochus, (licet maiori limitatione) est ordinarius. Et hodie Prælati locales Monasteriorum, etiã si Episcopis non subdantur, sed Prouincialibus & deinde Generalibus, & denique Papæ, suã legitima subordinatione, nihilominus ordinariã illa iurisdictione potiuntur; quæ notissima sunt, & ab omnibus sine exceptione admissa; cùm tamẽ sine communicatione huius ordinariæ iurisdictionis, ad obligationem Regulæ, satis esset autoritas Episcopi, quæ ante Innocentium III. in cap. fin. de Relig. domibus, idem operabatur, quod Pontificia, vt sup. art. 3. num. 4. attuli. Ex inde autem, approbatio Regulæ religiosæ, reseruata est soli sedi Apostolicæ, (sicut & canonizatio sanctorum, in quo, ytramque parificat Panormitanus, ad d. cap. fin.) & ad verum statum Religiosum, necessariò requisita est.

XI.  
Renuo explicatur & confirmatur.

Et quamquam Suarez vbi sup. non admittat eam accessionem iurisdictionis Ordinariæ, nisi per exemptionem monasterij, vel Religionis ab Episcopis, vtpote qui negat, eam in Prælati Religiosis esse de iure diuino, (quod non renuo) tamen ipse solum loquitur de facto, & prout ipse existimat accidisse. Alias non repugnat, vel Põtificem, eam iurisdictionem concessisse, sine exemptione absoluta, vel etiã (quod ad nostrum intentum satis est) Episcopum, quantum ad statuendam legitime Regulam obligantem, eam delegasse. Nam conditionem legum, seu institutionem, esse actum iurisdictionis Ordinariæ, ac subinde delegabilem, expressè docent Authores, vt cùm ipso Suarez Salas & aliis, tenet Bonacina tom. 2. de legibus, disp. 1. quæst. 1.

punt. 3. num. 32. Atque aliquem istorum modorum non defuisse, etiam tempore ipsius S. BENEDICTI, constat vel ex coniecturis REGVLÆ. Nam cap. 64. agit de auxilio implorando, ab Episcopo loci, in casu prauæ electionis; quod signum est, non extante eã necessitate, electionem ipsi cõuentui commissam esse. Et cap. 65. sugillat & respuit electionem Præpositi, maxime, in locis illis vbi ab eodem Episcopo, qui Abbatem ordinat, etiã Præpositus ordinabatur: quod est signum, in aliquibus locis non ita fieri. Itaque vel ordinaria vel delegata autoritas, nunquã defuit in principio, nedum accessu temporis, quod est perse notum. Quã propter vndequaque stat firma, & inconcussa, obligatio propria legis superioris, ex parte REGVLÆ, in conscientia, quam, nec ipsis legibus secularibus denegari posse, etiam contra Hæreticos, tuetur Lorca citatus, disp. 10. & II. & 21. memb. 2. & late Molina, tom. 6. de iust. & iure. disp. 73. & Bellarminus, tom. 1. lib. 4. de Romano Pont. c. 16. in fine: & quos ipsi citant.

An verò ea quæ in REGVLÆ, vt consilia continentur, retinentia ex vi Regulæ rationem consilij, licet sine culpã omittatur, possit pro eis pœna imponi, & subditus debeat eam sub culpa subire, sicut dictum est de legibus, aut constitutionibus præcipientibus, cum declaratione non obligandi culpabiliter; dicam infra artic. 9. suo ordine. Et auferam cõfusionem, quam inter præcepta & consilia, admittere inaduertenter videntur aliqui; cum tamẽ non agnoscere claram & manifestam eorum distinctionem, indicatam sup. numer. 6. manifestè hæresis damnetur, à Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 6. num. 6. Cum Bellarmino, li. 2. de monach. Et cõstabit etiam, de quibus Consilijs sit sermo: nã quæ Euãgelica cõsilia sunt omni Christiano, possunt transire ad Regulam, & iuxta eius modum, verti in præcepta profitenti illam. Ideò signanter dixi, quæ cõtinentur in REGVLÆ vt consilia, retinendo prout ex illa, rationem consilij. Ad quæ omnia cognoscenda distin-

XII.  
Quid de cõsilijs?

tinete, materiae propriae REGVLÆ mihi diuidendę sunt, per certas Classes, iuxta quas, doctrina moralis obligationis,

generaliter procedat, applicanda postmodum specialiter, vbi eã fuerit opus & congruerit.

CLASSES & Capita ad quę potissimè omnia, quę continentur in REGVLÆ, reducuntur.

## ARTICVLVS QVINTVS.

I.  
PRIMA  
CLASSIS

**P**RIMA CLASSIS continet ea, quę, ex se, seclusa REGVLÆ, sunt præcepta naturalis vel diuinę legis, siue mediante naturali ratione, siue interuentu fidei, aut eius Ecclesiasticę & positiuę potestatis, quę quomodocumque, independenter à REGVLÆ, sunt obligatoria. Quorum omnium, plura inueniuntur expressa in REGVLÆ, imò & in ea, omnia cõtineri intelligenda sunt. Nam Religiosus status, qui super erogationis & perfectionis est, omnia supponit, quę simplici Christiano, obligatoria in conscientia sunt, aut ex illis principijs obligantia, seclusa professione monastica. Vt sunt præcepta Decalogi, & Ecclesiastica, tam communia, quam particularia quaedam, ac ciuilia iustitię obligationem habentia, & similia ad prædicta reducibilia, virtutũ & vitiorũ materiã continentia.

II.  
SECUNDA  
CLASSIS

Secunda CLASSIS continet ea, quę ad tria essentialia Religionis vota spectant, scilicet *Paupertatis, Castitatis, Obediencię*, quibus Religiosus status constituitur, dum nunc sub approbatã à Pontifice Max. Regula profitendo, emittuntur; cum alijs iam ex iure Pontificio requisitis, cuiuslibetque, medio-criter in hac re versato, notis. Atque si quod fuerit aliud Votum peculiare, in professione, ex proprio Regulę instituto, etiam ad hanc pertinebit classem: & an verè aliquod sit, in nostra Regulę S. BENEDICTI professione, constabit infra Artic. 7.

III.  
TERTIA  
CLASSIS

Tertia CLASSIS continet ea præcepta, quę à prædictis distincta, solum præscribunt peculiare obseruantias monasticas, tantum ex vi REGVLÆ &

eius dispositione obligantes, secluso omni alio præcepto, aut voto formali. Qualia sunt, quę de silentio, tali tempore aut loco; de ieiunijs non Ecclesiasticis; de lauandis hospitem pedibus vel fratrum, de vestimentis; de epistolis non recipiendis; de carniũ esu, & alia huius generis plurima, quę figillatim (vt videbimus) sic ordinantur in REGVLÆ vt præcepti modum habeant, & voluntatem determinatè obligantem præferant, & non inferant culpam aliunde, nisi quia vel præcipiuntur, vel vetantur in Regula.

Quarta CLASSIS est eorum, quę solum adhibentur, vt habentia ratione purę admonitionis; vel incitamenti ad virtutem, vel insinuationem doctrinę, aut affectum optantis: siue in materia quę aliunde obligationem non contrahat, siue etiam quę determinata sit, in materia aliorum præceptorum, aut rerum alias sub culpa obligantium. Possuntque prædicta sub nomine *Consilij* comprehendere, aut ad consiliorum genus reduci. Et non dico consilia cõtenta in Euangelio (vt aduertit iam Artic. præced. num. 12.) sed consilia ipsius Regulę, id est, quę ab illa, nullo modo præcipiendo, sed tantum consulendo, ponuntur. Similiterque in hac Classe repono, quę solum, narrando; proferuntur, vt notitia rei habeatur, aut retineatur memoria; vel aliquid doctrinaliter explicetur. Ac tandem huc pertinent, quę rite per legitimam deuetudinem antiquata, aut autoritate debita dispensata: seu superioritate Apostolicã abrogata: vel casu aliquo episcopali (seu maioris episcopali) comprehensa sunt.

III.  
QUARTA  
CLASSIS

V. Illustratur  
exemplis.

Exempla autem prædictorum, dum figillatim percurremus Capita REGVLÆ, plura se sub manum dabunt; verū tamen vt rei specimen præcedat, aliqua subiungam. Igitur pura *Admonitio*, videtur esse, *Cap. 49.* vbi ait. *Supra mensuram sibi indictam, vnusquisque aliquid propria voluntate, cum gaudio sancti spiritus, offerat Deo, &c.* Nam supererogatio proponitur, & propria voluntati relinquitur. *Incitamentum*, ad virtutem videtur, vt in *Prologo*, ibi: *Exurgamus ergo tandem excitante nos scriptura, &c.* At verò insinuatio, doctrina, vt *cap. 7.* plura quæ de humilitatis gradibus docet. *Affectus Optantis*, vt *cap. 40.* ibi: *licet legamus vinum omnino monachorum non esse, &c.* & *cap. 49.* *licet omni tempore, vita monachorum Quadragesima obseruationem debeat habere, &c.* Atque ex prædictis, speciem *Consilij* habent aliqua. Illud vero *Cap. 1.* Monachorum quatuor genera esse, pura *Narratio* est, quæ tamen in diuersis materijs exercetur: & profert aliquandò ea, quæ aliàs obligationem conscientia habent. Vt dum *Cap. 4.* instrumenta bonorum operum referuntur; inter quæ, plura diuina præcepta obligatoria, proferuntur enarratiuè. At *cap. 2.* ibi: *Semper meminisse debet Abbas, quod dicitur, &c.* reuocatio ad *memoriam*, de propria obligatione Abbatis, inducitur. Atque *cap. 7.* *Scala Iacob* pro humilitate edocenda, mysticè doctrinaliter exponitur. De *Antiquatis, Dispensatis & Abrogatis*, specialis facti ratio disquirenda est, suis locis, in quibus *Antiquatio, Dispensatio, aut Abrogatio* cadat. Nam *epijchia* non habet in lege casum expressum, nisi quem necessitas accidentis proprium illius fecerit.

VI.

Quinta denique CLASSIS compo-

nitur, ex illis, quæ in REGVLÆ, licet à S. Benedicto præceptiuè determinentur, & disponantur; tamen arbitrio Abbatis vel alterius, permittuntur aliter disponi. Item quæ sub disiunctione iubentur. Et quæ ita determinantur, ex ordinatione Regulæ, vt tamen ex ea constet, indulgenter & remissiùs se habere, attentà imperfectiōne temporis, & desiderium fuisse, perfectiùs quid fieri, aut in melius commutari. De primo, plura exempla sunt, vt *Cap. 39. & 40.* ibi: *in arbitrio & potestate Abbatis sit &c.* Et ita passim. De secundo v. g. *cap. 65.* vbi constituit ordinare ad monasterij gubernationem, Præpositum, aut Decanos, sub disiunctione disponens. De tertio etiam frequens occurrit exemplum *cap. 18. in fine*, in constituendo psalmodum modo, *cap. 39. & 40.* in taxando cibo, & potu: & sic alibi.

Ad has ergò CLASSES videntur reduci omnia, de quibus in REGVLÆ disceptatio moralis esse potest. Et ita nunc per singulas discurrendum est, & omnino determinandum, & resoluendum in qualibet: vt facilius postmodum ipsam Regulam perlustrando, per Capitulum NOTAS, cognosci possit, quid in vnoquoque obligationis resideat. De singulis igitur Classibus agam per singulos sequentes articulos, & in ultimo adijciam generalia *Notabilia*, quibus pro moderamine dicendorum, in resolutionibus intelligendis, opus erit. Quæ omnia oportet præ oculis habere; vt quæ postea, eis fundamentis innixus, breuiter statuerim, melius intelligantur: propriaque, in qualibet materia & difficultate, constet sententia; neque sit necessarium eadem, semel asserta repetere, sed ad ipsa remittere.

QVINTA  
CLASSIS

I  
M. IRI  
2122A. 10

VII.  
Determinā-  
dum per sin-  
gulas.

II  
RECEN-  
SUS



De ijs quæ ad primam CLASSEM pertinent resolutio.

## ARTICVLVS SEXTVS.

**I.** *Assertio.*  
**I**gitur circa primam CLASSEM, teneo: Omnia illa præcepta quæ continentur in REGVLÆ, & ab ea præcipiuntur, habentia tamen aliunde obligationem in conscientia, ad culpam siue mortalem siue venialem, ex quacumque lege iureque proueniant, vel diuino, vel naturali, vel positiuo, vt ibi exprimitur: solum retinere propriam, quam ex se habent, obligationem; neque ex Regula aliam culpam contrahere, quocumque modo ab ea adducantur, siue præcipiendo (vt dictum est) eadem præcepta; siue monēdo; de illis, siue alio quouis modo, ponēdo ea.

Hanc resolutionem, cum Caietano & Valentia, tuetur Thomas Sancius, lib. 6. summ. cap. 4. à num. 6. & alij similiter, conformiter ad B. Bernardum, qui lib. de Præcep. & dispens. cap. 2. ait, loquens de hac re: *Instituta nonnulla de spiritualibus, verbi causa, charitate, humilitate, mansuetudine, non tam ipsum S. Benedictum constat instituisse, quam Deum, &c.* Et ratio est: Quia vbi sufficienter constitutum est præceptum, in suo esse, & obligatione culpabili conscientia, non est præsumendum Authorem legis, nouas culpas cumulare velle, quæ in maiores laqueos animarum vergant, sed ita euenit in illis præceptis, quæ aliunde ex superiori vi & potestate, iam propriam habent rationem ad culpam: ergo eâ sola credendum est contentum fuisse Authorem Regulæ. Quam rationem, in simili amplectitur Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 1. c. 16. n. 26. nam sine constante & certa necessitate, vincula multiplicare non oportet. Sed pressius assertionem probabo.

**III.** *Iterum probatur.*  
 Desumoque argumentum ex limitatione, quam patitur assertio prædicta. Quæ non habet locum, si mate-

ria præceptorum, sit pertinens ad tria vota, de quibus adiunximus secundam classem: Nam quæ sunt in materia voti, ratione illius, addit distinctam culpam, vt. *sequenti*, declarandam. Hinc ergo formatur secunda ratio. Quia ideo in materia votorum constituitur distincta culpa, nam ratione voti, constituitur peccatum, contra diuersam virtutem, scilicet Religionis, quæ sacrilegè violatur: ergo vbi eadem virtutis ratio perseverat, vt in alijs, vna & eadem tantum erit culpa. Quod non solum probat, talem præsuppositam culpam, accedente nouo legis imperio, seu Regulæ præcepto, non multiplicari, sed neque subesse voluntati Superioris, vel Authoris Regulæ, quod multiplicetur, vt statim patebit.

Interim oppones sic Præceptum, Regulæ additur ad præceptum v. g. Decalogi, aut Ecclesiæ; ergo sicut votum additum præcepto, addit nouam culpam; ita & præceptum additum per Regulam. At, negatur consequentia, ex manifesta differentia insinuata. Ex qua potius retorquetur probatio. Quia sicut plura vota reiterata, de eadem re, non multiplicant obligationem, nec inducunt pluralitatem culparum; ita à paritate, neque multiplicatio præceptorum de eadem re. Quod cum Valentia, Becano, Vazquez, Suarez, & alijs defendit Bonacina, tom. 2. disp. 2. de Peccatis, quæ est. 4. punct. 3. & pariter, citatis alijs; Stephanus Fagundez, tom. de Quinque præcep. Eccles. 1. part. lib. 2. cap. 1. num. 9. & latius cap. 4. num. 5. & alij.

Imò & addo cum Bonacina & ab eo citatis; etiam si vouēs intendat per votum sæpius repetitum, nouas obligationes sibi imponere, non posse: cum vna sit materia, & sub eadem ratione, & motiuo virtutis, in qua sicut vnica vice

**III.**  
 Obiectio soluitur.

**V.**  
 Ampliatur probatio asserti.

vice non potest sibi plura peccata iungere, ita nec sæpius repetita, eiusdem vnicæ vicis, eadem voti promissio ne. Atque currente paritate, idem dicendum est, de multiplicatione præceptorum. Ex quo non solum probatur assertum ita esse, sed (vt insinuauit) nec aliter posse fieri, immutatis materia, & ratione, motiuoque præcepti, prout est in præsentibus. Nam lex, aut præceptum etiam priuatum, quod non ex formali obedientiæ voto, vt sic, sed ex alia potestate superioritatis generalis obediētiae, aut iurisdictionis procedit, non extrahit actum, in quem cadit, à materia propriæ virtutis & honestatis, in qua formaliter est; sed in eadem firmat obligationem, & ita non multiplicantur transgressiones seu culpæ, vt expedit, & in re docet Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 6. nu. 8. & ad idem Magist. Antonius Perez Episc. Vrgell. in Comment. Regula, cap. 5. à num. 19. & alij, vt Sanchez & Salas, quos etiam in re, cū Bonacina citat, & sequitur nouiter Leander, de Sacram. 1. p. tract. 5. disp. 8. §. 8. quæst. 7. & 9.

VI.  
Quæstio de  
augmento  
culpæ solui-  
tur.

Sed tamen licet probatum videatur non addi præ existenti præcepto distinctam culpam; forte contendet aliquis, id solum intelligi, de distincta secundum speciem, quæ, à suis diuersis rationibus & virtutibus, quibus opponitur, aut quarum rectitudine peccatum priuat, desumitur. Vnde restat inquirere: Num intra eandem speciem, augeat peccatum, noua REGULÆ præceptio? Ad quod respondeo, negatiuè; quatenus ex eo capite, aut ratione consideratio est. Hoc idem assequuntur omnes rationes eorum, quos supra retuli, qui videntur loqui, de culpa distincta qualicumque modo, secundum quem, præter culpam correspondentem ex præcepto legis Dei, aliqua alia corraspondeat, ex præcepto Regulæ. Deinde probari potest, discurrendo per ea, quorum ratione, peccatum veniale efficitur mortale, vel vnum peccatum crescit & augetur, intra limites venialis aut mortalis. Ea vero satis cõ-

numeratur à præcitato Bonacina, disp. de Pœnit. & tom. 2. disp. 2. de Peccat. q. 3. punt. 15. & quæst. 4. punt. 1. alijsque, de eadem materia tractantibus: sed tamen in illis, nunquam numeratur repetitio, aut iteratio præcepti, ergo inde vt sic, maior culpa, eius ve additio non prouenit.

Obijcies tamen. I. Religiosum grauius peccare, murmurando, vei peiorando, vel missam omittendo, &c. quã secularem; ergo augmentum culpæ inde est, quia secularis, vnico præcepto tenetur, religiosus duplici, dum obligatur in super per Regulam. II. dices: in Regula imponi supplicij pœnã v.g. murmurantibus, idque non semel, quod tamen in alijs peccatis, ex lege Dei pariter prohibitis, non facit: ergo signum est contrahere ex præcepto Regulæ nouam culpam, eius ve augmentum, ratione cuius, seuerè & expressã pœnã, vult animaduerti. III. oppones: Quia grauius peccat, qui post tertiam admonitionem non resipiscit, & grauius in Regula & vbique plectitur: quã qui post vnã aut nullam delinquit, ex differentia vtique culpæ eiusdem rationis & speciei; sed vbi ad præceptum ex lege Dei, accedit præceptum, siue admõnitio Regulæ, fit multiplicatio monitionum, lex enim vicem monentis habet; ergo ad auctis his repetitis monitis, seu intimationibus præcepti, auctior grauiorque euidit culpa transgressionis illius.

Tamen ad primam obiectionem respondetur: Etiam si detur & concedatur antecedens; quod tamen nõ vndeque certum est, & ex vtraque parte suis considerationibus fulcitur quæstio, vt videre est, apud Thomam Sancium lib. 6. summ. cap. 4. num. 7. & alios: nihilominus consequentia negatur. Quia ea grauitas non ex iteratione, aut multiplicatione præceptorum eiusdem rationis, prouenit: sed vel ex scãdalo, vel ex maiore perfectione statutus, in quo peculiariùs diuino cultui, studioque virtutum consecratus existit Religiosus; sicut suo proportionali modo,

VII.  
Obijciunt.

1.

2.

3.

VIII.  
Soluitur ob-  
iectio I.

do, in Sacerdote nulla Regula alligato, ex Clericali statu, in quo alte constitutus est, oriri potest, si quando culpabilior habetur, sine eo quod necesse sit, ad multiplicationem præceptorum recurrere.

**IX.** *Confirmatur sic in Episcopo, ad confitendam circumstantiam status, in peccato, propter maiorem grauitatem, adigunt cum Nugnus, in 3. par. tom. 2. quæst. 9. artic. 3. dub. 3. conclus. 2. & 3. & Fagundez in 2. præcep. Eccles. lib. 4. capit. 3. num. 8. Et licet alij, ex alia sententia de non confitendis necessarió circumstantijs agrauantibus; quam cum pluribus tuetur Diana 1. par. tract. 7. resolut. 1. cum sequentibus. cui subscribit, numerosiori solùm Authorum cū eo, ductus Ascanius Tamburin. tom. 3. de iure Abb. disput. 3. quæst. 6. num. 15. eam confitendi obligationem adimant; tamen grauitatem non negant, nec aliundé quam ratione statús, in quo est constitutus. Atque Suarez, qui oppositam, & tutiorem, de circumstantijs, sententiam tenet, tom. 4. in 3. par. disput. 12. de Religioso loquens, tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. II. num. 6. & 7. censet illum, vt sic, ratione statús, in transgressione præcepti secularibus Religiosisque cõmunis, neque mutare speciem, neque aggrauare notabiliter culpam, ita vt necesse non sit etiam in eius sententia, eam circumstantiam confiteri, nisi quandó vel scãdalum, vel votum, vel contemptus formalis interuenit. In quibus omnibus, præcepti multiplicatio secluditur; & sēper aliundé, augmentum culpæ procedere perhibetur.*

**X.** *Solutio 2. obiectiõnis.* Ad secundã obiectiõnem: Admissio antecedente negatur cõsequentiã: Quia ad designationem & expressiõnem pœnæ & correctionis, pro peccato aliàs prohibito, satis est adesse culpam, ex præsupposito præcepto exortam, absq; eo quod ex Regulæ superaddito & repetito præcepto, noua culpæ portio suboriat. Quod veró pœnam murmurantibus infligendam toties incul-

cet, nouum præceptũ esse poterit Prælati, de tali pœna transgressoribus imponenda. Idq; optime stat, absque culpa addita ex præcepto Regulæ de non murmurando, præter eam quæ, ex præcepto legis Dei prohibentis murmuratiõnem, præsupponitur. Pœnas autẽ peculiariter exprimere, studium tãtum est auertendi, & exterminandi tale vitium, quod etiam in alijs peccatis, in decalogo prohibitis, videmus fieri, per alias leges positiuas humanæ potestatis, sine eo quod noua distincta vè culpa exurgat, ex præcepto talis legis, vt sic, prohibētis idem peccatum: sed eius quæ præsupponitur, exprimitur accurata & determinata coercitio. Nã & sic, è cõuerso, penã nõ adiungere expresse alijs, nõ est diminuere eorũ culpã, quæ non indè dependet, & per prius se habet ad pœnam, ex culpa promeritam.

Ad tertiam obiectiõnem dicendum est: Illam non esse grauitatem ortam ex multiplicatione mandatorum eiusdem rationis, sed punibilitatem, quæ in ordine ad exequutionem & rigorẽ tenendum, augetur ex eo, quod sēpius quis reincidendo, & multiplicando transgressiones, deliquerit. Nam qui semel errauit & destitit, dignior veniã iudicatur, vt scribit D. Bernardus *Epist. 246. ad Eugen.* illæque monitiones, tunc sunt in causa aggrauãdi supplicium, quando suis interuallis fiunt, delinquensque negligit, nimium adharens peccato: in quo pertinacia accrescit, acriori castigatione dignior. Quæ omnia cessant in casu nostro, vbí lex naturalis, & diuina, & Regularis de eadem re, simul & semel præsupponuntur ad actum transgressiõnis contrã vnã eandemque rationem. Et ita in illo distincto casu pertinatix, &c. concessio antecedente, negatur consequentiã, in nostro casu. Et constat de eo nihil inferre; cum præceptum, in hoc, cum monitione ac intimatione parificet; quæ non præcepta, sed præceptorum conditiones sunt, vt non ignorentur, aut obliuioni traddantur. Aliàs ex qualibet

**XI.**  
*Solutio 3. obiectiõnis.*

admonitione aut iteratione prohibita murmurationis, sæpè in REGVLA repetitâ, & iteratâ intrâ ipsâ Regulâ, æstima da esset culpa in se maior, quod nulatenus dicendū est, & aliud est multiplicatio præceptorū, aliud transgressionū.

XII.  
Observatio  
circa dicta.

Illud tamén obseruandum est: Per hæc non tolli, quominus possit Legislator, inferre Regulæ aliquod præceptum diuinæ legis, vel Ecclesiasticæ, ita vt Author Regulæ, vel Constitutionū peculiari suo præcepto ad nouam & distinctam culpam obliget. Quod si fiat addendo aliquam circumstantiam antea non præceptam, iam nouū præceptum ex additione erit. Si verò sit propter diuersum modum præcipiēdi, ex vi peculiaris Obedientiæ voti, explicando requisitam formulam, ex qua intelligatur adiungi ea diuersa formalitas voti: hoc coincidit cum limitatione iam indicata, num. 3. & cum doctrina tradenda artic. sequenti. Quam pariter tenent Authores citati, Caietanus scilicet 2.2.ques.186.art.9.dub.1.& Gregorius de Valentia, disp.10.ques.4.punt.5. & alij: Nec nos id negamus: potius inde, vbi sup. argumentum de sumpsimus, vbi explicatum est, & explicabitur in 2. classe.

XIII.  
Observatio  
de formulis  
præcepti.

Præterea Obseruandum est, pro dictis atque dicendis: Quòd licet verba habentia rationem & vim præcepti, sint cõmuniter tradita in iure, Clem. I. de verb. signific. & quæ inde explicant, & exemplificant Authores. Vt Thomas Sancius in summ. lib. 6. cap. 4. num. 29. &c. & quæ de formulis verborum, in faciendis legibus, adducit Bonacina, tom. 2. disp. 1. ques. 1. punct. 7. §. 3. & alij, atque in materia propria REGVLÆ, Episcopus Vrgell. in Comment. ad Prolog. nu. 12. & Turre-cremata alijque. Nihilominus non inde stabilis forma statuitur præcissè, quin aliquādo, sinè verbis per modū præcepti, vt præcipio, mado, iubeo, nõ liceat, & cætera id genus plurima, adhuc detur intelligi præceptū propriū; & aliquando verbis præceptiuis, solū intelligatur consiliū. Vtriusq; exempla

adducit Card. Turre-cremata, tract. 5. in Reg. S. Bened. Prioris, vt illud, Exodi 20. Non furtū facies, &c. Posterioris, illud, Matt. 7. in sanatione Surdi & muti: Præcepit eis, ne cui diceret. Et Antonin<sup>o</sup> Florent. 3. par. summ. tit. 16. c. 1. §. 5. & 7. Atque familia adducit Sancius citatus n. 32. ex c. Rogo II. q. 3. & c. 2. 12. q. 1. cū glossa, & alia. Quæ quidém rem aliàs cognitu difficilè, difficiliorem reddūt.

In quo prædictus Thomas Sancius sentit: Quòd quandò materia est præcepti, quouismodo proponatur, habet rationē præcepti, vt in cap. citato. Rogo hortor moneo, &c. & I. Petri 2. Obsecro vos, abstinere à carnalib<sup>9</sup> desiderijs, &c.

Quod est dicere: Si Regula proponat aliquid, sinè verbis præceptiuis, sed vel monentibus, vel exhortatorijs, nihilominus, vt præceptū esse habendū, quādo illud aliàs erat materia, lege aliqua Dei vel Ecclesiæ, præceptā. Quod citra dubiū est, nam præceptū, non amittit propriā obligationē, ex eo quòd leuioribus verbis, ab alio proponatur. Et cõstat ex dictis: nā siue constitutio iubeat non furari, siue hortetur, quomodo cūque furtum propriā præcepti iustitiæ culpā habeat, & obligationē. Attamen amplius videbatur peti: An scilicet, de re aliàs non præceptā, stare possit præcepti ratio, dū in Regula proponitur & ordinatur, verbis non præceptiuis? In qua quæstione, licet certū sit, mētem legis & obligationē ab hominibus nõ aliter nisi per verba, quibus suos sensus explicant & eliciunt, esse venandā: tamen censeo, non ita sensum, & mentē, semper esse ligatam verbis rigorosis, Præcipio, iubeo, sancio, decerno, &c. Id attendēdū in Regula. Vt aduertit Mag. Lorca, I. 2. sect. de legibus, disp. 2. memb. 2. dubit. incidenti, cum pluribus, & ita satis esse per verba imperatiui, vel quasi, vt caueat, faciat, abstineat, sileat, &c. aut alia simili phrassi, adiūcta tamē cõmuni acceptione verborū in eā vi, iuxta Legislatoris dialectū & modū, cõmuniter intellectū: cū alijs circumstantijs requisitis, scilicet materiæ capacis, &c. quibus sufficiēter

XIV.  
Nõ omnino  
alligatur  
verbis ratio  
præcepti.

Id attendēdū in Regula.

exprimatur imperium. Atque hoc ipsum in ipso limine Regulæ præsupponitur, ibi: *Ausculta ó fili præcepta Magistri, & admonitionem p̄i Patris libenter excipe.* Vbi præcipiendo & monendo pariter, religiosam vitam instituendam præmittit. Neque nudè verbis in hærendum est præcisè, sinè aliis adminiculis, vt Antoninus & alii citati, num.13. & exempla ibi allata conuincunt.

XV.  
Declaratur  
amplius in  
Consilijs.

At sentit insuper Sancius, quòd quando materia est consilij, liberaque; habendum esse tamquam consilium, quibuscumque verbis præceptiuis ponatur. Quod ego non admitto, nisi vbi constet clarè, de intentione præcipiētis. Aliàs quæcumque contenta in Regula, quæ in materia consiliorum versantur, & ab ea præcipiuntur, desinere esse præcepta, nullumque consilium posset in præceptum transire. Quod nullatenus dicendum est, reclamante D. BERNARDO, *lib. de Præcep. & dispen. cap. 2.* & omnibus; sed standum est modo præceptiuo, dum aliud non explicat Legislator, vel colligitur de eius mente, aliquo indicio, aut recepta intelligentia. Qua propter, in REGVLA consilia verbis præceptiuis, aut imperatiuo modo tradita, præcepta sunt, consideratis simul ijs, quæ nuper indicabam, & tetigit etiam citatus Sancius *vbi sup. num. 39.* Nec enim negare possumus modum imperatiui, tam præcipienti, quàm consilianti, incitanti & monenti, esse communem; ideòque alia simul esse considerata, ad propositum, iuxta opinionem, quam veluti aliarum conciliatiuam, adducit Diana, *3. par. tract. 6. resol. 74.* citatis Sanchez & Vazquez.

XVI.  
Observatio  
necessaria  
contra ali-  
quos.

Verumtamen illud maximè obseruandum est, contra Card. Turrecrematam, *vbi supr.* & etiam alios; qui quotiès in REGVLA admittunt, præceptum esse, eo ipso videntur sentire, obligationè esse sub culpa mortali. Quod nullatenus est admittendum: cum ex pluribus capitibus stet optimè, præceptum esse, & sub veniali tantum obligare,

Ita Sancius *vbi sup. num. 30.* Molina, *to. 2. de iust. & iure, disp. 344. ad fin.* Bonacina, *to. 2. disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 4. nu. 4.* Lorca citatus, *disp. 22.* Fauſtus in *Theſauro Rel. lib. 6. à quæst. 121. vsque 125.* & Episcopus Vrgell. *ad Prolog. Reg. num. 122.* vterque ex D. BERNARDO, qui cum clarissimus sit in eo, non tamen ea claritate & distinctione se explicat Vrgellensis, cum veritas manifesta sit, & sinè hesitatione cõcedenda. Vt cum pluribus Diana *vbi sup.* & ita in REGVLA specialiter statuo, *infr. Art. 8. per totum.* Quod & pro sui ordinis Regulâ inuenio sensisse, eruditum virum Ioannem Le Paige Præmonstratensem, in eius *Biblioteca, 1. par. lib. 2. cap. 5. sect. 9.* Nec oppositum, cum sacra, Sanctorumque doctrina, in sensu proprio cohærere, ex sequentibus, & maxime ex dicendis, in *LACINIA addita Notis, plicat. 1. per totam.* constabit manifestè.

Quare in hac re, prorsus audiendus non est, Doct. Vaquerius quem adduxi *art. 1. n. 9.* qui dum in Cõsilijs & admonitionibus, obligationè culpæ in conscientia admittit; & in præceptis, non nisi mortalem agnoscit; vtroque modo aberrat à veritate, aut laborat in æquiuoco. Et forsità amplius presisset difficultatis punctum, si quas Iurisprudentiæ, ipse iuris Doctor, primas defert, potius, vt par erat, Theologiæ, ipsius magis gnarus detulisset. ¶ In hoc etiã labitur Ascanius Tamburinius, *to. 2. de iure Abb. disp. 12. q. 1. n. 7.* & *to. 3. disp. 4. q. 4. n. 2.* Dum ait: non omnia cõtenta in Regula obligare sub peccato mortali, sed aliqua esse sub admonitione, & consilio, quæ ad veniale tantum obligant. Nempè & ipse, nimium Iuriscõsultus, crepat: & abutitur autoritate S. BERNARDI, ex cuius perpetuâ & sepe inculcata doctrina, haurire poterat veram sententiã; solum in præcepto admittentem obligationem culpæ, quæ etiam venialis compatiatur, cum propria ratione præcepti; & in consilio, vt sic, intrã propriam materiam, nullam culpæ obligationem adesse. Nam

XVII.  
Correpti.

Vaquerius.

Et Tamburinius.

Et San-Vi-  
tores.

fic dictus. S. Bernardus toto illo, *lib. de Præcep. & disp. cap. 10. 11. 14. & 15.* ubi agnoscit præcepta grauia & leuia, & hæc citra contemptum sub leui culpâ obligantia, multiphariâ sententia confirmat. Sic etiam consilia à præceptis penès obligationem conscientia, quæ in consiliis non est, necessariò, & conformiter ad fidem, distingui, prosequitur Suarez, quem cum Bellarm. citavi *sup. artic. 4. numer. 12.* ¶ Atque ad hunc sensum & normam reducendus est, debita venia, Reuerendissimus San-Vitores, *tom. I. Prælud. 7. cap. 3. num. 4. & 5.* aut potius, non ipse, sed præfatus Card. Turcremata, cuius verba, *ex Tract. 5. adducit, & doctrinam admittit iam supra infimulatam.* Ex qua ductus videtur discedere à propria & vera loquutione, dum ait: *El silencio, la abstinencia, y ayuno, no se han de notar como preceptos, aunque en la Regla lo parezcan, sino como Consejos.* Nam qui postea, *num. 6. & 7.* fatetur ea obligare sub veniali, & etiam admittit præceptum obligans tantum venialiter, & vtrumque optime verè & propriè: immeritò refugit, aut detrahit vocem & rationem præcepti, consentiens Cardinali, & volens esse consilia, quæ ut talia, si adhuc ex REGVLA rationem consilij retinent, nullam culpam inducunt, ut est notatum supra & *artic. 4. num. 6. & 12. & infra artic. 9. num. 6.* Atque prædictas Obseruantias Regulares, aliasque REGVLÆ, non solum consuli, sed præcipi ab ea, esse que verè præcepta, etiam si ad veniale tantum obligent, tum citatis locis, tum in *LACINIÀ* addita NOTIS, *plicat. I.* pluribus efficacissimè probo, contra Ioann. Caramuelem, remouentem omnem obligationem conscientia etiam leuem, cum quo ipse nullatenus consentit, qui rectè eam agnoscit. Quare iuxta se ipsum, intelligendum venit illud, quod in titulo dicti *capit. 3.* dicitur: *La Regla de San Benito aconfesa, y no obliga.* Nam obligare ad veniale, obligare

est, quod non bene compatitur cum eo, quod sit pure consultiua, & nihil obligans. Vnde contrahenda est, ea loquutio ad aliquam particulam Regulæ, in qua constet consultiuè tantum, & sine obligatione procedere, ut *infr. art. 9.* declaro. Alioqui, non ad eò plaudendum est discretioni REGVLÆ, ut eam destruamus, quasi non esset, ablatâ omni obligatione, quam à consiliis, ut sic, ab esse absque culpa etiam ex fide, certū indicauimus. Quod vtrique eruditissimo Scriptori exploratum esse debet, mihi que pro veritate & autoritate REGVLÆ & eius AVTHORE P. N. tuendum. Et pro ipsis Authoribus aliisque in re interpretandis, potest esse quod noto, *infr. artic. 8. num. II.*

Sed adhuc *Affertio* supra posita in principio huius artic. pro hac prima classe, difficultatem patitur, propter sententiam, quam videtur tenere citatus Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 7.* Nempè, totam Regulam secundum quod præceptiua est, esse propriam materiam voti obedientia, quæ non minus fertur in præceptum positum à Prælato, quod transiens est; quam in præceptum permanens, per modum legis aut constitutionis, prout continetur in Regula: Ergo quidquid illa præcipiendo continet, eo ipso adiungit malitiam sacrilegij, in transgressione, ratione voti Obedientia, monastica professionis. Hoc tamen ipse ita moderatur: Vt votum obedientia non addat Regulæ obligationem sub mortali, nisi in Regula ipsa, vel supponatur, vel exprimat talis grauis obligatio præcepti, in quod Obedientia votiua cadat. Quod si Regula, quatenus similiter, ex superioritatis aut iurisdictionis potestate procedit, obligat tantum sub veniali, siue ratione paruitatis materia, siue ex directa intentione præcipientis, qui etiam si materia grauis sit, non vult ad amplius obligare: tunc votum obedientia solum adiungit simile culpâ venialis sacrilegij, contra Religionis virtutē. Quod si tādē Regula ex

XVIII.  
Difficultas  
ex sententi  
Suarez.

Moderatio  
difficultatis

se non obligat ad culpam aliquam. Votum obedientiæ nullam adiungit, ex ea virtute. Ita ille, toto illo, *cap. 7.* citato.

ratorum comprobandus: ideò ad difficultatem adhibenda est responsio, nõ solum sufficiens, sed & cum cautione, eorum quæ dista sunt.

XIX.  
*Ratio illius  
Authoris.*

Ratio verò generalis quam assignat, est. Quia vera ratio præcepti, est quæ constituit materiam voti Obedientiæ, eo modo quo præceptum est, & ita quatenus Regula omnem culpam excludit ab obligatione, si talis sit Regula, deficit à ratione præcepti, & per consequens à materia Obedientiæ. In illis verò ubi obligatio culpæ inuenitur, est vera ratio præcepti, & per consequens propria materia, qua posita, ex voto Obedientiæ confurgit, & coniungitur similis obligatio, iuxta grauitatem vel leuitatem culpæ ipsius præcepti: Quo posito argumentum contra assertionem, & contra modum quo volumus intelligi, sic formatur & vrgetur. Quia si Regula præcipit, v. g. non furari, aut ieiunare in Quadragesima, tale præceptum est graue, ergò ex voto professionis de Obedientia, adiungitur grauis obligatio distincta, cum quauis tali præcepto coniungenda. Ergo numquam stabit aliqua transgressio præcepti REGVLÆ, sine sacrilegio voti.

*Argumentū  
ex illa.*

XX.  
*Paratur res-  
ponsio.*

Ad hæc vt respondeamus: in primis videtur non esse hoc directe contra nostram assertionem. Nam cum ea statuta sit, cum limitatione, vt non intelligatur in materia trium votorum, sicut non est contra doctrinam traditam, præcepta Regulæ in materia paupertatis & castitatis adiungere distinctam culpam sacrilegij, ita semel dato, quod votum Obedientiæ versetur circa sui materiam, consequenter, sine præiudicio asserti, graditur totus discursus præfati Authoris. Verumtamen, quia magis liberam à grauamine sacrilegij circumstantiæ, volumus doctrinam, quæ & ipsi Authori & rationi conformis euadat, atque communi sensui, qui alienus est ab hac duplicatione culpæ, & in securitatem scrupulosorum & timo-

XXI.  
*Responsio  
prima.*

Igitur primo responderi potest: Huiusmodi præcepta, quæ alias iure, aliquo diuino, vel humano talia sunt, & ex se culpabiliter obligant, non poni, in Regula, in vi præcepti illius, quasi iterum præcipiendo; sed solum per simplicem propositionem obligationis iam præexistentis, monendo aut memorando. Vnde cum votum obedientiæ non feratur in præceptum cuiuscumque, sed illius tantum, cui vouens Religionem, se per votum obedientiæ subdit, & illud explicatum modo dicto, non sit præceptum Regulæ vel Prælati; nihil ex voto additur, ex eius transgressione. In quo conuenire debet ipse Suarez adductus, *sup. num. 2.* propter rationem quam ibi ex eodem protuli: & quia etiam dicto *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 11. numer. 3.* ait: *Religiosum non vouere obedientiam secundum præcepta Ecclesiæ, nec vouet obedientiam alias necessariam, sed voluntariè superadditam, quod solum ad perfectionem necessarium erat, &c.* Idque ex D. Thoma fulcit, quadratque communi intelligentiæ professionis Religiosæ. Imo & eo pacto, cessat repetitio præcepti, ex parte Regulæ, quoad omnia quæ vt cumque iam præsupponuntur constituta in ratione præcepti, siue grauiter, siue leuiter obligantis; vt in hoc modo dicendi satis quoad hoc solido, nec sacrilegij culpam contrahatur, nec ex multiplicatione præceptorum, prout ex Regula, argui possit multiplicatio, aut augmentum culpæ, cum Regula, in hac sententia, præceptionem non iteret, sed eam simplici propositione exhibeat, & aliundè præsupponat.

Verumtamen licet hinc videatur diluta argumentatio, sed mihi (vt oportet) non vndequaquæ. Nam primò eneruat doctrinam, de multiplicatione præceptorum composibili, si-

XXII.  
*Haud plenè  
placet.*

ne multiplicatione culpæ; quæ superuacanea est, si Regula non posset iteratò præcipere, quod iam præceptum est, sicut monere & exhortare: & ita debet currere, ac si de facto aliquod iam præceptū rursus præciperet. Deinde quia in alijs præceptis proprijs Regulæ, remanet inseparabile sacrilegium voti, in omni transgressione, quod esset valde durum & onerosum conscientijs. Ac tandem paratur præiudicium doctrinæ traditæ sup. num. 12. quæ negari non potest.

XXIII.  
Altera res-  
ponso.

Quare altera viâ vniuersaliori, quæ ad omnia extendatur, procedendo dicimus. Quamuis materia voti obedientiæ non sit nisi præceptum Regulæ, tamen præceptum Regulæ non cadit sub voto, aut votum non cadit in præcepta vllò modo, nisi in illis, in quibus ratio voti formaliter applicatur, & exigitur expresse, per verba ad id explicandū apta, & in tali sensu recepta. Quod quidem in tota nostra REGVLA non inuenitur; bene autem in Constitutionibus seu diffinitionibus, cuiuslibet Cōgregationis, in quibus aliquandò solet imponi, illis visitatis & receptis verbis, in virtute sanctæ obedientiæ, &c. Quo secluso, censeo non duplicari culpas & malitias transgressionis REGVLE, vt vna sit contra iustitiam, in ratione præcepti, à Superiori iurisdictionis potestate impositi, cui Religiosus per professionem, tamquam per conditionem necessariam ad hoc, subditur; alia sit contra Religionis virtutem, in ratione voti. Nam sicut hæc non committitur, in mandatis verbalibus Abbatis, seu Prælati, nisi quandò ipse exprimit, prædictis aut similibus verbis, exactionem voti, & virtutis obedientiæ illius; ita neque in mandatis scriptis, talem obligationem non imponētibus, eâ formâ.

XXIII.  
Probatur.  
I.

Ad quod moueor: Primò authoritate eorum, quos sup. num. 2. adduxi & adducam infra Artic. 8. num. 11. qui eâ duplicatam malitiam non agnoscunt, nisi in casu dicto, iuxta id quod obseruauit, num. 12. & ita desumitur ex Pa-

ludano in 4. dist. 38. quæst. 3. artic. 4. & supplemento Gabrielis, quæst. 1. art. 3. tribuique D. Thomæ, fatetur Suarez, tom. 3. de Religione, lib. 10. cap. 7. num. 3.

Secundò: Quia talis est omnium religiosorum sensus, qui nullatenus se reos voti, aut sacrilegii labe maculari censent, solius Regulæ transgressione vt sic: votum autem non operatur vltra communem sensum & intentionem vouentium. Et sicut (quod iam tetigi) quando Prælati præcipit aliquid, si non exprimit, in virtute sanctæ obedientiæ, non intelligitur interponere votum, sed superioritatem iurisdictionis, quam alias obtinet in subditosita præcepta scripta REGVLE, à hac tantum iurisdictione intelliguntur profecta, & ex vi illius obligare taliter vel taliter: Sicut obligant præcepta, v. g. Episcopi, subditos suos, etiam per debitam obedientiam Superiori, non ratione voti, quam illi non vouent; sed ratione superioritatis, & iurisdictionis, habentis vim obligantem ad parendum, ex lege Dei.

XXV.  
Probatur.  
II.

Tertiò: Quia verba legis semper ad minorem obligationem sunt trahenda, vbi aliud non expresse cogit, vt aduertit Diana, 3. par. tract. 6. Miscel. resolut. 74. ex l. si præses, ff. de Pœnis, & cum Sairo, in clauis Regiæ, lib. 3. cap. 7. num. 29. Atque sic argumentabamur, sup. num. 2. quod, in terminis, ad præsens applicari potest. Nam licet, ex hoc, eximatur transgressio à sacrilegio, non tamen eximitur à culpa alia, quâ satis est constitutum, in suo esse, præceptum. Quod licet materia sit obedientiæ; sed obedientia, alia est generalis, respectu omnis legitimi Superioris, ratione iurisdictionis, cuius materia proxima, & actualis est præceptum, eo ipso quod imponitur, & intimatur à Superiore: alia est Obedientia peculiaris & votiua, ratione potestatis Dominatiuæ, competens ei, qui potest exigere votum obedientiæ; & respectu

XXVI.  
Probatur.  
III.

huius

huius, præceptum est materia, quasi potentialis, quia indiget applicatione actuali. Hæc autem applicatio non fit, per professionem vt sic, & maximè nostram (vt dicam infr. *Art. 7. num. 14.*) quæ expressè fit, non vouendo Regulam, sed obedientiam secundum Regulam. Adquam fit applicatio voti, quando per verba supradicta, aut æquiualentia, intelligitur exactio illius specialis obligationis votiua.

XXVII. *Probat*  
III. *ad hominem.*

Quartò, principaliter suadetur ex ipso Authore P. Suarez, cuius causa hæc dicta sunt, & cuius sententia reducenda est necessariò ad hos terminos, iuxta ipsum. Qui etiam sensum trahens, ex *tom. 3. de Relig. lib. 10. se explicans, contra Henricum, censentem Regulam religiosam obligare, ex genere suo, ad mortale, ait: tom. 4. lib. 1. cap. 2. num. 7. distinctè & fundamentaliter sic: Aduertendum est votum obedientiæ, non obligare immediatè ad seruandam Regulam, nisi Regula ipsa, verbis satis expressis exigat voti obligationem. Et rursus ait: Votum non obligare ad seruandam regulam, sed ad obediendum secundum Regulam; & ideò propria Regula obligatio vt sic, non ex voto obedientiæ, sed ex propria ratione legis & principij eius colligenda est. Et similiter alias *cap. 3.* iuxta quæ, clarè ipse intelligendus venit: In quibus à nostra supra insinuata sententia & doctrina, & modo in ea explicato, non discedit:*

XXVIII. *Extenditur doctrina ad leuia.*

Eo tamen stabilito circa præcepta grauiora; consequenter non acquiesco ipsi Suarez, dum defendit, in quolibet præcepto Regulæ leui, & solum obligante ad veniale, adiungi ex voto sacrilegium leue, etiam si non exprimantur illa verba, in *virtute Spiritus Sancti*, aut *Sanctæ obedientiæ*, quibus dictum est, significari formalem exactioem voti. Et ratio eius est: Quia ea verba solum exhibentur, ad significandum Prælatû velle præcipere, obligando ad mortale, & ita extra illa verba stare obligationem ex voto, in leui præcepto, vt nullo alio requisito, addat ad venialem

sui culpam, sacrilegium leue, votiua circumstantia. Ego autem (pace ipsius) vtrumque parificandum censeo: vt sicut in præcepto graui, & ad peccatum mortale obligante, si quod esset ex REGULA, sacrilegij circumstantia non adiungitur, nisi voti ratio & virtus, per apta verba, adijci intelligatur: ita neque in præcepto leui, seclusis eisdem verbis aut formâ.

Id autem mihi persuadeo. I. Ex paritate rationis, quam inuenio esse prorsus eandem. II. Quia sacrilegij circumstantia, non communicatur præceptis Regulæ, aut Prælati, nisi per adiectionem *satis expressam* obligationis voti, vt ipse Suarez fatetur *sup. num. 27.* ergò vbi non adijcitur, nihil operabitur, quia non entis, neque operationes esse possunt. Et ita, secluso voto obedientiæ non immediatè cadente, absque dicta applicatione, supra Regulam; ipsa ex se solum manet in vi legis, à superioritate iurisdictionis dimanantis, quæ in conscientia, sicut aliæ leges obligant subditos, qui tales facti sunt, eo ipso, quod per professionem, siue tanquam per conditionem sine qua non, siue tanquam per rationem constitutiua status religiosi, subijciuntur illi superioritati Ecclesiasticæ iurisdictionis, de qua dictum est *sup. Art. 4. à num. 9.*

Illud verò, de significatione mortalis culpæ, quam vult inducere Prælatû aut superior, per illa verba; *In virtute Sanctæ obedientiæ*, explicatione indiget. Non enim satis est velle, vtendo illis verbis, si alias applicantur ad rem leuem, & incapacem mortalis noxæ. Explicationem autem desumo, ex differentia inter præceptum, & votum. Nam in præcepto; quod obliget ad mortale, aut veniale, aut nihil culpæ, pendet à voluntate præcipientis, aut legislatoris: ita vt licet in materia paru & leui, propter eius intrinsecâ incapacitatem, non possit inducere grauem culpam; tamen in materia graui, quæ poterat non præcipi, possit, pro sua voluntate, obligare ad grauem, vel leuem vel nullam, iuxta sententiam DD. quæ

XXIX.

*Extensio probatur.*

XXX.

*Expenditur opposita ratio.*

sequutus sum sup. *Art. 4. num. 3.* At vero votum, ut potè Deo factum, cum interponitur, operatur independentè à voluntate hominis, semel applicantis illud, & ex natura sua, iuxta materię quantitatem, aut qualitatem, cui applicatur, suum inducit effectum. Et ita, dum adhibentur verba illa exigentia votum, est ut intelligatur, sub illo præcipere, & ita velle obligare, quantum absolutè potest ex voto. Nã quòd tunc velit Prælatus obligare sub mortali, si materia id non patitur propter paruitatem, inanis esset intentio proferentis ea verba: quæ in tali casu solum sacrilegij leuitatem operarentur

in transgressione; & si materia nulla sit, nihil operabitur, pariter ac si non applicaretur votum. Quod generaliter loquendo dixerim, de omni voto; nã licet in principio vouens, possit, pro sua voluntate & intentione, à qua in fieri dependet, moderari obligationem, sicut dictum est de lege, & est communis doctrina Thomæ Sancij, Suarez, & aliorum, in materia de voto: at votum semel absolutè factum, obligationem suam, integrè Deo adquisitam, retinet, respectu vouentis, sicut in principio, nullatenus postmodum voluntariè ab aliquo reuocabilem aut moderabilem.

*Quid de ijs, quæ ad secundam CLASSEM spectant, sit tenendum.*

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

### I. Assertio.



Loquendo iam de secunda CLASSE, ex assignatis sup. *Artic. 5.* Affirmo: omnia ea, quæ sunt in materia, *Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ*, secundum Regulam, contravenientia formaliter votis, per professionem Religiosi statum obligare, ut sic, ad peculiarem culpam mortalem ex suo genere, nisi ubi paruitas materiæ, defectus deliberationis, aut quid simile diminuat culpam, ad venialem, aut ad nullam. Estque culpa sacrilegij distincta à alia, ex quacumque lege procedente: siue ista quæ sub huiusmodi votis cadunt, aut vota ipsa exprimantur in REGVLA, aut in forma professionis, siue non. Neque vota professionis, sub REGVLA S. BENEDICTI, sunt plura quam tria explicata.

### II. Pars prima probat.

Hæc sigillatim percurrere & dilucidare oportet. Et quoad primum probatur. Nam status religiosus, quem sub approbata Regula, quis solemniter proficitur, essentialiter constat tribus illis votis: at per votum, in quacumque eorum etiam alias præcepta materia, nascitur obligatio, ex peculiari virtute Re-

ligionis, ad quam per votum transfertur actus: Ergo inde etiam procedit, noua culpa, secundum quam sic voto adstrictus peccans, v.g. contra sextum præceptum, non solum mœchus, aut inhonestus est, sed etiam sacrilegus. Quod verò culpa, quæ ex genere suo mortalis est, ut pote transgressio voti Deo facti, possit, aut ex paruitate materiæ; aut ex alijs capitibus, vnde in ceteris præceptis, ex genere suo grauius obligantibus, excusatur mortale, esse leuis & venialis, à paritate rationis, ubi ea locum habet, constat. Quæ omnia nota sunt, & in materia, de voto, communiter ab omnibus admissa, atque in re Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 6.* Thomas Sancius, *in summ.* & *tom. de statu Relig.* & plerique alij, nec enim paginas onero authoribus, sine necessitate.

In eo tamen aduerto: Quòd licet exemplum sacrilegæ transgressionis, adduxerim, in materia Castitatis, seu luxuriæ; abstineo nihilominus à quaestione, an in rebus venereis detur peccatum leue, ex paruitate materiæ. Cuius decisio quacumque sit, nihil de-

### III. Aduertenda quædam.

rogat

rogat nostræ resolutioni generali, quæ procedit ex hypotefi; nam in paupertatis & obedientiæ voto dari, certū est. Aduerto etiam in Obedientia, materiā propriam eius, vt sub voto proximè & immediate cadat, eo modo applicandam, & intelligendam esse, quo satis multis dictum est, *Art. præced. à num. 23.* Ad quod verò, vel ad quæ, se extendat Obedientia voti, quæ certis Regularibus limitibus coercenda est; indifcursu REGVLÆ, sepius nobis occurret, & præsertim insinuo, ad *cap. 68. Si fratribus impossibilia iniungantur, & ad, capit. 73. num. 6.*

III.  
Professio nostra expressa est.

Illud verò, quod in assertione additur, *Sive exprimat in Regula, aut professione, sive non, &c.* ideo dixi quia nostra Benedictina professio, taliter emittitur, vt solum Obedientia, expresse nominetur, & si quis aduertat, in tota REGVLÆ, nullum est capitulum, in quo de Castitate expresse præcipiatur, vt infr. *Ad cap. 73. noto.* Hæc tamen nõ obstant, quominus plenè integre & solemniter, censeantur emissa omnia tria vota. Sic: *votum obedientiæ continet sub se alia vota,* dixit D. Thomas, 2. 2. *quæst. 186. art. 8:* Non solum quatenus materia castitatis seu paupertatis potest cadere sub obedientia; sed quatenus distincta vota sunt, Religiosæ obedientiæ coniuncta. Sic: eadem formâ profitentur Carthusienses, alijque. Atque similè aduerto in professione Eremitarum, quos instituit B. Petrus Damianus, vt constat ex eius epist. *ad Abbatem Clafensem, & opusc. 15. cap. 7.* Et licet ad saluandam vim & obligationem votorum, sufficiat tacite & virtualiter ea promitti in professione; cum taciti, & expressi idem sit iudicium, vt iura confirmant; idque cum omnibus admittat Episcopus Vrgell. *ad cap. 58. Reg. num. 23.* dicens: hinc posse compelli, vt sic profitens, expresse emittat vota ommissa: ego nihilominus non ceseo merè tacitam, hanc votorum promissionem, sed potius expressam, & nõ indigentem ea compulsione, ad exprimenda vota; sed reluctantem, aut præ-

uaricantem in quolibet trium, tãquam de expressa professione posse conuinci & redargui.

Hoc autem sic probo: Quia hæc nõ est tacita professio, per delationem habitus; aut per mutam aliam ceremoniam, ad professos pertinentem, prout de professione tacita, disputari solet; sed est expressa & verbalis prolatio, profitentis religiosum statū. Hoc enim agit, qui sub approbata REGVLÆ S. Benedicti; scienter eo modo profitetur. At religiosus status essentialiter includit in conceptu suo tria vota: ergò promittendo expresse obedientiam & conuersionem sub tali Regula, qui est religiosus status, expresse etiam profitetur vota, quibus constat. Ita qui concipit hominè, in conceptu, animal rationale includit. Ita qui præbiteratum vouet, præ inclusos ibi ordines pariter inuoluit. Ita & alia quæ ad idem redeunt: in quo pene de nomine solum disidiū esse potest. Nam ex communi more modoque intelligendi nostræ Benedictinæ Religionis, eo sensu tanquàm expresse accipiuntur verba. Ac denique, ita inuenio defendi, talem professionem fatis expressam haberi, omnino ad rē, pro mea sententia, apud Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 2. num. 13.*

V.  
Probatio ex professione.

Alteram adiectam assertionem: Quod in Regulæ nostræ professione, nullum aliud votum, præter tria explicata, contineatur: est ad explicanda ea verba in quibus profitendo dicimus, promittere, *Stabilitatem & conuersionem morū,* nequis suspicetur, hinc aliquid distinctum, ab eisdem tribus votis voueri. Nam *stabilitas,* solum dicit perseuerantem & firmam in monachatu vitam, significando non ad tempus, sed perpetuum stabilire statum, cuius & propria necessariaque conditio est: & in perpetuitate cuiusque voti, iuxta propriam materiam inclusa. Quod siquid peculiariter exprimitur, solum erit, quod ex pluribus Conciliorum testimonijs adductis à Petro Crespetio, in *summ. Cathol. fidei,* verbo, *Monachus,* constat (sicut & de Clericis, respectu suæ cuius-

VI.  
Alteram partem asserti.

Quid per stabilitatem intelligatur.

que

que Ecclesię, olim sæpius interdici Monachis, né de vno ad aliud monasterium, nisi sub obedientia, & licentiã sui superioris, migrent; aut ne quando assumptum propositum deserãt. Quod nec excedit limites, quos obedientia præscribit: nec potest non formaliter non transilire eos, qui religionis defertor, ipsum obediẽtiã retinaculum abrumpt: vt sentit Antoninus Flor. 3. par. summ. tit. 16. §. 7. vbi ait: *Dé stabilitate intelligitur vouere, ita quod non apostatet á religione.* Atque talis rebellio á iugo obedientiã, non est ex illis præceptis Regulã, secundum quã promittitur obedientia, quã opus habeat applicatione, (de qua sup. art. 6. à num. 23.) vt incuratur: sed est ipsa substantia, immediatè promissa per votum, quod eo ipso, nullo alio requisito, sacrilegè violatur, dum ab ipsa fidei promissione disceditur formalissimè. Veruntamen transgressio, non transit ad aliud votum distinctum, nec inde numerus eorum augetur.

VII.  
Exemplis  
ostenditur.

In hoc igitur applicato sensu obedientiali, Card. B. Petrus Dam. vbi sup. ad professionem Obedientiã, adiungit: *Et perseverantiam omnibus diebus vitæ meæ in hac eremo, &c.* Vt tantumdem sit, quod stabilitas, in subiectione obedientiã sui status. Et in eodem accipiẽda sunt verba formæ professionis, quã Theodemarius, Abbas Casinensis, adducit, in epist. ad Carolum Regem Franciã, anno 774. secundum Iacobũ Breul, aut anno 787. secundum Baronium, vt eã vterentur BENEDICTINI, in illius regno: & vocat eam, *Textum promissionis* in quo proficens ait: *In nomine Domini promitto me ego, N. in sacro monasterio N. secundum instituta S. Benedicti, coram Deo & sanctis eius Angelis, Præfente etiam Abbate nostro, N. omnibus diebus meis, in hoc monasterio á modo & deinceps perseveraturum, & in omni obedientia, quodcumque mihi fuerit iniunctum obediturum, &c.*

VIII.  
Ad quos per  
tingat obe-  
dientia pro-  
fessionis.

Et sanè textus REGVLÆ, ad huc formalius hodie retinetur, ipsius verbis, cap. 58. adiecto nomine Monasterij, in-

quo quis profitetur; & nomine Abbatis illius, qui per se vel per alium, munus acceptantis gerit, vt mutui contractus solemnitas perficiatur, cum ea Religione, quam profitetur, & ad cuius Superiores, transit votum, etiam si nullus nominetur, vsque ad Papam, qui præter iurisdictionem Ecclesiasticã quã toti Ecclesiã præest, habet etiam potestatem *Dominatiuam*, ex vi voti, & professionis Regularium, tanquam supremus Prælatus religiosi status, vt sic, & in quantum talis, vt latius tradidit Suarez, tom. 3. de Religione lib. 6. cap. 15. Sancius, lib. 6. summ. cap. 6. numer. 2. quos & alijs locis citatis, adduco infra, Art. II. num. 8. Ascanius Tamburinius, tom. 1. de iure Abbat, disp. 3. quæf. 3. & tom. 2. disp. 21. quæf. 10. Faustus, in Thesauro Relig. lib. 6. quæf. 86. & 190. cum ab eis citatis & alij. Quæ tamen obedientia professionis, quo pacto, ab immediato Prælato locali seu Abbate, cui aut (quod idem est) in cuius præsentia fit, & quã graduatione & tenore tráseat ad alios Superiores, & Capitula Religionis, ex varijs priuilegijs Apostolicis, aut Cõstitutionibus Ordinis, aut consuetudinibus, & alijs, quæ, in hac re, ius statuere possunt, diuersitatem habere potest. Quod eisdem relinquo Religionibus, pró suo cuiusque modo, pariter & meæ, vbi etiam quidpiam de hoc in particulari determinare, rationaliter religiosus hinc abstineo, aliás ratione, quæ hinc petenda erat opportunius exposita in *interpellatione*, pro meo nuper edito *Tractatu Monastico*, circa punctum ipsi OBSERVANTIÆ, singulariter proprium, cui satis factum credo.

Nunc circa professionem REGVLÆ, in qua versamur, in eius forma, ultra stabilitatẽ explicatã supra, illa *conuersio morum*, quæ adiungitur, denotat conformitatem, ad normam Regulę, eam in tribus votis exercendam, circumscribendo vtroque modo, *stabilitatis*, & *cõuersionis*, perpetuum & irreuocabilem monachus statum, qui substantialiter in triplici voto cõtinetur, nec aliud speciale

IX.  
Rursus de  
stabilitate  
& conuer-  
sione.

speciale in ratione voti adiungens. Docet autem idem Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 12. num. 16. & tom. 4. lib. 1. cap. 4. num. 5. Potestque reddi ratio communis & efficax. Quia nemo, dum profitetur, agnoscit quantum vorum, quo se existimet adstringi, neque a Prælati religionis, vnquam exigitur, vel punitur in professis; ergo manifestum est solum tria vota voueri. Atque ita nos docuere Maiores, vota nostra, neque Deo neque homini esse præter tria Religionis essentialia. Et sicut hæc, omnes sub verbis professionis, in relata, & visitata formula, agnoscūt: ita aliud, quod illorum materiam & obiectum excedat, ignorant. Quare sicut, extra omnium mentem & communem cognitionem est, ita extra voluntatem vouendi, quæ in incognitum non fertur, reputari debet.

X. *Probatio ex B. Bernard.* Accedit autem & confirmatio præcedentium, ex B. P. N. BERNARDO, quantum ad *stabilitatem*, de qua agit, lib. de præcepto & dispensatione, à cap. 20. Nam ibi, præmissis quibusdam casibus, in quibus liceat, vel propter dispendum propriæ professionis, vel propter maiorem perfectionem illius, certo modo (de quo aliàs) mutare locū, de cætero ait: cap. 25. *Nulla licet occasione monacho, locum cui professus est, citra suam mortem deserere, suo dumtaxat arbitrio.* Hoc est, sine arbitrio & voluntate prælati, cui per obedientiam est adstrictus monachus. Et ita addit: *Nec deserere locum valet, ne frangat votum* (nempe obedientiæ,) a prælati subiectione, & promissa obedientia formaliter se subtrahendo. Vnde hinc professio, trium votorum numerum nō excedit.

XI. *Procedit Uterius.* Quantum verò ad *conuersionem morum*, quod amplius non inuoluatur, ostendit ibidē, cap. 20. dum ait: *Qui se Deo periurum putat, quod ad punctum, Regulam non obseruat, videtur mihi nō satis attendere quod iurauit. Nemo quippe cum profitetur, spondet Regulam, sed determinare secundum Regulam sui quisque conuersionem, (id est, transitum, de*

seculari statu, ad religiosum,) suamque deinceps conuersionem se pollicetur dirigere, hæc communis professio est. &c. Quod totum non aliud est, quam modum obediendi & conuersandi, secundum Regularem terminum præscribere. Quamuis Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 7. re discussa teneat, nihil diuersum operari huiusmodi differentias profitendi, promittendo *Regulam*, aut *secundum Regulam*, siuè conuersionē morum dicas, siuè tantum obedientiā, nullo alio eorum addito; quia ad eodem terminos, quantum ad vota reducuntur; neque illos excedit votiua promissio monachalis.

Super est tamen difficultas, ex verbis ipsius professionis, in qua post promissionem stabilitatis, & conuersionis morum & obedientiæ, additur; *Coram Deo & sanctis eius, &c.* in quibus videtur induci forma iuramenti. Et confirmatur ex supra adducto testimonio B. Bernardi, ibi: *Qui se periurum putat, & rursus, ibi: attendere quod iurauit.* Ergo præter tria vota, quæ, vt vota sunt, includuntur in statu religioso, aliquid aliud addit dicta professio, si non votum saltem iuramentum; cuius fortè non est minor obligatio & vinculum, aut si minor respectu promissionis votiui cui adiungitur; tamen reputatur diuersa, & quando concurrat vtraque, necessario in confessione aperienda, tamquam circumstantia diuersæ speciei, licet ad eandem virtutem religionis pertinens, sub diuersa tamen ratione: vt traddunt authores, Suarez, tom. 2. de Relig. lib. 2. de iuramento, cap. 2. nume. 4. quem sequitur Filiucius, & tenent alij.

Nihilominus, relicta disputatione de iuramento promissorio, aut de voto iurato: Respondeo, in professione religiosa, illa duo non interuenire, sed solum vota requisita, cum traditione solemnni, ad religiosum statum, seclusa alia morali circumstantia iuramenti. Hic est sensus communis omnium profitentium, & confitentium, qui vel sola manifesta cognitione religiosi status, vel

XII. *Obiectio de iuramento.*

XIII. *Resoluitur.*

vel expreffo voti vinculo, fe accufant, liquid contra gesserunt. Sic loco citato p̄fatus Suarez, in rei exemplum, adducit, dicens: *Clerici in facris vouent caſtita-tem, & non iurant, & religioſi proficendo vouent tria vota, ſine vlllo iuramento.* Conſuetata autem obligatio, ſecundum communem intelligentiam talis Religionis, inducitur, & non maior, etiam vbi error, aut deceptio proficentis interueniret, vt benè notauit Fauſtus Ciſterc. in *Theſau. Relig. lib. 6. queſt. 109.* Nec eſt vllus author, qui hãc circũſtantiam adiungat votis, eius ve meminerit.

XIII.  
Respondetur  
obiectioni.

Ad obiectionem dico: Quantum ad verba, ea non inducere vim & formam iuramenti, niſi ſpecialiter ea intentione prolata; nam poſſunt enuntiativè tantum proferri, ad conciliandam reuerentiam & credulitatem in tali reuerentia fundatam, vt loquendo de formulis iuramentorum, tenet predictus Suarez, *tom. 2. de Relig. lib. 2. de iuram. cap. 13. num. 8.* & in terminis profeſſionis religioſæ, *tom. 4. tract. 10. lib. 6. cap. 5. num. 1. & 2.* agendo de profeſſione ſuæ Religionis, quæ pariter ſimilibus verbis fit: *Omnipotenti Deo, corã Virgine Matre, & vniuerſa cœleſti curia &c.* vbi ait, non eſſe verba de ſubſtantia profeſſionis, ſed ad ornatum, vel maiorem decentiam ac deuotionem. Vnde *tom. 3. lib. 6. cap. 2.* adducens formam profeſſionis Carthuſienſium, quæ deſumpta eſt ex noſtra Benedictina, & eiſdem verbis perficitur, nihil diuerſum hauſit, vel notauit, quod iuramentum ſit. Sicque in formula illa adducta *ſup. num. 7.* poſtquam dixit. *Coram Deo, & ſanctis eius Angelis,* addit, *preſente etiam Abbate noſtro,* vt eodem modo intelligatur illud *Coram,* ſicut illud *preſente,* quæ, reverã, non diſcrepant in communi ſenſu & phraſi. Et ſicut *preſente Abbate* vt ſic, iuramentum non inducit, ita, *preſentibus Deo, & Angelis,* idem ſit, ibidem, pari ſenſu.

XV.  
Et verbis D.  
Bern.

Ad verba B. BERNARDI reſpondetur: Aliquando iurare ſumi ſecul-

fa vi iuramenti, pro firma adheſione, aut determinatione. Sic, *iurare in verba magiſtri:* Horatiana phraſis eſt *Epod. 15.* Sed ſacratius, *Pſalmo. 118. iuravi & ſtatuſtati custodire iudicia iuſtitie tue.* Vbi Genebrardus ait, illud, &, expoſitiuè ſumi; *nam iurare hic nihil aliud eſt, quã firmiter decernere, ſtatuerè, & promittere.* Quod per ſe habet votum, & promiſſio Deo facta (quod idem eſt:) imo & maiori vinculo, quã ſit adiectio iuramenti, vt notauit Caietanus, ad illud *Pſal. 132. ſicut iuravit Domino, votum vouit Deo Iacob:* dicens: *vinculo iuramenti addidit vinculum voti, vt pote maius,* quod & alij ſimiliter tenent. Et ita perfecto voto antecedenter in profeſſione, ſecluſis illis verbis, *coram Deo & ſanctis, &c.* non erat opus curare de alio vinculo minori addendo. Tamen propter ſimilitudinem, & cognationem vtriuſque, vti potuit D. Bernardus alterutro, vbi non de diſtinctione formalitatum agebatur, ſed de repræſentatione obligationis, & tranſgreſſionis modo. Atque ſic, velut ſub v. g. ſumenda eſt loquutio; nam ſtatim accedens ad ipſam profeſſionem, à verbo *iurandi,* abſtinuit, vtens proprijs illius nominibus, *ſpondet, pollicetur,* & vt ſupra *num. 10.* ex eodem adduxi, *ſponſio profeſſionis,* & ſic ſæpius verbis, quæ ad vota, quibus conſtat profeſſio, inſolidum pertinent. Idemque S. P. Bernardus, in caſu, vtitur illis verbis *Pſalm. 118. ſupra adductis,* vtique in eius ſenſu. Quem locum ex *epiſt. 7. exhibeo,* in huius Operis *Lacinia ſegm. 26. num. 6.* vbi plura ad rem præſentem adhuc habes.

Cogor tamen hic, non differre Ioannis Caramualis dictum, qui in *Comentario ad Regulam num. 527.* ait, *in auditum eſt in ordine Benedictino, monachos teneri quatuor votis,* in quo pro nobis eſt, & optime. Sed *num. 126.* iam dixerat aliud, pariter inauditum, & quod in audiendum etiam deberet eſſe: ſcilicet, quod, *ſtabilitatis promiſſio, habet vim iuramenti, quia eſt facta homini, ſed corã Deo.* In quo deſtruit incautus prius dictum, vtique verum. Nam ſi *ſtabilitas* diuer-

Iurare im-  
proprie ali-  
quando.

XVI.  
Reuincitur  
I. Caram.

diuerſa eſſet, à tribus votis, ſicut obedientiam promitti homini, cuius voluntati parendum eſt in obſequium Dei, non tollit ab obedientia illa, propriam rationem voti; ita neque in ſtabilitate: quare hinc efficeretur quartū votum. Eſſet autem iuratum, ſi illud, *coram Deo, &c.* haberet eam vim; quā

non erat maior ratio cōmunicari ſtabilitati, quam alijs ſimul, ibi, & eadem modo, promiſſis. Nempè imaginaria hæc videntur inuenta, & quæ veluti vana prætereundo, imaginem eorum ad nihilum redigas, Proſequor verò ipſius impugnationem amplius citata *LACINIÆ, & ſegm. 26. à num. 4.*

*Circa ea, quæ in tertia CLASSE continentur, diſcuſſio & determinatio.*

## ARTICVLVS OCTAVVS.

I.  
Aſſertio &  
probatio generalis.



**I**AM de contentis in tertia CLASSE, affirmo: Solū obligare ad veniale, ea quæ ſolius REGVLÆ, vt ſic, præcepta ſunt, nec pertinent ad materiam trium votorum; nec aliunde ex lege aliqua diuina vel humana, præſupponuntur culpam habere. Dummodo in eis abſit contemptus formalis, vel poſt REGVLAM, illis non adiungatur aliqua maior obligatio, aut ex nouo præcepto, aut ex conſuetudine grauiter obligantibus. In quo aſſerto conueniunt omnes qui Regulam S. BENEDICTI tantum obligare ad veniale, vniſormiter & generaliter loquendo conſpirant. Nam excluſis quæ in eo excipiuntur, ſolū reſtant præcepta, ex iuſſione REGVLÆ procedentia, ſed eam obligare ad culpam, ſeu in conſcientia, more omnium legum, à legitima ſuperioritate latarum, probauimus *ſup. tot. Art. 4.* ergò ſaltē de veniali verificandū eſt, nec amplius extendi. Quod ſtatim, ratione & authoritate probabo; dum interim exceptiones Concluſionis declarem.

II.  
Exceptio cō-  
temptus formalis.

Excepti in primis tranſgreſſionem REGVLÆ, ex contemptu: Nam ſic etiam in re minima, & ſolum leuiter obligante, lethalem eſſe culpam ex communi conſenſu Authorum, & teſtimonijs mutuatis à D. BERNARDO, reſoluit Suarez, *tom. de legib. lib. 3. cap. 28.* Dixi tamen contemptum debere eſſe *formalem*, & proprium, ſcilicet de Legislatore, aut legitimo mandante Superiore, vt talis eſt, reduplicatiuè. Quod breui-

ter & benè, notauit Mag. Lorca cum Caiet. 1. 2. de leg. diſp. 22. ſcilicet, *vt ſpernatur lex, vt lex eſt, & authoritas quā fertur.* Nam ſi contemptus, non abſolutè circa Regulam, aut Superioritatem eius, ſeu prælati in quantum Superioris præcipientis, verſetur: Sed ſolū quatenus, vel inſcicia Prælati, vel eius infima fors & conditio, minus æſtimatur; aut in quantū, res quæ præcipitur, leuis eſt, & minima; de cætero benè affectus, & vndequaque ſubiectiōem, vt Legislatore, aut præcipienti, debitā æſtimatione retinens: reputatur contemptus ſecundum quid, & improprie ad rem, vt tranſgreſſionem lethalem faciat. Et ita huiuſmodi contemptum, leuem tantum, & venialem reputat Thomas Sancius, *lib. 1. ſumm. cap. 5. num. 11. & 13.* cum alijs ab ipſo citatis, & poſt eum Diana, *3. par. tract. 6. miſc. Reſol. 72.* quibus aſſentior, cum ſupra citato noſtro Lorca. Quā doctrina ex Cabrera & Soto & alijs vtitur etiam nouus Author P. Leander, *de Sacram. 1. par. tract. 5. de Pœnit. diſp. 2. q. 13. & diſp. 8. q. 9. §. 7.*

Neque ad formalem contemptum, redducenda eſt conſuetudo tranſgrediendi huiuſmodi præcepta Regulæ nam vt ſic præciſſe, talis conſuetudo, non eſt contemptus; vt cum D. Tho. & alijs, tuetur Suarez vbi *ſup. nu. 8.* & pluribus citatis Bonacina, *to. 2. diſp. 2. q. 3. pun. 5. num. 6. & 14.* Imò nec propoſitum non ſeruandi Regulam, niſi in ijs, quæ ad grauem culpam obligant reputatur, vt ſic, contemptus efficiens

III.  
Conſuetudo non eſt contemptus.

*Quid de pro-  
posito nō ser-  
uandi, &c.*

mortalem transgressionem, cum ipsum propositum nō sit, vnde de lethali culpa damnetur: vt latē defendit idē Suarez, *to. 4. de Relig. lib. 1. c. 4. a. n. 5.* Quod tamen licet, metaphisicē loquēdo, verū sit: tamen in praxi egrē videtur posse à lethali culpa liberari, ad eò desidiofa & irregularis Monachi vita, vel propter scādālū Cōmunitatis, vel propter periculū deficiendi in maiorib⁹, vt Religiosē opinatur Tāburin. *de iure Abb. to. 3. disp. 3. q. 6. n. 7.* etiā si formalitatem contēptus effugiat. De quibus alias redibit sermo, *ad cap. 3. c. 58. REGVLÆ.*

IV.  
*Exceptio al-  
tera adiecta  
obligationis.*

Excepti etiam in asserto: si quādo ad obseruantias solūm à REGVLÆ statutas, superueniat aliquod præceptum Superioris graue, consentiente materiā. Nā sicut ante REGVLÆ conditam, fuere aliqua obligantia ex Ecclesiæ iurisdictione ad mortale, vt ieiunia Quadagesimæ & alia: ita post eam conditam, decursu tēporis, alia accessere, & accedere possent, quæ similiter obligabunt, vt notū est. Atq; cum eisdem cōnumera sunt ea, quæ sub formali Obedientiæ voto, præceperit Superior, Vtraque vero, eo ipso, extrahuntur à casu & genere prædictæ Assertionis, & reponētur quidē, priora in prima CLASSI, & posteriora in secunda. Item & ad primā pariter pertinebunt, ea quæ ex consuetudine, seclusa priore institutione Regulæ, aut etiā sub ea cōsuetudine, statuta, ad mortale habent obligationem. Ea enim etiam si solius Regulæ censeātur, tamen obligationem grauem habere ex se certum est, vt iā ad rem declaro.

V.  
*Exempla de  
consuetudi-  
ne.*

In quo, non adduco exemplū ieiunii Vigiliæ Paschæ Pentecostes, quia licet illud omninō obliget ad mortale, & solūm ex consuetudine, vt & alia quæ enumerat Bonacina, *tom. 2. disp. vlt. de Præcep. Eccl. q. 1. pun. 5. n. 3.* tamen illud non præcipitur à REGVLÆ, & nō ex illa præcisse est obligatio, nisi quatenus REGVLÆ præsupponit obligationem cuiusque Christiani, cuius obligationem Religiosus non fugit, nec excusare potest. Et propter eandem rationem, nō adduco exempla in alijs, quæ licet gra-

uiter obligēt (modo quo suo loco docebo) vt officium defunctorum, & B. Virginis MARIÆ; obligatio tamen est, sine interuentu præcepti Regulæ. Posset tamē esse exemplum Officij diuini Canonici, quod per REGVLÆ institutum est, & est obseruantia regularis; cui licet iam obligatio grauis accesserit, ex præcepto Ecclesiastico, quoad præbiteros, & cōstitutos in sacris ordinibus, vt authores communiter tradunt: tamen quoad Monachos nō cōstitutos in sacris, quod in principio fortē, ex REGVLÆ, non obligabat amplius quā alię obseruatię, ad veniale; iā saltē ex consuetudine, ad mortale obligare censetur. Quę adducta sunt, vt declarētur exceptiones Asserti, & suis locis expendenda & verificanda venient.

Nunc iā specialiter probatur assertū: Primō ex parte LEGISLATORIS. Quia REGVLÆ ipsius, inspecto principio & modo, nō colligitur maior rigor. Nam in proœmio promittit, *nihil asperū & graue cōstituturū*, scilicet, prout ab ipso cōditore Regulę dimanat. Ob quod D. Gregor. in *Cōfirmatione* vocat eam, *discretionē præcipuā*. Et S. Hildegardis ait: *Omnia quæ in hac Regula scripta sunt, nec nimis remissa, nec nimis constricta sunt*, & sic alij plures. Sed hæc omnia abessent à REGVLÆ, si in omni præcepto eius lethale ingereret culpam, quod rigidissimum est: ergo solūm de veniali obligatione disposuit. Confirmaturq; ex eo, quod parcissime vtatur illis verbis, in omni rigore grauius seu pressius obligantibus, *Præcipio, Iubeo, Mando, &c.* iuxta *Clem. 1. de verb. sign.* Imò & ab æquiualeantibus plurimū abstinit, vtens mitioribus, tamen nō extra præcepti rationem, prout iam dictum est, *Art. 6. a. n. 13.* Cōfirmatur rursum: Quia proprietas præcepti satis saluatur, in obligatione veniali, nec infert necessario mortalem, vt probatum est, *eod. art. a. num. 16.* Sed verba legis, semper ad minorem obligationem sunt trahenda, vbi aliud non cogit, vt vidimus ibidem, *num. 26.* ergo in his solūm venialis culpę obligatio est concedenda.

VI.  
*Probatio as-  
serti prima.*

*Confirm. 1.*

*Confirm. 2.*

VII. Prætereà ex eodem capite, probatur  
 Ex D. Ber- ab autoritate B. BERNARDI, cuius ver-  
 nardo 3. Cõ- ba in hanc sententiam, accipiunt duo  
 firm. Regulae huius professores Bartholo-  
 meus à Sancto Fausto, & Episcopus  
 Vrgell. alias citati: ait enim, *lib. de præ-  
 cep. & disp. cap. 2. in Regula S. Benedi-  
 cti: Instituta, non profitentibus, monita  
 tantum seu consilia censenda sunt, nec  
 grauant non obseruata, cum tamen profi-  
 tentibus in præcepta, præuaricantibus in  
 crimina fiant.* Quæ tamen ego, (meo  
 videri) clariùs expono, ex alijs verbis  
 ipsius, cap. 14. & 15. & alijs sæpè, ad-  
 mittentis diuersitatem præceptorum:  
 vt in aliquibus, transgressio leuis sit, di-  
 citque de talibus: *Nulla inobedientia  
 est lethaliter criminalis, nisi quæ contemp-  
 tum superbix nõ euitat.* Vnde in primo  
 illo loco, loquitur manifestè de tribus  
 votis, quæ non profitentibus, tantum  
 sunt in consilio; nobis verò per profes-  
 sionem taliter fiunt in præcepta, vt *cri-  
 men* sit, hoc est graue peccatum, ea  
 transgredi & præuaricari. In secundo  
 verò loco & alijs, intelligitur de cæte-  
 ris præceptis Regularibus, quæ dum ex-  
 tra vota sunt, solum habent obligatio-  
 nem ex lege aut Regulâ, secundum po-  
 testatè iurisdictionis Superioris præci-  
 piente, de quibus procedit Assertio, vt  
 solum, prout sic, sub leui culpa sint.

VIII.  
 Secunda  
 Probatio.

Probatur secundo. Ex parte Profitenti-  
 um: Quia subdi præceptis Regulæ, non  
 aliter fit, nisi media professione, ea que  
 non inquantum emittit vota, sed inquantum  
 tradidit profitentem, & emittentem illa  
 in subiectionem Religionis adigit: sed  
 hæc obligatio dependet, suo modo, ab  
 intentione vouentium & profitentium,  
 cum recta, & fudata existimatione; ergo  
 iuxta hæc erit obligatio. Tunc ultra: Sed  
 communis intelligentia & existimatio,  
 habita ex notitia & instructione Ma-  
 iorum est, vt omnes eo sensu & intetio-  
 ne, & non sub maiore obligatione, in-  
 telligant se profiteri, præter materiam  
 propriam & proprio modo designatam  
 votis: Ergo solum eo pacto erit obliga-  
 tio, prout ex Regula. Quæ probatio ni-  
 titur recepta doctrina de valore voti,

cuius obligatio, cõtra dictam intentionem  
 & voluntatem, non stat. De quo Lefius  
*de iust. & iure. lib. 2. c. 4. dub. 2.* Soto, li.  
 7. q. 1. ar. 2. Sãcius, lib. 4. sum. c. 2. à n. II.  
 Bonacina, tom. 2. circa. 2. præcep. de cal.  
 disp. 4. pun. 3. §. 2. & alij, & ad id D. BERN-  
 NARDVS, vbi sup. cap. 7. dicens: *Solum à  
 me exigi posse arbitror, quod promissi.*  
 Ergo ex hac intentione & sensu, lu-  
 mendundus est, etiam modus obliga-  
 tionis, cui se quis voluntariè submittit.

Tertiò probatur absolute abstrahendo  
 à prædictis: & etiã abstrahendo ab ea  
 quæstione de dependetia culpe venia-  
 lis, à voluntate Legislatoris, vel à leui-  
 tate aut grauitate materie (in quo meam  
 sententiam aperui, supra art. 4. n. 3. cum  
 seqq.) Quia REGVLA nunc (scilicet, hoc  
 tempore, de quo loquimur) non obli-  
 gat, nisi prout ex legitima consuetudi-  
 ne, receptum est obligare: sed non est re-  
 ceptum in his de quibus in assertione  
 loquimur, nisi modo ibi exposito: ergo  
 &c. Maior probatur ex M. Lorca, vbi  
 sup. disp. 19. memb. 1. de leg. & ex alijs in  
 materia Cõsuetudinis. Eius enim effe-  
 ctus est, cõdere leges; abrogare eas; inter-  
 pretari, dispensare; ita vt lex quæ aliàs  
 vniuersaliter obligabat cesseret respectu  
 eorum, quibus diuersa suffragatur cõsue-  
 tudo: & quæ aliter posset obligare, di-  
 uersimode obliget. Ergo quæcũq; fue-  
 rit in principio obligatio Regulæ, aut  
 etiam Legislatoris intentio, aut etiam  
 tunc profitentium: iam nunc vsu &  
 consuetudine interpretante, aut iuxta  
 receptam & præscriptam praxim, mo-  
 derante, secundum eam pensanda  
 est obligatio. Atque ita plurimis, vt as-  
 solet, citatis tenet similiter Sãcius, lib.  
 6. summ. cap. 4. num. 27. Salas, de legi-  
 bus, disp. 10. sect. 9. num. 68. &c.

Minor verò argumenti principalis,  
 constat ex cõmuni sensu, & modo senti-  
 tiendi, de hac obligatione. Sic, inter nos  
 Cistercienses, omnes qui hodie sunt su-  
 per, & ipsi qui à Maioribus acceperunt.  
 Sic, citatus Faustus; Fulliensis Congre-  
 gationis, lib. 6. Thesau. quæf. 121. ex  
 D. Bernardo. Episcopus Vrgell. Be-  
 nedictinus Vallis-Oletanæ, in Prolog.

IX.  
 Tertia Pro-  
 batio.]

X.  
 Eadem pro-  
 sequitur.

Reg. nu. 122. Ascanius Tambur. Vallis-  
Umbrosanus, citatus *sup. art. 6. nu. 17.*  
Card. Turre-cremata & ex eo Antonius  
Florēt. 3. p. *sum. tit. 16. §. 7. D. Tho.*  
Casinensibus Cisterciensibus que fami-  
liaris, apud illos in primæua ætatis edu-  
catione, apud hos in vltimæ consumma-  
tione, gnarus eorū cōmunis REGVLÆ.  
*Quodlib. 1. q. 9. art. 4. & 2. 2. q. 186. ar. 9.*  
& cū eo Siluest. verb. *Religio. 1. q. 10.* &  
sic alij, & nullus aliter. Sic, etiā ad ter-  
minos huius tertiæ probationis, red-  
duxit similē obligationē Regulæ Car-  
melitarum Fr. Thomas à Iesu, in illius  
Cōment. 2. par. dub. 7. alijs etiam citatis.  
Quæ argumentatio ex consuetudine  
inducta, non solum probat culpā trāf-  
gressionis, in prædictis, non esse mor-  
talem, sed esse determinatē venialem;  
& moralem obligationem habere.  
Quia sicut de negatione mortalis, ita  
de affirmatione venialis, obtinet argu-  
menti vis & efficacia.

XI.  
Obstaculi  
amotio.

Neque obstat: aliquandò authorē ali-  
quē (vt notabā *sup. Art. 6. n. 17.*) minus  
formalem aut clarū, timidè admittere  
nomē præcepti, sine graui obligatione,  
& vt significet obligationē leuem, vt  
aut potius abuti nomine *consilij*; cum  
propriè & in rigore loquendo, verè cū  
præcepto cōpatiatur leuis obligatio, &  
cū consilio verè fit nulla vt sic. Nā sen-  
sus, dum de obligatione in cōscientia  
loquuntur, est idem, iuxtā quem acci-  
pienda est sententia; cuius intentioni  
debēt deferuire verba, quantūuis inep-  
ta sint, in vsu eorum, *ex cap. intelligētia,*  
*de verb. sign.* Et ad rem suppetunt exē-  
pla. Sic enim, licet verbo *uouendi*, vtā-  
tur inepte Hispani, vulgo dicētes: *Voto*  
*à Dios*, idest, Voueo Deum: tamē in re,  
pro formula veri iuramenti accipitur,  
vt tenet Suarez, *to. 2. de Rel. lib. 1. de iur-*  
*ram. cap. 13. n. 3.* quia intentio proferen-  
tis, re vera, est iurare; quanuis abutatur  
verbo: Et in alijs exēplis idem habetur,  
apud Lessium, & Thomā Sancium, de  
quibus, *ad cap. 71. Reg. num. 19. & 20.* &  
sic apud alios, quos, in re aperta, nō est  
opus adhibere, sed reppellere abusum  
vocum, ne sensum perturbent.

Oppones tamen resolutioni princi-  
pali: Quia, qui professionem emittit,  
promittit Regulā, sed quæ cadunt sub  
votiuā promissione, obligant sub mor-  
tali, vt vidimus de secunda Classe *Art.*  
*7.* Ergo talia præcepta obligabunt sub  
mortali. Et confirmatur I. ex verbis  
REGVLÆ, *cap. 58.* vbi S. Benedictus, ap-  
positā professionis forma, adiungit id  
operari, *vt si aliquandò aliter fecerit, à*  
*Deo se damnandum sciat, quem irridet.*  
Damnatio autem, non nisi supra lethale  
noxam cadit. Confirmatur rursū:  
Quia REGVLA confirmata est à summo  
Pontifice, ex qua auctoritate, præcep-  
ta sumunt nouum robur; ergo saltem  
vbi materiæ pondus tulerit, grauem  
inducit culpam, dum aliud non declara-  
rat. Præterea, quia plures ex his REGV-  
LÆ Obseruantijs, insertæ sunt in cor-  
pore iuris; ergo maiorem inde graui-  
tatem accipiunt, quàm quæ ex Regula  
designatur, in assertionem.

XII.  
Obiectio.

Confirm. I.

II.

III.

XIII.  
Respondetur  
obiectioni.

Sed ad obiectionem respondetur,  
negando maiorem, sicut negauit B.  
BERNARDVS, *sup. art. 7. num. 14.* & expli-  
catum est, quomodo non vouetur Re-  
gula, sed Obedientia secundum Regu-  
lam. Quæ quidem cum immediate,  
sub voto, quod absolute Deo emittitur  
in professione, non cadat: negatur mi-  
nor & consequentia. Deinde (vt ali-  
quid ex occasione dicam) etiam si vo-  
tum adesset diuerso modo; certum  
est, votum aut iuramentum adiectum  
generaliter toti Regulæ, non trahere  
singula quæque, ad grauem obligatio-  
nem, nisi iuxta modum cuiuslibet præ-  
cepti, vel constitutionis: Ita fit cum  
quis leges Regni, vel statuta collegij,  
vel Vniuersitatis, aut similia generali-  
ter iurat seruare. Et non solum, qua-  
tenus in materia leui, nō est obligatio  
nisi leuis, quod etiā in particulari iu-  
retur, tam de iuramento promisorio,  
quàm de Voto, tenent Authores: sed  
etiam quatenus, iuxta præsuppositam  
in legibus aut Statuti materiam, iam  
ex se obligantem ad mortale, aut ve-  
niale, eadem mensurā tantum accedat  
eis ex iuramento graue, aut leue sacri-  
le-

De iuramentis  
generaliter  
statuta, &c

legium : prout cum alijs resoluit Thomas Sancius, *lib. 3. summ. cap. 14. de Iuramento, & de Voto, lib. 6. cap. 4. nu. 1.* & ita suo modo declaratur, pro Regula Minorū in iure, *Clem. exiui. de verb. sig. §. cū igitur.* Imo si, etiā sint aliqua non obligantia sub culpa vlla, nullā ex tali adiecto Iuramento, aut Voto, adquiri, tenet, cum eisdem, & post eum alij. Quod maximē admittendum videtur, quando sunt alia, ex se sub culpa, obligatoria, in quibus iuramentum habeat effectum, ne sit frustraneū & inane. Inueniturque omnis ea diuersitas grauis & leuis, & nullius culpæ, ferē in omni Regula, seu ordinatione cuiuslibet communitatis. Quæ abundantius dicta sunt: Nam ad obiectionem constat, ex expresso modo verborum, & ex sensu professionis circa REGVLAM, quod licet ipsa obliget ex se, vt lex Superioris in conscientia, modo dictos; tamen circumstantiam Voti non accedere, nisi votum actualiter interponatur, & expressè exigatur, vt *sup. artic. 6.* dictū est. Quo pacto, iam id, ad exceptionem factā pro secunda CLASSE, pertineret.

## XIV.

Ad I. Confirmation.

Ad primam confirmationem respondetur: ibi, aut loqui de recessu a professione, vota essentialia continente, prout est desertio Monachatus, cuius statum professio firmat; & talis est ipsa formalis fractio voti, vt diximus *Artic. 7. num. 6.* Aut loqui, de transgressionibus per contemptum formalem, vt innuunt illa verba: *Quem irridet.* Quæ omnia procedunt de exceptis, per ipsam Assertionem. Deinde vera declaratio illius loci, adducitur ab Antonino Florēt. *3. par. summ. tit. 16. §. 7. in arg. 2. vbi refert verba REGVLÆ, ex cap. 58. scilicet: Iterum relegatur ei Regula, & si habita secum deliberatione promissit, se omnia custodire, &c.* Et respondet: *Quod illa promissio largè sumitur, non pro obligatione per modum Voti, sed pro ostensione voluntatis, vt sensus sit. Si ostendit se velle cūcta seruare eo scilicet modo quo habentur in Regula, &c.* Eaque est legitima expo-

fitio loci, vt ibidem dico; loquitur enim de tentamento Nouitij, & requisitione propositi illius, & intentionis, ante professionem, per quam postea, *suscipiendus erat in congregatione & Oratorio, coram omnibus.* Quod etiam bene vidit Siluester verb. *Religio 1. nu. 10.* & vterque melius quam alius recens Regulę tentator, Ioan. Caramuel. imponens Nouitij promissiones certē chimericas, nusquam subsistentes, & alia similia à religiosa maturitate releganda, quæ nemo nouit, nec admittere debet.

Repulsus  
I. Caram.

Ad secundam respondeo: Confirmationes Pontificias REGVLÆ, quas habemus, videri omnino factas in forma communi, quantum ad effectum obligationis moralis, de qua nūc, absque alia verborum efficacia, aut pœnarum impositione, quibus indicium sumatur alicuius aduerti grauaminis, sed solum laudant & approbant, prout ab ipso S. BENEDICTO, prudenter & discretē, ordinatum est in REGVLA, absque aliqua diuersa intentione, quam quæ ex ipso AVTHORE de ducta est. Deinde quidquid fuerit, de adiectione maioris obligationis, & qualiscumque fuerit in principio, Legislatoris & Cōfirmatoris intentio; extante probatione tertia supra adducta, de consuetudine, in quocumque casu habet vim. Vt notaui Azor, *tom. 1. lib. 13. quæst. 15.* & communiter alij, quos refert Bonacina, *tom. 2. disput. 1. quæst. 1. pun. 4. num. 25.* & amplius ex sequenti responsione patebit.

XV.  
Ad II. Cōfirmat.

Nam tertia cōfirmatio, pars est precedentis, cum deuoluatur ad eandem Pontificiam authoritatem, quæ ius Canonicum constat. In eo autem sunt iura & decreta, pro diuersis Religionibus, statuta, de quibus quomodo obligent, & an indistincte omnes, quæstio est, de qua aliquid dico, in *Notis Regul. infra ad cap. 3. a n. 3. & ad cap. 38. a n. 8.* Nam de Benedictinis nigris, loquuntur, *cap. cum ad monasterium, & cap. in singulis, & cap. ea quæ, de statu monach. & Clem. Ne in agro, eodem tit. & de*

XVI.  
Ad III. Cōfirmat.

*Ius Canonici  
cū quid ad-  
dat Regulæ.*

Cisterciensibus, *cap. Non est, de Regu-  
lar. cap. in singulis, & cap. Recolentes,  
de statu Monach.* de quibus aliqua for-  
tè diuersitas considerari, & esse de-  
bet, vt ibi noto. Ceterum loquendo  
quoad materiam præsentem, & so-  
lutionem confirmationis tertiæ; sciend-  
um est, statuta *REGVLÆ* inclusa in  
corpore iuris, siue in præallegatis ca-  
pitibus, siue in *cap. Pernitiosam*, 18. q.  
2. aut alibi, per sacros Canones reno-  
uata, nõ inferre diuersam obligationē  
in conscientia, quam quæ ex vi ipsius  
Regulæ iam habebāt. Nisi in tali De-  
cretali, denuõ addatur aliqua censura,

quæ ex se supponit graue peccatum  
& obligationem, aut exprimat for-  
male aliquod verbum, nouam obliga-  
tionem ostendens. Alias enim solum  
est mantenentia statuti, in sua obser-  
uatione, aut instauratione eius in pristi-  
num statum, si fortè desierat obseruari.  
Quod cum D. Thoma, & Siluestro,  
docet Suarez, *tom. 4. de Relig. tract. 9.  
lib. 2. cap. 2. num. 11.* in quo satis con-  
sentit Bellarminus, *tom. 1. lib. de Ro-  
mano Pontif. cap. 18. §. Adid.* Atque  
cū eo fit satis difficultati: in qua etiã  
vim habet argumentum, à consuetudi-  
ne, præ notatum, *sup. num. 9.*

*Quid dicendum sit, de illis, quæ ad quartam CLASSEM  
reducta sunt?*

## ARTICVLVS NONVS.

I.  
*Assertio.*



**D**ICO: ea omnia quæ *art. 5.  
num. 4.* pro quarta CLASSE,  
referuntur, vt sic, ad nullam  
culpã obligare ex *REGVLA*:  
neque ad subeundam pœnam aliquã  
in conscientia, aut correptionem; lo-  
quendo de obligatione in cōscientia,  
prout inde orta, & assumendo ea præ-  
cissè in sua ratione, ibi explicata. Nam  
si aliàs, per eos modos monendi, ex-  
hortandi, consiliandi, narrãdi, &c. pro-  
ponatur materia aliundè obligatoria,  
ex charitate, iustitia, aut quouis modo  
præsupposito, iuxta proprium genus  
considerandum est: cuius obligationi  
nihil, per modum monentis, aut nar-  
rantis derogatur. Sed intelligendum  
est, iuxta id, quod à huiusmodi mo-  
dis prouenire potest, qui est sensus as-  
sertionis.

II.  
*Prior pars  
probat.*

Prior pars assertionis, de culpæ ne-  
gatione, probatur: Quia omnes illi  
modi difciunt à ratione præcipiendi,  
à qua prouenit obligatio in conscien-  
tia seu ad culpam; ergò vbi nulla ratio  
præcepti adest, neque culpæ erit. An-  
tecedēs probatur: Quia obligatio mo-  
ralis conscientiæ non est, nisi quatenus  
à Legislatore, aut Superiore exprimi-

tur; sed non exprimitur obligatio, nisi  
verbis præcepti rationem habentibus,  
aut in eius vi acceptis, ergo, &c. Atque  
ita tenet Reginaldus, *lib. 15. num. 54.*  
Azor, *tom. 1. lib. 5. cap. 6. q. 5.* Valentia,  
*tom. 2. disp. 7. q. 5. pun. 9. dub. 3.* Bonaci-  
na, *tom. 2. disp. 1. de legibus, q. 1. pun. 4.  
num. 5.* & alij apud ipsos, cū citatis, *sup.  
art. 4. num. 7.*

Posterior pars, etiam de negatione  
pœnæ, probatur: Præsupponēdo quod  
probatum & admissum est, *sup. art. 4.  
nu. 3. 4. & 5.* scilicet naturæ & rationi  
legis, id concedi habere ex se, vt in cō-  
scientia obliget subditos, & absolutè  
dum præcipiēdi rationem retinet, eius  
transgressio inducit culpam: quam si  
adimat ipsa declaratio Legislatoris,  
qui id potest, tamen dum legis & præ-  
cepti ratio relinquatur, adhuc in con-  
scientia sortitur aliquem effectum, scilicet  
subeundi pœnam & correctionē, si imponantur, vt explicatum est citato  
loco. At tota hæc vis & forma legis  
præcipientis, vsque ad minimum quod  
sic illius, abest omninò ab ijs, quæ in  
quarta CLASSE numerantur: ergo abest  
etiam omnis moralis obligatio vsque  
ad vltimum, de non subeunda pœna.

III.  
*Posterior  
probat.*

III.  
Obiectio  
soluitur.

Dices: omnia ista, quocumque modo sint, continentur in Regula, per quã profitentibus proponuntur, sed per professionẽ monachus subiicitur correctioni & pœnæ à Superiore imponendæ, etiam in his quæ ad nullã culpam obligant (vt dictum est citato, *art. 4.*) ergò idem est híc dicendum. Sed respondetur, negando paritatem. Quia non est parificandum præceptum, cum admonitione aut consilio: neque Regula in quantum præceptiua, cum tantum Consiliatiua. In hac enim vbi nulla est lex, nec transgressio est, nec præuaricatio; in illa verò quantumuis eximatur à culpa, adhuc retinendo modũ legis & constitutionis, retinet locum transgressionis punibilis: subditusque cõstitutus talis legis, est debitor ex iustitia, vt si deficiat ab eius conformitate etiã sine culpa, sub ea tamen subiaceat correctioni, & punibilitatis sitque proximè dispositus, vt compelli possit ad id, ex voto obedientiæ, quæ non nisi circa materiam præcepti versatur, vt traddit Suarez, *tom. 3. de Rel. lib. 10. ca. 7.* cum alijs. Quare licet omnia contineantur in REGVLÆ, sed suo quæque modo. Modus autem horum, de quibus agimus, non solum est, non obligare legem ad culpam, sed non obligare vt sic, & ita neque ad aliquid aliud. Tenuitque in re expresse idem, præcitat author, vbi sup. *tom. 4. lib. 1. cap. 3. num. 9.*

V.  
Probatio de  
exhortatione,  
&c.

Sed adijcienda est probatio singulorum, vt illustrior euadat doctrina, & Primo, in *Exhortatione, Admonitione,* aut *incitamento,* ad aliquid sectandum, aut recedendum ab aliquo. Quia eiusmodi verba, non vsurpantur, proũt à potestate superiore, ad nouam imponendam obligationem; sed ad excitandos, & alliciendos animos, vt sectentur aliquid, vel maioris perfectionis, boni vè nõ obligantis sed voluntarij, vel iuxta obligationem & exigentiã præsuppositam, ergò nihil inde accedit moralis obligationis. Confirmaturque à fortiori. Quia præceptum Regulæ, adiectum præcepto legis diuinæ aut huma-

næ præexistenti, nihil culpæ diuersum adiungit, (vt probatum est *art. 6.*) ergo minus adiecta exhortatio, aut quid simile. Item: Quia non est tribuendum verbis, in obligatione inferenda conscientijs, amplius quàm consuetum est, in rigore vocis, & communi vsu. Vnde ita in proposito tenuit Bonacina, *tom. 2. disp. 1. de legibus, quæst. 1. pun. 7. §. 4. à num. 12.* citatis etiam Salas & alijs, & Suarez, *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 3. numer. 8.*

Secundo, in *Consilijs*, probatur ex communi, & probata differentia à præceptis, scilicet sine vlla culpa omitti posse. Vt cum cõmuni omnium Theologorum in *1. 2. D. Thom. quæst. 88.* tenet Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 9.* vt iam sup. *art. 4. nu. 6. & 12.* Sic de cõsilio est virginitas, tamen non reprehenditur nubens, *1. Corinth. 17.* Apostolus: *Qui matrimonio iungit Virginem suam, benè facit,* & Christus *D. Math. 19.* voluntati relinquit: *Qui potest capere capiat.* Vnde verò nulla transgressio reprehensibilis oritur, nec obnoxia pœnæ est. Et ita in Regula, vbi tantum cõsulentis munus ipsa gesserit, eo modo accipienda est. Sed & de consilio intelligendum est, modo explicato, sup. *artic. 4. num. 12.* non enim confundenda sunt consilia Euangelij, cum consilijs Regulæ, dehis enim in Assertionem loquimur in præsentem, ne æquiocatione decipiari, etiam si consilia Euangelica, quandiu vt talia remanent, pariter non obligent, vt visum est.

Tertiò, in *Narratione* quasi historiali, vel *Expositione* doctrinali, clariùs constat. Cùm neque in verbis præceptum exprimat, nec in modo loquendis sed solum sit indicatiua manifestatio rerum, vel exemplorũ, aut auctoritatum corroborantium sententiam, vel doctrinam, quæ de sectanda virtute aut opposito detestando, aut perfectione peculiari acquirenda, instruat mentem, & inducat affectum. Quorũ plura in discursu REGVLÆ aderũt paradigmata, præter allata sup. *Artic. 5. numer. 5.*

VI.  
De consilijs.

VII.  
De narratione,  
&c.

Quar-

VIII.  
De desuetu-  
dine.

Quartò. Adiungēda dixi huic clas-  
si, ea REGVLÆ vera præcepta, quæ ali-  
quo legitimo modo, facta sunt extra  
valorem & rationem præcepti, & desi-  
nunt esse præcepta. In his est *desuetu-  
do*, quandò scilicet per non vsum &  
perfectam desuetudinem, vel consue-  
tudinem oppositam aut diuersam, ali-  
quod institutum cessauit. Nam consue-  
tudinem posse abrogare legem & Reg-  
ulã, siue ex parte siue ex toto, excep-  
tis substantialibus votis, dùm interue-  
niant requisita ad id necessaria, suppo-  
no ex communi doctrina authorum.  
De qua Thomas Sancius, *lib. 6. summ.  
cap. 2. num. 26.* Azor, *tom. 1. lib. 13. quæst.  
15.* & in materia de legibus noster Lor-  
ca, Bonacina, Suarez, Salas, & alii, &  
ita quæ sic desiere, tanquàm si non sint  
reputantur, quantum ad obligationem  
culpæ, ex Regula. Aliud est quantum  
ad obligationem, si eadem præcipian-  
tur à Prælato: à quo non posse præcipi  
tanquam iam acta extra spheram, &  
præscriptum obiectum obedientiæ reg-  
ularis, sentit expresse Mag. Lorca,  
*Señt. de legibus disp. 14. dub. append.* nisi  
necessarium sit, ad votorum essentialiũ  
obseruationem. Cui consentio, sicut in  
aliis casibus: vt per modum promerita  
pœnitentiæ, aut supplicii iudicialis,  
&c. de quo aliàs & alii.

IX.  
De dispensa-  
tione, &c.

Quintò, idem dicendum est, de *dis-  
pensatione*, quæ in præceptis locum ha-  
bet, dum legitime fiat, iuxta eius natu-  
ram & rationem, à habente potesta-  
tem. Quam habere summum Pontifi-  
cem non est dubium, & pariter inferio-  
rem Papa, quandò ex priuilegio agit  
illius: Imò & quemlibet Abbatem iu-  
re communi, posse, causã existente, dis-  
pensare in præceptis Regulæ, colligi-  
tur, *ex cap. cum ad monasterium, de sta-  
tu monach.* Et ex Concilio Trid. *sess. 25.*

de Regular. cap. 1. Et tenet in terminis,  
Faustus, in *Thef. Relig. lib. 6. quæst. 129.*  
atque ipsa REGVLÆ id sapius concedit.  
Licet hodie limitatio accesserit, de qua  
infra, *art. II. num. 7.* & ad cap. 41. Reg-  
nu. 6. & 7. Quod vero de dispensatio-  
ne dictum est, dùm illa durat, quando  
est ad tempus; idem dicendum, quan-  
dò quia est perpetua, potius est *abrogatio*,  
per potestatem Apostolicam. Nam  
quæ sic, nouo iure abrogantur, aut con-  
stitutione diuersa superueniente, per-  
petuo cessant: dum alias ritè ad primũ  
obligationis statum, non redducuntur,  
modo debito in eorum reductione  
seruato; habentur tanquàm si in Regu-  
la non existant: vt sunt aliqua, de qui-  
bus in iure, & Extrauagantibus con-  
stitutionibus statuitur. Atque ad huius-  
modi dispensata & abrogata, est con-  
sequenter extendenda doctrina nuper  
adducta, ex Lorca sup. *num. 8. infine.*

Tandem Sextò ostenditur in Epi-  
chia de qua D. Thom. 2. 2. *quæst. 120.* &  
ibi commentatores, Lessius, *de iust. &  
iure lib. 2. cap. 47. dub. 9.* Miranda, sub  
communi nomine Epicheie, in *Manu.  
10. 2. quæst. 25. art. 23.* & alii. Quam ha-  
bere locum, in aliquibus casibus natu-  
ralis iuris, & in omni humana & posi-  
tiua lege, in qua æquitas iustitiæ, à qua  
cadere potest, seruanda est, docet, ad  
locum D. Thom. Caietanus: & in reli-  
giosis, de eius vsu exemplificat, idem  
Lessius vbi sup. *num. 79.* nec est dubiũ  
posse exerceri circa præcepta REGVLÆ,  
in casu illius proprio, in quo lex cessat  
manifesto æquitatis iudicio. Vnde cũ  
in hoc, & aliis prædictis modis, & si qui  
alii sunt similes, lex intelligatur cessa-  
re, & non esse: manifestum est illius o-  
bigationem, quæ, sine legis vera & ef-  
ficaci existentia, non existit, prorsus  
abesse.

X.  
De Epichia



## De quinta &amp; vltima CLASSIS E resolutio.

## ARTICVLVS DECIMVS.

I.  
Assertio.

T in re hac distinctius lo-  
quar, per partes in hac vl-  
tima CLASSIS E pronun-  
tiabo. Et Primo dico: Quã-  
do aliquid in REGVLA ordinatur, &  
præcipitur, ita vt demandetur Abbati,  
aut superioris arbitrio permittatur, ali-  
ter disponi: tunc illud quod, de facto,  
per Superiorem, cuius arbitrio id com-  
mittit Regula, dispositum fuerit, habe-  
bit ex ea eandem vim, ac si expressè  
determinatum esset ab ea. Secundo di-  
co: Quando in REGVLA optio datur,  
aut alternatio conceditur, pars electa  
habet rationem Regulæ, ac si in ea de-  
terminata fuisset & in solidum præcep-  
ta. Tertiò dico: Quando vnum quid  
determinat REGVLA: licet in eo indul-  
gentius & remissius se habeat, attentã  
aliqua consideratione, & constet desi-  
derium fuisse perfectius quid, aut stri-  
ctius fieri, & in melius commutari: ni-  
hilominus, solum id quod determinat,  
obligationem inducit, iuxta suam qua-  
litate, quod reliquum est, ad nihil  
in conscientia obligat.

II,  
Probatio I.  
& 2. asser-  
tion.

Prima & secunda assertio, ferè eam-  
dem habent probationem: Nam vtro-  
bique adest optio, & electio alicuius  
partis: in prima, penes arbitrium Ab-  
batis, in secunda, penes voluntatem  
cuiusque religiosi, cui ea optio datur.  
Et ita in vtraque locum habet Regula  
iuris, cap. 70. de Reg. iuris in 6. Quod: in  
alternatiuis electoris est electio, & suf-  
ficit alterum adimpleri. Atque cum v-  
trobique, id quod eligitur, subrogetur  
loco alterius: huius ommissio nullo mo-  
do est culpabilis: quia obligatio legis  
non petit amplius, cum non ad vtrum-  
que simul, sed ad vnum vel alterum,  
sub disunctione feratur: & hoc quod  
eligitur loco alterius subrogatũ in Re-  
gula, eius obligationem retinebit, ha-  
betque se proinde, ac si in Regula de-

terminaretur. Qualis autem aut quan-  
ta sit in his obligatio, expendendum  
est, iuxta materiam & modum eorum,  
in quibus, vel arbitrium committitur,  
vel electio datur: & cum sint ex illis,  
quæ solius dispositionis Regularis sunt,  
nullo aliunde obligante præcepto, e-  
runt tertiæ CLASSIS E declaratæ.  
Artic. 8.

Tertia vero assertio probatur: Nam  
desiderium illud, non voluntas sed velle-  
itas reputatur, nec voluisse præcipe-  
re, est præcepisse illud: cum absolutè  
præcipiat & ordinet aliud. Sicut proij-  
ciens merces in mari, dum naufraga-  
tur, licet optet, & voluisset eas retine-  
re, velleitatem solum habet de reten-  
tione, sed absolutam voluntatem in pro-  
iectione. At subditus non tenetur ex  
obedientia aliqua, ad velleitatem &  
desideria Superioris, sed ad absolutã &  
præipientem voluntatem, quæ in eo quod  
determinat exprimitur: ergo illud  
tantum obligat, cetera sub obligatione  
non cadunt. Idque in terminis docet  
Franciscus Suarez, tom. 3. de Relig. lib.  
10. cap. 1. num. 3. & ego congruis testi-  
monijs confirmo, infra, in Notis ad  
cap. vlt. Regule, vbi id textus illius po-  
stulat, num. 7. 8. & 9.

Animaduerto autem quod licet, eas  
velleitates, aut desideria, seu voluntatis  
insinuationes eximam ab obligatione  
obedientiæ, necessitatem moralem in-  
ferentis, quam non infert nisi præcep-  
tum propriè dictum, quo pacto semper  
in hac materia loquimur: tamen illa  
non eximo a merito virtutis obedien-  
tiæ, quæ secluso præcepto illo, volun-  
tarie & libere exerceri potest, imo &  
cum maiori quadam extensione per-  
fectionis, Quo pacto dixit D. BERNAR-  
DVS, lib. de præcep. & disp. cap. 9. perfe-  
cta obedientia legem ne scit. Et idẽ Hie-  
ronymus, tom. 4. in Reg. monach. cap. 10.

III.  
Probatio 3.  
assertion.III.  
Aduerten-  
tia de obe-  
dientia.

extollens obedientiam Patrum Eremitarum, vbi ait: *subditi conabantur iussa implere, antequam forent emissa &c.* Et D. Thomas, 2. 2. *quæst. 104. art. 2.* exaltat obedientiam, *quanto ipsum præceptum obediendo præuenit, &c.* Quibus & alijs vtuntur authores, tenentes CHRIS TO Domino impositum non fuisse proprie præceptum obeundæ mortis, ad humanum genus redimendum, eo que secluso, obedientiæ meritum in CHRISTO illustrius constare, vt tenuit Mag. Lorca, in 3. par. D. Thom. disp. 73. & ego inter alias quæstiones Quodlibeticas, in Academia Compostellana, Magisterij apice insigniendus, late defendi. Quod simul cum animaduersione facta, complexus est Albertus Magnus, D. Thomæ Magister, de *virtutibus cap. 3.* inquit: *verus obediens, numquã præceptum expectat, sed solum voluntatem Prelati sciens, vel credens feruenter exequitur, pro præcepto, exemplo Domini Iesu Christi, cui voluntas Patris summum præceptum fuit.* Ad rē autem nostram, pulchre citatus P. BERNARDVS, cap. 19.

V.  
Notatio ad  
I. & 2. asser  
tionem.

Circa præiactas tamē huius CLASSIS conclusiones, aduerto aliqua. Primó: Quod inter ea, quæ in prima & secunda statuo, pariter computanda sunt ea quæ superiori aliqua & legitima auctoritate commutantur: scilicet vt cessante obligatione illius præcepti Regularis, quod dispensatiue commutatur, sub eadem obligatione, succedat illud, in quod commutatio fit. Exempli gratia. Ex hypotesi, quod præceptū Regulæ sit, monachum debere dormire cum cuculla (de quo suo loco ediferam,) constat, saltem in aliqua Cōgregatione, auctoritate Apostolicā cōmutatum, vt vice cucullæ, cum breui scapulari dormiatur. Tunc ergo dico, hoc secundum, eo modo obligare, quo obligabat primū, cuius loco substituitur. Hoc patet, quia eo casu & similibus, solū mutatur materia, modo obligationis inuariato: sicut commutata rite iuramenti materia, perseverat vis & obligatio iuramenti, super mate-

riam, in quam facta est commutatio. Quæ est communis & recepta doctrina.

Secundó: Notandum est, circa tertiam cōclusionem: Quod inter ea, quæ solum in desiderio aut velleitate legislatoris remansisse constat, & ob id sub regulari obligatione non cadunt, sed absque aliquo piaculo omittuntur, cōnumeranda etiam sunt, quæ prorsus in REGVLA sunt omissa, etiam si verisimiliter, interrogatus S. BENE DICTVS, vel memor ipse, præcepturus fuisset. Quæ enim taliã sunt, haberi debent, tamquã non præcepta, nec iniuncta; ad quæ nemo tenetur, ex Regula. Sic, in simili, declarauit in Regula S. Francisci, Clemens. V. vt non tenerentur, *Ad ea consilia Evangelica, quæ in Regula non ponuntur, &c.* Clem. exiui, de verb. signi. De quo ad cap. 73. Reg. cum alijs exemplis, adducam confirmationem.

Tertió. Notandum est: Quod licet in prædictis, vt v. g. quamuis optans, & desiderans, monachos à vino abstinere, statuens tamen vini mensuram, non obliget ad illam optatam abstinentiam, sed in vsu mensurati vini sistat obligatio: nihilominus optioni relictus est locus, ut vt monachus eligens tantum aquæ potum, melius Regulæ satisfaciat, supererogando in hac parte, & veluti consilium, quod suæ voluntati relictum est, adimplendo. Id enim est renuntiare indulgentiæ, quæ melior obseruatio est Regulæ: illud ipsum quasi consulenti amplectendo. De quo est illa sententia S. Petri Damiani, lib. 6. *epist. 23. ad Guiller. monach.* vbi inter alia sic ait: *Enim verò in his, quæ secundum indulgentiam permittuntur, magis placet sæpè discipulus, si iussionem simpliciter præterit, quam si promptus obedit, &c.* Quod exemplo Recabitarum confirmat, *Ieremia 35.* & ego alijs, citato loco.

Quarto, tamen aduerto: in his quæ fané, non transgressiones, sed laudabiles supererogationes REGVLÆ censentur, modum adhibendum esse, scilicet quod

VI.

Notatio ad  
3.

VII.

Notatio de  
cōcessis per  
Regulam.

VIII.

Modificatio  
illorum.

quod ibi teneant locum, vbi alias ipsius REGVLÆ ordinatio, & communis ex illa viuendi modus non turbetur; vt in adducto exemplo bibendi vinum, à quo abstinere, & si addat obseruantie, nihil detrahit de ordine. Aliter enim, non est cui libet integrum, etiam pretextu maioris distinctionis, voluntarias superinducere nouitates conuentui, à Regula non præscriptas; sed expressis est adherendum. Neque sine eo moderamine extendendum, etiam ad institutiones & Regulas Sanctorum Patrum, ad quas in fine huius remittit Sanctiss. BENEDICTVS, vt notabo & probabo ibi, *cap. 73.* Tantum abest, vt ex

approbatione REGVLÆ, S. Benedicti, ea censeantur aliquam approbationem Regularem fortiri: quod infulse & sine vilo rationis fundamento diceretur. Nam & peculiare rigores & austeritates voluntarie sumi, cohibet ipse, suo modo, *cap. 49.* & ad superinducendas inuitis aliquas nouas, negat potestatem Superioribus D. BERNARDVS, *lib. de Præcep. & disp. cap. 7.* & renouare eas, quæ iam consuetudine vel dispensatione, contra Regulam præscribere, non esse illis liberum, docent Authores, notatis casibus & circumstantijs de quibus Lorca citatus *sup. artic. 9. num. 8.* & alii.

*De aliquibus, pro moderamine prædictorum & dicendorum, generaliter aduertendis.*

## ARTICVLVS VNDECIMVS.

I.  
*Animad-  
uersio, I.*



Ostremò pro huius introductionis, & procemij coronide, aliqua, generaliter animaduertenda veniunt, quæ toti operi proderunt, post enumeratas & perlustratas CLASSES. Et PRIMO distinguendum esse, de transgressione Regulæ seu præceptorum, ex parte transgredientis, an sit singularis, & priuata personæ; an publica; an tota Cõmunitas. Et claritatis gratia, potest esse exemplum, in esu carniû, qui prohibetur in REGVLA, & non nisi ad veniale obligare, communis & recepta sententia est, vt in proprio, *cap. 36.* adstruos explicando ex his, quæ statim subiiciam, si quis grauiorem insinuauit obligationem culpæ. Nam qui nullam censet, & solum esse consilium non restat, nisi vt totam sacram REGVLAM, quâ post tot secula, factâ rectâque esse oportebat, à fundamentis euertat. Sed singularis huius haud egregij facinoris aggressor. I. Catamuel, qui in *Commentario, num. 88.* & sæpius ita loquitur, reuincendus est, tum ex dictis in hac *introductione*; tum ex dicendis specialiter, contra eius nouitates, ad finem

Regulæ, in addita *Laciniâ*, vt promissis & zelo tantum religionis & veritatis sincerissimè præstabo, Viro, aliqui multimodâ eruditione celebri, frater-naliter in CHRISTO affectus.

Sed ad nostrum, quod ceperamus intentum, dicimus: Nos in his CLASSIBVS, & in designatione culpæ, ad quam Regula obligat, regulariter procedere, de Monacho quocumque priuato, Regulam professo, quâ culpa, ad eam simpliciter consideratam, teneatur; seclusis alijs, in quibus esse potest varietas non parua. Nam si accedat formalis contemptus in transgressione, lethalis erit culpa, vt dictum est *sup. art. 8. num. 3. & 4.* Rursus si transgrediatur, eo animo & intentione, vt finem præcepti, quantum est ex se impediatur, & ideò violat, vt finem legis auferat: hoc cum contemptu æquiparat Caietanus, in *summ. verb. Præcepti transgressio*, & cum eo & Armilla, Valentia & Vazquez, tenet Thomas Sancius, *libr. 6. summ. cap. 4. num. 22.* Præterea si à tali persona, eâ autoritate, frequentia, & modo fiat, vt inde notabiliter ruina, in tali obseruantia, quæ alias vigeat, intro-

II.  
*Transgres-  
sio singulo-  
rum.*

roduceretur; etiam ad lethalem culpam, posset grauitas transgressionis excrescere. Quo pacto accipio sententiã Fausti in *Thesau. Religios. lib. 6. quæst. 149.* quam expendo ad *cap. 36. citatum.* Quibus aliis vè circumstantiis, potest augeri & adiungi grauior & diuersa culpa; citrà quas: non est plusquàm venialis, ex principiis iactis, *art. 8.*

Deindè si transgressio fit plurium, & Communitatis aut quasi: cæteris paribus grauior est, non solum extensiuè, quatenus includit plures transgressiones, & violatores præcepti: sed intensiuè, quatenus quisque proprio actu, cooperatur deformiori Cõmunitatis transgressioní. Atque iuxta modum nocu-  
menti, quod infertur Regulari vitæ eã relaxando, dum sine legitima auctoritate & causa fit, erit grauitas culpæ. Quæ tamen, licet quoad punitionem, & supplicium, soleat considerari, tamquam afficiens communitatem, ad instar populi aut reipublicæ; per modum vnus corporis, criminis rei: at in singulis residet propria culpa: & hæc maior est & potior in personis publicis, quæ ratione officii, vel aliundè, tenentur, cū possint, debitam obseruantiam conseruare & manutene-  
re. Nam inferior subditus licet vtrumque pars communitatis, qui ductum aliorum sequitur, maiorum ordinationi sincerè subiectus, & à plurium discussione liber; etiam Superioribus perperam agentibus, & parum de conscientia securis, aut certè in ea fauciis, poterit esse ab omni culpa immunis, & nihil interrogans comedere quod illi apponetur, absque scrupulo, quem, in casu, eximit ipse Apostolus *I. Corinth. 10.*

Qua propter his publicis ex officio personis Superioribus, quorum interest ista perspicere, in omnibus mandatis sibi commissis, maior est adhibenda cura, vbi transgressio & relaxatio proximior est, ad contrahendam grauitatem culpæ; quæ bono æquo que iudicio trutinanda sunt, iuxta rei materiæque modum. Nam continget, culpam, quæ in priuato religioso, aut leuis, aut

nulla est, grauem in publica persona esse, ratione officii, dum contra eius obligationem inducit, aut induci patitur, ordinis relaxationem notabilem. Ita Thomas Sancius, *tom. 2. Consil. lib. 6. cap. 2. dub. 2. num. 8.* cum Soto, & cum eis, posset etiam tueri eandem, quam recte tenet, sententiam, Ascanius Tambur. *tom. 3. de iure Abb. disp. 3. quæst. 6. num. 10.* Quæ & in aliis materiis, ratione officii, est recepta sententia, cum D. Thoma, *2. 2. quæst. 73. art. 4.* & in ea Petrus Nauarra, *lib. 2. de restit. cap. 4. num. 337.* Naldus verbo *superior, num. 18.* Bonacina, *tom. 2. disp. 2. de restit. quæst. 4. pun. 11.*

Imò & in hac re, deducit citatus Sancius: Quod licet Religionis Regula aut statuta, ad nullam culpam obligarent, tamen Prælati, qui aduertens ea passim violari, huic damno, si posset, non consuleret, ob grauem in officio suo defectum, peccaret mortaliter: & ita consequenter & verè dicendum est. Nam ad dictum effectum, etiam diffinitionum cuiusque congregationis, quæ ad culpam non obligant damnum & relaxatio, vrget similiter, vt singulis non peccantibus, eorum transgressiones ordinem relaxantes, non cohiberi à superiore, fit in eo graue piaculum; nedum peccantibus, quantumuis leuiter. Vt ex his etiam, videat noster ille scriptor I. Caramuel, quam perperam cohæreat, quod *num. 1694.* excuset Abbatem, permittentem leues culpas, ex eo quod, vt ille ait; *Nemo tenetur sub culpa graui, vitare culpas veniales proprias, ergo nec alienas.* Cuius ratiocinationis debilitas ex dictis deprehenditur, tum ratione, tum auctoritate eorum quos supra, & quos infra, *num. 13.* adducam, & omnium Sanctorum, hanc maiorem in Prælato obligationem agnoscentium, & intimè pertimescentium.

SECVNDO, animaduertendum est, eam potestatem & permissionem, quæ frequenter, penès arbitrium Abbatis relinquit REGVLA, ad moderandum alterandum ve plura, & in eis ( vt dixi

III.  
Transgressio  
communitatis.

V.  
Ampliatum  
doctrina.

Cohibitus I.  
Caram.

III.  
De persona  
publica superiore.

VI.  
Animad. 2.  
de potestate  
in Regula.

artic. 9. num. 9.) dispensandum transiisse etiam ad Generalem, & Capitula, iuxta propriam spheram & modum expeditæ Superioritatis cuiuslibet. Nam ex quo, monasteriale & economicum gubernium (vitra cuius limites in expressis, Regula non graditur,) transiit in Politicum, & commune Congregationum, Apostolicâ autoritate; & inducta est legitime amplior & vniuersalior superioritas, cum ordinaria etiam iurisdictione, & necessaria subordinatione, pro erecta vnitorum monasteriorum congerie, sub Regula: Hoc quidem ex natura ipsius mutationis gubernij, per Apostolicam Sedem, sequebatur; maximè per immediatam subiectionem Religionum, ipsi Sedi insolidum factam, & exemptionem illis indultam. Sed & in eandem potestatem consonant, & conueniunt, tum iura, tum Concilia constituenta & approbantia Congregationes Religionum, & modum earum; insuper & priuilegia quæ extant, & vtpotè perpetua iurisdictionem ordinariam constituunt. De qua potestate aliquid notauimus, Artic. 9. citato, & infra ad Capit. 4i. num. 6. & 7. Atque ex indè potestas Abbatis localis, aliquantulum imminuta est; dum non remansit absoluta, sed subiecta limitationibus, a legitimo Superiore prouenientibus, iuxta modum suæ Superioritatis.

VII.  
Quid Abbas & alij?

Tamen non obstante ea superinducta, aut succedente subiectione, per quam Abbas Conuentualis subest limitationibus rite & iure factis Superiorum; nihilominus quandiu talis limitatio expresse non ponitur, Abbas sui officij autoritate expedite gaudet, in prædictis dispensationibus. Id quod in casu, tuetur citatus Ascarius, tom. 3. de iure Abb. disp. 4. quæst. 7. & antea Cardin. Turcremata, tract. 139. in Reg. Faustus, lib. 6. Thesaur. quæst. 129. Iodocus Lorichius, in Thesa. verb. Abbas, num. 12. alijque. Et quod de Abbate conuentuali dicimus respectu suorum Superiorum, idem dicendum est

de alijs Superioribus, respectiue & subordinate: Vt Generalis subestet limitationibus, & Superioritati Capituli, & Capitulum gradatim Papæ, qui in ratione Superioris includitur, respectu Religionum, etiam ex vi voti regularis professionis. Quæ omnia indicauimus supra artic. 7. à num. 8. usque 12.

Atque ex omnibus apparet, quam parum attentè discurrat, haud semel fugillatus Author Ioann. Caramuel, & nescio qualiter sustinendus, a communi & vera, & probata, & nunquam nunquamque aliter practicata doctrina discedens: dum in suo Comment. num. 539. concedit: *Posse Monachum ex corporari ab ordine, ne dum à monasterio, licet causa non subsit, consentientibus partibus.* Et num. 553. limitationem adducit, vt non procedat id, in Religionibus, quæ vouent particularem obedientiam summo Pontifici: vt Ordo S. Francisci. Et num. 570: Licet obiter dictum, tamen affirmat, quod *Sede monasterij vacante, Religiosi non tenentur, vi voti, alicui obedire.* Quæ omnia & similia, quæ ex eisdem deducuntur, quam digna correctione sint, vndecumque procedat Author, satis est in re ipsa tantoperè a communi sensu exorbitare, quod per singula breuiter indico. ¶ In primo enim, videtur ignorare vinculum

VIII.  
Notatus I.  
Caram.

*Professio est indissolubile professionis, de quo ex Nauarro, Cardin. & D. Thoma adducit*

Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 15. num. 7. ea verba: *Professio regularis producit in Regulari, quasi quemdam caracterem indelebilem, aliaque omnino aliena ab ea solutione vinculi ex mutuo consensu. Non solum quoad resolutionem vinculi Religiosi absolute, quod in Ecclesia Catholica nunquam visum est, ne dum permissum, aut probatum; sed neque quoad actuale subiectionem, cum propria Religione. Talem enim separationem, sine causa exigente, eo modo fieri non posse, etiam autoritate Prælati & Religionis docet ibi Suarez, cum citatis pro se, & absque vlllo Authore, vel exëplo, in*

*Obedientia  
Religiosa vo  
uetur etiam  
Papæ.*

contrarium. ¶ In secundó, videtur non agnoscere votum obedientiæ, eadem specialitate referri ad Papam, sicut ad alios Prælatos illius Religionis, in qua Religiosus profitetur. Quod cõmune esse omnibus Religionibus approbatis, etiam si nõ nominetur (quod necesse non est) in professione docet ipse Suarez citatus sup. num. 6. pluribus adductis, & tom. 2. lib. 6. de voto, cap. 7. num. 18. & tamquam primum principium inculcatur apud eum, & Thomam Sancium, lib. 4. summ. capit. II. num. 20. & capit. 24. num. 20. & c. quem etiam cum aliis, adduxi, sup. artic. 7. num. 9. & 10. ¶ In tertio, videtur limitare obedientiam monachi ex voto, ad Abbatem monasterii vacantis: cõm etiam, eo vacante, vel ex iure, vel ex constitutionibus, sine intervallo succedat Præses, qui Pro-Abbatis fungitur officio, iure ordinario, de quo ad capit. 71. Reg. num. 9. dico, & debuisset scire D. BERNARDVM, capit. 24. de Præcep. vbi ait: *Sponsio professionis, de Abbatis vita non sumit terminum, sed de presentia testimonium, & similia, Epist. 7. & 324.* Sed utcumque sit, ex dictis constat, perseuerare indefinenter Superioritatem legitimam & potentem exigere votum obedientiæ ab omni Religioso, tum intra ordinem immediate in dicto Præfidente, & in Prouinciali, Generali vè, & Capitulis suis modis; tum extraordinem, in Pontifice, qui etiam quoad hoc, intra ordinem propriè dicitur, tamquam Supremus Generalis Religionum, vt dictum est. Ad quos terminos reducit obedientiam Religiosam, cum Soto & Corduba, ipse Ludouicus Miranda Minorita, qui iuxta Regulam S. Francisci, expressè profitetur eam obedientiam Pontifici sicut & Religiosi Societatis Iesu, vt apud Suarez, tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 6. capit. 5. num. 1. & c. Qui, quidquid addi velit speciale, pro singulari aliqua sui instituti obligatione, tamen communem omnibus iam declaratam præsupponit, & firmat. Consentitq; dictus

*Numquam  
expirat.*

Miranda, tom. 2. direct. I. rel. q. 30. art. 9. & citati a Suarez & Sâchez vbi sup. Nam citatio Mirandæ emendanda est: in Soto: vt sit. lib. 7. de iust. quæst. 3. art. 1. & Corduba expungendus est, qui nihil ibi de re agit, in sensu de quo requirebatur. Adiciã autem, de hac peculiari in Regulares potestate dominatiua Papæ, animaduersionem haud triualem, infr. num. 14.

Sed vt absoluam hanc animaduersionem, quam obice præfato, interrupperam, de potestate dispensandi: sicut, in limitatis à Superiore, sine eius permissione aut licentia aliqua, inferior quicumque sit, respectu Superioris legitime limitantis, nihil validè, nec licite potest, ita in non limitatis, libera & expedita manet eius potestas, & ita censeo in qualibet Cõgregatione, circa REGULAM, quoad ea, quæ non sunt peculiariter translata aut deducta ad diffinitiones. In quibus dispensandis si prohibitio statuta sit per Capitulum, tam Abbatibus, quam Generali, qui Capitulo subest, prout fuerit prohibitio aut limitatio seruanda est. Atque in modo vtendi, quandò accidit vsus illius potestatis, & arbitrij à Regula permissi, intelligendum est, non de arbitrio omninò libero, vt sit pro ratione voluntas, sed de considerato, prudenti, & fideli, eo modo, quo sentit D. BERNARDVS, de Præcep. & disp. cap. 7. inquit, *Arbitror sanctas obseruantias, Prælatorum prudentiæ, & fidei creditas, non subditas voluntati, & quæ sequuntur aurea.* Eamque vim habent verba, quibus regulariter vtitur. S. BENEDICTVS: *Sint in arbitrio Abbatis, in consideratione, & c.* Reliqua à communibus Authoribus petenda sunt.

TERTIO, animaduertendum est, circa plures obseruantias, quas in REGULA expressas, & hodiè in aliquibus Congregationibus non obseruatas, eas nihilominus à culpa excusamus, illa potissimum ratione, quia in desuetudinem longo tempore abierunt, & diuerso stilo practicantur in tali Religione eiusque monasterijs:

IX.  
*Modus indispensatione.*

X.  
*Animaduersione. 3. de discrepantibus à Regula.*

Quod

Quod licet non oberit, quominus in aliquibus sic relaxatis & omissis, suo debito modo, reductio, aut reformatio fiat, ad formam in Regula contentam: tamen quandiu in prædicto statu fuerint, licet minus perfectè, nihilominus satis licitè REGVLÆ satisfieri intelligatur, absitque à sic conuersantibus, culpabilis transgressionis scrupulus. Sic & profitentibus in aliqua Religione, tempore mittigata, & a priori rigore distante, non imponunt maiorem obligationem Authores: neque maiorem inducit ipsa intentio profitentium talem Regulam, qualem in actuali obseruatione inueniunt. Imò & seclusa relaxatione aliqua, pro temporum aut prouintiarum diuersitate, commutari solent tamquam conuenientiora, quæ ob id a REGVLA non deficiunt. Potius esse rectam & vtilem, aliquam rerum mutationem, ipsa etiam annuente Regulâ, opportunè docet Petrus Mauricius Venerab. in prologo ad *statuta Cluniac. Congregat. in eius Bibliot. & Latius & sæpius, in Epistola illa apologetica ad B. Bernardum, lib. 1. Epist. 28. & lib. 4. Epist. 17.* Licet in his, aliqua sit adhibenda Viro sancto moderatio, vt moneo in NOTIS ad cap. 66. num. 1. De cætero etiam in Deo, præmuniuit doctrinam hanc, Textullianus, lib. *Aduersus Iudeos.*

Sed tamen ipse D. BERNARDVS, doctrinam poterit illustrare suis verbis, lib. *de Præcep. & disp. cap. 20.* vbi post relatum modum professionis nostræ, vt adduxi, Artic. 7. num. 14. Subiungit, inquit: *Licet in diuersis Monasterijs, diuersis & obseruantijs Deo seruiatur, quandiu tamen sui quisque loci, bonos vsus seruat, haud dubium quin secundum Regulam viuat, quoniam boni vsus à Regula non discordant. Quisquis itaque tenet, quod teneri inuenit bonum, vbi proficetur, profectò viuat sicut promittit, quia nihil aliud præcudubia quisque promittit, quàm quod habere eorum pia videtur vita,*

*cum quibus deinceps viuere disponit & elegit, &c.* Atque adductis statim congruis exemplis, subiungit: *Sic qui secundum Regulam viuere statuunt, & si non ad vnguem (vt dicitur) totam custodiant, & si pro sui claustrivitu vel mutant, vel prætermittant, à regulari tamen professione non discedunt, &c.* Ac denique id confirmat, ex ipsa REGVLA, Capit. 7. vbi tradidit octauum humilitatis gradum: *Vt nihil agat monachus, nisi quod communis monasterij Regula, vel maiorum cohortantur exempla.* Exempla autem maiorum præcedentium, ritè inducta, consuetudo est, & communis monasterij Regula est vsus obseruantie in communitate receptus, dumodò intra legis Dei, & bonorum morum limites contineatur. De quo amplius in NOTIS ad præd. cap. 7.

QVARTO, non sine obseruatione prætereundum est: An ad supra explicata in præcedentibus CLASSIBVS, 4. de perfectione? Quæ vt communiter imposita Religiosis, ratione sui status; ita communiter torquet plures eius cognitio. Quare sciendum est, eam non esse distinctam à votis, & ab obligatione Regulæ seruandæ; in qua obseruatione præcisse consistit modus, quo obligatur Religiosus, ad illam tendentiam: ita vt nullum distinctum peccatum committat, ab eo quo vota transgreditur & Regulam: Ita bene, contra Caietanum & alios probat Faustus Cisterciens. in *Thesauro Relig. lib. 5. quæst. 26.* & Latius, Thomas Sancius, lib. 6. *summ. capit. 5. à numer. 1.* Azor, tom. 1. lib. 11. *capit. vlt. vers. obycies,* vbi post alia ait: *Quandiu vota & sui instituti Regulam seruat, Dei consilia præstat, & progressum in perfectione facit. Nec alius est progressus obligatorius Religioso, quam proprii instituti obseruatio, ad quod & non aliud, nec alio obligationis modo, ipse in professione status, se deuinxit. Nam vt sic in perfectione Religiosa, non includuntur*

XI.  
Illustratur  
ex D. Bern.

XII.  
Animadue.  
4. de perfe-  
ctione.

omnia consilia, neque omnes perfectionis gradus; sed solum ea peculiaris, & sue particulari professioni aptata, quæ in Regula propria exprimentur. Vt opportunè obseruat Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 1. cap. 10. num. 6. & lib. 2. capit. 1. num. 4. cum sequentibus*. Nec præter dictam obligationem, esse aliam distinctam in Monacho, quam in seculari Christiano, ad Euangelicæ vitæ perfectionem, docent. D. Basilius, *serm. de rerum abdicat.*, & D. Chrysostr. *lib. 3. contra vitæ Monast. vituper.* & ex eisdem aliisque Hieronimus Plati, *lib. 1. de bono status Relig. cap. 12.*

## XIII.

*Animadu. 5. de obligatione ex officio.*

QVINTÒ, aduertendum est; sæpè in REGVLA proponi aliquas obligationes seu præcepta, in conscientia etiam grauiter constringentia, iniungique expressè; quæ tamen à Regula solum habent veluti conditionem, sine qua non, aut veluti constitutionem officij, aut personæ in tali munere; quo per Regulam constituto, confurgit obligatio aliundè proueniens ratione officij, ex debito iustitiæ, & ex obligatione annexa, quæ vel diuino, vel positiuo iure, tali muneri incumbit. Prout recole, in NOTIS ad Reg. cap. 70. num. 3. & in pluribus locis occurret, vt v. g. in Abbate, & Præposito, denique in omnibus officialibus, & Ministris, à supremo vsque ad infimum, iuxta cuiusque muneris exigentiam. In quibus vltra communem obligationem professionis, quam sicut alij Monachi priuati habent, ad alias obseruantias proprias Regulæ, ex vi illius: subintrat, ratione officij, in quo ordinatur & constituitur persona, obligatio peculiaris, præsupposita conditionaliter, pro omni futuro Ministro, ex fidelitate & iustitia, & quandoque adiectione iuramenti, de officio benè & fideliter præstando. Quod in confesso est omnibus, ita Lessius, *de iust. & iure, lib. 2. cap. 13. dub. 10. num. 70.* Malderus, *quæst. 33. artic. 3.* Salonijs, *in 2. 2. D. Thom. q. 73. art. 4. Ca-*

ietanus, cum. D. Thom. *ibid. q. 183. de officijs & statibus*, & quos adduco citato loco in NOTIS.

SEXTO, animaduerto, circa id quod, in superioribus articulis, dictum est, de potestate Papæ, in Religiones & Regulares, vt non solum tamquam supremum Ecclesiæ caput, habeat illam quæ iurisdictionis est, in eos, sicut in omnes Christi fideles; sed etiam illam, quæ dominationis est, ratione voti obedientiæ Religiosæ, veluti supremus Generalis Prælati Regularium. In hoc inquam animaduerto; videndum esse, qua vtatur seu vti intelligatur, in suis constitutionibus & decretis, vt sciatur, quæ obligatio culpæ indè oriatur? In quo consequenter tenendum est, directè id posse in omnes Religiones, quod quisque Generalis in Religione propria, potestate Superiore à nullo alio limitabili, nisi à Regula, & præscripto professionis cuiuscumque vouentis. Hinc competit ipsi, irritatio votorum Regularium, quæ post professionem de aliqua re faciunt; quæ non competit ei, respectu aliorum fidelium, quorum voluntatis dominium, per obedientiæ votum, ad ipsum translatum non est. Vt docent quam plurimi Authores, quos citant & sequuntur Thomas Sancius, *lib. 4. summ. cap. 24. num. 20.* & Suarez, *tom. 2. de Rel. lib. 6. de voto, capit. 7. numer. 18.* & alij iam adducti, & ita similiter in alijs, quæ ex ea potestate dependent.

Ex quo etiam fit, vt possit in præcipiendo, votum etiam interpone- re, vt decretum, aut præceptum Papæ obliget Religiosum, non tantum ex vi iurisdictionis Ecclesiasticæ, cui per generalem obedientiam, in conscientia parendum est: sed etiam ex vi voti, cui per specialem, & Religiosam obedientiam obtemperatur, sub sacrilegij additâ circumstantia. Verum tamen licet hoc ita sit, hic etiam applicanda est doctrina sup. artic. 6. à num. 24. cum sequentibus, traddita:

## XIV.

*Animadu. 6. de Pontificis Regulari potestate.*

## XV.

*Qua potestate vtatur?*

Vt solum intelligatur Pontifex præcipere secundum vniuersalem Vicarij Christi superioritatem, & Ecclesiasticam iurisdictionem; nisi vbi respectu Regularium, in quantum talium, exprimat verba, & modum, per quæ cõstet, votiue obedientiæ pondus adiacere velle, & non aliter. Atque ad hos terminos, videtur redducenda sententia Thomæ Sanci, *lib. 6. summ. cap. 1. n. 9.* qui id concedit in omnibus præceptis generalibus, pro omnibus fidelibus. Quod notum est, nam ibi, simili omnino iurisdictione & potestate omnibus communi, constat vti: Sed idem etiam dicendum videtur, de præceptis aut constitutionibus specialiter pertinentibus ad Religiosos: de quibus ipse Author cõcedit, regulandum esse iuxta modum, quo in alijs præceptionibus Prælatorum, aut eorum constitutionibus. Qui modus potiori ratione inunitur in decretis & constitutionibus Pontificijs, pro Regularibus factis, vt earum obligationi non addatur sacrilegij circumstantia, quæ ex voto procedit, quandiu illa, omnino expresse non constiterit formaliter adiecta, eâ intentione manifestâ.

Quare extra talem casum, quem patet dari posse, & an de facto detur, nõ affirmo: Videtur standum communi existimationi: Quod summus Põtifex in omni decreto & constitutione, ad quæ, seclusâ potestate dominatiua, instructus est iurisdictione illa Ecclesiastica, & suprema, quæ independenter à voluntate vouentium, sibi à Christo Domino competit: ea tantummodo vtatur. Hoc suadetur. Primò, quia hæc est adeò suprema, & potens firmare præcepti obligationem, vt superfluum sit recurrere ad aliam, quæ respectu illius, quasi extrinseca est, & ex suppositione voti, acquisita. Secundò: Quia etiam in inferioribus Prælati Religionis, & in ipsis Capitulis, in quibus vtraque potestas iurisdictionis & dominationis residet, sic vtuntur illa: vt suè in mandatis ad tempus & transcurrentibus, siuè in perpetuis & scrip-

tis, etiam cum adiectione pœnarum, illa circumstantia obligationis voti, nisi verbis formalibus & expressis, non intelligitur adiecta: ergò potiori ratione, vbi tanto magis ea iurisdictione præualet. Tertio: Facit ad hoc, ratio adducta, *artic. 6. num. 2.* de non multiplicandis, sine necessitate, laqueis animæ & oneribus conscientiæ. Et *num. 26.* ratio de lege, semper ad minorem obligationem trahenda. Quarto: Quia de his, quæ in iure inueniuntur iniuncta, siuè de cõtētis in Regula, siuè de alijs obseruantijs, vt de confessione, & communione menstrua, &c. (vt visum est, *art. 8. n. 17.* & videndum locis, ibi citatis, cum Suarez & alijs,) nulla maior arguitur obligatio, aut diuersa in hoc genere: Ergò de qualibet constitutione Apostolica (cuius eadem est auctoritas) idem dicendum est. Quintò: Quia licet prædicta potestas dominatiua, ad eò legitima sit in Papa, per translata ad se subiectionem, seu potius retentam, quam Regulares habebant Episcopis, antea exercentibus in illos iurisdictionem ordinariam, à qua exempti sunt, & per reseruatam sibi approbationem Religionum, vt plures Authores in hac materia discurrunt, tamen totum hoc quasi per consequentiam est, quoad obligationem ortam ex voto professionis Religiosæ, quod votum obediendi Papæ expresse solum Minores & Iesuitæ emittunt, vnde in alijs, ferè ab omnibus profitentibus ignoratur. Imò & Authores plures in silentio prætereunt, hanc difficultatem, & aliquis (cuius memini, *sup. hoc art. n. 8.*) nec sane solus, eam obedientiam Papæ non agnoscit, in Religionibus non vouentibus illam in particulari. Cum ergò hinc minus nota, & perspecta sit hæc obligatio, ex parte subditorum, & illa potestas dominatiua ex parte Papæ sit minus necessaria; rationabilius videtur, semper procedere ex principali, & omnibus, etiam per fidem, cognita superioritate iurisdictionis Ecclesiasticæ.

Qua propter, in decretis & confi-

III.

IV.

V.

XVI.  
Probatio  
doctrinæ.

I.

II.

XVII.

XVII.  
Explicatur  
iutio- particularius

tutionibus Pontificis, etiã si circa Regulares sint, cenſeo obligationem ex ea iurisdictione eſſe penſandam, neq; adiungi aliam circumſtantiam ſacri- legam voti; non ſolum quando in illis ponuntur pœnæ, quæ non poſſunt à poteſtate dominatiua proficiſci, vt ſunt excommunicatio, ſuſpenſiones, aut inhabilitates & priuationes, quæ cenſuræ modum participant: ſed & quando ponuntur aliæ pœnæ, indiffe- rentes ad vtramq; poteſtatem, & re- tinent modum conſuetum, circa alios etiam voto non obligatos. Vt ſub in- terminatione diuini iudicij, ſub indig- natione Apoſtolorum, ſub ieiunijs, re- cluſionibus, amiſſione officiorum & ceteris ſimilibus. Confirmatq; hoc communis omnium conceptus, ipſius fori pœnitentialis, tam conſitentium, quàm excipiētium conſeſſiones; quo- rum de hac circumſtantia exprimen- da, vtrinque altum ſilentium. Quod nõ prorsus refundendum videtur, tam in obliuionem, aut ignorantiam genera- lem: quàm in id, quod non reputatur talis circumſtantia exercita, & vniuer- ſali iudicio ita accepta ſit, vt non ad- dicta.

XVIII.  
Difficultas.

Solum ſupereſt videre: An eadem ſententia & doctrina habeat locum, quando in conſtitutionibus Apoſtoli- cis, ſiue Motuproprio, ſiue alio modo editis, & directis ad Regulares, ſeu ad aliquam particularem Religionem, in quibus Pontifex inter alias diſtrictio- nes præcipiēdi, habet etiam illam for- mam in qua exprimit: *in virtute ſanctæ Obedientiæ*. Nam inter nostros & (vt reor) in communi vſu monaſtico, cum Prælatuſ iubet illis verbis, intelligitur iubere ex vi voti tantummodo, & po- teſtate dominatiua: ex eo proueniēte: Quod nuperus Author Leander cum alijs tenet, *de Sacram. I. p. tract. 5. diſp. 8. q. II.* & ego ita ſentio, etiã ſi adiciat: *ſub pœna excommunicationis*, quæ cen- ſura eſt, & indè prouenire nequit, ſed ex alia iurisdictione Eccleſiaſtica. Vn- de tali caſu, vtitur vtrâque poteſtate, ita vt inobediens iuxta priorem, cen-

ſuram ex altera incurrat, ſi *lata ſenten- tia*, aut *ipſo facto* ſit: ergo eodem modo ſe habebit ſimile mandatum, iniunctū à Papa, qui vtrâque poteſtate plenifſi- me gaudet. Hęc maior in re difficultas.

Nihilominus, tradditę doctrinæ propen- ſior, cenſeo, etiam ad hunc caſum eſſe trahendam: vt adhuc ex illa forma verborum, nõ intelligatur exactio vo- ti, in Apoſtolicis Bullis, & instrumen- tis: niſi ſpecialius conſtet, & expreſſius indicetur, eam obedientiam, ſub cuius virtute iubet, eſſe propriam Religio- ſam & votiuam, in profeſſione Religi- oſi ſtatus contentam. Ducor ad hoc. Primò: Quia ſemper perfeuerat, eadem ignorantia vſus illius poteſtatis domi- natiuæ: & præualet in communi ſenſu, vſus cognitus, & intellectus proprię iurisdictionis, & principaliffimę po- teſtatis. Secundò: Quia ordinarius Epiſ- copus, vel eius Vicarius in ſua Diœceſi, eiſdem verbis: *in virtute ſanctæ Obe- dientię*, inſtruunt ſua mandata, ful- minaturi cenſuras, ad quoſcumque ſubditos, qui nullo voto ſunt adſtricti, ſine quo ſatis ſuæ poteſtatem iurisdic- tionis expediunt: Ergo etiam in Papa non vrget ampliùs intelligere: Vt ſci- licet ſolum in communi & genera- lis obedientię ratione ſiſtatur, nec tranſeat ad ſacrilegam ex voto. Con- firmaturque: Quia hoc pacto euadit conformior modus præcipiēdi Pon- tificius: vt ſummus Pontifex, qui ſu- premus Epiſcopus Eccleſiæ eſt, & alij ſimiliter procedere intelligantur. Cõ- firmatur rursus rationibus adductis ſu- præ *num. 19.* quæ ad rem faciunt. Qui- bus accedit, (quod mihi magni pon- deris eſt) huic reſolutioni ſubſcripiſſe, D. Epiſcopum Pacenſem Mag. Ange- lum Manrique Salmanticenſis Theo- logię Primarium emeritum, in termi- nis hic exaratis conſultum. Atque in ſimili fauet Suarez, *tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 6. cap. 4. num. 36.*

Poterat autem hic aliquis forſitam deſiderare, ſiquidem votum religio- ſum obedientię, reſpectu Papæ, eſt preſſo Mino- rum & So- cietatis.

XIX.  
Expeditur.

1.

2.

IVX  
Confirm. 1.

Confirm. 2.

XX.  
De voto ex- preſſo Mino- rum & So- cietatis.


operetur, in illis, in quibus non solum implicite fit, sed expresse vouetur. Vt in religione S. Francisci, & Societatis IESV? Ad quod ego, qui in nostra professione, non agnosco nisi tria vota status religiosi, vt sup. *art. 7.* quidquid ultra illa addiderint prædictæ Religiones ipsarum intellectui & explicationi relinquo. Eam autem, pro Societate IESV, late traddit Suarez supra citatus, *per totum cap. 4.* & dum ait, esse quartum votum speciale, circa materiam Missionum, tenetur saltem distiuctam materiam eius designare, adquam generale votum obedientiæ vt sic, alias non pertingat. Nostra autem professio ad id non obligat, cuius in REGVLÆ S. BENEDICTI nullum præceptum est; tamen neque prohibitio aliqua impediens, quominus voluntaria charitate, illa conuertendi infideles, hæreticisq; prædicandi prouintia suscipi possit, sine violatione nostri monastici instituti, aut illius repugnantia. Quod non tã decretum Bonifacij 4. *in cap. sunt nõnulla: 16. quæst. 1.* suadet, quod non loquitur in casu, quamuis in casum adducatur ab aliquibus; quàm exempla ab ipso B. BENEDICTO, vsque ad nostram ætatem, quasi continuata serie deducta, & historiæ monumentis comprobata, omnino conuincunt.

XXI.  
*Amplius de  
eisdem.*

Quid deindé speciale in hoc intelligatur, à Religiosis Ordinis S. Francisci, requirat qui uolet à D. Bonauentura, in expositione Regulæ Minorum, à Cordubà, & à Miranda, qui late, circa ipsam, de eo egisse se testatur. Nam si solum differentia sit, per explicitam &

expressam obedientiam, quam alij implicité uolent, nullum discrimen est, cum taciti & expressi eadem sit ratio. Et constat ex communi doctrina, de professione tacita & expressa, quarum eadem est obligatio, ex dictis sup. *art. 7. num. 3. & 4.* Si uero quis contendat, per expressionem voti obedientiæ promissæ Pontifici, esse quamdam repetitionem voti: In primis, dùm semel tantum fit professio, repetitio esse nequit: deinde etiam si ea reputetur repetitio aut iteratio, nihil inde augeri obligationis, probatum est satis sup. *artic. 6. à num. 3. cum seqq.* Quod uero Suarez ubi sup. *num. 29.* insinuat, de maiore obligatione intensiua, dùm expresse vouetur obedientia Pontifici, respectu eius, qui implicite uouet eam: etiam si meditatio sit, deducta à D. Bonauentura & Corduba, sed quæ parum conuincere uidetur. Solum enim est maior manifestatio exterior, eiusdem obligationis; quæ aliunde potest, cum maiore uel minore uolentis deuotione & intentione coherere. Aliàs sequeretur, eos qui in professione expresse nuncupant vota Castitatis, & Paupertatis, maiori obligatione constringi, quam Benedictinos & alios, qui supresso nomine, eadem profitentur & promittunt: quod nec illi æquanimiter patientur amplius obligatione premi, nec Nos libenter concedemus, ab illis in eo uinci. Quare in his, nullum inuenio discrimen. Nec mihi opus est hæc latius prosequi, qui hac introductione præmissa, iam ad ipsas REGVLÆ nostræ NOTAS, incunctanter propero.





GRATIA  
BENEDICTVS  
ET NOMINE.

IPSE

DVX VESTER,  
IPSE MAGISTER.

ET

LEGIFER VESTER EST.



D. P. N. Bernard. Serm. de S. Bened.

## PRÆCAPITVLATIO

# REGVLAE, ET POTIORVM, QVÆ IN NOTIS AGVTVR,

SVMMARIA INDICATIO, EX VNIVERSALI  
OPERIS INDICE PECVLIARIVS  
COMPLENDA.

- Titulus.** **R**EGVLA Beatissimi P.N. BENEDICTI Abbatis, IN NOTIS. *De inscriptione, & qua nã prior? &c.*
- Prologus.** IN NOT. *An aliqua inde obligatio, à num. 1. Explicatio literæ, à num. 5. liberatur Regula a limitatione B. Petri Damiani, à num. 8. simul & asseritur illius discretio, à num. 13.*
- Cap. I.** De generibus Monachorum. IN NOTIS, *Genera monachorum exponit, à num. 1. Cœnobitas præfert. à num. 8. Regule ante S. Benedictum plures, & ipse sub nulla, à num. 11. ipsius solius habitus cuculla, à num. 18. De tonsura monastica latè, à num. 20.*
- Cap. II.** Qualis debeat esse Abbas? IN NOT. *Obligatio à num. 1. Nomen Abbatis, à num. 3. Eius titulus an obligatorius ex Regula? à num. 5. An ex illa necessario debeat esse Sacerdos? à num. 9. & 12. Sacerdotium S. Benedicti, independenter à Regula statuitur, à num. 11. & à num. 17. &c.*
- Cap. III.** De adhibendis ad consilium fratribus. IN NOT. *Quæ præcepta contineat, à num. 2. & 7. & 11. Qualis consultatio, num. 5. & 6. Disciplina significatio discutitur, à num. 8.*
- Cap. III.** Quæ sunt instrumenta bonorum operum? IN NOT. *Proprietas Tituli defenditur, à num. 1. obligatio eorum ex Regula, quæ? num. 4.*
- Cap. V.** De obedientia. IN NOT. *Eius cum humilitate connexio, à num. 1. obligatio, à num. 3.*
- Cap. VI.** De Taciturnitate. IN NOT. *Sensus, & obligatio, à num. 1. Præpositi & Prioris acceptio declaratur, à num. 6. Scurritatis amotio, à num. 8. An licite, & ex Regula Recreationes? à num. 9.*
- Cap. VII.** De humilitate. IN NOT. *obligatio, num. 1. cum citatis, Ratio graduum, per singulos traditur. Sacerdotium in Abbate, non conuincitur ex quinto gradu, à num. 11. Vnde desumpti ij gradus, & varietas in eis, à num. 32.*
- Cap. VIII.** De Diuinis Officijs in noctibus. IN NOT. *Qua hora surgendum? à num. 1. De horis ampla discussio, à num. 3. De spacio temporis, post vigilias, & Lamparilla, à num. 11.*
- Cap. IX.** Quot psalmi dicendi sunt, in nocturnis horis? IN NOT. *Explicatio literæ à num. 1. Ex benedictione, quæ ibi de-*

demandatur Abbati, eius sacerdotiū non conuincitur, à num. 3. Cantatio quæ? à num. 11.

Cap. X.

Qualiter ætatis tempore, nocturna laus agatur? In NOT. Psalmorum numerus, ab antiquo.

Cap. XI.

Qualiter diebus Dominicis Vigiliæ agantur? In NOT. Aliqua de officio diuino, & cantu, à num. 1. De Organico instrumento & voce, à num. 5. Potestas breuiandi aliquid quæ? à num. 6. Lectio Euangelij & benedictio, de qua ibi, nihil conferunt ad sacerdotium necessario in Abbate, à num. 8.

Cap. XII.

Qualiter Matutinorum solemnitas agatur? In NOT. De cantu indirectum, & de Collectis nonnulla.

Ca. XIII.

Qualiter priuatis diebus Matutini agantur? In NOT. Difficultas de Psal. 66. modicè dicendo, a num. 1. De Pater noster, an in eo terminaretur hora? à num. 4.

Ca. XIII.

Qualiter in Natalitijs Sanctorum Vigiliæ agantur? In NOT. Natalitiorum acceptiones, à num. 2.

Cap. XV.

Quibus temporibus Alleluia dicatur? In NOT. Discutitur omisio Alleluia, iuxta Regulam.

Ca. XVI.

Qualiter diuina opera per diem agantur? In NOT. Numerus horarum officij traditur.

Ca. XVII.

Quot Psalmi per easdem horas dicendi sunt? In NOT. Vox Missæ, discutitur, à num. 3. & alia.

Ca. XVIII.

Quo ordine Psalmi dicendi sunt? In NOT. Mutatio officij an extet ex Regula? à num. 1. obligatio, à num. 5. De officio B. Virg. M. ARIÆ late, à num. 6.

Ca. XIX.

De disciplina psallendi. In NOT. Sensus, & obligatio.

Cap. XX.

De reuerentia orationis. In NOT. Sensus & obligatio, à num. 1. De orationis duratione, aut breuitate, à num. 2.

Ca. XXI.

De Decanis monasterij. In NOT. Explicatio Decani, à num. 1. Conditionalis hic dispositio Regula, & in quibus haberet locum? à num. 3. Duodenarius monachorum numerus, pro obseruatione Regulae satis, à num. 6.

Quomodo dormiant monachi? In NOT. De dormitione in communi loco, aut in cellis separatim, à num. 1. de candela iugi in dormitorio, à num. 9. de dormitione cum vestitu, à num. 10 & cingulo, à num. 15. & cum caligis, à num. 19. in omnibus declarata obligatione.

De excommunicatione culparum. In NOT. An ea excommunicatio fuerit censura proprie? negative resoluitur, & discutitur late, a num. 1. cum ibidem citatis. Correctioni fraternæ omnino adstipulatur Regula, num. 16.

Qualis debeat esse modus excommunicationis? In NOT. Confirmatur non esse censuram.

De grauioribus culpis, In NOT. Idem amplius probatur.

De his qui sine iussione Abbatis, iungunt se excommunicatis. In NOT. Adhuc idem inde confirmatur.

Qualiter debeat Abbas sollicitus esse circa excommunicatos? In NOT. Breuis indicatio obligationis officij prelati.

De his qui sæpius correcti non emendauerint. In NOT. De eiectione incorregibilis, à num. 2.

Si debeant recipi fratres egressi a monasterio? In NOT. Obligatio admitrendi vel non, tertio egressum à monasterio.

De Pueris in minori ætate, qualiter corripiantur? In NOT. Mos antiquus recipiendi pueros, a num. 1.

Qualis debeat esse cellerarius monasterij? In NOT. Nominis cellerarij, & Diaconie ratio, a num. 1. electio & qualitates, a num. 4. Typi acceptio, a num. 7. obligatio eius, & aliorum officialium, a num. 9.

De ferramentis monasterij. In NOT. Declaratio & obligatio, a num. 1. Abbatis in temporalibus, etiam obligatio adstruitur, a num. 3. & ex inæqualis excusatio à choro, a num. 11.

Si debeant monachi proprium aliquid habere? In NOT. De proprietate potius remissive.

Si omnes æqualiter debeant necessaria reci-

Ca. XXII.

Cap. XXIII

Ca. XXIII

Ca. XXV.

Ca. XXVI.

C. XXVII.

C. XXVIII

Ca. XXIX

Ca. XXX.

Ca. XXXI.

C. XXXII.

XXXIII.

XXXIII

recipere? In NOT. *Explicatio, & obligatio.*

C. XXXV. De legitimarijs coquinæ. In NOT. *Plura hodie omiffa & qualiter, à nu. 1. De lorione pedum, num. 4. De Misto à num. 5. & c.*

C. XXXVI. De infirmis fratribus, In NOT. *obligatio à num. 1. An liceat curatio extra infirmitorium? à num. 3. De permissio- ne balneationis, à num. 7. Medica- mentorum vsus quatenus liceat, & debet esse? à num. 9. Prohibitio esus carniū, etiam volatiliū, à num. 19 & 26. De ouis, à num. 20. & 29. De ci- bis Castella Sabbatinis, à num. 23.*

XXXVII. De senibus vel infantibus, In NOT. *Qualis attentio eis aem, à num. 1.*

XXXVIII. De hebdomadario lectore, In NOT. *Eius benedictio, à num. 1. De commu- nione ex Regula, & frequentia eius, à num. 3. obligatio, illius, à num. 6. Idem de confessione, num. 9. De silen- tio in mensa, à numer. 11. De Misto, iterum num. 15.*

C. XXXIX. De Mensura ciborum. In NOT. *Pul- menti declaratio, à num. 1. Pondus libræ panis, à num. 4. Parsimonia, & indulgentia Regula collatio, à num. 8*

Cap. XL. De Mensura potus. In NOTIS *Vini- portio examinatur, à num. 2. Partior ex Reg. num. 4.*

Cap. XLI. Quibus horis oporteat reficere fratres. In NOT. *Ieiunij tempora, ex Regu- la, à num. 1. & c. Porestas dispensandi aut mutandi, à num. 5. & 14. Hora reficiendi antea, & de refectiuncula vespertina, à num. 9. ieiuniorum diuer- sitas, num. 13.*

Cap. XLII. Ut post completorium nemo loqua- tur. In NOT. *Quodnam silentium in dicitur, & qua claustrij lectio, à nu. 1.*

Ca. XLIII. De his qui ad opus Dei, vel ad men- sam tarde occurrunt. In NOT. *Multa tardorum in choro, à num. 1. & quam longe à ratione censura Eccle- siastica, à num. 4. item in refectorio, à num. 6. de cibo, ibi aut alibi, à n. 9.*

Ca. XLIV. De his qui excommunicantur, quomo- do satisfaciant? In NOT. *Multiplex poena militaris, & monastica latés, à num. 1.*

De his qui falluntur in Oratorio. In Cap. XLV. NOT. *Petitio venia explicatur, & Metanea.*

De his qui in aliquibus rebus leuibus delinquunt. In NOT. *Obligatio, nu- mer. 1. Officinarum monasterij expli- catio, ex Regula, a num. 1.*

De significanda hora operis Dei. In XLVII. NOT. *Quibus instrumentis, à num. 1. & de Campanis, à num. 5. & turribus num. 8.*

De opere manuum quotidiano. In NO XLVIII. TIS, *Dispositio eius per tempora, à nu- mer. 1. Modus operum & lectionis, à num. 5. obligatio, à num. 10. libri, & lectio in Quadragesima, & bibliote- cæ, à num. 15.*

De quadragesimæ obseruatione. In C. XLIX. NOT. *De Quadragesima, num. 1. ea que multiplici, à num. 2. de Adventu, à num. 4. de capite Quadragesimæ, ut in Regula, à num. 6.*

De fratribus, qui longe ab oratorio la- borant, aut in via sunt. In NOT. *La- bor in agro, & modus officij, à num. 1.*

De fratribus, qui non satis longe pro- ficiscuntur. In NOT. *Obligatio, & de excommunicatione non censura, num. 1.*

De Oratorio monasterij. In NOT. *De Ecclesia, num. 1. & Silentio in ea, nu- mer. 3. & in orando, num. 4.*

De hospitibus suscipiendis. In NOT. Ca. LIII. *De hospitalitate, & qua obligatione? a num. 1. Ceremonia in suscipiendo hospite, à num. 4. De oratione cum eo num. 5. De osculo pacis, nu. 6. De fra- ctione ieiunij, à num. 9. De lauandis pe- dibus, a num. 12. De multiplici coquina antea, ex Regula, a uum. 18. De socio, & Benedicite, a num. 20.*

Ut non debeant monachi literas, vel eulogia accipere. In NOT. *Quid eu- logia? num. 1. de epistolis, a num. 2.*

De Vestimentis & calceamentis fra- trum. In NOT. *De numero vestium, a num. 1. de modo, a num. 2. & seqq. de colore, num. 12. de forma, a num. 17 de stramentis lectorum, a num. 21. de braccile, & Tabulis, a num. 23. de ve- stuario, a num. 28. obligatio, nume. 30.*

- V.IX. qd* De habitu collato S. Benedicto, contra Basilianos, a num. 32.
- Cap. LVI. De mensa Abbatis. In NOT. *Vsus, & obligatio declaratur.*
- Ca. LVII. De artificibus monasterij. In NOT. *Obligatio, num. 1. Quæ artes exercerentur, ante & post Regulam? a num. 2. Conuersorum ratio, & occupatio. à num. 7.*
- III.VI.X* Ca. LVIII. De disciplina suscipiendorum fratrum In NOT. *An difficultandus ingressus? a num. 1. Annus integer probationis, a num. 3. Regula iterata lectio, à num. 5. Professio, a num. 8. An fratres laicos admittat? à num. 9. & de feminis. num. 13. De dispositione rerum Nouitij, à num. 14. Nouitatus in habitu seculari, à num. 17. An B. Petrus Damianus fuerit Benedictinus, à num. 19. &c.*
- I. qd* Cap. LIX. De filiis nobilium, vel pauperum, qui offeruntur. In NOT. *An ignobili locus? nu. 1. Quæ Oblati obligatio? &c. à num. 3.*
- Cap. LX. De Sacerdotibus, qui volunt in monasterio habitare. In NOT. *De gradu Sacerdotis ad habitum admissi, à numer. 1. Sacerdotium Abbatis, ex professione impensa non probari, à nu. 9.*
- Cap. LXI. De monachis peregrinis, qualiter suscipiantur? In NOT. *Declaratur transitus ab alia religione, num. 1. Sensus Regula, & obligatio, num. 2.*
- Ca. LXII. De Sacerdotibus monasterij. In NOT. *De promotione ad ordines, à num. 1.*
- C. LXIII. De ordinibus Congregationis. In NOT. *Modus graduum, à num. 1. Appellationes Fratris, Noni, & Domni, à num. 3. Oblatorum ætas, vt recipere-  
rentur, à num. 9.*
- VII. qd* C. LXIV. De ordinando Abbate. In NOT. *Eius electio, à num. 1. obligatio eius ad Regulam, à num. 3. & alia remissiuè.*
- De Preposito monasterij. In NOT. *electio Prepositi, à num. 1. An sufficiat dignus? à num. 6. Discutitur de alijs, à num. 10. de votis consultiujs, à numer. 11. De officijs capitularibus, à numer. 14. de restrictiujs electionibus, num. 17. Dignitatis consideratio, numer. 18. &c.*
- De Ostiarijs monasterij. In NOT. *Officium, & obligatio, à num. 1. edificium monasterij quale? à num. 4.*
- De fratribus in viam directis. In NOT. *De benedictione egressuris, à num. 2. Oratio pro absentibus & reuertentibus, à num. 5. An sine socio incedendum? à num. 8. Mos equitandi Monachis, à num. 10.*
- Si fratri impossibilia iniungantur. In NOT. *declaratur impossibilitas, de qua hic.*
- Vt in monasterio, non presumat alter alterum defendere. In NOT. *defensio, & incommoda ex inde declaratur.*
- Vt non presumat quisquam alium passim cedere, aut excommunicare. In NOT. *Correctio & castigatio, non à priuatis, sed à publico ministro.*
- Vt obedientes sint sibi inuicem fratres In NOT. *De Preposito, quid & quatenus possit, Abbate presentes vel absentes vel monasterio vacante? a nu. 2. An possit obedientiæ præceptum ponere? a num. 12. & idem de Abbatibus, a num. 14.*
- De Zelo bono, quem debent monachi habere. In NOT. *declaratur.*
- De eo quod non omnis obseruatio iustitiæ, in hac sit Regula constituta. In NOT. *intentio in hoc cap. à num. 1. est extra Regula obligationem, a numer. 2. Omissa non obligant inde, ibid. & a num. 5. defensio peculiaris Authoris, contra Basilianos &c. a nu. 12.*

Ca. LXV.

C. LXVI.

C. LXVII

C. LXVIII.

Ca. LXIX

Ca. LXX.

C. LXXI.

C. LXXII

C. LXXIII.





# REGVLA SANCTISSIMI P. N. BENEDICTI ABBATIS.

## NOTÆ LITERALES

### A D

### INSCRIPTIONEM REGVLÆ.

I. *varia inscri-  
ptiones Re-  
gula.*



VM Sacræ authographū REGVLÆ, propria scilicet Sanctissimi Patris exarata manu, desideretur ad manum: ut in Superiori *Introductione* prædocui, *Artic.* 3. non mirum est, si genuinus etiam Regulæ desideretur Titulus, nec constet de germanissima illius inscriptione. Quidam: REGVLA *Beati* BENEDICTI, tantummodò, pro titulo exprimunt. Alij: REGVLA *Beatiss. aut Sanctiss. Patris* BENEDICTI, *monachorum omnium Patriarchæ*, esse inscriptionem pronuntiant, & verba singula, quasi alia propria AVTHORIS, commentantur. Alij aliter, licet parùm, immutant verba. Quæ omnia, præter proprium *Operis*, & *Authoris*, nomen, videtur exploratum, non haberi ab ipso, sed ab alijs, ipsum debere reuerentibus, postmodum adie-

ta fuisse: qui meritis eius eximijs ad gaudentes, & *Beatum*, & *Beatissimum*, & *Patrem*, Monachorum omnium, saltem *Occidentalium*, (prout aliqui in titulo exprimunt) summum Patrem, hoc est *Patriarcham*, verà benèque fundata compellatione, poterunt nominare.

Qua propter, si illa licet verissima, adiectitia tamen demas: reor, prout ab ipso, nihil aliud, in titulum dedisse, quam: *Regula Monachorum Fratris Benedicti*. Hæc propriissima mihi *Operis & Authoris* in scriptio. REGVLA enim, norma & instrumentum rectitudinis linearum, ad significandumque Constitutionem, legem, aut breuem alicuius doctrinæ præceptionem, apud Ciceronem, & Quintilianum, translata, & iam ab ipsis Religionis cunabulis, de Monasticis Cœnobi-  
rum institutis, propriè accepta, pro-

II. *Proprior in-  
scriptio.*

*Quid Regula  
sit?*

prissimū huius OPERIS, nomē est. Quo quidem Ioannes Cassianus utitur, in *præfatione ad libros de institutis Cœnobiorum & alibi*, sicut & Basilius, Hieronymus, Augustinus, alijque tempore antiquiores Archimāditæ, quorum exemplo, S. BENEDICTVS, simile Opus, pari nomenclatione, à Magno Maximoque Pontifice Gregorio, atq; Zacharia postea in approbationibus suis recognita, donauit.

III.  
Probatio in-  
scriptionis.

Quod verò, nudum sui nomen, modo dicto, AVTHOR adiunxerit, id est, Religioso addito *Fratris*, & non alijs titulis encomiasticis exornatum, sed cum sola ipsiusmet obseruatione præcepti, quo *capit. 63.* cauit, vt, *nulli liceat alium puro appellare nomine*: mihi argumento est: In primis, humilitas sanctissimi Viri, qui à principio plus appetijt mala mundi perpeti, quam laudes: & in ipsa REGVLA, eximium omnium graduum humilitatis Magistrum agēs, nihil honorificum, aut laudabile, sibi ipse adscripsisset in titulis. Deinde quia post discessum ab hac vita, in miraculosis apparitionibus, eā semper humili, & nuda vsus est nomenclatura, se *Fratrem Benedictum*, vocans, vt obseruari potest, vbicumque suum declarat nomen. Ita sæpius in *Chronico Cassinensi*, lib. 2. cap. 44. ait ipse: *Ego sum Frater Benedictus*, & cap. 52. ibi: *Ego Frater Benedictus vocor*, & lib. 4. cap. 67. illis verbis: *Interrogatus, quisnam esset? Fratrem Benedictum se esse respondit.* Ita etiam in *Biblioteca Floriacensi*, lib. 1. *miraculorum*, cap. 4. loquens ipse ait: *Certissime sciens me Fratrem Benedictum vocari*, &c. Nec alio schemate loqueretur, aut scriberet viuens, quam quod ad cælos iam translatus retinuit, & quo alij egregij & sanctissimi viri vsi sunt, in Authographis, sua opera & Epistolas inscribentes. Nisi fortè, quod ad finem Regulæ Authographæ datæ S. Mauro, subscriptum fuisse scilicet: *Codex peccatoris Benedicti*, &c. tradidit ex Chrystoph. Brovero, Haftenus, lib. 2. tract. 1. disp. 4. id etiam in PRINCIPIO inscribendum esse ve-

Fr. Benedi-  
ctus eius no-  
men.

lis. Quod humilitatē auget, & ab stilo Sāctorum non discedit.

Cæterum nuda hæc, FRATRIS BENEDICTI, tanquam AVTHORIS expressio, omnem secum laudum & encomiorum exornationem adiungit. Vtpote in quem Magnus Gregorius, lib. 2. *Dialog. cap. 8.* propter mirabilia illius opera, tantam congerat virtutem: *Vt in aqua producta Moysen, in ferro quod ex profundo aqua reddidit Eliseum, in aqua itinere Petrum, in corbi obediētia Eliam; in luctu mortis inimici, David videat, atque perpendat.* Demumque concludat: *Vir iste spiritu iustorum omnium plenus est.* De quo supra in præmissa introductione, Artic. 3. num. 1. remissiuè aliquid indicatū est. Et totum, in ipso nomine BENEDICTI, quasi prophético, in initio, futurorum vocabulo; & in fine quasi præcedentium sinopsi atque compendio, contentum & inclusum fuisse videatur, prout aliàs de charitate, quæ Deus est, dixit D. BERNARDVS, lib. de *Nat. amor. cap. 7.* *Breuis est laus, sed concludens omnia*, & quodammodo, in hoc, ita innuunt ea verba S. Odonis Abbatis, apud *Bibliotec. Cluniac. Serm. de S. Bened.* quæ vice aliorum à quibus breuitas NOTARVM abstinet, in præsentiarum dabo.

Ait ergò inter alia sic: *Lucerna est igitur Beatissimus Benedictus, lucerna in qua ad hoc super candelabrum posita, vt ardens & lucens, sicut de suo Præcurso- re veritas testatur, omnibus qui in domo sunt, resplendeat. An & iste, superno amore, non vehementer arsit? An & iste, cum verbo & opere, tum signorum splendore non reluxit? Est igitur lucerna. Sed qualiter eundē Preceptorem suū, imo & Dominum legiones monachorum, decentius appellabunt Dominum inquam, siquidem & Elias dictus est Dominus Elisei. Ergò pietatis affectu, vocetur lucerna, sed quasi parū est, vocetur etiā stella. Non tamen qualiscūque, sed talis quæ erudiens multos, ad iustitiam resulgeat (iuxta illud Danielis 12.) in perpetuas æternitates. Vocetur etiam Sol, quia fulgebit sicut Sol, cum iustis, & nunc in*

III  
In eo Nomi-  
ne quanta  
laus?

V.  
Encomia no-  
minis BE-  
NEDICTI

Ecclesiæ, & tunc in Regno Patris eorum. Vocetur etiam Angelus, quia legem requirunt ex ore eius. Sed postremo videant & gaudeant, quã proprie vocetur BENEDICTVS, quẽ Deus adeo benedixit, in omni benedictione spiritali, & per quem, tanti benedictionem hereditate

possidebunt. Atque hæc de inscriptione præcisse; nam cetera procemialiter insinuata sunt, in introduct. Arrie. 3. Nunc ipsum beatissimum PATREM ad suam REGVLAM præloquẽtem audiamus.

## PROLOGVS.

TEXTVS.

§. I.



**A**VSCVLTA ô fili, præcepta Magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij patris libenter excipe, & efficaciter comple: ut ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras. Ad te ergo nuñc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians proprijs voluptatibus, Domino Christo vero regi militaturus obedientiæ fortissima atque præclara arma assumis. In primis ut quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas; ut qui nos iam in filiorum dignatus est numero computare, non debeat aliquando, de malis actibus nostris contristari. Ita enim ei omni tempore de bonis suis, in nobis parendum est, ut nõ solum ut iratus pater, suos non aliquando filios exharedet, sed neque ut metuendus Dominus, iratus malis nostris, ut nequissimos seruos, perpetuam traddat ad pœnam, qui eũ sequi noluerint ad gloriam.

§. II.

Exurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos scriptura ac dicente: Hora est iam nos de somno surgere. Et apertis oculis nostris ad Deificum lumen, attonitis auribus audiamus, diuina quotidie clamans, quid nos admoneat vox, dicens: *b* Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Et iterum: *c* Qui habet aures audiendi audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis. Et quid dicit? *d* Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *e* Currite dum lumen vitę habetis, ne tenebrę mortis, vos comprehendant. Et querens Dominus in multitudine populi sui (cui hæc clamat) operarium suum, iterum dicit: *f* Quis est homo, qui vult vitam & cupit dies videre bonos? Quod si tu audiens, respondeas: Ego: dicit tibi Deus: Si vis habere veram & perpetuam vitam; prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, diuerte à malo & fac bonum, inquire pacem, & sequere eam. Et cum hæc feceritis, & oculi mei super vos, & aures meę ad preces vestras, & *h* Antequam me inuocetis dicam: Ecce ad sum. Quid dulcius nobis hac voce Domini inuitantis nos Fratres Charissimi? Ecce, pietate sua, demonstrat nobis Dominus viam vitę.

§. III.

Succinctis ergo fide, vel obseruantia bonorum actuum, lumbis nostris,

*a* Rom. 13.

*b* Psal. 94.

*c* Apoc. 2.  
& 3.

*d* Psal. 33.

*e* Ioann. 12.

*f* Psal. 33.

*g* Psal. 33.

*h* Isa. 58.65.

perducatum *Euangelij*, pergamus itinera eius, ut mereamur eum, qui nos vocauit in Regno suo videre. In cuius Regni tabernaculo, si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus currendo, minime peruenitur. Sed interrogemus cum *Propheta Dominum*, dicentes ei: <sup>i</sup> Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Post hanc interrogationem, Fratres, audiamus *Dominum* respondentem, & ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi, & dicentem: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam: qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua: qui non fecit proximo suo malum: qui opprobrium non accepit aduersus proximum suum: Qui malignum diabolū aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasione sua à conspectibus cordis sui respiciens, deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit & allisit ad Christum.

; P<sup>s</sup>alm. 14.k P<sup>s</sup>alm. 136.l P<sup>s</sup>alm. 113.

m 1. Cor. 15.

n 2. Cor. 10.

o Matth. 7.

p Rom. 2.

q Ezech. 33.

Qui timent *Dominum*, de bona obseruantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona, non à se posse, sed à Domino fieri existimantes, operantē in se *Dominum* magnificant, illud cum *Propheta* dicentes: l Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sicut nec *Paulus Apostolus*, de prædicatione sua sibi aliquid imputauit, dicens: m Gratia Dei sum id quod sum. Et iterum ipse dicit: n Qui gloriatur in Domino gloriatur. Vnde & *Dominus* in *Euangelio* ait: o Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam, supra petram. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerūt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram. Hæc complens *Dominus* expectat quotidie, his suis sanctis monitis, factis nos respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum, huius vite dies, ad inducias relaxantur, dicente *Apostolo*: p An nescis, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit? Nã pius *Dominus* dicit: q Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Cum ergo interrogassemus *Dominum*, Fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum; sed & si compleamus habitatoris officium, erimus heredes Regni celorum.

§. III.

Ergo præparanda sunt corda nostra & corpora, sancta præceptorū obedientie militatura, & quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus *Dominū*, vt gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrare. Et si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam volumus peruenire perpetuam, dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & per hanc lucis vitam vacat implere, currendū & agendū est modò, quod imperpetuū nobis expediat. Constituenda est ergo à nobis *Dominici SCHOLA* seruitij, in qua institutione nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus, sed & si quid paululum restrictius, dictante æquitate ratione, propter emendationem vitiorum, &

§. V.

r Psal. 118. *conservationem charitatis, processerit, non illicò pauore perterritus, refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu verò conuersationis & fidei, dilatato corde, & inenarrabili dilectionis dulcedine, curritur via mandatorum Dei: ut à ipsius nunquam magisterio discedentes, in eius doctrina, usque ad mortem, in monasterio perseuerantes, passionibus CHRISTI per patientiam participemus, vt regni eius mereamur esse consortes. Amen.*

NOTÆ.

I. *Summariū Prologi.*

**P**ROLOGVS, quo ante REGVLAM præfatur monasticę disciplinæ Magister S. BENEDICTVS, quasi vestibulum est ad ipsum magnificū eius ædificium, quod illius ianuam honorifice vestiatur, & introducēdos ad Dei altare, ipsique consecrandos, sanctè recipiat: ad quos præloquutio tota dirigitur: neque tā nobilis ars, poterat sine præmio traddi, quo viam monasticam muniat. Quare in eo ait, §. 5. *Constituenda est Dominici Schola seruitij.* Atque in ea SCHOLA & Philosophiæ huius Academia, obiectum finem vè proponit, scilicet, §. 1. *Vt ad Deum, per Obedientiæ laborem, redeas, à quo per inobedientiæ desidiā recesseras.* Modum autem addiscendi demonstrat, nempe, §. 3. *Vt succinētis fide lumbis nostris, & obseruantia bonorum actuum* (sic enim sumitur hic, vel pro &, vt infra c. 13. n. 5. & alias noto) *perducatur Euangelij, pergamus itinera eius.* A facilitate verò iuadet, ostendens in his, præsto esse auxiliatorem diuinum, qui ait, §. 2. *Oculi mei super vos, & aures meæ ad preces vestras. Et antequam me inuocetis dicā: Ecce adsum.* Vtilitate etiam fructus, seu potius æterni magnitudine præmij, beatificaque futura visione, illeçtat, videlicet, §. 3. *Vt mereamur eum, qui nos vocauit in suo regno videre,* Locum pariter huius cælestis Gymnasij, studij & stadij designat, dūm addisci, ait, §. 5. *Usque ad mortem in Monasterio perseuerantes, sicut infr. cap. 4. designat horum Officinam claustra Monasterij.* Aptos similiter tātę professionis alumnos aduocat, notanter illos §. 1. *Qui ab renunciantes proprijs Voluptatibus, Domino Christo vero Regi militaturi, obediē-*

*tia fortissima atque præclara arma assumunt. Hæc ferè Prologi summa.*

Vndè totus ipse *Prologus*, omninò continet *excitationem* animi, eiusque *adhortationē*, sacre Scripturæ testimonijs & sententijs instructam, ad capefendam Religiosi statūs viam. Atque ideò ex se *Prologus* iste præceptiuus non est, sed præcepta pariter & admonitiones se daturum postea, congruis locis, in ipso Regulæ limine pollicetur Beatiss. Pater: *Ausculata* (inquiens) *ò fili præcepta Magistri, & admonitiones p̄j Patris libenter excipe, &c.* Quibus fere omnia Regularia comprehendit, nam *præceptum* ad quæque grauia leuia ve mandata se extendit, & *admonitio*, licet ipsa, vt sic, non sit præceptum, sed potest & solet esse, de iis etiam, quæ sub aliqua præcepti obligatione, & culpa cadunt, sicut pariter *exhortatio* & *incitamentum* ad aliquid, vel fugiendum, vel prosequendum. *Magistrum* verò & *Patrem* appellat, non se, sed SPIRITVM SANCTVM, vt explicat Card. Petr. Dam. loco citando *infr. n. 8.* Quod amittit textus, & ratio: *Nam ille* (ait Damian.) *seruum suum propriæ vocis organum fecit, & vt tale, sermonē auditoribus dirigit, haud sibi magisteriū vsurpans, sed illud SPIRITVI SANCTO, (quem per BENEDICTVM, docentem, plura egregiaq; Scribentiū testimonia, & argumenta fatentur) humiliter & veraciter deferendo.* De quo etiam in *Lacinia segm. 2. num. 5.*

Ex dictis verò, omnia ista in *Prologo* cõtenta, constat pertinere ad quartam CLASSEM rerū, quas distinxim⁹ in *Introductione Ar. 5. n. 4. & 5.* & explicuimus *Ar. 9.* Nā licet aliquaten⁹ procedat modo imperatiuo, *Ausculata, Excipe, &c.*

II. *Excitatio & exhortatio est.*

III. *Pertinet ad 4. Class.*

veritatem certū est, eo schemate loquē di, & Præcepta, & Admonitiones, & alia hortamenta traddi. Propterea ad vim præcepti nō est trahēda loquutio illa, cui alia non suffragantur, vt insinuauit in *introducēt. artic. 6. num. 14.* Atque ita: *Auscultra ò fili, &c.* paternalis interpellatio est, & totus sermo præparatorius ad postmodū statuēda, neque enim in præsentī procemio aliquid statuit, sed statuere parat, & subiectum statuendorum, nempe Discipulum, & Monachatus candidatum præparat, & disponit.

Sic sanè, vt id probemus, sapiunt verba illa: *Exurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos scriptura, &c.* & rursus illa: *Succinctis ergo lumbis, &c.* Præterea illa: *Ergo præparāda sunt corda nostra & corpora, &c.* Ac tandem: *In qua institutione nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus, &c.* Vndè non constituentem agit, sed constitutum se exhibet. Sicut enim votum vouendi castitatem, nō est votum castitatis, vt est manifestum, vndè nec reseruatū, vt cum alijs Suarez, *tom. 2. de Relig. lib. 6. cap. 21. num. 7.* & Thom. Sanchez, in *summa, lib. 4. cap. 40. num. 70.* pariter, nec constitutio cōstituendi Regulam, erit constitutio Regularis, idèdque post hæc sub sequitur illud: *Incipit Regula S. Benedicti,* (pro ut in aliquibus exemplaribus) quia antea nihil præextitit R E G V L Æ proprium.

Probatur amplius, ex similibus verbis, *Proverb. 4. Fili mi auscultra sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam.* Vnde exordium Prologi, ferè ad literam, & prorsus ad sensum, mutuatum est. De illis autem commentatur Cornelius Ianfenius, ibi dicens: *Pro more, ad auscultandum excitat velut somnolentos.* Et recentior alius Cōmentator Salazarius sic: *Verba sunt perspicua, nec indigent interpretis opera. Auditorem suum ad sequentia præcepta attentius excipienda Salomon excitat, & exacuit.* Atque tantundem de prioribus P R O L O G I verbis

scilicet: *Auscultra ò fili, &c.* dicendum sine dubio est, iuxta dicta. Neque verbum *Auscultra*, ad aliam, in præsentī, quam ad seriæ auditionis significationem, extendendum puto; nec aliam opus est illi attribui.

Qua propter (quod pace Vrgellenfis Episc. *eo loci*, dixerim) omittendam censeo, tantam verbi, in audiendo, latentis energiæ differentiam; cum animaduertam istam maximè profectam, apud Grammaticos siuè Criticos (quorum etiam nos officio, interdum fungi oportet) ex quodam loco M. Catonis, quem adducit Aulus Gellius, *lib. 1. cap. 15.* ibi: *Ita est cupidus orationis, vt conducat qui ausculter: Itaque auditis, non auscultatis, tanquam pharmacopolam, &c.* Ex quo, licet Ioannes Paseratius, alia Calepini dictionaria sequutus, cōfirmet significationem verbi *Auscultra*, vt sit, *Audire, & diligenter attendere:* tamen Robertus Stephanus, in suo linguæ Latinæ Thesauro, ait: *Auscultare minus est quam Audire.* Atque id probat, ex eodem loco Catonis, & confirmat ex Pacuuii, apud Ciceronem. Vndè in ancipiti dè re iudicio, notatam supra verbo significationem asserere satis est.

Pariter etiam, omittēdam duco significationem, *Obediendi*, quā idem egregius, & mihi obseruandus Author, adiungit eidem verbo *Auscultra* sed ab hoc loco modoque alienam. A modo quidem, nam, vt idem Paseratius, pariter & Robertus Stephanus, testimonijs quàm pluribus, ostendunt, aliquādo illud verbum significat, *Obedire, sed cū datiuo casu:* licet eo supresso, tametsi sub intellectu, *Obedire* significare, semel saltem, absolute prolatum, inueniam, *1. Reg. 15.* dum ait: *Melior est enim obedientia quàm victima, & auscultare, magis quam offerre adipem arietum,* Vndè cū, accusandi casu, dicat Prologus, *Auscultra præcepta*, eam significationē nullatenus admittit, nec exempla quæ adducit, ad rem quidquam profunt. Vnde constat, etiam à loco hoc alienam esse eam significationem,

VI.  
Auscultra  
hic audire  
est.

VII.  
Auscultra  
hic non est  
obedire.

vt importatam eo verbo; quia ipsam altero actutum exprimit, dicens, *Et efficaciter comple, vt ad eum, &c.* Germanas itaque, & proprias rei sensusque expositiones, placidè pro dignitate materiae, amplector; ad alienas, etiam studiose corrogata eruditione, declamatas, haud vltroneus pergo.

VIII.  
Sugillatio  
Petr. Lam.

Sed vt abstineam ab hac elementaria, seu dictionaria, exornatione, pro meis NOTIS, forsitam redundante; & cum longiore disquisitione & censura, non, nisi vbi difficultas & obscuritas exegerit, adhibenda: illud opportunius notandum est, ad illa verba. Prologi §. 1. *Ad te ergò nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians proprijs voluptatibus, &c.* indè, intentum LEGISLATORIS nostri, venari Cardinalem B. Petrum Damianum, Opusc. 13. de Perfect. monach. cap. 6. qui ait: *Quantùm ex S. Viri verbis colligere possumus, magis ad discendam obedientiam, quam ad peragendam pœnitentiam, Regulae huius Schola, cognoscitur instituta: non vt siue peccatores, siue iustos excludat, vel vllū genus hominum respuat; sed quia omnem vim & intentionem, ad edocenda Obedientiae praecepta constituat.*

IX.  
Approbatum  
quantum ad  
Obedientiã.

Et sententia hæc bipartita, quantū ad præcipuam intentionem de Obedientia, in qua perfectæ Religionis vertitur cardo, & vndè cuncta eius bona proficiscuntur, corroborari potest: ex prima ipsius, Prologi periodo, §. 1. *Vt ad eum per obedientiae laborem redeas, &c.* Et ex sequentibus, §. 2. ibi ex psal. 94. *Hodie si vocem eius audieritis, &c.* Et quæ consequenter citat. & §. 5. *Ergo preparanda sunt corda nostra & corpora, sanctæ præceptorum obedientiae militatura, &c.* & ibidem: *Constituenda est à nobis Dominici schela seruij, &c.* Atque in ipso etiam corpore Regulæ, specialiter de virtutibus documenta daturus, ab Obedientia incipit, de qua, cap. 5. tanquam à potiori status religiosi ratione, vt ibi dicam. Rursum, cap. 7. primum, secundum, tertium, & quartū humilitatis gradum, expressè in modis obediendi, proponit: & cum ferè in

omnibus Capitibus eam admisceat, nunquam ab hac necessaria, & essentialissima monacho virtute discedens, etiam ad finem, cap. 68. *Si fratri impossibili iniungantur, &c.* & cap. 71. *Vt obedientes sint sibi inuicem fratres: eã quasi prorogando commendat, ac diuersimode inculcat, vt potè, quæ vt D. P. N. BERNARDVS, lib. de præcep. & disp. ait, in decretis Regularibus præcipua habetur, &c.* Propterea ex hac parte, sententiam S. Petri Damiani libenter admitto, & admittunt omnes verissimè. Aptumque proinde inuenio panxisse Breuiarium, Haestenum qui, lib. 2. p. 4. r. 2. cathechis. disq. 12. vno disticho REGVLAM conclusit,

*Lingue voluntatem propriam, & mox promptus obedi:  
Regula vix aliud quod sacra mandat habet.*

At verò quod ex altera parte, ad agendam pœnitentiam, ipse desiderat, id nec ab intentione, nec a Regula S. BENEDICTI abesse, adnotari potest, cum ex Prologo, vndè ipse Cardinalis venatur intentum, tum ex ipsa REGULA, Nam ex Prologo, quid aliud, nisi pœnitentiam sonant illa verba? §. 1. *Quisquis ab renuntians proprijs voluptatibus, &c.* & §. 3. *succintis ergò fide vel obseruantia lūbis nostris, &c.* Lumbos enim (iuxta Greg. hom. 13.) præcingimus, cum carnis luxuriam, per continentiam coarctamus, videlicet vt Chrisologus, serm. 22. ait, *cincti castitatis haltheo.* Quod cingulum est illud, Exodi. 39. factum, *ex bysso retorta, &c.* Nempè carne, semper mortificatione torta, ac iugiter excruciatas prout plurimum Patrum intelligentia, & omnium experientia consentit. Præterea, §. 4. ex Paulo, *Patientia Dei ad pœnitentiam te adducit, & §. 5. ad id, aliquid strictius, ordinandum promittit dictante æquitatis ratione.* Quæ omnia, haud incongruè, pœnitentialem vitam peragendam insinuant, & eam in Schola verè monachali profitendam. Nequè hoc abesse poterat ab habitu monastico, quem perinde dici atque penitentia, eruditè probat Haestenus, lib. 5.

X.  
Retunditur  
quoad pœ-  
nitentiam.

*tract. 7. disq. 1. & 3. corrogans ad id, ea-  
quæ de pœnitentiâ veste vulgo Sanben-  
nito, Yepes, & Perez coniectât, & alia.*

## XI.

*Probat̃ur ex  
Regula am-  
plius.*

Sed insuper, ex ipsa REGULA, no-  
tare idem libet. Quid enim aliud est,  
tantoperè à loquutione cohibere lin-  
guam, prout *cap. 6. & 32.* & aliàs silen-  
tium altè constituit? Quid animi per  
humilitatem, per tot gradus, profunda  
deiectio, quam, *cap. 7.* prosequitur?  
Quid, die nocteque, orationi in choro  
impensissimè incumbere, quod per tre-  
decim Capitula, ab octauo vsque ad vi-  
gessimum, & rursum, *cap. 43. 45. 47. &  
52.* tam exactè disponit? Quid per to-  
tum annum, non solum frequentia, sed  
ferè continuata ieiunia, quæ *cap. 42.* exi-  
mia dearticulatione monachis indi-  
cit? Quid laboriosa manuum operatio,  
Sanctæ lectionis iniunctio, disciplinæ  
assidua correctio, infirmorum charita-  
tiua curatio, hospitem benigna suscep-  
tio, aliorumque exercitiorum Regula-  
ris occupatio? Nonne hæc omnia alia-  
que idgenus plura, suis articulis à RE-  
GULA constituta, sunt hostiæ, quibus  
promeretur Deus? instrumenta qui-  
bus pœnitentiâ, perficitur, & membra  
hominis super terram mortificantur?  
Sanè id negari non potest, in tam per-  
fecta, per obedientiam, ab negatione  
propria.

## XII.

*Rigidiores  
pœnitentiæ  
haud aptæ  
communi Re-  
gulæ.*

Illud autem nos fateri non detrecta-  
mus; non eam esse S. BENEDICTI Regu-  
lam, quæ asperrimas illas corporis mor-  
tificationes imponat, & præscribat,  
quas de pluribus sanctis Patribus legi-  
mus, vel maxima ieiuniorum inedia  
confectis; vel scoparum flagellationi-  
bus attritis; vel fetosa ferrea ve concate-  
natione colligatis; vel innumerabili  
brachiorum extensione aut genuum  
flexione fatigatis; alijsque similibus  
egregijs portentis, singularibusque  
exercitijs, maceratis, afflictis, ac eximia  
pœnitentiæ tradditis. Qualia quidem  
infra ad *cap. 39.* memoro; vel qualia de  
B. Dominico Loricato, ipse Card. P. Da-  
mianus, *epist. 118. ad Teuzonem,* scribit:  
*quem vix vlla dies præteribat, quin duo  
psalteria modulando, vtrâque manu sco-*

*pis armata, nudum corpus allideret, &  
alia maiora quæ tum ibi, tum opus. 50.  
cap. 14. & in eius Vita, etiam ipse admi-  
rans, pauensque refert. Vel de B. Ro-  
moaldo, idem author, in eius Vita, cap.  
6. qui, per continuum annum, nihil aliud  
in cibum habuit, nisi tantum per singulos  
dies, ex vno pugillo elixi ciceris vixit.  
Vel de S. Platone, Theodorus Studita,  
in eius oratione funebri, qui ob crebro-  
sitate geniculationum, miraculosam  
scribendi materiam ministravit, vel de-  
nique de alijs, apud Theodoretum in  
Religiosa historia, & in Cassiani libris,  
& Collationibus, & in vitis Patrum, aut  
Orientalium, apud Heribertum Rosu-  
euidum, aut Occidentalium, apud Be-  
nedictum Gononum, late huius rei mi-  
rabilia præbent exempla. Inter quæ  
plura etiam Beatiss. P. N. BENEDICTI, &  
filiorum eius, admiranda referuntur.  
Nihilominus singulariora quæque, e-  
tiam si egregia sint valde, non tamen  
ad communem Regulam concinnan-  
dam, reputantur aptiora; indeque, se-  
motis illis, discreta nostri Legislatoris  
considerario, ab omnibus laudatur, vt  
sæpe in sequentibus patebit, & infra,  
ad *cap. 39.* maxime ad rem insinuo.*

Itaque, vt quæque retundatur sugil-  
latio, constat, quàm prudens, asperiora  
quælibet sic prætermisserit, vt necessita-  
tem non imponeret, neque austeritati-  
bus maioribus aditum intercluderet,  
sed potius ad altiora capesenda sæpius  
inuitet. Taliter in dispositione Diuini  
Officij, quàm moderate se gesserit ad-  
monet, *cap. 18.* adiungens illud: *Dum le-  
gamus, sanctos Patres nostros, vno die  
strenuè impleuisse, quod nos repidi vtimã,  
septimana integra, per soluamus. Item,  
cap. 40. in victu, licet legamus, vinum  
omninò monachorum non esse, &c. &  
cap. 49. in vitæ tenore: licet omni tem-  
pore, vita monachi, quadragesimæ obser-  
uationem debeat habere, & quæ sequun-  
tur. Ac denique generaliter, cap. 73. vbi  
quæcumque perfecta, & optima ex a-  
lijs sanctorum, & Catholicorū scriptis  
suo modo admittit, prout ibidè latiùs  
expono, & frequenter in his NOTIS  
declaro.*

## XIII.

*Discretio Re-  
gulæ osten-  
ditur.*

Quam

XIII.  
Moderatio  
& proportio  
Reg.

Quam obrém, (Omni semper habita reuerentia Sancto Cardinali, quē sanctē & candide, ubiq̄ue loquentem accipio) & ad obedientiam exercendam; & ad pœnitentiam peragendam; & ad æternam vitam promerendam; & ad rectā secureque, & cōpendioso tramite, in hac mortalitatis nostræ peregrinatione gradiendum; vniuersalis omnibus, & aptata singulis, SCHOLA constituitur, mediocri rerum moderato libramine, omnia (iuxta S. Hildegardem, ad fin. Reg.) nec nimis remissa, nec nimis constricta, sed inter vtrumque quod tenuere beati, mediū amplectens: atque semper, proficiendi, & adquirendæ perfectionis studio, in quo versatur status Religiosus, maxi-

me apta. Cumq̄; terminus huius perfectionis, in hac vita, nunquā detur ita vndequaq̄; perfectus, quin vlteriū progressio sit, taliter est Proficientium Schola, vt Perfectorum etiam viatorū, absq̄ue statione, sit statio. Nam perfectio in hac vita, non exigit, neque exigere potest, ad terminum, vltā quem non sit vltā progressio, peruenire. Sed vt verbis D. BERNARDI, Epist. 253. vtamur, ac sigillemus hanc *Notam: Indefessum studium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.* Estque communis consensus Patrum: Basilij, hom. II. Exam. Cassiani, Collat. I. cap. 7. & 13. Augustini, Serm. 15. de verb. Apost. & serm. 50. de tempore, Gregorij, hom. 13. in Ezech. & aliorum.

Perfectio  
huius vitæ.

Dè Generibus Monachorum.

CAPIT. I.

TEXTVS.

**M**ONACHORVM Quatuor genera esse manifestum est. Primum Cœnobitarum, hoc est Monasteriale, militans sub Regula, vel Abbate. Deindē secundum genus est Anachoretarū, id est, Eremitarum, horum qui non conuersionis feruore nouicio, sed Monasterij probatione diuturnā, didicerunt contra diabolū, multorum solatio iam docti, pugnare, & benè instructi fraterna ex acie, ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu, vel brachio, contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt. Tertium vero Monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla Regula approbati, experientiā Magistrā, sicut aurum fornacis: sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certē singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ouilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas, cum quidquid putauerint, vel egerint, hoc dicunt sanctum: & quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum verō genus Monachorum est, quod vocatur Gyrouagum. Qui totam vitam suam, per diuersas prouintias, ternis, aut quaternis diebus, per diuersorum cellas hospitantur, semper vagi, & numquā stabiles, & proprijs voluptatibus, & gula illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium horum miserrima conuersatione, meliūs est silere quā loqui. His ergo omisis, ad CÆNOBITARVM fortissimum genus disponendum, adiuvante Domino, veniamus.

NOTÆ.

I.  
Enarratio  
generū Mo-  
nachorum.

I. Cassiani.  
Laus.

et S. Basilij

**I**N hoc primo Capite, Beatissimus PATRIARCHA nihil obseruandum præcipit, sed Monachorum distinctionem diuisionemque præmittit, vt ad eos deueniat, de quibus sibi dicendum proponit, & quibus REGVLÆ ordinationem parat. Quapropter narrando tantum, *Monachorum* (ait) *quatuor genera esse, &c.* Atque primo numerat *Cœnobitas*, secundo *Anachoretas*, tertio *Sarabaitas*, quarto *Gyrouagos*. Totidem autem recenset Ioannes Cassianus, vir spectatæ sanctitatis, & eruditionis, discipulus S. Ioannis Chrysostomi, natione Scytha, dignitate Præbyter, professione Monachus Eremita, cui eximia testimonia perhibent Prosper Aquitanicus in *Chronico*, Genadius in *Cathalogo Illustr. Viror.* Casiodorus, *Ad Fratres Monasterij sui*, Antoninus, *par. 2. Hist. tit. 10. §. 2.* Photius, in *Bibliotheca Codice 197.* Sed quo magis commendatur est, eius scripta à nostro Beatiff. Patre BENEDICTO, qui integro seculo posterior scripsit Regulam, in ea semel *capit. 42.* & iterum *capit. 73.* laudari. Vnde pro eius intelligentia & explicatione, accomodatissima huius Authoris, vbi occurrerint testimonia producam, sicut & Magni Basilij, quæ etiam Regula hæc *cap. 73.* illustri memoria veneratur: & quidem non alio, cum vtroque, obligationis vinculo, nõ aliã respectus veneratione, quã cum aliis antiquioribus Patribus, qui perfectionem Christianam, Religiosamque virtutum semitam, suis exemplis & doctrina illustrarunt; prout & illi ab aliis, & ipsi ab ipso CHRISTO Domino perfectè institutam, & ab Apostolis principaliter tradditam & propagatã acceperunt: vt accurratè Authoribus rationibusque adductis, docet Franc. Suarez, *de Relig. tom. 3. lib. 3. cap. 2. & 3.* In quo, omninò sunt extrema vitanda, ne alii velint REGVLAM nostram à D. Basilio aliove mutuam: aut nos velimus, nullum eorum in ea pressum vestigium à D. BENEDICTO, vtrumque falsum, & solùm deseruiens contentionibus, quibus, modus in rebus

necessarius imponendus est, vt infrã *num. 12. cum sequentibus*, & aliis locis opportunis docebo, & præsertim ad *capit. 73.* Sed nunc redeo ad rem.

Atque adnoto in præfenti, Cassianum, *Collat. 18. à capit. 5.* præfata genera Monachorum, eodem ordine narrare indigitareque, excepto quarto, quod sine nomine, descriptione aliquantulum diuersa, sed pari censura condemnat, *cap. 8.* Eos autem Gyrouagos appellat Regula, quasi in Gyrum vagantes, & impios abulantes in circuitu. In eoque sensu, eodem nomine vsi sunt posteriores, Hugo Abb. 5. Cluniac. in *statutis, apud Bibliot. Cluniac. B. Petr. Damianus, lib. 5. Epist. 9.* & alii plures, de quo & Ioannes Pichardus in *Notis ad D. Bernardi Epist. 17.* At D. Isidorus, *lib. 2. de Eccl. offic. cap. 16.* nominis non meminit, sed rem exprefit.

Sarabaitas autem, *Renuitas*, à renuendo vocat Smaragdus & nescio à qua radice ita interpretetur. In idem tamè est Odonis Abbatis sententia, *lib. 3. collat. cap. 23.* qui ait: *Sarabaitas, id est, renuitas, quia in gum regularis discipline renuimus.* Sed tamen Casianus, vbi *sup. cap. 7.* eos, linguæ Ægyptiæ proprietate, sic vocatos, ait, tamquam sine Superiore, ac instituto, proprio arbitrio, *sigillatim suas curantes necessitates.* Vtrosque verò Sarabaitas & Gyrouagos detestatur: sicut & hic S. BENEDICTVS, vt miserrimos, & silentio dignos reicit & eliminat.

At cum eisdem coincidere credo, quod quintum genus notauit S. Isidorus, *lib. 2. de Ecclesiast. officijs, cap. 16.* dicens esse: *Circumcellionum*, qui sub habitu Monachorum vsquequaque vagantur, venalem circumferentes hypocresim, circumuehentes prouintias, nusquam missi, nusquam fixi, &c. De quibus D. Augustinus in *Psal. 132.* ait: *Circumcelliones, dicti sunt, quia circumcellas vagantur, & Petrus Cellensis, sem. 26. Caue* (inquit) *vir bone, vult te esse circumcellionem, non Canonicum Regularem.* Hieronymus verò, *Epist. 22. ad Eusto-*

II.  
Eadè diuisio  
monach. a-  
pud alios.

Gyrouagi.

III.  
Sarabaita.  
Renuita.

III.  
Circumcel-  
liones.

Et alij apud  
alios.

*chium*, tria solum genera Monachorū eni merat, atque præter *Cœnobitas*, & *Anachoretas*, quos approbat, tertium genus *Remoboth*, vocari ait, & *teterri-um neglectumque* pronuntiat, & tã-  
quam *pestem exterminandum*, utique in prædictis omnino contentum. At-  
que idem videtur de illis, quos D. Bo-  
nauentura, *tom. 2. Opusc. in 4. diæta salu-  
ris, cap. 1.* inter *Cœnobitas* & *Anachore-  
retas* inserit, qui dicebantur, *Remichi*,  
qui *bini & trini habitabant*, licet ipse  
nullam eis notam inurat. Verum tamẽ  
apage ea omnia falsa monasticæ dig-  
nitatis spectra, ut terrifica, & fugienda  
solum in REGVLA indicata & des-  
cripta.

Dẽ duobus igitur approbatis, in hoc  
Regulę capite, generibus, *Anachore-  
tas*, idem Cassianus, citatã *Collat. 18.  
c. 6.* à voce Græca dicit, *Seccessores* ap-  
pellari, ut *qui in bastos eremi recessus  
penetrare non timeant*, eosque etiam,  
eximeritis, tamquam egregium Cœ-  
nobitarum germen, egregiẽ laudat, &  
in id conspirant reliqui citati Autho-  
res. Ad hos autẽm *Anachoretas*, quos  
textus Regulę hic etiam vocat *Eremitas*,  
reduci possunt *Eremita* illi, quos  
à *Cœnobitis* in omnium sententia di-  
stinctos, etiam ab *Anachoretis* distin-  
guit Card. Petr. Damianus, *Opusc. 15.  
cap. 3.* vbi ait: *Qui per eremum spacia-  
do discurrunt Anachoreta, qui vero in  
cellis contenti sunt, v̄sitato vocabulo, ere-  
mita dicuntur, & in censura Monacha-  
tũs, omnes isti bene audiunt, habentes  
sui generis excellentissimos in sancti-  
tate viros.*

VI. Ceterũ Cassianus, vbi *sup. c. 5. & ro-  
ta collat. 19.* ante omnes *CœNOBITAS* cõ-  
mẽdat, ut in presentiarũm, eorũq; dis-  
ciplinam, à tempore Apostolicæ præ-  
dicationis exorsam, Christiani populi  
antiquissimum monachorum genus,  
non modo, tempore, sed etiam gratia,  
primum constituisse prædicat; ut quod  
utique, post adumbratam (seu plusquã  
adumbratam) illam Religionis formã,  
filiõrum Prophetarum sub Eliseo, 4.  
Reg. 6. ab ipso CHRISTO Deo & Domi-

no nõstro, secundum substantiam Re-  
ligiosi status, non solum doctrina &  
prædicatione cõsultum, sed re & ope-  
ra institutum, docet D. Thom. 2. 2. q.  
88. *art. 4. ad 3.* cum aliis pluribus, quos  
latẽ citat Suarez, vbi *sup. lib. 3. cap. 2. n.  
3. cum sequentibus.* Atque ipsius Mona-  
chismi inchoatores & institutores A-  
postolos appellant etiam Chrysost. *lib.  
3. contra vituperatores vitæ Monast.*  
Basilii in *Constitut. Monach. capit. 19.  
& 23.* Bernar. in *Apolog. ad Guiliel.*  
Concilium Meldente, *capit. 9.* Gene-  
brardus in *Chron. ad ann. 139.* & alii,  
quos, cum labore proprio, vsque ad  
nauseam legentium, enumerare non  
libet. Salua nihilominus ea, ex appro-  
bato examine, probabilitate, Carmeli-  
tarum sententiæ, sua via, satis mu'tis,  
eruditẽ defensẽ, in *Apologia*, quam  
pro sua Historia, edidit P. Franciscus  
de Sancta Maria, quæ dignitati & prin-  
cipalitati iam dictę nihil derogat.

Ergo iam pridem ex eo principio,  
illos qui à coniugiis, parentibus, tur-  
bis, mundi que conuersatione, se secer-  
nerent, *Monachorum*, obtinuisse no-  
men, atque ex *communione consortij*: &  
societatis, fuisse appellatos *Cœnobitas*,  
eorumque communem habitationem  
*Cœnobium* nominari, prædictus Cassia-  
nus testatur. Dẽ quo vocabulo Gellius,  
*lib. 1. Noct. Attic. cap. 9.* attendens ad  
scholam Pythagoræ, à quo incohortem  
*disciplinarum recepti*, quod quisque pe-  
cuniæ habebat, in medium dabat, & *coi-  
bat societas in separabilis*: dixit, similitu-  
dinem gefisse illius antiqui consortij,  
quod in re atque verbo Romano, appel-  
labatur *Cœnobium*, uti nunc in eadem vi-  
sumitur ac *Monasterium*, ut admittit  
ipsa explicatio, quam adhibet textus,  
ibi: *id est Monasteriale.* Nec differt à  
*Cœnobio*, aut *Monasterio*, quod ali-  
cubi *Arcisterium*, seu *Archisterium*,  
dicitur ut ex Glossariis Steuuechii, &  
Camberonensi, adducit Rosuueidus, in  
suo *Onomastico*. Sic ut nec distare inter  
*Cœnobitas* & *Synoditas*, quos à cætu,  
seu Conuentu dictos apparet, & utros-  
que coniungit Gennadius, *lib. II. de il-  
lustr.*

VII.  
*Cœnobium,*  
*Monasteriũ,*  
*Arcisteriũ,*  
*idem.*

V.  
*Anachore-  
ta & Ere-  
mita.*

VI.  
*Cœnobita &  
eorum anti-  
quitas.*

lust. Eccles. scriptoribus, dùm inter scripta Euagrii, ait: *Composuit & canobitis & Synoditis doctrinam aptam vita cõmunis.*

VIII. Igitur in nostro textu, alijs omnibus Monachorum generibus omissis: *Ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum, veniamus, ait: LEGISLATOR mirificus; profitens apertè, se nō Anachoretas instruere, aut Eremitas. Quod quidem libenter satis amplectitur, & tuetur Cardinalis B. P. Damianus in Epist. ad Ioannem Abbat. quæ in prima editione est 100. in secūda, lib. 6. Epist. 12. tametsi multus sit, in deprimenda Vita Cœnobitica, respectu vitæ eremiticæ, quod disceptationem præbet non paruam. Attamen ille proprii instituti partes agebat, non enim proprium illi existimo omnino Benedictinum, quantumvis titulus eius operibus affixus id clamet, reclamantibus tamen ipsius verbis, & testimoniis ferè manifestis, quæ infra ad cap. 58. produco, num. 20.*

IX. Dè cætero, abstineo à insinuata questione, vter Monachatus Cœnobialis, an Eremiticus, sit præferendus? Quæ nē contentionem pariat, non absolute, sed cum distinctione, terminanda esset; interim contentus, aliquandò, in Collationibus suis, à Cassiano discussam, nec reputasse imperfectionem, Monachum se à eremo ad Cœnobialem vitam reducere, atque in præfenti, hoc genus Cœnobitarum, inter alia appellari fortissimum, à S. BENEDICTO, eiusdemque exemplo iuuari, qui à eremitica vita, quam primitus in Sublacu egit, se se ad cœnobialē proficue trāstulit, & vtrāque expertus, hāc eligibiliorem censuit. Insuper aliquandò, D. BERNARDVS, serm. 64. in Cant. cogitationem transeundi, à Monasterio ad solitudinem, *Vulpeculam demolientem vineam*, appellauit. Præterea Basilius, Reg. 7. ex fusiis disput. potiorē & optabiliorem reputat cœnobialē vitam, comparatione facta ad Anachoreticam seu Eremiticam, & idem, ser. 1. de institutis Monach. Atque huic ex-

istimationi fauere D. Thom. 2. 2. q. 118. artic. 6. notat Suarez, tom. 4. de Relig. tract. 9. de varietate Relig. lib. 1. capit. 2. num. 18. idem ipse existimans. Quod hodie praxis confirmat, & antiquiora exempla, apud Petrum Rouerium, in histor. Monast. Reomaënsis, num. 11. & alios.

Quoad reliquum autem, veritati consentiendum est, scilicet Monachos à S. BENEDICTO, per suam Regulam institutos, licet in cœnobijs à hominū frequentia semotis viuentes, à eo Anachoretas non reputari, aut prorsus Eremitas. Hi enim non solum in solitudine, sed & solitarij degebāt, vt Paulus, Macarius, Antoni<sup>9</sup>, Arsenius, quos in lib. de vita solit., ad fratres de Monte Dei, protulit BERNARDVS, alique quos nō instruendos, sed instructos eremus recipere debet, *Monasterij probatione diutina edoctos*, quæ sunt verba REGV. I. h. c. Atque Cassianus, lib. 8. de instit. Cœnob. *Eremus*, ait, eos expetit purgatos, & excoctis ad purum, in congregatione fratrum vitijs, &c. Sic & ipse præiactis duodecim libris, de Institutis Cœnobiorum & Cœnobitarum, ad Anachoretarum Scithiæ Theoriam, seu contemplationem, gradum facturum, suo ordine, volumen Collationum adiecit. Itaque notari oportet, totam S. BENEDICTI Regulā non Anachoreticam, sed Monasteriale tantum regimen delineasse, & intra OEconomica gubernationis limites detentam, nullatenus dispositiones suas ad Politicam porrigi: quæ postmodum reductis, ad Congregationem & vnitatem, Monasterijs Ordinis, subintravit. Atque inde nouas, ratione huius Politici gubernij, cõstitutiones super addi Regulę, necesse fuit, & ipsam cum proportionem, extendi, ad eas.

Sed ad textum redeo, circa illa verba: *Mentiri Deo per consuram noscitur, &c.* in quibus aliqua notatione digna occurrunt. Et in primis illud, quod in *Introduc. Artic. 3. à num. 5.* notabam, scilicet, ex tota istius Capituli serie verborum colligi, ante S. BENEDICTVM, alias

X.  
Qui proprie  
Eremitæ.

Regula solū  
Regis Mo-  
nasterium.

XI.  
Ad Regulā  
S. Bened.  
precessere  
plures.

alias etiam Regulas Monasticas extitisse, pluresque præcessisse Monachos; iam ad falsos & qui *mentiuntur Deo*, præsupponuntur veri. Idque non solum extra Europam, vt ex toto Cassiani Opere constat; & ex Pachomio, cuius Regulam, è Græco in Latinum, trāstulit Hieronymus; & ex Basilio, Augustinoque, quorum Regulæ, prioris in Orientali Asiæ solo, posterioris in Africa præualuere: Sed intra Europam, etiam in Hispania, nedum in Italia. Constat autem id expressè ex adductis, *citata introduct.* Quibus adde ea quæ adducit Baronius, *ad annum 494.* & pro Hispania, *Concil. Tolet. I. can. II. & 15.* celebratum *ad annum 400.* & quæ (ne actum agam) addit Anton. Yepes, *tom. I. ad annum 516.* Sed generaliter rem præsupponit REGVLÆ textus hic, vbi S. BENEDICTVS, non ad antiquos, disitos vè, per remotissimas orbis plagas, Monachos, proximè respicit; sed ad proprios Occidentalis terræ naturales, de quibus illud: *Militans sub Regula, vel Abbate,* & rursus illud: *Qui nulla Regula approbati, &c.* Et tandem ingentem Regularum numerum specialiter adducit Bened. Haestenus, *Disquis. Monast. lib. I. per totum*, vt amplius in hoc nequeat desiderari.

XII.  
Neque Basilij Regulam,  
nec aliã re-  
nunt S. Be-  
ned.

Adiectio igitur fuerit supradicta Notatio ad eã quæ dedimus, *In introductione Artic. 3. nu. 5. cum sequentibus*, vbi de excellētia Regulæ S. BENEDICTI inter alias, *num. 6.* Eamque in Europa singulariter præualuisse, totamque Occidentis plagam vniuersaliter occupasse, verba Zachariæ Papæ, quæ ibi dedi, satis innuunt, & omnibus in confesso est. Atque ex prænotata multitudine Regularum, conuincitur incertitudo asserentium determinate de Regula, quam, ante hanc propriam, tenuerit S. BENEDICTVS. Quam nequaquam fuisse S. Basilij, neruose, (vt solet) defendit Antonius Yepes citatus, *tom. I. ad annum 494. capit. 3.* Et sane oppositum affirmantes si cæca pertinacia non laborant, à prædicta in-

certitudine & dubietate nullatenus se poterunt expedire. Tentauerunt id *Tentante. oppositum* Germīna illa noua quæ de radice antiquæ Religionis Orientalis Magni Basilij, in Hispania pullularunt, quasi non contenta renasci, nisi etiam luxuriantibus frondibus, partas & cognitas eximij Patriarchæ BENEDICTI glorias, & excellentias obumbrarent. Vnde folia edidere, & imaginibus delineata, & elogijs inscripta, quibus B. BENEDICTVM, tamquam ex Basilianæ Regulæ filiatione ortum, sibi adscribebant. In quo licet nullum contineretur absurdum, nihil inglorium, dato casu: Sed tamen in eo veritas nulla est, re benè inspecta, & presius discussa. Quod nō solum extraiudicialiter velitando, sed in iudicio legitimo contendendo, iustum est aboleri atque é medio tolli. Atque ita oportuit: sunt enim picturæ ignorantium literæ, & nè sicut Poætis fabulizantibus, pariter & pictoribus, sic & Religiosis, quidlibet audenti videretur equa potestas. De quo nouissimè Mag. San-Vitores, *tom. I. prælu. 3.* aduersariorum turrim inaniter erectã, tot arietauit argumētis, vt stare nullatenus queat, quātūnis id conetur in vanum, sicut in alijs, quæ suis locis patebunt, & hoc etiã *infr. n. 18. & 19.*

Et licet in repellendo illo intento, nō desideretur amplius: nā deficiente probatione eorū, quorum intererat, eo ipso aggressorum causa cadebat, nedum tātis expugnata rationibus, & autoritate iudiciali deiecta; ne tamē videamur declinato Basilio, difficultatē admittēdi alium, non declinare; in eã sentio de B. BENEDICTO, quod B. Gregorius Papa, *lib. I. dial. cap. I.* sentit, & scribit, de Honorato Abbate, nullius Magistri, cuius Regulã teneret, fuisse discipulum. Ad quod affirmandum, præter rationes & exempla, quæ ex ipso Gregorio, & præter alias probatissimas cōiecturas, quas statim subiungam; locum præbet antiqua etiam institutio Monachorum, & Monasteriorum, quam olim per *traditiones maiorum*, fieri, docet Ioannes Cassianus, *lib. 2. instit. capit. 3.*

XIII.  
Aperitur as-  
sertio de nul-  
la Regula.

& per aliquod tempus Carthusianis attribuit Hæftenus, lib. 1. tract. 9. *disquis.* 4. Atque ipsa ratio legis, absolute non reluctatur; quam neque essentialiter petere scriptionem; nec simpliciter ad gubernandam aliquam Republicam aut Cōmunitatem, esse necessariam; ostendit Ludouicus Molina, tom. 6. de iust. & iure disp. 71. numer. 1. & disp. 68. numer. 2. licet ad melius & opportunius, certum sit requiri. Iuuatque ad hoc quod S. Hildegardis, in *Comment. Regulae*, ait: *Ante Sanctum Benedictum, Monachos fuisse, certo magisterio & certa lege carentes.* Quod, sine iniuria præcedentium Sanctorum Patrum euenisse, intelligendum est, & ita dictum esto. Quæ cautio est, cum qua, in proposito, loquutus est D. BERNARDVS in *declamation. paulo post medium.* Fauetque ad rem Helinandus, siue quis est Anonimus ille Author Magni Exordij Cisterciensis, qui lib. 1. capit. 3. sic scribit: *Antonius, neque arramento, neque literis, sed spiritu Dei viui scriptam legem charitatis, in corde suo demonstrans, perfectissima conuersationis suæ, perfectissimos discipulos dereliquit, &c.* Ut sicut in simili, aut (re vera) in eodem, adduci possit in exemplum, simul cum Antonio illo, noster S. P. BENEDICTVS, prout adducitur à D. Thoma, infra citando. Sic & Metaphrastes de S. Saba Abbate, ait: *Pastor est agnitus Monachis effectus Regula, &c. ut infr. num. 15. in fine, & alias confirmo.*

## XIII.

Probatio ex  
D. Greg. &  
alijs.

Igitur omnia quæ B. Gregorius Papa pro S. Honorato, Abbate Fundensi adducit, ad SPIRITVS SANCTI donum præcipue, (vt fas est) reducuntur, sic enim ait, loco citato, Gregorius: *Sunt non nulli qui ita per Magisterium Spiritus intrinsecus docentur; vt & si eis exterius, humani Magisterij disciplina desit, Magistri intimi censura non desit.* Atque exemplificat in B. Ioanne Baptista & in Moise. Quæ & si excellentiora sint; quam vt ab aliquo præsumantur, & (vt ip-

se ait) *infirmis veneranda sunt, non imitanda:* Sed tamen potentibus omnia, in eo qui eos confortat, deneganda non sunt. Neque quod sancto illi Honorato conceditur, verebor diffidere de eo, qui gratia est BENEDICTVS, & nomine; totque præuentus est diuini Spiritus donis, prout in ore & incordibus omnium versatur. Comparisonem verò congruam B. BENEDICTI cum Moise, & cum Baptista, non detrectauit D. Thomas. *Quodlib. 5. quæst. 9. artic. 5. & serm. 1. de B. Benedicto, & eam prosequitur S. Oddo Abbas, in eius serm. apud Bibliothecam Cluniac.* Atque ad rem hanc valde placent, quæ aduehit citatus San-Vitores. *Prelud. 1. capit. 12. à num. 8. & ipsi illibata relinquo.* Non autem disimili gratiæ diuinæ supplemento præuentum, in disciplina Monastica S. BENEDICTVM, quàm B. Antonium supra memoratum, testimonio expresso, protulit, D. Thomas, 2. 2. quæst. 188. artic. 8. Sed iam proprias coniecturas adicio.

Prima ergò desumitur, ex presenti, Capit. Reg. in illis verbis: *Militans sub Regula, vel Abbate, vbi cum disiunctiuè loquatur, admittit fuisse Monachos, qui sub certa præscripta & acceptata Regula in Monasterio degerent: & fuisse etiam, qui sub nulla, sed sub Abbatis Magisterio, vice Regulæ militarent.* Vnde forsitàm verificatur proloquium, quod aliàs verum non est, *Abbatem in suo Monasterio, Regulam esse.* Quo pacto potuit B. BENEDICTVS, nullam aliam Regulam Monasticam, in Monachatu tenuisse, aut professum fuisse. Quod nè in sola possibilitate maneat; de facto ita fuisse, dearticulate declaro. Nam quandiu in specu Sublaci delituit, ipsum fuisse merum *Anachoretam* notū est; & nullius Regulæ professioni additū, vel cœnobialis Monachatus participē, aperte demonstrat præcitatus Antoni<sup>9</sup> Yepes. Tūc enim diuino SPIRITVS ductus, eiusque vnctione, per sanctā lectionem & contemplationem docen-

## XV.

Ad idē con-  
iectura pri-  
ma.

te, & vitam solitariam omnino, & Eremiticam agebat, ad instar Baptistæ & Præcursoris CHRISTI. Nec enim, ut verè Religiosus esset, in Anachorefi illa, indiguit habere alterum, potentem rite acceptare vota, & perfectam professionis contractum. Quod fundamentaliter docet Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 4. atque antiquum exemplum exhibeo, infra numer. 29. ex Theodoro Studita, suppetuntque plura. Sunt namque illa aliaque requisita, postmodum ab Ecclesia inducta, pro vero statu Religionis, qui hodie non nisi cœnobiali modo, & cum talibus conditionibus extat. Quæ autem huiusmodi sunt, iuxta proprium illud tempus, & eius morem, considerari debent. Igitur, ut ad Sublacum redeam, illinc magnis præcibus pulsatus, (ut refert D. Gregorius, lib. 2. dialog. cap. 3.) regimen cuiusdam vicini Monasterij, in Abbatem à Monachis assumptus, suscepit: Prævidēs suos, illorumque Fratrum mores, convenire non posse. In quo regimine, nulla alicuius Regulæ mentio fit. Sed doluisse eos, assueta relinquere: eisque, post miraculum dissipati venenati poculi, vale dicens, ite (ait) & iuxta vestros mores, Pa:rem querite. Ex quibus mihi omnino persuadeo, tunc ipsum S. BENEDICTVM, nullam alterius subijisse Regulam; sed se, suosque mores, ordinatamque ab eo reformationem, vice Regulæ fuisse; Sic enim quod generaliter dixit B. Ambrosius, lib. de Ioseph cap. 1. Sanctorum vita, cæteris norma vivendi est: & specialiter de S. Antonio, cuius vitam, & suis, & succedentibus Monachis Regulam fuisse, adstruit Hieronymus, in vita S. Hilar. Rufinus, lib. 1. histor. cap. 8. & alii: similiter dicitur de S. Benedicto in presenti, & de militantibus sub tali Abbate. Iam deinde ait D. Gregorius: Tunc ad locum dilectæ solitudinis redijt: & solus, in superni pectoris oculis, habitavit seculum. En igitur clarè vsque nunc, totaliter exclusa aliena Regula, quæ sibi B. Benedictum professorem, aut alumnū

possit adscribere. Atque pro dictis addo aliquid infra ad cap. 73. num. 2. Nam & quod de S. Antonio dictum est, de S. Martino indicat, Sulpicius, in vit. eius cap. 7.

Accedit iam altera coniectura, seu potius prioris discursus & ratiocinationis, haud minoris efficacitæ continuatio. Quia iam denuò inde ad Anachoresim reuersus S. BENEDICTVS, immediatè, solùm aliquo interiecto tempore, quo discipulorum ad eum confluentium crevit numerus, exadificauit duodecim monasteria, in quibus statutis Patribus, duodenos Monachos deputauit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc, in sua præsentia, aptius erudiri iudicauit. Quæ sunt verba Gregorij citati, cap. 4. Hic igitur iam nemo cordatus, & nisi cui eleboro sit opus, dixerit S. BENEDICTVM, sibi nouiter tunc, alterius assumpsisse Regulam, qui iam experientia, & diutino exercitio Magister factus, alios in præsentia, propria voce & exemplo, erudiebat. Atque minus dixerit, monasteriis à se nouiter constitutis & institutis, alienam Regulam traddisse; est enim hoc ab omni bono discursu alienum. Vndè semper circa se & alios, iuxta Deum eiusque inspirationem, & adeptam in solitudine, per experimentum & studium sanctæ lectionis, doctrinam, modum viuendi proprium retinuisse, non solum verosimilimum, sed certissimum censeo. Idque nullo antiquo testimonio refragante; nam recentiorum, etiam si dentem cum dente fatigent, latratus potius sunt, quàm morsus. Quæ omnia præadductis exemplis, & alijs ad rem optime confirman- tur.

Dixit autem, viuendi modum proprium retinuisse, ut innuerem REGULAM in forma Regulæ, accuratam, solemnem, perfectam, vniuersaliter & stabiliter tradditam, licet postmodum tempore quod in Introduct. art. 3. notauimus, condiderit; tamen non totam repente exaratam & ordinatam esse, quin

XVI.  
Coniectura  
secunda.

XVII.  
Eadem ex-  
plicatur.

Regula vi-  
na sepe sola  
Menachis.

XXIX:  
vnde flet  
vnde flet

plurima præcesserit, eiusdem regularis disciplinæ meditatio, multa obseruantiarum experientia & praxis, magna antiquiorum Patrum & sanctorum notitia, opportuna exercitiorum collatio, & (quod pariter affirmo) aliqua ab eodem, in scriptis, dictata instructio. Quæ omnia dispositiones erant & præparamenta, ad Regulam ultimo in lucem edendam, veluti factum assidue lambendo, paulatim, in desideratam perfectionem, & pulchritudinem intentam, effigiatum. Interim tamen vicem Regulæ obtinebant, ut licet expectarent consumationem propriæ, non tamen indigerent aliena. Quod optimè mihi confirmatur, ex Opusculo illo Sancti Benedicti, quod inscribitur: *Ordo qualiter Monachus in Monasterio Religiosè ac studiosè conuersari, ac Domino militare oporteat, &c.* Quod cum aliis S. BENEDICTI, legitimum opus esse, multa & graui authoritate constat. Quibus de intento Regulæ prædicto, nulla super esse videretur difficultas, ut omnis alia Regula nedum S. Basilii, tanto terrarum spacio dista, & tantum Orientalibus ut cumque exorta, exclusa sit. Circa quod tamen, orta mihi est recenter necessitas propriæ defensionis, quæ me non multum vrget, ideò eam, ad *Ultimum Cap. Regulæ*, opportunius relinquo, ibi, *num. 12. cum sequentibus*, vbi ab incongrua & falsa Basiliensium intelligentia me asseram, non satis contentus defensione aliena.

XVIII.  
Cuculla ab  
alijs vsurpa-  
ta defeditur.

Altera tamen cognata superest difficultas: Nam Monachi ipsi, qui sui Patris Basilij Regulam dare volunt nostro S. BENEDICTO: eius in habitu ceperunt sibi assumere cucullam: & sicut intrudi Regulam non tulimus, ita nec præripi, aut vsurari cucullam patimur, non minus alienam à S. Basilio, quam eius Regulam à S. BENEDICTO. Restiterunt, in hoc assumpto, sedulo ipsi grauissimi Patres Benedictini Nigri, cum quibus propter coloris vtroque cõsensionem, maior fuit disensio: quia maior inde resultabat,

Religionum, in habitu, confusio & æquiocatio. Maxime concurrentibus eisdem, in populosissimis oppidis, & vrbibus, vbi necessariò distinctio habitus esse debet, ne identitas pariat deceptionem, nec ipsis Religiosis, nec secularibus proficuum, & summopere debitum rationibus vitandam. Quam sedulo expressit ipse D. Basilius, *Capit. 22. Regular. fusior.* in genere loquens de habitu Monastico: *Vtilis etiam præterea in hoc, peculiaris hæc amictus ratio est, quòd ea qualis sit vnusquisque, ante indicet, & vita quæ ex Deo est professionem ante veluti testificatur. Quæ res facit, ut ab alijs qui nos viderint, actiones etiam isti professioni consentaneæ requirantur.* Pro quo sunt verba Tertull. de Pallio, ibi: *Quoniam quidem indices custodesque dignitatis, habitus.* Quod vnum sufficiebat, ut proprio Benedictini Monachatus habitui, & eius peculiari schemati, cucullæ, (ut probabo infra ad *capit. 22. à num. 15.*) nihil induceretur amphilogiæ. Abstulisse autem videtur eam, tam in hoc, quam, in intento *Regulæ* insinuato *supr. num. 12.* abolitio imaginis, quam sculptam per Ioannem Noot, anno 1634. & quibusdam inscriptionibus ad propositum delineatam, & editam à Basilianis, prohibuit & supprimi iussit. supremum Hispanæ Inquisitionis Tribunal; modo expresso in Expurgatorio, anni 1640. in *suplemento eius, litera E.* Adiuncta etiam declaratione Eminentiſſ. Card. Congregationis Regularium anno 1636. *quæ decreuit & mandauit, de medio tollendam esse & à fidelibus oculis amouendam, effigiem S. Basilij Magni cucullati, habitu prorsus Benedictino.*

Abstineo ab alijs, quæ mihi nõ sunt longius prosequenda, quando iam remedio (ut reor) non opus est. Sed eos, qui recenter in Hispania emerſere, in omni euentu, oportebat, alienam vestis formam non inuadere: & decentius eam retinere, quam in hac renouata foundatione deferebant, & quæ redoleret antiquum S. Basilij institutum. In quo nulla est de Cuculla mentio, præcipue

XIX.  
Defenditur  
amplius.

de illa quę integra, longa, & pendula vsque ad pedes, prouidetur a S. BENEDICTO, Capit. 55. Quam duplicat pro singulis, & quam vetera monumenta & Pontifices agnoscunt, asserunt, & in iungunt, indefinenter ab ipso B. BENEDICTO, vsque ad nos, perpetuā vsuali forma, deriuatā. Solūmque a B. Basilio, capit. 22. & 23. Regul. *superior.* designatur vna tantum tunica, de qua ait: *Necessaria est ei Zona, qua restringatur, & corpori pressius adhærescat, volens vt vestimentum esset, quo ad omnia, vti cōmodē possint, & foris & domi, noctu dieque.* Vndē concludit, superfluum esse circa tunicas, de illarum vsu, legem sancire, quia in vnica tunica, eā Zonā præcinctā, vnus ad omnia vsus erat. Ex quo constat, quam aliena a nostra cuculla Monastica, & hæc quam etiam diuersa ab illis curtis (de quibus ad capit. 22. citatum) siue cucullum, siue cucullam, siue bardocucullum, aut alia nomina congeras. Qua propter opportunē video adduci inter alia, testimonium Clementis VIII. in Bulla in qua anno 1603. Regulam & habitum designans, primis illis Basilianis in Hispania Fratibus, sic ait: *Nos iuxta ipsius (scilicet Basilij) mentē, omne a supra expresso, diuersum exterioris vestimenti genus, quale est illud, quod apud Benedictinos cuculla, & Hispanice cogulla vocari solet, quæ Regula S. Basilij manifeste contrariatur, sed ad aliam quamlibet formam seu materiam, omnino prohibemus, &c.* Quibus satis dirempta videbatur, & satis de his, nouissimē exprofesso, apud Magist. S. Vitores citatum.

XX.  
De tonsura  
monachorū.

Quare iam ad textum reuertentes, circa idem verbum: *Per tonsuram, &c.* occurrunt haud contemnendæ Monastici schematis annotationes. Facit enim fidem iste locus, iam a primis temporibus, Monachos, peculiari capitis tonsura, a secularibus distingui. De qua non solūm pro Clericis, quibus ipse Apostolorum Princeps Petrus, exemplum, in modum Coronę Christi atōsus præbuit; sed etiam pro Monachis,

exactam tractationem instituit Baron. tom. 1. ad annum 58. cui & alios addam infr. n. 32. Igitur in hac materia, quoad nos, scrupulū ingessit B. Gregorij Papæ locus, lib. 2. dial. c. 8. vbi ait: *Maurū per capillos tenuisse atque traxisse Placidū puerum, vndis raptatum.* Ex quo datur colligi, illum non fuisse tonsuratū. At vero scrupulus iste eximitur, a puerili etate Placidi, eiusque tenerioribus annis: qui licet, quia puer, tonsuratus non esset; non tamen ex inde inferendum est, alios Monachos adultos etate, & Religionem professos, capillitium laicum retinuisse, caruisseq; Monastica tonsura, quam nunc gestamus. Quod docuit ipse Gregorius, lib. 8. Epist. ad Fortunatum Episc. & habetur in cap. Monasterijs, 19. q. 3. vbi iubet, ad Religionem in Monasterijs admissos, non prius quam biennium in conuersatione compleant, tonsurari. Estque hoc consentaneum consuetudini illius temporis, in quo Nouitij habitum non mutabant, quod probabo infra, ad cap. 58. vt scilicet dum habitus mutatio non fiebat, nec rasio capiti induceretur, & vtrumque, ibi, numer. 17.

Disentit ab hoc Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 10. num. 25. vbi adductis verbis Gregorij, vbi supra & Bonifacij, cap. vlt. 17. quæst. 2. & cap. vnico, 53. dist. & cap. Multos, 54. dist. omnia hæc antiquiora iura, censet non loqui de tempore probationis Nouitiatum, sed de alio antecedente, ad totum tempus talis probationis, quæ immediate præcedit ad professionem. In quo ipsi non acquiesco; tum quia alia auctoritate, quā in re antiquiori, opus erat, aut fundamento fulciri non video; tum quia citato, capit. 58. testimonia in contrarium profero; tum etiam, quia per se incredibilis est, & inaudita, illa duplex Probatio, vt ad nouitiatum tempus destinatum, aliud præuium adeo longum scilicet ad biennium, aut trienniū, exigeretur. Sed ad summum, paucis diebus solūm, vel ad portam, vel in hospitio detineri,

S. Placidus  
non tonsuratus, cur?

Tōsura olim  
non in nouitiatu.

XXI.  
Reluctatur  
Suarez.

Sed ei fit.  
satis.

gratiã cognoscendi animum petentis ingressum, antequam ei concederetur constaret; idque non ex iure, sed ex antiquioribus constitutionibus Monasticis, vt *Cassian. lib. 4. capit. 3.* aut ex nostra *Regula, cap. 58.* Atque ita B. Placidum adhuc puerum, nondum, professione emissa, Monastico gremio insertum, tonsura caruisse, pillosque abuisse promissos, non est mirum; nec aliquid detrahit de Monachali tonsura.

## XXII.

*Mos non tondendi novitios fulcitur.*

Potius sententia nostra confirmatur ex verbis Concilij Maguntini adductis, *cap. 1. de Regularibus.* Nullus tonsuatur, nisi in legitima ætate, & spontanea voluntate. Atq; prædictum morem, vt non nisi in professione tondentur, aut deponeret comam Monachus, diu in Religione Cisterciensi durasse, indicium mihi est Breuiarium Cisterciense impressum Venetiis anno 1542. vbi fol. 419. in quadam Rubrica, sic ait: *Qui Monachus fieri voluerit, completo anno probationis, vocatus in Capitulo coram omnibus, quid de rebus suis si quas habeat fieri debeat, disponat. Postea benedicatur ei corona ab Abbate in Ecclesia si laicus fuerit, assistente ei Cantore & Sacrista, compleatque benedictionem, sicut in Collectaneo habetur, Capillos verò comburat Sacrista in piscinã ad id deputatam, deinde tondatur in Monachum, &c.* Vt iam non fiat nouum hunc morem expressisse, suo tempore, *Cesarium, lib. 4. Dialog. cap. 51.* de quo infra ad proprium locum, *capit. 58. num. 17.*

## XXIII.

*Qua tonsuræ forma.*

Sed statuta sic Monastica tonsura, vterius de forma illius inquiri potest. In quo Baronius, vbi supra, non eandem Clericis Monachisque attribuit. Yepes verò, *ad annum 523. capit. 4.* tonsuram S. BENEDICTI & Monachorum eius, eandem fuisse ac illam quæ de B. Petro *sup. num. 15.* dicta est, contendit. Et quidem quod fuerit in modum circuli caput ambientis, quæ propriæ coronæ nomen habet, negari non debet. Sic & antiquioribus, vitta cingere caput, quasi Regio diademate exornari

putabatur, vt constat ex Abreuiatore Trogi Pompeij Iustino, *lib. 11.* & clarè Silius Italicus dum ait: *Regisque insigne vetusti, Cinguntur tempora vitta.* Atque ex tali circulari forma, nomen etiã *Coronæ*, eam tonsuram accepisse, testimonio est, Epistola Hieronymi ad August. *inter Epist. August. 26. tom. 3.* & *Concilium Toleran. 4. can. 40.* Sic BERNARDVS ad Petrum Venerabilem, inter eius Epistolas, *lib. 4. Epist. 16.* ait, *Coronã vestram debita reuerentia salutavi*, vt vulgo iam ab omnibus appellatur, & eadem phrasi qua Bernardus inueniuntur, ad rem salutationes.

*Corona ex circulari figura dicta.*

Nihilominus non satis integrum est, conuenire cum præfati Authoris placito, cum constet, pro Baronij sententia, non solum differentiam interesse, qua nunc Clericorum Monachorumque tonsuræ distinguuntur; sed etiam, quia Corona B. Petri, licet in rotundum, ad instar spinæ CHRISTI Coronæ, acta fuerit, sed capillamento copiosiore, vt vetustissimæ etiam eius effigies docet; at S. BENEDICTI, exili & strictiore capillaturæ circulo, si forte proprium, primæui temporis, tonsuræ modum retinemus. Nam olim non adeo tenuem & decurtatam coronæ capillaturam fuisse, dubitationem ingerit, aut coniecturam facit, liber Veterum consuetudinum monasterij Floriacensis, circa annum millesimum scriptarum, editus à Ioanne Bosco, vbi, *ca. 1.* inter alia, de Vigilia Natiuitatis, ait, *lababunt faciem, & pectinabunt monachi, & inferius, Lotis manibus, & pexis capitibus:*

Et quidem capillatura pectinatione indigens, maior & prolixior, eã, qua nunc vtimur, debebat esse, in subtili enim capillamenti linea, quid opus erat pectine? Eo nunc, ad promissam, quam hodie gerunt barbam, vtuntur Capucini Fratres, & alij vberius & prolixius comati. Atque propterea fortè, primores illi Cistercienses Monachi, inter alia, quæ ad Regulam perfectius obseruandam, (vt in *exord. Cist. lib. 1. cap. 24.*) reiecerunt à se, numerantur *pectines*, vt inculta barbã comaque, licet, pro rari

XXIV.  
*Differentia Clericalis & Monachalis*

*Pectinum coniectura ad maiore comam.*

riori radendi consuetudine, vel pro eo tempore, amplius redumante, minus pectinati magis ad similitudinem Apostolicæ tonsurationis accederent.

**XXV.** Qua propter, omnimodam similitudinem, in hoc, requirendam esse non cenſeo; satis fit imitatio quædam, aqua non deficit omninò, quæcumque, in modum coronæ, religiosa capitis atōſio. Imò potiùs hæc noſtra, quæ præ minima capillatura, ferè totius capitis eſt abraſio, ad id pertinet quod maximè monachi volebant, & debent præferre; non ſolum (*Iſai. 22.*) ad ſaccum & caluitium lugubre & pœnitentiale, eſſe vocatos, & (*Galat. 6.*) ſtigmata GHRISTI, cuius coronam ſpineam refert hæc noſtra, in corpore ſuo portare; atque ſuas maiores & regias diuitias (*Hebr. 11.*) improprium eſtimare Crucifixi: ſed etiam abraſæ deſiſitione comæ, tanquàm ſolemni ſeruitutis ſimbolo, vr aſſert Pierius *lib. 32.* ſuum ſemper humile Dei obſequium profiteri, & ſuam (*Pſal. 44.*) ſeculi obliuionem, & rerū omnium, pro Deo, relictarum (*Matth. 19.*) reſecationem atteſtari; Aquibus ſi perperam deficient monachi, tunc, vt ait REGVLA, *Mentiri Deo, per tonſuram,* noſcuntur, de quo amplius remiſſiue, *infr. num. 32.*

**XXVI.**

*Primæ tonſuræ cū monachali vniſormitas.*

Attamen conſurgit dubiolum, èx tã vniſormi phraſi, illius quæ pro Clericatus initio, *prima tonſura,* dicitur, ad ſubſequentes ordines præparatoria: atque huius tonſuræ, quã monachus initiatur, vt merito; Num eadem vtriuſque ſit ratio, quis percontetur? Nam eadem ceremoniã perfici ab ipſo ortu Eccleſiæ, illam primam initiationem Ordinum, *cirros puerorum detondendo,* & per hanc loquutionem *tonſurandi,* cooptationẽ in clericatum intelligi, èx Ammiano, Marcellino, & alijs, probat Card. Baron. *vbi ſup.* & Andreas Quercetanus in *Notis ad Bibli. Cluniac. ex Marculfo. lib. 1. formul. præcep. 19.* & ex vita S. Genulphi, Epifcopi, *lib. 1. cap. 18.* notauitque ad marginem Bibliotecarius Floriacenſis, dum plurimos, *comam capitis, pro Deo, deponere,* refert ibi, de Clericis, loqui.

Quod parimodo videtur, aliquibus, de Monachis, èx Dionifio Areopag. *lib. de Eccl. ſ. hierarchia. par. 2. cap. 6.* vbi de Monastica inueſtitura loquens, ait. *Conſignans eum ſigno crucis, tondet, &c.* & ex Marcellino Papa, *cap. illud 20. quæſt. 1.* vbi, Monachatum appellat *ſacram tonſuram,* & *cap. 2. 20. quæſt. 2.* ibi: *Religioni debitam veſtem vel religionis tonſuram,* & conſtat alias per totam illam 20. *quæſt. & ſup. num. 14.* èx Greg. & *nu. 16.* & vbiq; paſſim multiplex occurrit exemplum, vtriuſque tonſuræ, & in aliquibus, cum per Antiftitem Epifcopum fiebat, haud ſatis diſtinguibile.

Nihilominus iſta confundenda non ſunt, ſed diſtinctione ſeparanda. Nam prior illa *tonſura* quæ *primæ tonſura,* cõmuniter appellatur licet Ordo non reputetur, vt conſtat ex adductis à Bellarmino, *lib. 1. de Cleric. cap. 11.* non enim in ea datur aliqua ſpiritualis poteſtas, ad aliquid, vt in ordine propriè dicto; ſed tantũ deputatur tonſuratus ad chorum & Clerum, diſponiturque ad ordines recipiendos, vt pluribus late citatis, traddit Thom. Sanchez, *tom. 2. Conſil. lib. 7. cap. 1. dub. 6. num. 6.* Tamen eo modo, quo Ordinum initiatio eſt, & illis tanquàm initiatiuum annexa, neque de commiſſione Epifcopi, poſſe à parochio ſacerdote ve conferri, certum eſt, ex ijs quæ traddit Henriquez, *lib. de ſacram. Ordinis cap. 2. §. 3.* vnã cum ab eo citatis conſtatque èx Concil. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 10. de reform.* Qua propter iſtam, ſignãter iam, *Clericalem tonſuram,* appellat nouiora iura, *cap. 6. de tranſact. & cap. 3. de Priuileg. in 6.*

Ab ea igitur, raſitatio ſeu *monachalis tonſura,* diſtinctæ rationis eſt, & non ſub ea, ad Sacramentum ordinis pertinente, ſed ſub alia, quæ non ſolum à viris religioſis Laicis antiquis, cætui monachorum Prefectis fiebat; verum etiã, eadem phraſi modoque loquendi, à ſæminis monaſteriorum Matribus. De quibus D. Hieronymus, *Epif. 48. ad Sabinam,* ait: *Moris erat, vt tam virgo quã vidua, quæ ſe Deo vouerint, matri crinem offerant deſecandam,* & Zonaras. *tom. 3.*

**XXVII.**

*Tamen ratio vtriuſque diuerſa.*

**XXVIII.**

*Monachalis nullatenus quid ordinũ eſt.*

Annal. vbi ait. *Matrem suam Michael Imperator, regia digressam quiscere non est passus, sed ipsam & sorores, capillis tonsis, in adibus Cariani includit.* Idque non semel de alijs vtriusque sexus.

XXIX.

Clericalis,  
monachalis,  
& Ecclesia-  
stica, tonsu-  
ræ voces.

Adnotavi autem illam primam tonsuram, signanter vocari Clericalem, vt notem etiam in hoc, olim aliquam vocum confussionem inueniri, Nam cap. 2. de Regular. vbi, de tonsurato in monastici status susceptione dicitur, in Clericatu permaneat; sumitur Clericatus latius, pro statu Ecclesiastico, vt comprehendente religiosas personas, ibidem que explicat Gloss. *Clericus factus*, id est monachus. Et quidem hanc tonsuram monachalem appellari Ecclesiasticam, videre est, apud Bibliot. Floriacensem in vita S. Lati Mixiacensis monachi, qui cap. 1. introducitur monachatum petens, his verbis: *Peto Paternitatem tuam, vt iubeas mihi, Ecclesiasticam tonsuram imponi, & monasticam facias Regulam doceri, &c.* Quin & addo in formam suprapositam, inueniri, propria auctoritate, tonsuratum in monachum, apud historiam Christianam Laurentij de Labarre, vbi Theodorus Studita, in oratione funebri S. Platonis, sic de eo ait: *In densam quandam siluam partem ingressus, eius manu qui eum sequebatur, comam sibi totondit, & puella (lego puella) veste tanquam purpurea quadam se induit, &c.* Sic & monastica depositio comæ, appellatur consecratio, vt notat Rosuueidus, in *Vitis Pat. lib. 1. in vita S. Basil. not. 39.* Atque Consumatio illa monastica de qua S. Dionysius lib. de Eccl. hier. cap. 6. par. 2. solum erat, benedictio, quædam simplex, tunc ex solempni more Ceremonialis ipsius, per modum tonsurationis adiecta, vt indico, ad cap. 60. num. 12. & seqq.

XXX.

Arbor capi-  
llata vnde  
antiquis?

Huius verò religionis, in tonsura, vestigium, superstitioso cultu, tenuit Gætilitas Romanorum, in Virginibus consecrandis. Quod obscure indicauit Põpeius Festus, verbo *Capillatam*, inquiens. *Capillatam vel capillarem arborem dicebant, in qua capillum tonsus suspendebant.* Sed clarè suppleuit reliquum Pli-

nus, lib. 16. cap. 44. exprimens arborem esse lothum, qua capillata dicitur, quoniam vestalium Virginum capillus, ad eam deferebatur. De lotho autem obliuionis arbore Emblemata, inter alia, edidit Alciatus 114. & illud adornauit Claudius Minoes. Vnde tonsa coma, in obliuionis arbore suspensa, creare posset significationem, si non Vestalibus, sacris alias virginibus aptam; aut quam supr. num. 19. Religiosis omnibus propriam notabamus.

At nostrorum, veræ religionis cultorum, tonsura, si vltra Apostolicam graditur imitationem, non ad illam Romuleam superstitionem referenda est, sed potius ad Nazareorum, ex voto, ceremoniam, de qua adhuc (*Act. 21.*) Paulus etiam in ritu comprehenso, est illud: *Sunt nobis viri quatuor, votum habentes, impende illis, vt radant capita, & antea, cap. 18. illud: Qui sibi totonderant, in Cæchris. & principium habet, Numer. cap. 6. ibi: Tunc Nazareus radetur, ante ostium tabernaculi federis, cesarie consecrationis sue, &c.* De quo & de hac materia, adductis in medium authoribus antiquis & modernis, nè in ea multus sim videri poterit Ioannes Lorinus, in *Act. Apost.* dum duo citata loca commentatur. Vt cumque tamen, ratio ista siue tonsura monachalis fieret, (ratio autem proprie nudat omnino cutem, tonsio opertam breuissimo capillicio relinquit) & a quocumque illa fieret, etiam Præsbitero, & Abbate aut maiore Antistite, nõ ad sacramentum ordinis initiabat, sed ad ordinem religiosum introducebat, eam sanè cum alijs, significatione potissimam, quã ex Hieronymo tradidit. cap. duo sunt genera. 12. quæ 1. Quod scilicet, *ratio capitis, est temporalium omnium depositio*, prout sup. num. 19. & de eo etiam D. Isidorus, de Ecclesiast. offic. lib. 2. cap. 4.

Denique hanc tonsuram, ex Monastica disciplina, & verbo, & re, interiori, & exteriori forma cum ea renuntiatione consuetam semper in monachatu fieri, ostendunt antiqua monumenta. Dionis. Areop. supra citatus, ibi: *Sacer-*

XXXI.

Religiosa ca-  
pitis rasio an-  
tiquissima.

IVXX

XXXII.

De monasti-  
ca tonsura  
antiquitas  
probatum am-  
plius.

dos

dos eum interrogat primum, an renuntiet diuisibilibus omnibus, non solum vitijs, verum imaginibus quoque ac phantasys, &c. Phil. Iudeus lib. de vita contempl. ibi: Relictis facultatibus, & auocamentis omnibus, fugiunt &c. Idem Eusebius Cesar. lib. 2. Eccles. hist. cap. 16. Iustinus Martyr. quæst. 21. ad orthodoxos, Basiliius magnus late in Regul. fusior. interrog. 8. de nuntio rebus vitæ huius mirrendo. Totus in hoc Casianus, præcipuè, lib. 4. de institut. cœnob. per plura capita, & collat. 18. a principio, & maximè, collat. 3. à cap. 6. & plures alij. Atque de hac mo-

naistica depositione comæ, & tonsura, loquuntur iura allegata sup. num. 11. quibus addè, cap. constituit. 42. 16. quæst. 7. & cap. constituit. 5. 20. quæst. 3. vtrique ex Concilio Maguntino. Atque contra calumniatores Hæreticos, omnium religionis characteri infensos, defenditur a Card. Roberto Bellarmino, tom. 1. lib. de Monachis cap. 40. & habes plura ex Tertulliano, de Corona militis, adiuncta vberè Annotatione Rhenani, ad finem, iuxta recognitionem Laurentij de Labarre.

Qualis debeat esse Abbas.

## CAPIT. II.

TEXTVS.

S. I.



**A**BBAS qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet quod dicitur, & nomen maioris factis implere, CHRISTI enim agere vices in monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo. <sup>a</sup> Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater. Ideoque Abbas nihil extra præceptum <sup>a</sup> Rom. 8. Domini (quod absit) debet aut docere, aut constituere, vel iubere. Sed iustitia eius vel doctrina, fermento diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ vel discipulorum obedientiæ, vtriusque rei in tremendo iudicio, facienda erit discussio. Sciatque Abbas culpæ pastoris incumbere quidquid in ouibus, pater familias utilitatis minus potuerit inuenire. Tantum iterum liber erit, ut si inquieto vel inobedienti gregi, pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita, pastor earum, in iudicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino. <sup>b</sup> Iustitiam tuam <sup>b</sup> Psal. 39. non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi: ipsi autem <sup>c</sup> contemnentes spreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus <sup>c</sup> Isai. 1. cura suæ ouibus, pœna sit eis præualens ipsa mors.

S. II.

Cum ergo aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est omnia bona & sancta factis amplius quam verbis ostendere, ut capacibus discipulis, mandata Domini, verbis proponat, duris vero corde & simplicioribus, factis diuina præcepta demonstret. Omnia verò quæ suis discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda: né aliis prædicans. <sup>d</sup> ipse reprobus inueniatur. Nequã <sup>d</sup> 2. Cor. 9. do illi dicat Deus peccanti: <sup>e</sup> Quare tu enarras iustitias meas, & assumis <sup>e</sup> Psal. 49. testamentum meum per ostium? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti

f Matth. 9. iecisti sermones meos post te. *Et qui s* in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti. *Non ab eo persona in Monasterio discernatur. Non vnus plús ametur quàm alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus, ex seruitio conuertenti, nisi aliqua rationabilis causa existat. Quod si ita iustitia dicta te Abbati visum fuerit, de cuiuslibet ordine id faciat, sin aliter propria teneat loca, Quia, & Siuè seruus siuè liber, omnes in Christo vnum sumus, & sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulam: Quia,*  
 g I. Cor. 12. *Non est apud Deum personarum acceptio. Solummodó in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores alijs in operibus bonis, & humiles inueniamur.*

Ergó æqualis sit omnibus ab eo charitas, vna præbeatur omnibus secundum merita disciplina. In doctrina namque sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam seruare, qua dicit: *i* Argue, obsecra, increpa, id est miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum Magistri, pium patris ostendat affectû. Id est, indisciplinatos & inquietos, debet durius arguere; obediens autem & mites & patientes, vt in melius proficiant obsecrare; negligentes autem & contemnentes, vt increpet & corripiat, admonemus. Neque disimulet peccata delinquentium, sed mox, vt ceperint oriri, radicitus ea (vt praualet) amputet, memor periculi: *l* Heli Sacerdotis de Sylo. *Et honestiores quidem atque intelligibiles animos, primâ vel secunda admonitione, verbis corripit, improbos autem & duros, ac superbos, vel inobedientes, verberum, vel corporis castigatione, in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: m* stultus verbis non corrigitur, & iterum, *n* Percute filium virga, & liberabis animam eius à morte.

Meminisse debet semper Abbas quod est, meminisse quod dicitur, &  
 • Matth. 25. *scire: o* Quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque quã difficilem & arduam rem suscepit, regere animas, & multorum seruire moribus, & alium quidem blandimentis, alium increpationibus, alium suasionibus. Et secundum vnus cuiusque qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, vt non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiat, verum etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia, ne dissimulans, aut parui pendens salutem animarum sibi commissarum, plús gerat sollicitudinem de rebus transitorijs, atque terrenis & caducis: sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et nè causetur de minori forté substantia, meminerit scriptum: *p* Primùm quærite Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis, & iterum: *q* Nihil deest timentibus eum. Sciatque, quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem

§. III.

§. III.

reddendam. Et quantum sub cura sua Fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicij, ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem sine dubio, addita & sua anima. Et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis omnibus, cum de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis sollicitus. Et cum de admonitionibus suis emendationem alijs subministrat, ipse efficitur à vitijs emendatus.

NOTÆ.

I.  
Quæ nam  
ex hoc cap.  
obligatio.

Debeat  
ad præceptū  
pertinet.

**Q**uamquàm postea; cap. 64. acturus sit, de electione seu ordinatione Abbatis, ei peculiaria ibi adhuc documenta daturus S. BENEDICTVS; in presenti tamen à Superiore conuentus & congregationis capite auspiciatur, & tanquàm de præcipuo cardine, in quo vertitur totum hoc stelliferum Religionis monasticæ firmamentum, de Abbate docet: *Qualis debeat esse.* Et benè, debeat, quod verbum præceptiuum esse, & propriâ æquipollentiâ significans, nõ debitum solum honestatis, sed præcepti, multis (vt solet) citatis, tenet Thom. Sanchez, lib. 6. *summæ capit. 4. num. 36.* Quod quidem hic maximè admitto, quia omnia quæ hic adducit Regulæ textus, præcepta sunt diuina, vel iustitiæ, vel charitatis, pro officio & debito Superioris, ex se propriam habentia obligationem, præsuppositiuè ad Regulam. Ex ea autem, solum habent, excitationem, adhortamētum, & memoratiuam doctrinam diuinorum testimoniorum, vt apertè cõstat ex verbis textus, ibi: *Semper meminisse debet, &c.* & iterū: *Memor sit semper Abbas; & rursum: Meminisse: debet sepe, &c.* & sic alias, Dei verba, ex sacris literis; producendo. Quod benè notauit ad hoc cap. Suarez: tom. 4. de Relig. lib. I. cap. 3. num. 8. Vel se habet REGVLA, vt cõstituens officium Prælati, qua conditione posita, exurgit in constituto omnis illa obligatio præceptorum, vt notauit, in *introduct. art. II. num. 12.* Aut si præceptum adiungit Regula per verbum, *debeat, dicat, faciat, &c.* non habet vim adiungendi, nouam culpam in transgressione, præter ortam ex præsupposita obligatione præcepti, vt latè docui, citata

Introd. Art. 6. pro prima CLASSE ad quam ista pertinent.

Quæ verò potissimùm proponit, hæc sunt. Primò, obligationem conscientiæ officio annexam, ibi: *Meminisse debet quod dicitur, scilicet Abbas, nomen maioris, superioris, & prælati, & patris, quod debet: factis implere.* Secundo, Modum dicendi & imperandi, ibi. *Nihil extra præceptum Domini debet aut docere aut iubere, &c.* Tertio, Vigilantiâ & curâ pastorem, ibi: *sciat Abbas culpæ pastoris incumbere, &c.* Quarto, Exhibitionem exempli in factis, doctrinæ in sermone, ibi: *Duplici debet doctrina, suis præesse discipulis, &c.* Quinto, Æqualitatem iustitiæ, sine personarum acceptione, ibi: *Non ab eo persona, in monasterio discernatur, &c.* Sexto, Discretam & æquam in corripiendo charitatem, ibi: *Æqualis sit omnibus ab eo charitas, &c.* & quæ sequuntur de sancto & prudente corrigendi modo. Septimo, Præcipuam curam animarum, esse omni temporalium sollicitudini anteposendam, ibi: *Ante omnia ne dissimulans aut paruipendens salutem animarum, &c.* Octauo, & vltimò. Rationem quam Deo redditurus est de omnibus sibi creditis: *addita, & sua anima.* Quæ omnia legis Dei iniuncta sunt, ad cuius tutrinam, iuxta maiorem vel minorem grauitatem & modum pensanda est culpæ transgressio. Atque fere eundem numerum functionum, ex eodem cap. pro Abbatum obligatione, elicuerat Iodocus Lorichius: in *Thesauro vtriusque Theologiæ, verb. Abbas, num. 6.* De quibus quàm latus patebat campus, pro moribus prædicandi, sicut in alijs Regulæ locis, manifestum

II.

Octo quæ  
in hoc cap.  
proponuntur.

tum

tum est, at non hæc mea, in opere, meffis, vt monui in *introducēt. Art. 2.* & ita leuo falcem.

III.  
De nomine  
Abbatis,  
quæ cōmu-  
niter.

Quam, vt in agrum proprium mit-  
tam, notatio pro residuo Regulæ oc-  
currit, circa titulum, atque textum hu-  
ius cap. dūm monasterij Prælatus, mo-  
nachorum ve superiorē, *Abbatem*, ap-  
pellat. Et primo de *Nomine* alij plura,  
& nouissimè *Afcanius Tamburinius*,  
*tom. I. de iure Abbatum, disput. I. per to-  
tam*, vt non te alijs onerem authoribus  
eadem ingerentibus. Vndè & ego pau-  
cis. Omittoque athimologiam; quis  
enim ad eam, vel è *Euangelio Marcij*  
14. vel è *Apostolo. Rom. 8.* non profe-  
rat expressam significationem *Patris*?  
At hæc textu ipso Regulæ continetur.  
*Cænobiarcham*, transfuit *Budeus*, idest,  
monachorum Antistitem, cumque vox  
*Siriaca* sit, nō est mirum ibi, vbi tot mo-  
nachorum florere cœnobia, nomine  
patrio *Abbatis*, vsos fuisse. Sicut & *Græ-  
cos* nomine *Archimandrita*, Nobis au-  
tem iam latinum, imo & vulgare; fa-  
ctum est nomen *Abbatis*.

III.  
*Amba.* &  
*Appa, &c.*  
ad idem.

Addiderim tamen, pro eo, fortè mi-  
nus tritum, apud *S. Ephrem* in Testa-  
mento eius. *Amba*, pro eodem accipi,  
quod *Abba*, vt probat *Gerardus Vos-  
sius*, in *scholijs ad dictum testam.* è vsu  
*Alexandrinorum Patriarcharum*, in  
suis *Epistolarum* titulis. Fuisse adhuc in  
*Hispania* nomen *Abbatis*, multo ante  
*S. Benedictum*, argumento est, locus  
*Lucij Dextri* ad annum *Christi 308.* de  
*Martyribus Philiberto & Fabriciano*,  
quos ipse monachos, *Brebiarium* vero  
*Isidori*, *Abbatem*, vocat. Atque de hoc  
*Nomine*, pandit coniecturam suam *Go-  
ropius Becanus*, *lib. 7. de Originibus An-  
tuerp.* Cū enim adduxisset versum  
*Calimachi* de *Diana paruula*, cum pa-  
tre loquente, scilicet: *Da mihi Virgineū  
vt seruem decus, Appa, perenne.* Adiun-  
git dicens: *Credi potest & Egyptios Ab-  
ba, non minus, quam Syros, in eodem sig-  
nificato (scilicet Patris) dixisse, atque  
idcirco Appa, potius quam Atta, Cali-  
macum dixisse, quò & proxime Egyptiā  
vocem imitaretur, & patris Macedonū*

*blanditijs alluderet.* Ac rursus, cum no-  
mine *Papæ* coequat dicens. *Apud Syros  
Abba, pro eodem dicunt, & apud Egypti-  
os Papa, vti & apud alias etiam quas-  
dam gentes, &c.* De quo *Abbatis* nomi-  
ne, egregia ipse author protulerat, *lib. I.*  
quæ cum alijs nunc prætereos licet non  
nihil *infr. ad cap. 63. num. 4.*

Vtteriùs autem hic ad literā inquiri  
potest, an conformiter ad Regulam li-  
ceat, prælatos *Benedictinos*, alio nomi-  
ne, quam *Abbatem* nuncupare? Atque  
dubiolo ansam præbent aliquæ *Con-  
gregationes*, quæ *Benedictinæ* cū sint,  
suos prælatos vocant *Priores*, vt *Camal-  
dulenses, Celestini, & nouiter reforma-  
ti Fullienses, &c.* Atque in *Hispania*  
Prælatus Regii Monasterii, *S. Benedi-  
cti Vallisoletani*, quod semper ab ini-  
tio obseruantissimū, Cōgregationis est  
caput, *Prior* nuncupabatur. Imò, & in  
*Obseruantia Cisterciensi*, licet breui ad  
*Abbatis* titulum rediere Prælati, ini-  
tio *Priores* appellati sunt. Et tamen  
cōstat *S. BENELECTVM*, non solum  
hic introducere Prælatum sub nomine  
*Abbatis*, sed & *infra cap. 64. de eo, sub  
Abbatis* nomine ordinando, tractare,  
& *cap. 63. expresse statuere quod Ab-  
bas, Dominus & Abbas vocetur.* Cū-  
que hoc ex *Regula* sit, habemus & nos  
priuilegio *Eugenij III.* & præfati *Bene-  
dictini* priuilegio *Adriani VI.* titulo  
*Abbatiali* gaudere, quod videtur re-  
dundare, sicut plura, que tamen priui-  
legijs fulciuntur.

In hac re in primis censeo, hoc *Ab-  
batis* prænomen, absolutè *Regulæ* esse  
conforme, atque ex institutione tanti  
*Patriarchæ*, à filiis amplectendum, nō  
vanitatis prætextu, sed operationis of-  
ficio, quod sollicitudinis esse, docuit  
*Paulus, Rom. 12. Qui præest in sollicitudi-  
ne;* Atque in nomine *Abbatis*, nullam  
præsumptionis, & temeritatis irreue-  
rentiam committentes; quam solum  
repulisse credendus est *D. Hieronymus*, dum  
in *Epistol. ad Galat. cap. 4. ait:*  
*Cum autem Abba Pater, Hæbreo Syro-  
que sermone dicatur, & Dominus noster  
in Euangelio præcipiat; nullum vocan-  
dum*

V.  
*Abbatis no-  
men an om-  
nino admit-  
tendum in  
Prælatis?*

VI.  
*Abbatis no-  
men Regulæ  
conformis.*

Nec est reprehensibile explicato Hieronymo.

*dum Patrem nisi Deum, nescio qua licentia in Monasterijs, vel vocemus hoc nomine alios, vel nos vocari acq̄uescamus.* Quibus verbis, licentiosam, tumidam, ac sine consideratione vsurpata nomenclationem sugillat, & ab ea merito territat. Alioqui, ipse sibi respondeat, quod aliorum sanctorum verbis possemus, sed propria illius damus, ad locum Euangelij, *Matth. 23.* vbi ipse excitat quaestionem, & soluit, inquit: *Queritur quare aduersus hoc præceptum, Doctorem gentium Apostolus se esse dixerit? (2. Cor. 5. Colof. 2.) aut quomodo, vulgato sermone, maxime in Palestina & Aegypti Monasterijs, se inuicem Patres vocent? Quod sic soluitur: aliud esse naturam patrem, vel Magistrum, aliud indulgentiam. Nos si hominem patrem vocamus, honorem etati deferimus, non auctoritatem nostram ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur ex consortio veri Magistri. Et ne infinita replicem, quomodo vnus per naturam Deus, & vnus filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem, Dei vocentur filij; ita & vnus Pater, & Magister, non præiudicat alijs, vt abusiue appellentur patres & Magistri.* Hactenus Hieronymus, sciens quomodo constet appellatio, *Patris & Abbatis*; scilicet indulgenter & abusiue. Vt in simili, dixit *D. BERNARDVS, hom. I. sup. Missus est. Deus igitur, ac proinde CHRISTVS D. cui Abbatis nomen, ex Alberto Crantzio & Ioanne Gersono, aptat Ascanius citatus sup. num. 3. in disp. 2. quas. 9. est Abba pater substantiuè: cæteri verò nuncupatiue, & imitatione; quam sicut honore, ita obligatione plenam, adstruit hic S. BENEDICTVS à principio capituli, quia Abbas ipsius, scilicet Christi, vocatur prænominè, &c.*

VII.

Non damna di qui non Abbatibus omittunt.

Cæterum licet hæc ita sint, vt facile à nomine Abbatis, iuxta Regulæ institutionem, non sit recedendum; cum tamen, neque hoc præceptiuè iniungatur, neque sit de immutabilibus Regulæ; stante ratione a-

liqua & auctoritate, quæ semper in his cordatis mutationibus adsunt; reprehendendi non sunt, qui officij & muneris momentum retinentes, nomen Abbatis pluribus honoribus auctum, & quadam maiori dignitatis præ eminentia conspicuum, pro altero aliquo inferiori, humiliter commutauerunt. Nam, re vera, hic intentio sanctiss. Patris est, Superiorem & Prælatum, Patrem ve monasterij, nomen maioris factis implere, de hoc valde, non de nomenclatura sollicitus. Et licet, *capit. 63.* ex præsuppositione nominis, illius modum determinet, ex dicendis tamen apparebit, iam tot qualitatibus vestitum, non idem sed alterum ferè esse nomen: quod humiles detrectare, non sit transgressionis præsumptio, sed maioris, non inuita REGVLÆ, Religionis affectio. Præsertim cū in illa, sæpius Abbatem, Prioris nomine contineri, sit certum: quod pro vera intelligentia literæ, ad *capit. 6.* exacte probabo: & de accretione indies splendoris, Abbatialis muneris, infra, *num. 19.*

Quòd vero priuilegia obtenta sint, ad gaudendum titulo Abbatiali, vt *num. 5.* notatum est; æstimo non ad titulum & nudum Abbatis nomē, quod ex Regulæ præscripto, iam ab Apostolica Sede sæpius approbato, licebat, necessaria fuisse. Quid enim titulus sine re, aut nomen vacuum, & requisitis carens prodesset? Scilicet non solum nomen, sed substantia inspicienda est: qua carent plures, qui vel solum propter aliquod, Confraternitatis etiam secularis, officium, vel propter quamlibet adiunctam Clericatu curam animarum, alicubi vulgo *Abbares* dicuntur, nomine dignitatis vacuo. Quos ob id, decissio quædam Rotæ apud Ascanium citatum, in *tom. 3. de iure Abbat. ad fin.* appellat. *Abbares ventosus*, id est vanos & vento similes. Itaque priuilegia, ad nomen cū dignitatis substantia, vel ex iure, vel ex priuilegio annexa, quæ aliter non constabat, impetrata sunt: & inter aliquos etiam, vt ea, adhuc Abbatum

VIII. Abbatis titulus non solo nomine constat.

Abbas ventosus.

perperuitate sublata, triennialibus, seu quadrienalibus Abbatibus, & non munere benedictionis affectis prodesse.

IX.

Abbas ex  
Regula an  
necessario  
Sacerdos?

Alia verò se se insinuat hinc difficilior quæstio, & quæ pro alijs locis Regule examinandis, præmittenda est: An Abbas, quem Superiorem, & Patrem, & Magistrum Monachorum, in Monasterio constituit Regula; ex ipsa, ut sic, reduplicatiue, necessario debeat esse Sacerdos? Notanter dico, prout ex Regula: Nam post eam, ex nouioribus diuersæ superioritatis Ecclesiasticæ decretis, id exigere, ut statuitur in capit. 1. de arate, & qual. & alijs iuribus, superuacua esset quæstio: de qua solum, procedit Ascanius Tamburin. tom. 1. disp. 5. quæst. 12. cum alijs, tom. 2. disp. 1. quæst. 3. non sit veritus id denegare communi Patri nostro B. BENEDICTO, ut alii, de quibus infra, Proinde distingo etiam hanc quæstionem, ab ea: An B. BENEDICTVS fuerit Sacerdos? Quam reputo omnino diuersam, neque ab illa priore dependentem; nisi in sententia illorum, qui id prorsus eliciendum censent ex REGVA, subolentes, in ea, passim sagaciter Sacerdotales necessario functiones, per Abbatem exercendas; & ex quouis odore earum, Sacerdotium absolute in Abbate conuinci volentes. Quibus ego nullatenus, ut sic, assentior; & rationem subiungam, ut non hinc veritas Sacerdotii S. BENEDICTI depêdeat, quæ ut cumque inde inuuetur, sed verè aliunde efficacius tenenda est.

X.

Dispositio Re-  
gula non in-  
fert, nec au-  
fert Sacerdo-  
cium ab Au-  
thore.

Quia nulla est repugnantia, in eo quod Legislatores præbiter, possit condere Regulam non exigentem, Superiorem Ordinis à se instituti, necessario esse præbiterum; aut è conuerso, quod Legislatores non-præbiter, possit præbiterum necessario requirere. Nā per accidens se habet, conditio Legislatoris & institutoris, ad ipsam legem & institutum, quia non est necessariū, Authorem Regulæ aut instituti, qualitates personæ propriæ in sua refun-

dere instituta; neque si illis careat, & per ætatem, aut aliam rationem eis destituatur, oberit, quominus si necessarias animaduertat Reptori, aut Superiori Reipublicæ quam ordinat, eas in illo exigat & requirat, aut saltem permissiue & conditionaliter illas petat, & præscribat. Ad quæ faciunt optimè, quæ infra num. 12. adducuntur; & appositissimum testimonium Smaragdi Abbatis, quod proferam infra ad cap. 11. Regule, num. 9. & c. Et quidem, ut exempla non desint, B. Basilius Sacerdos erat, & tamen suis Monachis, Sacerdotium positiue ab eo prohibitum, admittit San-Vitores, tom. 1. Præl. 1. capit. 13. num. 4. testimonio adducto, ex capit. 10. constitut. Monast. Rursus B. Franciscus Sacerdos non erat, & tamen Fratres Sacerdotes admittit, ex Regula. Præterea B. Augustinus, & laicus & Sacerdos Regulas condidit ( ut meminit Iordanus de Saxonia, in vit. Fratrum, lib. 2. capit. 14. & probo amplius, infra num. 12. citato ) nihil tamen ad id impediens proprio & actuali statu Legislatoris. Confirmaturque: Quia ad constituendum Religiosum statum verum & proprium, non requiritur potestas iurisdictionis spiritualis, sed sufficit ea potestas dominatiua, quæ in Abbate aut Prælate monachorum, ratione Votorum, & traditionis voluntariæ resultat. Ut latè cum alijs docet Suarez, de Relig. tom. 3. lib. 2. capit. 18. num. 8. & lib. 6. capit. 2. num. 10. & constabit ex dicendis: ergo Sacerdotio opus non erat necessario, ad constitutionem talis Abbatis Monastici. Quem sane morem, initio Monachatus viguisse, certissimū est; & diu frequenter vsitatum; quandoque etiam, aliā insuper adiecta iurisdictione spirituali, ex delegatione capaci, aut alio debito modo. Idque durauit, donec post tempora ( ut videbimus ) nouiora, necessitas Sacerdotij in Prælatis, Dignitatis ratione, ex iure inducta est; & ordinaria tandem iurisdictione spiritualis, eisdem pariter, saltè cum exemptione, aut

Cōfirmatur.

IV

ex privilegio perpetuo collata.

XI. *De S. Benedicti Sacerdotio affirmatio.* Qua propter, vt semel determinem de Sacerdotio Sanctiff. P. N. BENEDICTI, & expeditus ab hac difficultate, procedam, in primis censeo: Nul- lum efficax argumentum defumi ex ipsa REGVLA, neque ex locis illius. Quod generaliter probatum *precedente num. 10.* probabitur per singula occurrentia loca, omnibus in vero ri- gore discussis, *infra à numer. 12.* & *se- quentibus, cum citatis ibidē.* Quare de- inde, independenter à probatione ex REGVLA, licet eam qualemcumque non respuam, scilicet ad melius esse, prout *infra num. 17.* declaro: Nunc aliunde petitis rationibus, censeo, ita veram esse sententiam, asserentem Sa- cerdotium B. BENEDICTO & certam, vt oppositum nullatenus euidenter à quoquam probari possit, aut sustineri verosimiliter, quin prorsus præponde- ret assertio nostra & affirmatio: ad quā inducor, ¶ §. 1. Primò. Ex de- bilitate fundamenti eorum, qui dene- gant B. BENEDICTO Sacerdotium, scili- cet ex eo, quod id non inueniatur ex- pressum, in eius vita. Hoc autem argu- mentum negatiuum, quam debile sit, imò & quam absurdum, ab eo colli- gere & inferre, non fuisse, quidquid in historia omiffum est, nec literis man- datum, ostenditur satis *infra num. 20.* ¶ 21. Atque ex hoc eneruatur autho- ritas plurium, qui solum eo nituntur fundamento, & licet videantur auge- re numerum contrarium sententium; dum tamen prædicta debilitate labo- rant, ad autoritatis pondus nihil cō- ferunt. Et idem iudicium est de illis, qui sine discussione dubij, solum præ- cedentibus creduli adhæserunt. In quo non parum minoratur autoritas, sunt enim plures huius generis, & penitus à legitima probatione excludendi. Sed ad specialiozem ostensionem veritatis certioris progrediens, ad eam indu- cor, ¶ §. 2. Secundò. Quia satis exprimitur, quod intelligitur tacite, nec opus est nomen Officij, aut mini- sterij apponere, quando illius decla-

rantur ordinarię functiones; maximè cum dignè, ritè, & laudabiliter factæ sunt, ab egregia aliqua persona, & vt tales enarrantur & constât. Sed tales sunt, quę referuntur ingestis S. BENEDICTI, ad inferendum Sacerdotium il- lius, & asserendum illud ei, ergo, &c. Maior sane momentum rei & ener- giam rationis continet. Minor vero propositio illustratur: ¶ §. 3. Primò, *Ex predicationis Evangelicæ munere:* quo exactissimè functus est. B. BENEDICTVS, & maximè Casini, in con- uertendis Gentilibus ac peccatoribus, & in acquirendo populum CHRISTO, vt constat ex D. Gregorio, *lib. 2. Dialog. cap. 8.* ¶ 19. Hoc autem vt ritè fieret, Leuiticum saltem ordinem requirit, vt constat ex *capit. Perlectis. distinct. 25.* & ex Concilio Toletano, *4. can. 39.* & alijs pluribus. Et vt perfectè exerce- retur, ad reconciliandum, per pœni- tentiæ Sacramentum, lapsos, etiam Sa- cerdotali ordine opus erat, quibus or- dinibus & potestate, instructi sunt semper, qui tali ministerio incumbūt; Ergo id non poterat deesse, in eo, qui vt *Præceptor, vt Doctor, vt Magister* laudatur, in exercicio talis officij, apud D. Gregorium, vbi sup. *etiam capit. 36.* & Laurentium Surium, *tom. 7. in vita S. Placidi, & S. Odonem in serm. S. Bened. Bibliot. Cluniac. vbi, edoctam & adductam Deo multitudinem po- puli, appellat Signum Apostolatus S. Benedicti.* ¶ §. 4. Secundò, Il- lustratur, ex eo quod citatus D. Gre- gorius, *capit. 23.* refert de *Sanctimonialibus*, à B. BENEDICTO in *vita ex- communicatis*; quibus, *mandauit dicens, corrigite linguam vestram, quia si non emendaueritis, excommunico vos.* Quæ post mortem, visæ sunt egredi ab Ec- clesia, tempore Missæ: atque deinde, ipso indulgente, liberatæ. In quo nequaquam assentior illis, qui cum Authore Dialogi de Sacerdotio S. Be- nediicti, apud Card. Zabarelam, sentiūt, ibi interfuisse verè latam excōmuni- cationem; & etiam absolutionem pro- priam, à peccato illarum Monialium.

Confirmatio  
prima.

Probatio  
prima.

Confirmatio  
secunda.

Probatio  
secunda.

Nam quoad primum, refragatur ipse D. Gregorius dicens: *Excommunicationis sententiam, non proferendo intulit, sed minando.* Quoad secundum refragatur ipsa Sacramenti institutio, cuius, ut sic, vis, post mortē deficit, ex defectu subiecti. Ideoque à Cardin. Bellarmino, *lib. 1. de indulgent. capit. 14.* reducitur ad meliores terminos, & aptiorem sensum. ¶ §. 5. Meus autē in hoc est, quia dum Papa Gregorius, eo quali qualimodo, excommunicationē licet comminatoriam admittit, & probationem effectus rei, ex similitudine Sacerdotalis efficacīe, ligandi atque soluendi, adducit: quamquam effectus ille, ultra comminationem similitudinariae seu tentatae illius excommunicationis, & absolutio aut liberatio, omnino præter Sacramentalem operationem, miraculosum quendam & diuersum modum, reducenda sint: manifestatur interim conceptus, & mēs D. Gregorij, præsupponentis absolutē S. BENEDICTVM, Sacerdotali dignitate viguisse, cui absque aliqua improprietas nota, aut aliqua excusatione in modo loquendi proprii muneris, exēplū adaptat ei, tamquam eius Sacerdotalis functionis non immuni. Nec obstat, excommunicationem inferri posse, & absolui à non Sacerdote, imo, & à laico, cui talis facultas & iurisdictio potest conferri, quod non abnuo: tamen quando exercetur per Superiorem, tãquam per Ordinariū, & ordinario modo, potiori iure venit certō intelligendus Sacerdotalis ordo, in quo quasi radicatur. Et quidem tamquam Superior & Prelatus illarum Monialium, describitur ibi à D. Gregorio; qui dum moderatur, solum *comminando* excommunicationem intulisse, concedit potuisse eam, ipso facto & cum efficacia proferre. Igitur immerito contrahitur ad strictiores terminos, præsertim cum & illi, *ligandi atque soluendi*, exprimentur, tamquam communicati B. BENEDICTO, sine addito minuente, aut limitante particulā, quæ cogat communioem & certam loquutio-

nem, à maiore & quasi indubitata certitudine excludere. ¶ §. 6. Ter-  
*Pro Confir-*  
 tiō illustratur, ex eo quod ipse D. *matione ter-*  
 Gregorius citato, *lib. 2. Dialog. capit. 24.* narrat, corpus Domini in Eucharistia *propria manu* tractasse. Nam circa puerulum Monachum, in domo parentum, ad quos sine benedictione exierat, defunctum, quem humanum sepultura non retinebat, expositibus opem, *Vir Dei manu sua* *pro-*  
*tinus communionem* Dominici corporis *dedit, dicens, ite, atque hoc Dominicum* *corpus, super pectus eius cum magna* *reuerentia, ponite, & sic sepulturæ eum* *traddite, &c.* Hoc autē constat diuersum esse, à præcedenti casu, in quo, ad subueniendum Monialibus illis defunctis, exeuntibus de sepulchris suis, *oblationem dedit, dicens, ite, & hanc ob-* *lationem, pro eis, offerri Domino facite,* *&c.* Vbi solum de oblatione panis, super sepulturam apponi solitam, sermo est, hic vero de ipsa Eucharistiæ hostia, quæ apposita pectori defuncti, simul cum eo, sepulturæ traderetur. Quem morem, antiqua historia D. Basilij, apud Amphilochem Episcopum *in illius vita, cap. 6.* ostendit, & postea abrogatum esse constat, non tantum, eo modo, quo videntur loqui Concilia, Cartaginense 3. *can. 6.* & generale 6. in Trullo, *can. 83. vt. Ne-* *mo mortuorum corporibus Eucharistiam* *communicet, ratione addita, quia illud:* *Accipite, & comedite,* non potest cōuenire cadaueribus (quo pacto, nullatenus data est in præsentī, à B. BENEDICTO) sed etiam, eo modo, quo hic præcepit, includendo eam pectori sepeliendi mortui, prout de S. Basilio relatum est, & tempore S. BENEDICTI, nondum vniuersaliter ablatum. ¶ §. 7. Atque ex inde satis videbatur defendi posse factum, cuius sugillationem indicat Benedictus Haestenus, *in Commentario vitæ S. Benedicti cap. 24. citato.* Sed mihi pro defensione sufficit à D. Gregorio Papa, tãquam bonum & laudabile enarrari, & quod omnino à sugillatione

In quo sensu sit?

Defensio & suppositio altera.

vindicat, ab ipso Deo, miraculoso effectu, approbati. Quantum verò attinet, ad nostrā Assertionē ostendendā, probé caleo, contactum sacre Eucharistiæ seculis illis antiquioribus, non esse adstrictum Sacerdotibus necessariò, quin & laicis fuisse permissum, scilicet, vt quando cõmunicabant, Eucharistiam ipsorum manibus impositam, ipsi ori admouerent. Quod constat ex locis erudite adductis, à præfato authore proleg. 18. §. 14. ex Nicephoro, lib. 6. Hist. Eccl. Damasceno, lib. 4. de fide Orthodox. cap. 14. Cyrillo Ierosolym. Cathe. 5. Quod postea reformatum est, vt cõmunicans haberet *Dominicalē*, id est linteum mundissimum, in quo hostiā exciperet, vt ex Concilio Antifiodorensi sub Greg. Magno, can. 42. cõstat: ac demũ ad præsentē modũ, per manũ præbiteri, in os cõmunicantis immissa hostia, reductum. Adde & ex Gratiano, cap. Diaconus, dist. 93. concedi, Vt Diaconus, præfente præbitero, Eucharistiam Corporis Christi, si necessitas cogat, iussus eroget. Imò & eadem necessitate vrgēte, in absentia præbiteri, licuisse laicis, se ipsos communicare, testimonia supersunt. ¶ §. 8. Verũ tamen in præfenti casu, S. BENEDICTVS, manu sua accepit Eucharistiam, non vt communicans se, sed vt ministrans aliis: non in aliqua vrgenti necessitate compulsus, aut carentiã Sacerdotum, quibus numquam illud Casinense Monasterium, in eo statu, omnino caruit, sed solita & expedita facultate tractandi corpus Domini. In quo ipse D. Gregorius, nihil quod excuset, aut aduertat, aut præoccupet habet; neque ipsi B. BENEDICTO timeri potest de circumspectione & decencia operandi: Quare certa, & vera ratione concluditur, ordinariam, & cum suis circumstantiis, obiisse functionem, quæ seclusis diuersis casibus, & necessitatibus, commissa est præbiteris, quibus sic congruit, vt sumant, & dent cæteris. Et hæc de illustratione & probatione illius Minoris propositionis. ¶ §. 9. Postremò ad prædicta, ac-

cedere & adiungi poterunt, consentientia adminicula, aut rationes, quæ (vt iam monui) ex Regula, vel iuxta considerationem eius in cõmuni, vel ex singularibus eius locis in discursu operis enucleandis, desumi possunt. Nã licet ex inde, tempore REGVLÆ, & ex ea, prout sic, non conuincatur generaliter, nec probeatur Sacerdotij dignitas, pro aliis Abbatibus: semper tamen, inter illos, remanet salua Sanctissimo Patriarche BENEDICTO hæc præeminētia, tũ ex fudamētis adductis, in quibus cõfirmandis, & fortificandis potius quã eneruandis nostrum debet studiũ insudare; tũ quia Monachorum Occidentalium facile Princeps, qui non solum Casinensis Cœnobii superioritatem, sed etiam Sublacensium Monasteriorũ, àb eo fundatorum, aliorumque, & etiã Sanctimonialium, suo tũ debito modo, cõmissam habuit curã: Pater patrũ, & Abbatũ omnium quasi primatũ, suo tempore, tenens, Sacerdotii, in aliis sui instituti Religiosis, adeò prouidus, vt ex ipsius Regula, cap. 60. De Sacerdotibus, qui forte in Monasterio habitare voluerint. & cap. 62. De Sacerdotibus Monasterij, constat, Santissimo ministerio altaris adeo intentus, vt ex c. 38. & citato, lib. 3. Dialog. Gregorii, colligitur: non erat, aut legibus aliorum minorũ Abbatũ, aut permissionibus inuoluendus, aut in cõditionali Regule dispositione, cõputandus. Nã & hanc exceptionem Sacerdotij, videmus in anteriorib⁹ illis seculis sep̄ exercitã, in eis qui adhuc, eremo pluribus scatēte Abbatibus laicis, quasi principatum, veneratione & authoritate in tota eremo gerere solebant. Vt refertur de Pasuntio, solitudinis Scithi Præbitero, apud Cassian. collat. 4. capit. 1. & de Abbate Isaaco, in vitis Patr. infr. ad capit. 9. num. 5. Quæ exceptio potissimè currit, in omni Monastica professionis Maximo Principe Sancto BENEDICTO, decius Sacerdotio, amplius infra à n. 20. adijciendum, & alijs locis citandis.

Nunc iam de illa quæstione proposita, sup. num. 9. ad quam redeo; in pri-

Quod ex Regula accedit peculiare.

Concluditur confirmatio tertia.

VX  
I. r. p. d. r. e.  
a. l. q. m. e. s.

*In Regula non est probatio Sacerdotij in Abbate.*

mis affirmo: Nullum in Regula esse expressum mandatum, aut textum, quo caueatur Abbatem esse non debere, nisi Sacerdotem. Hoc nullus negare potest cum nullus illum adducat; nec ampliori indiget probatione. Quare secundo Affero: Tunc temporis non fuisse necessarium, requiri eam conditionem, in Abbate Monachis præficiendo: Hoc probatur, primùm de Monachatu anteriore ad tempus S. BENEDICTI: lex historiis sanctorum Patrum, qui eo *Abbatis* nomine insigniti, vel etiam alio, munus Superioris, sine Sacramentali Ordine, laici obiere. De quo meminit Bartholomæus Cassianus in *Carhal. gloria mundi*, 4. p. *confid.* 32. §. *septimo*. Stephanus Durantus, *lib. 1. de Ritibus Eccl. capit. 20. num. 22.* pro intelligentia Palladij, in libris historiarum, & notauit Azor, *tom. 2. lib. 12. cap. 19.* pro explicatione, *cap. ex diacono, dist. 93.* & manifestat Cassianus, qui tamquam quid singulare, aut rarum memorat Pynuphium *Abbatem & Præbiterum, collat. 20. cap. 1.* Atque *collat. 4. cap. 1.* Danielelem, antea Abbatem, quam ordinatum introducit, & sic frequenter *collat. 21.* de Abbate Theona, de quo infra *ad cap. 7. num. 18.* Insuper, ipsum B. Augustinum adhuc laicum, Regulam viuendi suis Eremitis & Monachis, & scripsisse, & tenuisse, per suum habet Suarez, *to. 4. de Relig. tract. 9. lib. 4. cap. 8.* vbi Augustinus instituit, *Prepositum, cui tamquam Patri obediatur*, distinctum a Præbitero, cuius nomine ibi, Episcopum intelligit, vt insinuo infra *ad cap. 65. num. 2.* & idem adhuc pluribus confirmat Hæftenus, in *Vitam S. Bened. Prolegom. 18. §. 7.*

XIII. *Argumentatio ad rem.*

Attamen, quia hæc anteriora, licet morem prædictum probent, tamen de tempore, quo edita est REGULA, ad propositum non conuincunt: transeo ad propriam probationem. Quia necessitas illud instituendi, in REGULA, solum prouenire poterat, vel ex impossibilitate officij cum carentia Sacerdotij, vel ex recepta consuetudine vim legis habente: vel ex præcepto aut de-

creto aliquo Sedis Apostolicæ: sed nihil horum interfuit: ergo, nec necessitas, quæ cogeret id institui, aut pro instituto haberi. Numeratio videtur sufficiens. Probatio Minoris, quantum ad incompatibilitatem, vel consuetudinē, ex precedenti probatione, de facto conuincitur, vltra ea quæ addemus, *nu. 15. in fine.* Restat vltima pars altius probanda, sic:

Nam ante Concilium Trid. quod de hac re nouissimè disposuit, *sess. 24. capit. 12. de Refor.* iura, quæ inueniuntur, sunt Alexandri III. in Concilio Lateranensi, *cap. cum incunctis, §. inferiora, de elect.* vbi ætas 25. annorum statuitur, & ex Concilio Pictauiensi, *cap. 1. de ætate & qual.* vbi præbiteratus, Abbatibus & aliis dignitatibus præcipitur. Sed vtrūq; recentius est. De Alex. III. constat, qui fuit post annos 1159. De Pictauiensi Concilio, cū aliqua Pictauij concilia fuerint, primum fuisse ad annos 593. ibi refert Car. Baroni, & ex ratione illius colligitur, non ex eo, sed ex alio recentiore & posteriore desumptam fuisse decretalem. Maximè quia cum illud fuerit tantum Prouintiale in Gallia, vis eius decreti, prout de iure communi, non computatur, nisi a tempore, quo Pontificia autoritate, corpori iuris insertum est; quod patet factum fuisse, a Gregorio IX. ad annum, 1230. & ita necessitatem statuendi nullam tunc, nec longo tempore post Regulam fuisse, manifestum est. Imo, & permissionem, seu facultatem essendi sacris initiatos generaliter Abbates, cepisse tantum a Leonis primi Imperatoris tempore, scilicet ab anno 440. tenet Marcus Anton. Massa in *annotat. ad capit. 2. lib. 2. Iordanis de Saxonia*, cum aliis. Permissio autem & indulgentia, necessitatem constituendi non inferunt.

Accedit ad probationem: Quod vt refert Petrus Diaconus, *lib. 4. hist. Cassin. cap. 22. & 23.* tempore Conradi Imperatoris, vtique etiam seculis posterioribus S. Benedicto, Casinense cœnobium habuit Abbatem tantum sub-

XIII. *De tempore Regule.*

XV. *Probarur exemplis.*

diaconum. Et quāquā postea amō-  
tū fuerit, sed ex ratione, quā exprimit,  
nō fuisse id inuisum, aut singulare colli-  
gitur, ait enim: *Indignū valde ducimus,*  
*vt in tanta Ecclesia, quæ Monasteriorū*  
*omnium Caput & mater est, Abbas sub-*  
*diaconus sic, &c.* Itaque tota ratio re-  
funditur in indecentiam, pro authori-  
tate & principalitate illius, toto orbe  
celeberrimi cōenobij, cui etiam ali-  
quando, Episcopus quatuor, in tem-  
poralibus subiectos, adducit Yepes,  
*tom. 1. ad annos 565. cap. 2.* Non autem  
ratio est, quod contra Regulam sit: nō  
quod in alijs minoribus Monasterijs,  
esset adeo indignum, vt practicari non  
posset & accidere. Vt ostēdunt iura in  
*Cap. tuam, & cap. cū contingat, de ætate*  
*& qual, tempore Innocentii III. & Pa-*  
*normitanus, ibi, ad c. tuā.* Atq; itē Leo  
Marsicanus Ostiēsis, in *Chron. Casinen.*  
*lib. 4. cap. 114.* dūm altercationem quā-  
dam refert, inter illa, quæ obiicieban-  
tur Casinensibus, sic ait: *Argumen-*  
*tare vt libet: Quia subdiaconum Ab-*  
*batem, nullo pacto eligere potuistis, &*  
*hoc absque Papæ consensu. Nam Euge-*  
*nius Papa in decretis suis scripsit: Abba-*  
*tes per monasteria tales eligantur, qui le-*  
*uitico, vel sacerdotali honore sint præditi*  
*&c.* Quæ omnia cum acciderint post  
annum Christi 1138. & etiam Eugenius,  
quamuis de primo loqueretur, sit plu-  
rimū recentior Regulā, liquido patet  
ante eum, etiam non-leuitam, potuisse  
esse Abbatem: & post eum etiam nō-  
sacerdotem. Confirmaturque apertē,  
tempore ipso S. BENEDICTI: Nam  
eius amicus intimus Seruandus, tantū,  
*Diaconus, & Abbas* cuiusdam mona-  
sterij, expresse refertur à B. Gregorio,  
*lib. 2. dial. cap. 35.* aderatque miraculosis  
illis visionibus, tūm Dei, tūm animæ  
Germani Episcopi, quibus illustratus,  
enarratur ibi Sanctiss. Pater Benedic-  
tus. Imò & cū ipse primò, prope Su-  
blacum, Abbas fuit eorum, qui ei ve-  
neno vinum miscuerunt, ( vt Gregor.  
vbi sup. cap. 3. ) Sacerdos affirmari ne-  
quit, nullo ad id extante fundamento  
vel authore, pro eo tempore. Nec simi-

lirer potest affirmari certò, deduode-  
cim Abba ius, tunc ab eo, apud Subla-  
cum institutus; & in tempore D. Gre-  
gorij Papæ, receptissimum esse Abbatē  
sine Sacerdocio, constat: & deprāhen-  
det id sapius quispiā, vel ex eius epif-  
tolis, *libr. 3. epist. 11. libr. 4. epist. 16. libr. 5.*  
*epist. 41. libr. 6. epist. 40. libr. 7. epist. 94. libr.*  
*8. epist. 23. libr. 9. epist. 22. & 42. libr. 11.*  
*epist. 59. &c.* Ita vt in hoc, frustrā, vt in  
re notissima, contendendum sit.

Præterea idem, quoad nō-necessita-  
tem, probatur ex alijs Religionibus, in-  
quibus, seclusis functionibus Pontifi-  
calibus postea indultis, & quæ tunc  
concessæ nondum erant, de reliquo, ea-  
dem est ratio, quoad intentum Præla-  
turæ, seu superioritatis religiosæ. Nam  
in aliquibus, constat de facto ita fuisse;  
ergo ex nulla parte ingeritur nostræ  
REGVLÆ, quam versamus, necessitas sta-  
tuendi sacerdocium Superiori. Quæ  
propositio in confessio est, pro sacro or-  
dine Minorum, proprijs eorum histo-  
riographis, & authoribus Scholasticis  
consentientibus; ex S. Francisci Regu-  
la approbata autoritate Apostolicā,  
Fratres Laicos ( quos nos Conuersos  
vocamus, quidquid de nomine pugnēt  
aliqui ) in principio, & Guardianos, &  
Comissarios, & Prouintiales fuisse. At-  
que sic quæstionem in exercenda præ-  
latura & superioritate, tractant Ema-  
nuel Rodericus, *tom. 1. quæst. Regulariū*  
*quæst. 15. artic. 2. & Ludouicus Miranda*  
*in Manuali Prælatorum, tom. 2. quæst. 3.*  
*artic. 2. & rem etiam tetigit Domini-*  
*cus Soto, in 4. distinct. 20. quæst. 1. art.*  
*4. conclus. 2.* Quod adhuc etiam hodie  
in praxi vigere audio, inter obseruan-  
tissimam Capucinatorum religionem Ita-  
liæ, eorundem fidei testimonio quod  
præfens habui, dum casu, hospicij gra-  
tia, pernoctarem apud Benedictinum  
Prioratum del Zebreiro, in confinio Ga-  
lletij: simul cum duobus eiusdem Re-  
ligionis & Prouintij Religiosis, quorū  
vnus auunculus erat Comitum de Lemos,  
frater scilicet vxoris, Excell. D. Fran-  
cisci de Castro, qui viduatus coniuge  
Commitatum, & omnia deponens,  
huic

XVI.

Etiā in alia  
Religione.

XIVX

huic sacra REGVLÆ collum subdidit, monachatu (in quo & vitam clausit) apud Regium & celeberrimum monasterium S. Facundi vulgò de *Sahagun*, suscepto, & nomine in Augustinum mutato. Quibus reor probatam satis esse sententiam, cum præcisione dicta, & in principio declarata assertam.

## XVII.

*An tacite petatur sacerdotium in Abbate, ex Regula.*

Superest autem, postquam de expresso in REGVLÆ, mandato & statuto, resolutum est efficaciter, negatiuè: An saltem tacite & præsuppositiue intellecto præcepto, exigat necessario Abbatem præbiterum? Cuius partem affirmantem tenent duo ex Commentatoribus Regulae, & idem debent dicere quicumque, ex REGVLÆ, volunt certam probationem desumi. Sed cum discussio huius, exacta esse non possit, nisi discutendo singulares Regulae locos, ex quibus id eliciunt; ne hic anticipem intempestiuè, aliorum Capitulorum NOTAS, aut Commentarium, ad eadem remitto articulum istum; nempe *ad capit. 7. 9. 11. & 60.* & quæ in eisdem citauerim. Nec denegabo locis, quam meruerint efficaciam in rigore; vt & ea, probationi sacerdotij S. BENEDICTI nõ desit, quod independentè ab his, assertum volui *sup. num. 11.* Interim tamen de prædicta questione: Cum necessitas duplex sit, vna simpliciter, & alia secundum quid, quæ dicitur ad melius esse: & cum tacitum, ad obligationem præcepti absolutam, facile admittendum non sit; illud mihi citrà dubium est; scilicet: Melius, & optabilius, & dispositioni Regulae iuxta desiderium seu intentionem S. Benedicti conformius, peti sacerdotium in Abbate.

## XVIII.

*Id aptius conformius Regulae.*

Ab hoc autem nemo dissentire potest, si attendat quæ in hoc cap. exiguntur in Abbate: Vult eum S. BENEDICTVS, Sacrae Scripturae non ignarum, ibi: *insusio eius vel doctrina, fermento diuinae iustitiae conspergatur.* Prædicatorem, & doctum Ecclesiastem ubique proponit, ibi: *Capacibus discipulis, madata Domini verbis proponat.* Et rursus, *in doctrina sua, debet illam semper seruare formam, argue, obsecra, increpra, &c.* Ma-

gistrum etiam illum requirit, & erga discipulos, quo nomine vocat monachos, in Abbate, *dirum Magistrum, pium Patris affectum*, petit. Et hæc quidem describens Abbates, Prædicatores, non solo titulo; Magistros, nõ vacuo accepto gradu, sed literis probè instructos, Verbum Dei vtiliter & rectè tractantes: qui sciant congruè frangere panem doctrinae. Quæ omnia, cum diuini fractione panis, qui Christus est, in Sacerdote eius Corporis & sanguinis Ministro, optimè cohærent: vt sic potuerit ac debuerit, si nõ præcepisse, omnimodis tamen exoptasse. Tametsi Abbatis monastici officium, melius sine hac sacerdotij dignitate, quàm sine illa sufficientia administrari, nos doceant antiqui Patres monasteriorum; quos & si sacerdotalibus infulis nudos, sed amplissima virtutis doctrinaeque copia vestitos, proferunt, in *Vitis-Patrum*, auctores, & qui *sup. num. 12.* adducti sunt. Qui humilitatis, quietisque amore, Clericatum inire raro sinebantur.

Verumtamen, quantum ad ea Abbatis munia, hoc cap. insinuata, & quæ infra *cap. 64.* continentur, accedat melius & aptius Sacerdotij dignitas, & desiderabilis decus sit, manifestum est. Quod verò alia, postmodum vltima Regulam Abbatiali muneri adiecta, quorum eximia dignitati facta est accretio, id omninò & necessariò requirant; plura, sed aliundè quàm ex Regula, ostendunt. Nam Baculus, qui in Ægypti Thebaidæque Anachorisi, gestamen erat commune monachorum; prout inter consuetum eorum habitum, numerat Augustinus, *serm. 27. ad fratres*, & Cassianus, *lib. 1. inst. cap. 9. de baculo*: iã Abbatiali muneri cessit, pedum quidem Pastorale proprium, non solum insignum honoris personæ, cui senij aut maioritatis gratiã, deferatur. Hoc enim communi baculo vt, mos fuit aliquibus Abbatibus intra monasterium; de quo communi Episcopis, Præbiteris, & Diaconis, loquitur Zacharias Papa, *in cap. Nullus Episcopus 57. de Consecr. dist. 1.* Sed insignum dignitatis, & potest-

## XIX.

*Post Regulã quanta accretio dignitati Abb.*

*Baculi diuersitas.*

restatis Pastoralis Abbatum, vt notat Stephanus Durantus, *de Ritibus Eccl. lib. 2. cap. 9. num. 38.* Qua ratione inuestituram Abbatis, fieri *per baculum*, dixit D. Bernardus, *serm. 1. de cæna Domini.* Et hoc præcisse Abbatialis dignitatis insigne est. Ad quod indè accreuit, ex priuilegio perpetuo, vsus mitræ aliorumque Pontificalium; item collatio Ordinum minorum, imò & quandoq; ordinum sacrorum, citrà præbiteratū: atque aliæ præminentia, quæ hîc prosequendæ non sunt, alias a nobis iusto *Tractatu meo Monastico*, ex priuilegijs, compræhensæ, & omnibus Abbatibus communes. Quas & alias, vt sunt de gradu & anterioritate prosequitur generaliter Bartholomæus Cassaneus, in *Catalogo gloria mundi, par. 4. confid. 30.* licet in nonnullis fallitur manifestè, vt quòd Abbates Cistercienses non sint exempti: loquutus scilicet iuxta Gloss. in cap. *Ne Dei, de simonia*, ex incuria & ignorantia priuilegiorum, quâ laborare adeo curiosum scriptorem, minimè decebat. Nihilominus designat, in curia Romana, locum Abbati Cluniacensi & Cisterciensi, quæ sunt duo egregia Capita Ordinum Benedictinorum, ad pedes Summi Pontificis, vbi sedent Prothonotarij participantes, & Episcopi. Sed de hoc breuius & melius, pro sede & loco Abbatum, in Concilij, Cardinalis Iacobatus, *tractatu de Concilio lib. 1. paulo ante finem.* Et denique, pro omni Abbatiali prærogatiua, Ascanius Tamburinius Vallis-umbrosæ monachus, triplici tomo de iure Abbatum cum alijs.

Redeundo tamen ad intentum maioris proportionis, & optimi desiderij S. Benedicti constituentis Regulam, vt monasterio quoad fieri posset præficeretur Abbas, Sacerdocio fungens: fauet non esse id alienum ab illis temporibus sed frequenter ita fieri. Quod pro maiori commoditate monachorum, in percipiendis sacramentis, concedit Cardinalis Bellarminus, *tom. 1. lib. de Monachis cap. 6. §. hic est.* etiam si alias, *lib. 4. de Eucharistia cap. 4.* expresse S. Bene-

dictū præbiterum fuisse neget. Quod tamen ipse non probat: nec potest affirmare, eam negatiuam probari & conuinci; cum sint plura, quæ si non conuincunt euidenter affirmatiuam, sanè eam plurimum probant, atque simul iuncta etiam certitudinis ferè summū gradum habent. Et contra ipsum Bellarminum est, etiam ista ipsius confessio, dicto loco: qui concedit olim, tam Eremitas quàm Cœnobitas, generaliter extra vrbes procul ab hominibus habitantes, habuisse in singulis monasterijs suum Abbatem præbiterū, quia non poterant ad Ecclesias Episcoporum aut parochorum conuenire. Quod licet, in re, necesse sit pati, (vt vitium est) plures exceptiones: tamen ex eo, saltem ad hominem, arguitur, immeritò, quod alijs Abbatibus tribuit, denegari meritissimo omnium ABBATI; atque inconsequenter seu obliuiose loqui: nec maiorem fidem esse adhibendam alijs, qui re indiscussâ idem scripserunt saltem sequentes ipsum, quem amplius discutiam statim, *nu. 21. & seqq.*

Mitiùs autem, in hac re, Suarez, *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 1. num. 3.* qui cum exemplis probet, plures antiquos monachos, etiam Præfectos, & superiores, non fuisse præbiteros, nec clericos, hoc est Ordinibus Sacramentalibus initiatos, vt in Antonio, Hilarione, Pachomios addens ad eos S. BENEDICTVM ait: *Quem sacerdotem fuisse non legimus.* Nec enim ampliùs potest in rigore affirmari, nisi *expresse* non legi, quòd fuerit sacerdos, per quod, non præcluditur fuisse. Multa namque non habentur scripta, quæ tamen fuerunt: neque quod in historia est omissum, negari inde potest. Sæpè enim magis certa & notoria, quia talia, omittuntur, & ex eorum hypotesi, alia enarrantur. Atque in similibus, solùm ex autoritate illa negatiua procedere, *absurdissimum* reputat ipse Bellarminus, *tom. 1. lib. 2. de Rom. Pontifice cap. 8. §. Respondeo.* Quod sicut, in confutando Card. Baronio, admittit Benedictus Haestenus, pro S. Gre-

Card. Bellarminus redarguitur.

XXI.

Lenius de eo Suarez.

III XX  
Pontificalium  
vsus.

Gradus in  
Romana curia.

XX.  
Abbas præbiter in vsu  
ante Reg.

Gregorio *Proleg.* 5. ita & admitere debet, in aliis authoribus confutandis, pro S. BENEDICTO. Et qui *Proleg.* 18. §. 16. ex inde redarguit Antonium Ypes: & in se etiam id posset retorquere, ut maiorem, imo & maximam Sacerdotio S. BENEDICTI, deferret probabilitatem. Ac saltem, cum dicto illo moderamine etiam potuisset loqui Antonius Molina Carthusianus, qui in *lib. de instruct. Sacerdotum, tract. 2. cap. 1.* inter egregios antiquos Patres Sacerdotii immunes, absolutè & intrepidè numerat Beatiss. benedictum. Nec ab hac, haud satis perspecta loquutione, alieni sunt alii, quorū intererat, fabrorabiliori acquiescere coniecturæ, ne dum expressis fundamentis indicatis, & indicandis adherere.

Ut tamen utrinque constet, quotū sit doctrinæ momentum, nec vlli amplius, quàm par est, aut minus deferatur: expendo dictum Bellarmini adducti *sup. num. 20.* affirmantis, Monachos habuisse Abbatem præbiterum. Nam probationem eius desumit, ex D. Augustino, *lib. de Moribus Eccl. cap. 31. & 33.* Et quidem *cap. 31.* nihil de hoc; nā dicere Præfectos Monasteriorum, quæ ibi recenset, vocari *Patres*, idem est atque, apud alios, vocari *Abbatem*, & utrūque nomen senectutis & autoritatis est, non præcisse Sacerdotii. At *cap. 33.* id expresse habet, dum ait: *Vidi ego diuersoria Sanctorum Mediolani non paucorum, quibus vnus Præbiter præerat, &c.* Vbi tantum loquitur, de Mediolano. Sed subiungit statim, alia vidisse Romæ, vbi solū ait: *Singuli grauitate atque prudentia, & diuina scientia polentes, cæteris præsumt, &c.* in quo nihil de Sacerdotio continetur, iuxta notata, *sup. num. 18.* & ut cumque, dictum Bellarmini, ab vniuersalitate affirmationis cadit, nec vniuersaliter potuit

verè affirmare, nec erat ad intentum illius necessarium, illudque euidenter confirmant quæ adducō, infra *ad cap. 9. num. 5.*

Attamē ad minūs elicitur, nō fuisse inusitatum Sacerdotium in Abbate Monastico, sed proportionatum, rationi consonum, & sepè admissum, iuxta Augustinum; ex quo etiam accedit salutatio ipsius *Epist. 81.* ad Eudoxium Abbatem Monachorum, quem, *Fratrē & compræbiterum*, salutatur. Quibus ad iunge adducta *sup. num. 12.* ex Cassiano, & etiam *collat. 18. cap. 15.* & ex Vitis patrum, 2. p. §. 21. & 3. p. cap. 30. & 4. par. in *Prolog.* iuxta editiones ante Rosueidum. Quod si ista olim fuere antiquissimo illo tempore; certum est: iā ipsius progressu percrebuisse, ut frequenter & plerumque, tempore S. BENEDICTI, ita fieret. Ex quo & ipsi indubitate asseratur Sacerdotium; licet ex vi *REGVLÆ*, neque instituenti Abbati, nec Abbatibus institutis, possit amplius, quam nos concedimus, *num. 17.* euidenter attribui. Neque decretum Bonifacij III. quod refertur in *capit. sunt nonnulli 16. quæf. 1.* amplius dat, ex *REGVLÆ*, quàm quod nos fatemur, & quod ex illa constat adeo manifestè: Ut non sit quare multum extollat M. San-Vitores, *tom. 1. prel. 5. cap. 3. num. 18.* illius canonis testimonium; solū enim, contra asserentes, *Monachos, Sacerdotalis officij potentia indignos*, ait, id, *audacissimè & zelo amaritudinis*, dictum, addens: *Nec enim B. Benedictus Monachorum præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor.* At non interdicere, diuersum lōgè est, à ratione id instituendi, per præceptū, aut iussionē, quæ ex vi *REGVLÆ*, ab ea, in hac parte abesse, constabit inferius, locis citatis, *sup. num. 17.* vbi discutietur.

XXIII.  
Elicitur Sacerdotij vsus ante Regul.

Taxatus Molina Carthus.  
& alij.

XXII.  
Expenditur Bellarm. pro atio.



De adhibendis ad consilium fratribus.

## CAPIT. TERTIVM.

TEXTVS.



**Q**VOTIES aliqua præcipua agenda sunt, in monasterio, conuo-  
cet Abbas omnem congregationem, & dicat ipse unde agitur.  
Et audiens consiliũ fratrum, tractet apud se prudenter, &  
quod vtilius iudicauerit faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari di-  
ximus, quia sæpè iuniori Dominus reuelat quod melius est. Sic autem dent  
fratres consilium, cum omni humilitatis subiectione, ut non præsumant  
procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat  
arbitrio, & quod salubrius esse iudicauerit, ei cuncti obediant. Sed si-  
cut discipulis conuenit obedire magistro, ita & ipsum provide & iuste cõ-  
decet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes Magistrum sequantur  
REGVLAM, nequè temerè ab ea, deuictur à quoquam. Nullus in mo-  
nasterio sequatur proprij cordis voluntatem. Neque præsumat quisquam  
cum Abbate suo, proterue intra aut extra monasterium contendere. Quod  
si præsumpserit, regulari disciplina subiaceat. Ipse tamen Abbas cum timo-  
re Dei, & obseruatione REGVLÆ omnia faciat: sciens se proculdubio  
dè omnibus iudicijs suis, æquissimo iudici Deo rationem redditurum. Si  
qua vero minora agenda sunt in monasterij vtilitatibus, seniorum tantũ  
vtatur consilio, sicut scriptum est: <sup>a</sup> omnia fac cum consilio, & post <sup>a</sup> Eccli. 32.  
factum non poenitebit.

NOTÆ.

I.  
Propria hic  
præcepta Re-  
gulæ sunt.

**A**BBAS in suo monasterio consti-  
tuitur Caput, sed non vt suo solo  
capite gubernet, verũ cum duobus  
Adiunctis, scilicet Magistã REGVLÆ, &  
consilio fratrum. Iam nunc incipit RE-  
GVLÆ aliquid ex proprio disponere: dũ  
que formam agendorum determinan-  
do præscribit, penamque etiam inter-  
miscet, præceptiuo modo statuere, cer-  
tum est, iuxta D. Thom. 2. 2. quæst. 108.  
art. 4. & etiam si à verbis expressis præ-  
cepto, iubeo & similibus absteat: ex cõ-  
suetudine huius sacre Regulæ phrasi, com-  
muniter recepta, dispositio est, ex suo  
modo imperatiua, & apura admonitio-  
ne recedens, iuxta ea, quæ in procemia-  
li introductione, art. 6. à num. 14. trad-  
dita sunt.

II. Sed discurrendo sigillatim, tres hic  
I. Abbatis de præceptiones inuenio. Et prima est ad

Abbatem: Dè modo sumendi consiliũ. <sup>consulendo</sup>  
Quod iubet in duplici casu. Primò, <sup>fratres.</sup>  
quoties aliqua præcipua agenda sunt. Et  
tunc à toto conuentu. Dè quo, ibi: con-  
uocet Abbas omnem Congregationem: id  
est religiosorum Cõuentum. Secundò:  
si qua minora agenda sunt, &c. Et tunc,  
seniorum tantum vtatur consilio, &c.  
Tamen in his omnibus, non adstringi  
ad sequendum consilium, constat, ibi:  
Quod vtilius iudicauerit faciat. Et rursus  
sed magis in Abbatis pendeat arbitrio,  
&c. Atque ita, quantum est ex REGVLÆ,  
vota in omnibus solũ cõsultiua sunt,  
Abbati demandatã prudente decisio-  
ne. Vt cum Panormitano notauit Sua-  
rez, tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 9. num. 5.

Circa quæ nota. Primò. Dè minimis  
rebus consulendis, nihil iubere, quæ est  
III. Ad id nota-  
animaduersio Card. Turrecrematæ hic. <sup>tio, 1.</sup>

Et

Et ita liberę dispositioni & arbitrio solius Abbatis relinquuntur; esset enim oppositum omnibus onerosum, & expedita, passim occurrentium rerum, gubernationi nocuum. Nota, Secundo, neque intelligi de illis, in quibus diuersitas sententiarum esse non potest, sed necessario vnum, sine dubitatione, agendum esset, ibi enim neque consultatio, neque consiliorum electio est, maximè iuxta rationem in textu adductam, *vt post factum nõ poeniteat.* Nisi tamen solemnitas actus, ad sui valorem & auctoritatem id exegerit, de quo statim. Nota: Tertio. Hic non determinari, quæ sint *Præcipua* aut quæ *minora.* Quæ tamen cõparatione præcipuorum intelligenda sunt. Neque designare qui *seniores* sint, à quibus sumendum est consilium. Nota: Quarto. Iam textum REGVLÆ non habere locum in casibus, in quibus de iure Pontificio stabilitum est, Monachos Monasterij habere votum decisiuum, siue in alienationibus, siue in electionibus, & aliis actibus à iure decretis, iuxta dicta in *introduc.* *Artic. 9. num. 10.* & idẽ esto, de illis quæ parimodo demandata sunt decisiuis suffragijs, siue Conuentus, siue Seniorum, siue Deputatorum, per diffinitiones, aut Constitutiones proprii Capituli Generalis, seu Prouincialis Congregationum, iuxta legitimã Superioritatem cuiusque. Quod auctoritate Apostolica subsistere, & restrictiones limitationesque posse facere, respectu inferiorum, alias probaui ex Suarez, *tom. 4. in 3. p. disp. 26. sect. 1. num. 11.* & *disp. 27. sect. 2. num. 9.* & Miranda, *tom. 2. Manual. quæst. 19. artic. 5.* & *quæst. 43. artic. 4.* & Reginaldo, *lib. 1. sect. 2. num. 38.* & Sanchez in *summ. lib. 7. cap. 19. num. 42.* & Llamas, *1. p. Methodi, cap. 5. §. 5.* & aliis, vt in *meo tract. Monast. cap. 7. à num. 10.*

Decisio iam  
in pluribus  
inuexa.

III.  
Modus obli-  
gationis præ-  
cepti dicti.

Hoc igitur primum præceptum, videtur ex suo genere, nõ obligare, quãtũ est ex Regula, nisi sub veniali, & pertinere ad tertiam CLASSEM, in *introduc.* *Artic. 8.* explicatam. Et vbi iam per constitutiones determinatum est,

quæ *præcipua* sint, pertinentia ad consultationem, vel consensum totius cõmunitatis, & quæ *minora* ad Seniores vel ad deputatos consiliarios; & quinã sint habendi pro *senioribus*, aut Deputati sint; qua etiam vi, consultiue, aut decisiuè, vt in omnibus Congregationibus bene ordinatis (prout præsuppono) ordinatum est, id adimplendo, satisfactum est Regulę. Quod, pro suis, in *declarationibus ad hoc cap. 3.* habent Camaldulenses, & alij similiter, de quibus specificare non est opus. Tunc verò transgressio diffinitionis, etiam similiter erit culpabilis, iuxta Regulę modũ, quatenus substituitur consultationi ab ea iniuncta, iuxta dicta in *Introduc.* *Artic. 10. num. 6.* Aliàs iuxta modum constitutionum, & iurium in eisdem cõtentorum, inferentium culpam & poenas, erit iudicandum. Quod si & casus magni momenti, & difficultas ardua sit, quæ quandoque facultatẽ & scientiam Religiosi Conuentus & seniorum superat, & Abbas, pro experientia & capacitate sua, non ampliùs assequitur, si consultationi locus adsit, non solum omittere illam à REGVLÆ præscriptam, sed non adicere maiore, in casu requirendam à doctis & peritis in illo, culpa erit maior, quantum se temerè periculo grauitè errandi ingesserit, quod seclusa Regula, etiam ex lege Dei tenetur quis vitare, & iuxta illam tunc censendum erit.

Cæterum circa illa verba: *Conuocet Abbas omnem Congregationem, &c.* Consultatio notare oportet, ad huiusmodi consilia & placita desumenda, quãdò id requiritur ex lege vel statuto, quod desumatur à Conuentu, seu Cõgregatione, aut alio personarum numero, qui per nomen copulatiuum cætus, vt in præfenti, significetur: non satis esse, ab vno quoque seorsum accipi, sed ab illis in simul vocatis. Ita exprimit REGVLÆ, prædictis verbis, & docent Stephanus Fagüdez, *tract. de 5. præcep. Eccl. 1. præc. lib. 1. cap. 4. num. 5.* & Sanchez, *tom. 1. summ. lib. 2. cap. 43. num. 16.* citatis ad id iuribus & aliis, quibus adde citatum

Gravioriscul-  
pæ casus in  
omissione cõ-  
siliy.

ATOM  
I  
Consultatio  
simul à con-  
sulteribus su-  
menda.

II  
ob modum.

Ascanium de iure *Abbat. tom. 3. disp. I. quæf. 3. num. 7.* alijs pluribus citatis.

VI.  
Regula non annullat actum si omitatur consultatio.

An verò consultatio, quam præcipit REGVLA, etiam si sequenda necessario non sit (quod esse de natura consilij, in terminis textus nostri satis firmat nouissimus author citatus vbi sup. *quæf. 7.*) Sit tamen ita necessaria, vt illius omisio reddat actum nullum? Negatiue, censet Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 5. capit. 9. num. 7. & 8.* & ita cetero attentis Regulæ verbis, non vt formam necessariam præscribentibus, sed quasi tantum ad prudentius operandum, generaliter directiuis, nec indicantibus irritatione actus, iuxta Gloss. in cap. *Nouit. De his quæ fiunt à Præl. sine &c.* & quæ adducit Suarez vbi sup. *num. 5.* Nisi tamen aliud in re, vel speciali iure, vel propria constitutione, formam necessariam præscribente, caueatur, quo pacto, temperandus est Tamburinius, scilicet Ascanius citatus vbi sup. *quæf. 6. nu. 3.* nec aliter admittendus. Itaque iam necessitas consultationis, cum illo nullitatis effectu, aliud petenda est, quam præcisse, ex hoc Regulæ textu.

VII.  
2. Præceptum fratribus de modo.

Iam verò secunda huius capituli præceptio, est ad subditos consulentes, ibi: *Sic autem dent fratres consilium, cum omni humilitatis subiectione, &c.* quod ampliatursum, vt nunquam *Presumat quisquam cum Abbate suo intus vel foris, in monasterio contendere, &c.* & in hoc, proterbé, in priori, procaciter & in utroque: *presumat*, exprimit textus. Quod sanè vnum & idem præceptum est, etiam seclusa iussione Regulæ ex lege diuina, de reuerentia Prælati, & maioribus debita, quod est primum secundæ tabulæ Decalogi, & ita ad primam CLASSEM, in *introduc. Art. 6.* declaratam, redducendum est.

VIII.  
Pœna regularis disciplinæ explicatur.

Notanda autem est pœna, transgressori indicta, vt regulari disciplinæ subiaceat. Hæc autem arbitraria pœna est, iuxta modum excessus & culpæ, ex illis pœnitentijs monasticis, quas vel in Capitulo, vel extra Capiculum,

monachi negligentes subire solent. Quod verò: *disciplina regularis*, non sit solum verbo tenus correptio, colligo ex cap. *65. infra*, vbi de Præposito dicitur: *Admoneatur verbis vsque quater, & si non emendauerit, adhibeatur ei correctio disciplina.* Vtique iam hæc, verbaliter satis, & superque monito, non voce sed opere, non verbis sed verberibus, aut alia corporali animaduersione, ab illa verbali distincta, adhibenda erat. Et quia sæpius iste modus loquendi, & imponendi pœnam, in discursu Regulæ reperietur, semel id explicare opere pretium erit.

In quo, quamuis locus iste nuper adductus, clarè ostendat, *correctionem disciplinæ*, amplius significare quam monitoria seu increpatoria verba, nõ tamen affirmem limitandam esse, ad verberationem, quã intelligimus Hispanicè dum dicimus, *tomar, ó dar disciplina*, quo etiam nomine, ipsum ramicatum flagellum, & instrumentum verberationis, appellatur. Nam licet sciam hanc significationem, iam vulgò receptissimam esse, tamen initium huius significationis ita pressè, reor post annum Christi millesimum comuniter fuisse, tempore scilicet Card. B. Pet. Damiani, qui morè flagellationis, quæ nunc in Ecclesia viget, introductum à B. Dominico Eremita, cognomento Loricato, eiusdèque P. Damiani subdito, propagauit & propugnauit, & distinctè nomen *disciplinæ*, pro flagellatione, suis colloquijs & Epistolis inuexit. Quod simul cum maiori rei vsu, exinde retentum fuit, vt ex vita eiusdè Dominici, apud Lippomanum, & ex Epistolis B. Pet. Damiani, & alijs enarrat Cæsar Baronius ad annos 1057. Sic & Ioannes Boscius in sua Bibliotheca, Floriac. in *vita S. Genulphi, lib. 2. c. 27.* vbi de milite pœnitente dicitur: *Tum deinde verbera profert, &c.* ad marginè notat: *Vide iam eo tempore vsu flagellorum, seu vt loquuntur disciplinarum, apud Christianos pœnitentes.* Verumtamen hîc rei, eo tempore quo regnabat Hugo Capetus in Gallia, non vocis te-

IX.  
Disciplina non pro verberatione præcisse.

Qui vulgo disciplinantes, quando ceperint?

IX

statum vsu, cum de voce, nunc agamus.

X.  
Significatio  
propria dis-  
cipline in  
Regula.

Ceterum verba REGVLÆ, annis plus quingentis anterioris, ad eam Pet. Damiani (quæ noua visa est) acceptione, non sunt trahenda; sed iuxta antiquioris vocis vim, & latiorē significationē, intelligenda sunt. Vt sicut de disciplina militari, loquutus est olim Valerius, lib. 2. cap. 7. Florus, Liuius, Frontinus, & alij, quos adducit Godescalcus Steuuechius, in *Comment. ad Vegetium, de re militari, lib. 3. cap. 10.* Scilicet ut sit, rigida & stricta obseruatio morū legumq; militiæ, earum pœnis sine remissione impositis, atque ita, *disciplina regularis*, ea sit, quæ Religiosi in claustris puniuntur, iusto rigore seruato, per statutas pœnas, vel scripto, ut plures in Regula S. Pachomij aliorumque describuntur vel arbitrio Prælati, vel consuetudine animaduertendi in negligentes, iuxta Religionis vsu, practicas. Atq; eas omnes arbitror, illis verbis, contineri applicandas iuxta modum culpe, & alias circumstantias, quas iustitia vindicatiua debet obseruare. Sicque de huiusmodi laboribus, & pœnæ malis, accipio verba ea cū August. in *Psal. 93. Flagellat Deus omnē filium quē recipit, & quis est filius, cui non det disciplinam pater?* Quo pacto & Iacobus Pamelius, ad ea verba Tertull. lib. aduers. Valentinianos, cap. 1. num. 4. scilicet: *Disciplina nō terreatur, ex Rhenano ait: Disciplina iam olim vsurpari cepit, pro ordinatione, & seueritate castigatrice.* Videntaque sunt, quæ in particulari adduco, infra ad c. 44. per totum, maxime, n. 10.

XI.  
3. Præceptū  
omnibus, ex  
ponitur.

Restat iā tertia præceptio, quæ tam Abbatem quam subditos tangit, ibi: *In omnibus omnes Magistrum sequantur Regulam, neque temere ab ea deuietur à quoquam, &c.* Hoc non tam est præceptum, quam declaratio obligationis Regulæ, ad quos se extendat. Nam præter generalem obligationē, quam inducit ipsa professio obediētiae, & conuersionis morum, secundum Regulam, à me in introductione Artic. 7. explicatā, & modo suo singulis adaptandam; nihil habet, nisi quoad perso-

nas, nullam ab obligatione excludi, neque quoad res in ea dispositas. Et de personis, B. Bernard. lib. de præcepto & disp. cap. 7. ad ea verba dicta: *Neque ab ea deuietur à quoquam, incunctanter intulit, ergo, neque ab ipso Abbate, idque profecit, ut iam superuacuum sit excitare quæstionem, per vtrum? ut fit ab aliquibus, cum non sit dubium, Abbatem simul cum alijs, pari professione sub REGVLÆ iugo comprehendi, ut statim num. 13. confirmo.*

At verò quantum admodum, pro omnibus adhibet discretionē per particulam, *temerè*, ut non quæuis deuiatio, aut recessus à Regulæ præscripto, culpabilis sit; sed qui sine ratione legitima, aut sine sufficiente necessitate, aut sine debita autoritate, aut sine rationabili fundamento est; ubi enim aliquod fulcimentum rationis apparet, abest reprobata *temeritas*. Nec est opus temeritatem sic accipere, ut præsumptionem dicat, quæ non solum imprudentiam, aut præcipationem habeat, sed & contemptum includat, ut tenet Thom. Sanch. lib. 6. summ. cap. 8. num. 43. & 44. nam de contemptu, alia est ratio explicata, sup. in introduct. Artic. 8. & citra contemptū remanet adhuc *temeritas*, quæ ex incōsideratione, stultitia, aut aliunde profecta, deuiationem à Regula culpabilem faciat.

Ex dictis igitur nota, commune illud proloquium, quod tetigi sup. ad cap. 1. num. 13. scilicet *Abbatem in suo Monasterio, esse Regulam, &c.* intelligi solum in ijs, in quibus nullatenus per Regulam, aut Superiorum statuta, quidpiam cautum est. Nam in dispositis, & ordinatis, magisterium Regulæ sequendum est, sicut ab alijs, ita & ab Abbate. Neque obstat quod cap. 1. dixit, genus Monachorum cœnobarum, esse Monasteriale, *militans sub Regula, vel Abbate*, quasi Abbatem cum Regula parificauerit. Nam ea distinctio apposita fuit, ad demonstrandum, fuisse plura Monasteria, quæ propriam Regulam scriptam habebant, ex pluribus, quæ ibi

Abbas etiā  
Regule sub-  
ditus.

XII.  
De particula  
Temore.

XIII.  
Amplius  
subiectio Ab-  
batis pro Re-  
gula firma-  
tur.

num. 11. & 13. & 15. notabam; & alia fuisse Monasteria, quæ sine Regula scripta, tamen Abbatis ordinationi, & obedientiæ subdebantur. Aliàs vbi Regula propria est, arbitrium Abbatis, & libera voluntas excluditur. Imò & vbi non erat Regula scripta, in Egypto, & Thebaida, ait Cassianus, lib. 2. cap. 3. *Tradditionibus quando-que gubernata cœnobia,* Monasteria, non pro vnius cuiusque instituebantur arbitrio, sed per successiones, & tradditiones maiorū permanent, &c. Tradditio enim comparatur legi & Regulæ, & ita neutrum temerare, liberum erat regenti. Atque ita, omnes etiā Abbatem, sub Regula conclusisse S. BENEDICTVM, censent hic, Smaragdus & alij, idque constat, toto cap. 2. & in

cap. 3. ibi: Ipse Abbas cum timore Dei & obseruatione Regulæ omnia faciat, & cap. 64. ibi: Præcipue præsentem Regulam, in omnibus conseruet. Neque aliud ratio patitur. Quia caput a membris discordare non debet, cui maxime per exemplum, iniungitur præfidere alijs, & quia Abbas Monachi professionem non exiit, quod expressit D. BERNARDVS, vbi sup. inquit: Neque enim Abbas supra Regulam est, cui semel & ipse, spontanea se professione submissit. Confirmatque, Epist. 7. ad Adam, & Epist. 42. ad Henric. ibi: Nec enim quia Prælati Monachi, ideo non Monachi, &c.

Quæ sunt instrumenta bonorum operum.

CAPIT. QVARTVM.

- |                         |   |  |                        |
|-------------------------|---|--|------------------------|
| <b>TEXTVS.</b>          | <b>I</b> N PRIMIS Dominū                              | 17 Mortuum sepelire.                                       | <i>Tob. 1. &amp; 2</i> |
| <i>Deut. 6.</i>         | Deum diligere ex toto corde, tota anima tota virtute. | 18 In tribulatione subuenire.                              | <i>Eccli. 6.</i>       |
| <i>Matt. 22. 2</i>      | Deindè proximum, tamquam te ipsum.                    | 19 Dolentem consolari.                                     | <i>1. Tes. 5.</i>      |
| <i>Luc. 18. 3</i>       | Deindè Non occidere.                                  | 20 A sæculi actibus se facere alienum.                     | <i>Iacob. 1.</i>       |
| <i>Matt. 19. 4</i>      | Non adulterari.                                       | 21 Nihil amoris Christi præponere                          | <i>Matt. 10.</i>       |
| <i>Leuit. 19. 5</i>     | Non facere furtum.                                    | 22 Iram non perficere.                                     | <i>Matth. 5.</i>       |
| <i>Deut. 5. 6</i>       | Non concupiscere.                                     | 23 Iracundiæ tempus non referuare.                         | <i>Ephes. 4.</i>       |
| <i>Marc. 10. 7</i>      | Non falsum testimonium dicere.                        | 24 Dolum in corde non tenere.                              | <i>Psal. 14.</i>       |
| <i>1. Petr. 2. 8</i>    | Honorare omnes homines.                               | 25 Pacem falsam non dare.                                  | <i>Rom. 12.</i>        |
| <i>Tob. 4. 9</i>        | Et quod sibi fieri quis non vult, alii ne faciat.     | 26 Charitatem non derelinquere.                            | <i>1. Petr. 4.</i>     |
| <i>Luce 9. 10</i>       | Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum.       | 27 Non iurare ne forte periret.                            | <i>Matt. 5.</i>        |
| <i>1. Cor. 9. 11</i>    | Corpus castigare.                                     | 28 Veritatem ex corde & ore proferre.                      | <i>Psal. 14.</i>       |
| <i>2. Petr. 2. 12</i>   | Delicias non amplecti.                                | 29 Malum pro malo nõ reddere.                              | <i>1. Thes. 5.</i>     |
| <i>Ioel. 1. &amp; 2</i> | Ieiunium amare.                                       | 30 Iniuriam non facere, sed & factam patienter sufferre.   | <i>1. Cor. 6.</i>      |
| <i>Eccli. 4. 14</i>     | Pauperes recreare.                                    | 31 Inimicos diligere.                                      | <i>Luce 6.</i>         |
| <i>Isai. 58. 15</i>     | Nudum vestire.  | 32 Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. | <i>1. Petr. 2.</i>     |
| <i>Eccli. 7. 16</i>     | Infirmum visitare.                                    |  |                        |

- Matth.* 5. 33 Persecutionem propter iustitiam sustinere. *Luc.* 11.
- Tob.* 4. 34 Non esse superbum.
- 1. Tim.* 3. 35 Non vinolentum.
- Eccli.* 37. 36 Non multum edacem.
- Prouc.* 20. 37 Non somnolentum.
- Rom.* 12. 38 Non pigrum.
- 1. Cor.* 10. 39 Non murmuriosum.
- Sap.* 1. 40 Non detractorem.
- Psal.* 72. 41 Spem suam Deo committere.
- 1. Cor.* 4. 42 Bonum aliquid in se, cum viderit, Deo applicet non sibi.
- Ose.* 13. 43 Malum verò à se semper factū sciat, & sibi reputet.
- Luc.* 12. 44 Diem iudicii timere.
- Math.* 10. 45 Gehenam expauescere.
- Philip.* 1. 46 Vitam æternam omni concupiscētia spirituali desiderare.
- Matth.* 24. 47 Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.
- Deut.* 4. 48 Actus vitæ suæ omni hora custodire.
- Prou.* 5. 49 In omni loco Deum se respicere pro certo scire.
- Psal.* 136. 50 Cogitationes malas cordi suo aduenientes, mōx ad Christū allidere, & seniori spirituali pate facere.
- Psal.* 33. 51 Os suum à malo, vel prauo eloquio custodire.
- Eccli.* 32. 52 Multum loqui non amare.
- 2. Tim.* 2. 53 Verba vana aut risui apta non loqui.
- Eccli.* 21. 54 Risum multum aut stultum nō amare.
- 55 Lectiones sanctas libenter audire.
- 56 Orationi frequenter incumbere.
- 57 Mala sua præterita, cū lachrimis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, De ipsis malis de cætero emendari.
- 58 Desideria carnis nō perficere.
- 59 Voluntatem propriam odire.
- 60 Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiā si ipse (quod absit) aliter agat, memores illius Domini præcepti: Quæ dicūt facite, quæ autē faciunt facere nolite.
- 61 Non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse, vt verius dicatur.
- 62 Præcepta Dei factis quotidie implere.
- 63 Castitatem amare.
- 64 Nullum odire.
- 65 Zeū & inuidiam non habere.
- 66 Contentionem non amare.
- 67 Elationem & iactantiā fugere.
- 68 Seniores venerari.
- 69 Iuniores diligere.
- 70 In Christi amore pro inimicis orare.
- 71 Cum discordantibus ante Solis occasum in pacem redire.
- 72 Et de Dei misericordia nunquam desperare.
- Gal.* 5.
- Eccli.* 18.
- Matth.* 23.
- Matth.* 6.
- Eccl.* 6.
- 1. Tim.* 5.
- Leuit.* 19.
- Jacob.* 3.
- 1. Tim.* 2.
- Psal.* 130.
- Leuit.* 19.
- 1. Tim.* 5.
- Matth.* 5.
- Ephes.* 4.
- Psal.* 51.

*Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cum fuerint à nobis, die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die iudicij reassignata, illa merces à Domino nobis recompensabitur, quam ipse promissit. Quod oculus nō vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum: Officina vero ubi hæc omnia, diligenter operemur, claustra sunt Monasterij, & stabilitas in Congregatione.*

NOTÆ.

I.  
ex, Clemente  
Rom. mutua  
tū hoc cap.

**T**OTVM hoc caput, ferè ad verbum, fragmentum est Epistolæ pape Clementis Romani ad Iacobū Fratrem Domini, ita vt Episcopus Vrgell. hic: Clementis simul & Diui Patris interpretem se gesturum dicat. Et licet magnam voluminis partē, in huius capituli seu fragmenti Cōmentario consumat, sicut & Hæftenus in simili totum librum sextum, *disquis. monast.* & alij, possent & totum volūmen, & alia plura, eo genere dicēdi implere, vt notant in *Introduct. Art. 2. num. 2.* à quo, ex tunc, mearum *Annotationum* intētionem absolui. Ad eas tamen pertinet quod citatus Episcopus laborat, in defendendo titulo Capituli: quia apparet impropria loquutio, *instrumenta bonorum operum*, appellare, quæ potius sunt ipsa bona opera. Atque ad id affert quosdam loquendi modos, & interpretamenta, de quibus, dum intentum patet, & sensus omnibus debet esse vnus, non contendo, sed laudo potius defensionem, pro communi PATRE.

Reprehensio  
tituli appa-  
rens.

II.  
Defenditur  
proprietas vo-  
cis instrumenti  
in titulo.

Vt autem aliquid in medium conferam, omitto ipsum Clementem Romanum, hæc eadem appellasse, *Negotia & semina bonorum operum*, nam ego folius S. PATRIS, Aduotatorem ago, & ita Titulum eius ab improprietate asserere, meum est. Quod quidem Apologia, aut aliunde petitis phrasibus non egere, duplici via declaro. Prima vt *instrumenta* dicantur, ab instruendo, quod haud intactum reliquit prædictus Author, & hoc propriè dictum esse comprobo, ex deriuatione vocis, quæ certe ab illo verbo *instruo* fieri, notum est, & verbum significare idem quod docere; seu disciplinis imbuere; exemplis etiam contra Vallam illorum ignarum, ostendit Ioannes Passeratius, *Ouid. lib. 2. de Trist. eleg. 1. Ad vitium mores instruet inde suos*, & Senec. de *Tranq. cap. 9. One rat discētem, non instruit librorum copia.* Et alia plura, apud Robertum Steph. in *Thesau. ling. lat.* Cum ergo omnia quæ hic producit, sint præcepta & documenta totius rectę operationis & vir-

tutum, quibus docemur Christianiter, & religiose agere: satis propriè *instrumenta*, siue (quod idem est) *instructio* nes appellantur.

Alterā via, nec à præcedenti multum distita: Quia omnia prorsus, quæ hic inseruntur, sunt merè Scripturæ sacra, & sacrae paginae testimonia, at talia scripta, vel sententias, vel res memoria dignas, aut quid simile continentia, *instrumenta* vocari, non est nouum, neque inuitatum. Sic Suetonius in *Vespasiano*, cap. 8. appellat, *instrumentum Imperij*, Scripta in quibus, continebantur *Senatus consulta*, & *plebiscita*, &c. Inde inscriptio, in iure, titulo de *fide instrumentorum*. Ad id S. Hieronym. in *Ecclesiastem*, cap. 11. v. 2. non semel vtens vocem *instrumenti*, pro Sacra Scriptura. Nos igitur (ait) *Virique instrumento credamus*. Cassianus, *Collat. 10. cap. 10. versiculus de scripturarum exceptus instrumento*, dixit. *Chrost. hom. 84. in Matth.* Tertullianus, *lib. 4. contra Marcion. & in Apolog. cap. 18. & ibi aduersus Iudeos.* Denique ipse S. BENEDICTVS, suimet Commentator existit, qui *capit. 73.* loquens de libris Sanctorum: *Quid aliud sunt, ait, nisi benè viuentium & obedientium monachorum exempla, & instrumenta virtutum.* Atque eodem modo in præfenti, proferens sacra testimonia, noua & vetera, tanquam Scriba doctus, potuit ea propriè *instrumenta* appellare.

Hæc igitur, de armamentario, sacroque arthiuio, authentica scripta sunt bonorum operum *instrumenta*, quibus fidelis & religiosus conuincitur, compellitur, obligatur, vel saltim, vbi præcepti necessitas non vrget, suadet, & incitatur ad ea præstanda opera, in quibus exercendis, *ars spiritualis*, versatur, cuius officina est *monasterium*. Talia autem exercitamenta, illis Sacra Scripturæ instrumentis exhibitata (si benè numero) septuaginta duo sunt, atque sic, citatis locis, enumerant Regulæ aliq̄ cum illis excussę. Vt expresse habet edita à Iacobo

III.  
Defensio al-  
tera eiusdem  
loquutionis.

V.  
ad onagillo  
zuo rano p  
-ob .pca  
numil

TEXTVS

III.  
Numerus  
instrumento-  
rum, & allu-  
sio cum alijs

Ferragio &c. & excussa Romæ quam citavi *In introduct. artic. I. num. 10.* & sic aliæ plures: atque si quæ discrepat, ex diuersitate lectionis, in aliquo Instrumento quasi identice repetito procedit. Qui numerus correspondet septuaginta & duobus Discipulis, à CRISTO Domino designatis, imò & totidē sacris Interpretibus & diuinæ Scripturæ Magistris. Atque ipsa insuper REGULA, si prologum demas & vltimum caput, quod etiam extra Regulam, potius recapitulatio, aut epilogus est, eodem numero capitum ipsa constat. Vt benè per omnia Discipulatu Christi, eiusque scholæ & magisterio virtutum, hæc Monastica sanctiss. BENEDICTI fabrica coaptetur. Et addeſis, de numero, quæ D. Isidor. *lib. I. de Eccl. offic. cap. II.* tradidit.

V. *Obligatio hõ  
rũ quatenus  
x Reg. de-  
claratur.* Sed ad rem nostram, norandum est, omnia supradiçta, vel ex Dei lege esse præcepta, vel ex Euangelio consilia, vel diuinæ paginæ, quoad virtutes, monita & documēta: Insuper omnia hæc pertinent ad instructionē virtutis, in omni genere, & proportionaliter, ad instar ipsius doctrinæ, eisdem verbis, à Cle-

mente Papa propositæ, indè translata & enarrata, & ob oculos posita, vt ostēdūt, ea verba: *Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis*, adiecto solum incitamento præmij, & mercedis à Deo promissæ, secluso omni alio præcipiēdi aut imperandi verbo, ex parte Regulæ. Quapropter censeo, ex illâ, nullam contrahere obligationem, distinctam ab ea quam ex se prædicta habent, sed eam solummodo retinere. Itaque ea, quæ proprie præcepta sunt, pertinent ad primam CLASSEM, declaratam in *introductione, artic. 6.* Quæ verò fuerint in materia trium votorum, & ob id addunt distinctam culpam, in secunda CLASSI prout *Artic. 7.* reponenda sunt. Quæ autem in alijs materijs, consilij tantum habent rationem, & quantum est ex vi huius capituli (huius dico) eandē retinent; nec, prout hic proponuntur, transeunt in vim præcepti, sed omninò pertinebunt ad quartam CLASSEM, supra enumeratam, post alias *Artic. 9.* Si quas verò constitutiones peculiare, hinc excitauerint aliqui, vt faciunt Fulienses, sua exinde desumenda est ratio, diuersæ obligationis.

### De Obedientia.

## CAPIT. QVINTVM.

TEXTVS.

**P** R I M V S humilitatis gradus est Obedientia sine mora. Hæc conuenit his, qui nihil sibi Christo carius aliquid existimant, propter seruitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metū gehēna, vel gloriā vitæ æternæ, mox vt aliquid imperatū à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quib⁹ Domin⁹ dicit: *a* Obauditu auris obediuit mihi, & item dicit Doctoribus: *b* Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales relinquentes statim, quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientia pede, iubentis vocem factis sequuntur, & veluti vno momento, prædicta Magistri iussio, & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambæ res communiter citius explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam vitam arripiunt, unde Dominus ait: *c* Angusta via est, quæ ducit ad vitam, vt non suo arbitrio viuentes, vel desiderijs suis &

*a* Psalm. 17.

*b* Luc. 10.

*c* Matth. 7.

voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno iudicio & imperio, in cœnobijs degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, qua dicit: a Non veni facere voluntatē meam, sed eius qui misit me. Sed hæc ipsa obedientia tunc erit acceptabilis Deo, & dulcis hominibus, si quod iubetur non trepidē, non tardē, non tepidē, aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur, quia obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit: Qui vos audit me audit: Et cum bono animo à discipulis præberi oportet, quia f 2. Cor. 9. hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo, si obedit discipulus, & non solum ore, verum etiam in corde si murmurauerit, etsi impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis, Et pro tali factō nullam consequitur gratiam, imo pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.

## NOTÆ.

I.  
Duplex difficultas verborum.

**I**NGERVNT prima verba difficultatem, maximè ad capit. 7. collata. ex se, dum ait: Primus humilitatis gradus est, obedientia sine mora, &c. Dixit, primus, & non protulit, secundum. Agit de obedientia, & recurrit ad humilitatē. Et comparata ad cap. 7. de Humilitate, numerando gradus, ibi, primum ait, esse timorem Dei, &c. hic primum obedientiam, cum tamen lectio antiquissima sit & retinenda. Et quidem quantum ad hoc: Virtutes diuersimodè consideratæ, diuersas solent exhibere coordinandi rationes, propter connexas excellentias, & mutuam inter se coherentiam, quam D. Hieronymus, lib. 1. contra Pelag. extulit dicens: omnes Virtutes sibi hærent, & passim Sancti. Atque infra capit. 7. vbi principaliter de humilitate agit, in ea vna, diuersos affectus & effectus perfectionum distinxit, & numerauerit progressus, secundum varias virtutes & modos, in quibus ipsa humilitas elucet, & exercetur, in primis semper cum obedientia colligata. Et licet ibi primum gradum humilitatus designaturus, dicat esse: Si timorem Dei sibi ante oculos semper ponēs, obliuionem omnino fugiat, &c. ab obedientia, quam hic assignat, non discedit. Nam dum dicit, Ponens, sensus pendet in aliud, scilicet in obedientiam, quam in eodem primo gradu etiam præscri-

bit, inquit: Voluntatem vero propriam facere prohibemur, &c. adducto illo Eccli. 18. à voluntatibus tuis auertere, & illo Matt. 6. fiat voluntas tua, & quæ sequuntur. Ad quam humilitatem in Obedientia exercendam, premitit timorem Dei eiusque presentiam nunquam obliuiscendam, & ita in hoc vtriusque Capituli concordia est, & eadem humilitatis cum obedientia inseparabilis, imò & conuertibilis consensus, exemplo CHRISTI, qui se humiliavit factus obediens, & obediuit se humilians.

Quod verò hic dicat, Obedientiam sine mora, &c. esse primum gradum humilitatis, neque addat secundum; notandum est, illud verbum Primus, non esse numeri, sed principatus, & excellentiæ culminis, (meo videri) vt omnē Religiosæ humilitatis perfectionem, in obedientiæ summa subiectione, collocatam esse doceat: sitque obedientia, quæ terminos humilitatis circumscribit, ad CHRISTI (vt nuper dixi) cui Religiosus configuratur, formam, quæ ab eo diuino humilitatis Magistro addiscamus. Pro quo, optima Patrum testimonia adducit Tritemius hic, atque alij, partes obedientiæ agentes. Sed ad rem maximè profero, ex lib. 4. de vitis Patrum ex Heriberti editione, qui Seuero Sulpicio & Cassiano attribuitur vbi

Euacuatur  
Prior.

II.  
Euacuatur  
posterior.

Primū idem  
quod præci-  
puum.

vbi, quod semel, cap. 4. de Monachis, apud Nilum dixerat: *Hæc illorum prima virtus est, alieno parere imperio: iterum capit. 10. ait: Præcipua, vt iam dixi, & prima ibi virtus, obedientia.* Et Hildebertus Cenomanens. in *Vita S. Hugon. Abb. Clun.* de eo ait: *Monastici Ordinis primos gradus deuote conscendit, & explicans se, addit: obedientiam loquor & humilitatē, quæ in Christiana Religione, morum obtinent principatum.* Atque loquutio, in sensu explicato, vsitata est. Sic Sallustius in *Catil.* ait: *Ocium atque diuitiæ, quæ prima mortales putant.* Donatus, ad illa verba Terentij, in *Adelph.* *Quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies,* explicationem adiiciens ait: *Prima, hoc est, optima, & ante alia eligenda.* & Hispanè, *La primer cosa dicimus, eo sensu.* Neque est alienus à sacris. Nam *Prouerb. 1. Principium sapientiæ timor Domini, id est. Primitiæ, principatus, de quò ibi: Salazarius, nu. 126. & 134. Atque Ecclesiastici, capit. 11. Initium dulcoris habet apis, non inceptionem aut inchoationem, sed vt supra exponit Iansenius, id est primas partes obtinet indulcedine, & Cornelius à Lapide, Principatum dulcorum, vertit ex Græco.*

III.  
Obedientia  
Religiosi vo-  
ti.

Tota igitur doctrina promptissimæ & acceleratissimæ, vtique perfectæ obedientiæ, ex sacra Scriptura desumpta est, & inde secundum legem Dei obligationem propriam parendi Superioribus, debito modo, secum adducit. Continet tamen materiam ad vnū ex tribus votis pertinentem, vel est ipsum Religiosi status votum, quod insinuat textus, ibi: *Propter seruitium sanctum, quod professi sunt, &c.* & maximè in nostro professionis modo singulariter expressum: Vnde nascitur obligatio obedientiæ perfectè exhibendæ Prælati eam exigentibus, quam hic proponit, vt *non trepidè, non tardè, non repide, obediatur, nec cum murmure.* Sed tanta resignatione, quoad fieri possit, quanta de quinque millibus, quasi de vno, non ad modicum, sed ad summam senectutem regendis, sub vno seniore,

trahit Cassianus, lib. 4. cap. 1. & 2.

Qua propter, ista pertinent ad secundam CLASSEM, Artic. 7. *Introduct.* designatam. Attamen non quacumque circumstantia deficiente, aut in quacumque materia, vel in quacumque formâ iussionis, secluso formali contemptu, (de quo vbi sup. Artic. 8. num. 3.) adest lethalis fractio voti. Quousque vero obligatio voti, ex vi professionis procedat, in ratione obedientiæ, quæ non absoluta est, sed secundum Regulam, quâ quis proficitur; per quam etiam termini, quos excedere nequit præcipiens, circumscribuntur; & quâ formâ præcipiendi, vt exactio voti intelligatur, longa est disputatio, de qua prout oportuit aliquid iam dedimus sup. in *introduct.* Artic. 6. & sequentibus. De reliquo videri possunt, D. Thom. 1. 2. quæst. 104. & 105. & 186. & ibid. Caiet. & & commentatores, insuper & maximè Thom. Sanchez, lib. 6. *summa peccatorum.* Suarez, de *Relig.* to. 3. lib. 10. Bartholomeus à Sancto Fausto Cisterc. in *Thesauro Relig.* lib. 6. de *voto solemnè obed.* Episcopus Vrgell. ad hoc capit. Lessius, de *iust. & iure*, lib. 2. capit. 46. à dub. 4. & alibi, Siluester, verb. *Religio.* Magister Llamas Cister. 3. par. cap. 6. §. 16. & alij Summistæ, sed & ad rem præsentem, non te prætereant ipse D. BERNARDVS, lib. de *præcep. & dispens.*

Neque hinc discedam, quin ad notem, ad calcem huius Cap. iam per REGULAM, murmuratores in sectari, vt etiam si discipulus, hoc est Monachus obediatur: *si tamen non solum ore, verum etiam in corde murmurauerit, &c. poenâ murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.* Quod ex nunc incipit, & sæpius in sequentibus repetit, cū iniunctione poenæ, & abominatione vitij; vt, vel ex iteratione percipias, quâ in sanabilis Monasteriorū pestis, & quâ tum à Religiosorū moribus abigēda & extirpanda sit, vt potè sanctæ cōuersationis corruptela, cuius virulēto halitu, salubris deuotionis spiritus intercluditur, & vel iusti silētij, vel salutaris colloquij vita strangulatur. De eo infra etiā ad c.

34. n. 3. &c.

III.

Eius obligatio & modus remissiuæ.

IV.

V.

Murmurationis infestatio.

De

## De Taciturnitate.

## CAPIT. SEXTVM.

TEXTVS.

a Pſal. 38.

**F**ACIAMVS quod ait Propheta: *⁊* Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, obmutui, & humiliatus sum, & filui à bonis. Hic ostendit Propheta, si à bonis eloquijs interdum, propter taciturnitatem debet taceri quanto magis à malis verbis, propter pœnam peccati, debet cessari. Ergò quamuis de bonis & sanctis, ad adificationem eloquijs, perfectis discipulis, propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi, concedatur licentia: quia scriptum est: *⁊* In multiloquio non effugies peccatum, & alibi: *⁊* Mors & vita in manibus lingue. Nam loqui & docere Magistrum condecet, tacere & audire discipulo conuenit. Et ideo si qua requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate, & subiectione reuerentiæ requirantur. Scurrilitatis verò, vel verba ociosa, & risum mouentia, aeterna clausura, in omnibus locis damnamus: & ad tale eloquium discipulum os aperire non permittimus.

b Prou. 10.

c Prou. 18.

NOTÆ.

I.

De quo silentio hic agat?

**D**E temporibus & locis, vbi peculiariter sit seruandum silentium, alibi statuit REGVLA, infra c. 38. 42. 48. & 52. & ita in præsentī quasi principio Regulæ, pura videtur commendatio huius virtutis, pro Religiosa puritate, iuxta sacræ paginæ documenta, de custodia lingue, & debita eius moderatione. In quo sanè affectat illud perpetuum silentium, non prophanū Harpocratis, aut Pithagoræ temporale & Philosophicum, de quo Plutarchus, lib. de Garrulitate, & tract. de iside. & quæ, ad emblemata II. Alciati, corrogauit Claudius Minoes, sed diurnum, sed sacrum, sed Euangelicum, quod de Monachis antiquioribus Egyptij, exagerrat Cassianus, lib. 2. cap. 15. & alij antiqui patres, qui cum Propheta obseruauere: *cultum iustitiæ esse silentium* Isai. 32.

II.

I. Præceptū de tacendo explicatur.

Sed videamus, quæ hic peculiariter videantur iniūgi. Primum est, illis verbis: Ergò quamuis de bonis & sanctis, ad adificationem, eloquijs, perfectis discipulis, propter taciturnitatis grauitatē, rara loquendi concedatur licentia, &c.

Et hic in primis non agit de silentio custodiendo in temporibus, & locis determinatē prohibitis, sed alias, vbi ea obligatio non currit. Atque ratio est, propter ipsam taciturnitatis grauitatem, & quia in multiloquio, egre effugitur peccatum; & vt seruetur decencia, inter discipulum & Magistrum, prout exprimit textus. Vnde hæc vltima ratio respectiua est & comparatione facta, Monachi ad Abbatem; subditi ad prælatum; Nouitij ad Magistrum, & generaliter iuniorum respectu seniorū, vbi semper militat vrbantitas illa, quam expressit Eliu. Iob. 31. dicens: *Iunior sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite veritus sum, vobis indicare meam sententiam, & expectauit alios loquentes, eo quod seniores essent.* Et de nouioribus Monachis agens S. Basilius, in Reg. fusior. interrog. 13. *vilem, ait, esse culturam, quæ per taciturnitatis exercitationem fit.* Rationes vero priores, omnibus conueniunt, vt cautio adhibeatur lingue malis, quam qui non refrenat, Religiosus exiltimari non potest, iuxta Iacobum in Epist. cap.

cap. 1. qui & cætera, de malis lingue, capit. 3. catholicè profequitur, & generaliter.

III.  
Qua illius  
obligatio?

Qua propter totum illud, non tam obligatio distincta, ex præcepto Regule est, quam cautio periculi labendi, per multiloquium, in peccatū, citra quod debere esse loquutionem, præceptum est legis diuinæ, cuius in obseruatione momentum, cauet Regula; maximè circa iuniores, & eos qui vel canitie, vel officij autoritate, discipulatū nondum excessisse videntur, ideo ait, *discipulis perfectis*. Id est, ut perfecti sint, sicut Apostolus citatus dixit: *siquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*. Itaque omnis offensio lingue intenditur amoueri. Ultra quod siquid ceremonialis obseruantie addit REGULA, partita obligatio est, vbi casus colloquij occurrerit, ut nec iunior præripiat locutionem etiam bonam, sine licentia, nec senior eam concedat, nisi rarò. Quod præteriri, ut sic, non reputo plusquam veniale, & ad tertiam CLASSEM, prout in *introd. Art. 8.* reddendum: nisi aliunde, ratione materiæ, aut alicuius prauæ circumstantiæ, ex parte iunioris vel senioris accedat, quod ex lege Dei erit pensandum.

III.  
Qua licetia  
sufficiat, ad  
loquendum?

Notandum tamen est, non requiri in præsentia, eam licentiam quæ (more vsitato) in Capitulo peti solet, vbi ad loquendum, stans, & signo facto manu, ad eam petendam statuto, non prius loquitur, quam a superiore Præfide concedatur. Ea enim solemnitas, pro eo loco & tempore, maior opportunè inducta est: licet non in REGULA, eam formam, expressa, fundata tamen, tum hic, tum sup. cap. 3. ibi: *sic dent fratres consilium, cum omni humilitate & subiectione*, & alijs similibus locis. In nostro igitur casu, Episcopus Vrgell. satis esse illud verbum, *Benedicite*, ait, quo preuio, monachus regulariter loquitur; & ego id admitto, non tamen ad id restringo, sed satis esse aliquid æquiuales, ut *humilis inclinatio*, quam sine verbo, *Benedicite*, eidem æquiuales, probabo ad cap. 53. item, si senior aut superior,

paratum se ad audiendum præbeat. Si incipientem loqui, libenter sustineat, quia breue aliquod verbum non est multiloquium, nec sic debet intelligi prohibitum; superiorisque erit cohibere, si oporteat, nec amplius petendum ut excusetur omnis culpa. A negante autem licentiam erit humiliter petenda, & etiam obtentâ, nec *grauitas*, violanda, nec *multiloquium* incurrendum contra obligationem, aliunde prementem. Et semper intelligenda hæc obseruatio, vbi loquendi fortior ratio nõ vrget, nam sicut tempus tacendi, ita & loquendi, ait Ecclesiastes, cap. 3. & aliquando tacuisse se, dolet vehementer Isaiàs, cap. 6.

Secundum ex textu est ibi: *si qua requirenda sunt à Priore, cum omni humilitate, & subiectione reuerentiæ, requirantur*. Idem in casu alio statuit, cap. 3. ut *num. antecedente* notauimus, & totum hoc, supposita maiori parte personarum, ad legem Dei pertinere constat. In quo REGULA, solum gradus inferiorum & superiorum constituit, & determinat, iuxta rectam ipsius dispositionem; reuerentia autem ipsis exhibenda, quarto decalogi mandato præcipitur, & iuxta illud iudicandum est, de culpa. Sicut in prima CLASSE, dictum est in *introd. Art. 6.*

Hinc tamen mihi peculiaris annotatio occurrit, circa illud, à Priore, de quonam intelligendum sit? Quod quia sæpius in REGULA ponitur, & ex eius significatione, video in pluribus allucinari, dum intelligunt præcisse, Priorem, claustralem seu conuentualem, quem secundum post Abbatem, sic communiter nuncupamus, aut ut alij, Priorem maiorem, ut subpriorem appellent Priorem secundum, cum implicatione adiecti: ideo quid sentiam, semel declaro. Et dico huiusmodi Priorem, quem nos, sub Abbate, sic vocamus, ratione officij in REGULA, proprio nomine, nunquam vocari, nisi *Præposito*. Hoc manifestè constat ex cap. 65. quod inscribitur, de *Præposito monasterij*, vbi sub eo nomine, loquitur semper de eius officio, & conf-

V.  
2. Præceptū  
reuerentiæ.

VI.  
Dubitatio de  
nomine Prioris.

II  
Resolutio du  
by.

constitutione. Similiter *cap. 22.* vbi de eodem officio loquens ait: *de Præposito idem constituimus.* Et ea est præcisa significatio verbi *Præpositi*, pro eo, qui Prior Claustri & Conuentus, in officio constituitur post Abbatem; sicut præcise significatio *Abbatis*, pro ipso superiore, primòque monasterij capite & Prælato.

## VII.

Probatur late ex Regula.

De cæterò, verbum *Prior* in REGVLA, ponitur pro, *Maiore* aut *seniore*, etiam si nullo fungatur officio, quasi *Prior*, hoc est habitu religionis anterior: ita tamen vt etiam sumatur pro eo qui vel in actu conuentuali, vel in monasterio præsentiam habet, siue sit ipse Abbas, siue sit Præpositus, siue quilibet alius, qui in casu, de quo Regula loquitur, prioritatem & præcedentiam obtinet, ac proindè *Prioris* nomine: quasi communiore vocabulo, declaratur. Quod, testimonijs ipsis adductis, planum fiet. Ita infra *cap. 13.* ibi: *Oratio Dominica, omnibus audientibus, dicatur à Priore,* loquitur de *Pater noster, &c.* quod in Laudibus & Vesperis, clara voce cantatur ab eo, qui in choro præsidet actu, siue sit Abbas, siue, eo absente, Præpositus, aut alius Præsidens, & quicumque sit vocatur *Prioris* nomine: ita *cap. 20.* ibi: *& facto signo à Priore, omnes pariter surgant.* Hoc autem signum in choro, constat fieri ab Abbate si adsit, sin autem à quocumque, qui ei in prioritate præsentia succedit. Rursus, *cap. 38.* ibi: *Nisi forte Prior, pro ædificatione, voluerit aliquid dicere.* Hoc etiam ad Abbatem præcipuè pertinet, in Refectorio, & eo absente, Præsentem tangit. Præterea *cap. 40.* loquendo de augmento mensuræ potus, ait: *in arbitrio Prioris consistat,* vbi absolute Prælatum, aut qui superioritatem tunc tenuerit monasterii, intelligit. Adhæc *cap. 63.* ibi *iuniores igitur priores suos honorent,* & ibi: *Sed priores iuniores suos, fratres nominent,* & sæpius eodem capit. appellat, *priores,* id est maiores, & seniores, respectu iuniorum & minorum. Et eodem modo *cap. 65.* & *68.* vt ex contextu apparebit. Quam obrem in textu

nostro, ita intelligo illud: *quæ requirenda sunt à Priore &c.* siue Abbas sit, siue Præpositus, siue quiuis alius senio & maiori Prior, & idem aliis locis.

## VIII.

Tertium denique huius cap. iniunctum 3. *Præceptum* profertur, ibi: *Scurrilitates verò, vel verba otiosa, & risum mouentia, æternà claustra, in omnibus locis damnamus.* Verba sunt, non solum auersantia eos defectus immodestos, viro Religioso valde ioculares & vanos, & à Monastica seueritate abhorrentes: Sed prohibentia & interdientia vehementer, ita vt qui aliàs seculari posset videri permissus risus, vel licita iocosa loquutio, ea, ob virtutem silentii, & austeram conditionem Monachi, etiam quæ ex lege Dei non ventantur, nisi leuissimè, sint tamen, ex conditione status, per Regulam, altius interdicta. Id enim & verbum: *Damnamus;* & ad talia, os aperire discipulum, non permittimus, pressius iniunctum esse, demonstrant. Nam & de his, dixit D. BERNARDVS, lib. 2. de *Consid. cap. 13.* *Inter seculares, nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasfemia.* Quantumq; noceat, hæc iocorum & vanitatum intrussa profusio, lachrimabilis fatetur deuotionis euacuatio, & à facie illius spiritus procellarum, spiritualis feruoris extinctio manifestat. Nihilominus censeo, ea in præsentia à S. BENEDICTO damnari omnino, quæ cum peccato aliquo admiscetur, & eo modo, quo in Euangelio, *Matth. 12.* *Verba otiosa,* quæ in prædictis inuoluit, condemnantur; nec maioris culpæ, nisi propter scandalum, nocumentum spirituale aliam ve malitiam, vel circumstantias, quibus sæpius ioci immoderati, & stulta cachinantium verba affici solent. Inter quas est etiam, ad augmentum culpæ, circumstantia Monachalis status modestioris, seuerioris, & ab illis ludicris magis alieni, in quo per Regulam constituitur, modo quo id admissi, in *introduc. Art. 6.* num. 8. & 9.

3. Præceptum de scurrilitate. &c.

De quibus prohibitio procedat?

Ingerit tamen se se, in præsentiarum haud intempestiua dubitatio: Num tã absoluta risus & scurrilitatis interdictio, remoueat à Religione, omnem lētitiæ

## IX.

Dubitatio de Recreationibus.

titiæ

Sub nomine Prioris, Abbas & Præpositus & alij.

III

titie modum, & quas vocamus *Recreationes*, ubi verbis, & iocis, aliquid indulgetur? Nam video in aliis Religionibus, ita admissum, & in nostra Benedictina etiam per diffinitiones statutus per *REGVLAM*, autem hanc, nullibi video expressè concessum, sed aut casus omissus videtur, aut per huius cap. textum denegatus. Et huic parti adstipulantur plurima: Euangelij vox, *Matth. 5. Beati qui lugent. Exemplum CHRISTI*, de quo *Christost. hom. 6. in Matth. Flentem Christum frequenter inuenies, nunquam verò ridentem.* Officium monachi, de quo *Hierony. ad Rusticum. Monachus plangentis habet officium.* Tēpus huius vitæ, ipsum vtique quod *Ecclesiastes, cap. 3. Tempus flendi*, ita *Glossa* & fere omnes. *Locus, hoc scilicet exilium, Vallis lachrimarum*, terra nostra, in qua audita est, *vox turturis, Cant. 2. & ibi D. Bernard. ser. 59. vox gemēti quæ canenti similior*, peregrinationis nostræ nos admonet. Nec ultra progredior, ne literalis instituti præuaricator appareā cum tamen ista similiaque, nō paruum conferant dubitationi literali momentum.

*Augetur  
dubitatio.*

X.  
*Recreationes licite & qualiter?*

Nihilominus tamen, prædictas *Recreationes*, nullatenus per *REGVLAM*, hîc, nec alibi, denegari censeo. Nam cum hîc scurrilia & verba otiosa, aut risus, culpâ aliqua infecta & peccaminosa relegendur, talia, per nullam recreationis formam, à Religione constitutam, intelliguntur admitti. Cū verò ita ex intentione debita Religionis, statuatur *Recreationes* quædam, & eo modo exerceri debeant, vt nulla animi, nec minima inde cōtrahatur labe, sed honesta quâdam moderataque vacatione laboris, & laxatione exercitii, reparentur vires: nihil hic repugnans præcipitur. Nec aliud officium, effectūve, recreationes habere debent, quàm quem ipsa natura, animantibus lassitudini obnoxiiis, per somnum prouidit, vt cum *Ambrosio*, pro nobis, frequenter canimus, *Artus solutos, vt quies reddat laboris vsui.*

XI.

Imò & addo, tales *Recreationes*, quæ

cum maiori quodam iusto leuamine & ampliori, intrâ debitos limites licentia conceduntur, *Regulæ* esse consentaneas. Indè enim, eam *discretionē præcipuam*, appellauit *D. Gregorius* in eius confirmatione: & ex varijs locis constat, quam attenta discretioni fit. Atq; id passim commendat *Abbat*, dū pueris, senibus, infirmis, aliisque laborantibus, indulgendum sæpè opportune iubet, suis locis in *REGVLA*, & *cap. 36.* loquendo de balneis, quod leuaminis quoddam genus est, etiam sanis, quandoque non negauit, & *capit. 35.* feruentibus, legentibusque in refectorio, preguftandam refectiunculam destinat, vt sine graui labore, id faciant, & *capit. 53. In omnibus officijs Monasterij, ait: ista sit consideratio, vt quando indigent, solatia accommodentur eis*, & *cap. 39. Relinquit arbitrio Abbatis, si labor forte fuerit maior, si expediat aliquid augere ciborum, &c.* & alia plura in hunc modum. Igitur cōsiderata aleuiamenta recreationum, pro continuis & perpetuis, nocturnis diurnisque conuentualitatis laboribus, sequendo *Regulā Magistræ*, eius dispositionibus conformia sunt. Nam & sic in austerissima *Carthusiensium Religione*, *spaciamenta*, opportune statui animaduertos: ne dum in aliis, vt in Religiosa Societate *Iesv*, colloquutiones, quas accuratè, tuetur *Suarez, tom. 4. de Relig. lib. 8. capit. 8.* Atque *Camaldulensium Declaratio, ad hoc cap. 6. Reg. interdictis aliis ludicris excessibus, recreationes Religiosas* admittit, & ita ab aliis cum debita tamen moderatione & in tempore durationis & in frequentia admitendas.

*Conformiter  
ad Regulam  
ostenditur.*

Neque hoc disentit ab antiquis *Patribus*, quorum vestigia pressisse, *S. Benedictum*, in *Regulæ* sanctionibus, manifestū est. Ad quod verba accipe *Calisiani, Collat. 24. cap. 20. Sæpe accidit nō dicam nouitijs & infirmis, sed etiam experientissimis, atque perfectis, vt nisi mentis eorum directio atque censura, quibusdam mollita fuerit vicistitudinum laxamentis, aut in tempore spiritus,*

XII.  
*Recreationes etiā antique disciplinae cōformes.*

aut

aut certè in pernitiosam corporis vale-  
tudinem collabatur, &c. Atque cap. 21.  
verba S. Ioannis Euangelistæ refert, sic  
respondentis cuidam, de quodã paruo  
iustoque à se sũpto oblectamento, ad-  
miranti. *Nec nostri animi te offendat. tã  
parua hac breuisque laxatio, quæ nisi re-  
missione quadã, rigore intentionis suæ in-  
terdũm releuet ac relaxet, irremisso vigo-  
re lentescēs, virtuti spiritus, cũ necessitas  
poscit, obsecundare non poterit.* Quæ ad  
id adducit Cassianus, vt persuadeat, vti-  
lem esse remissionem ieiunij, in aduē-  
tu fratrum hospitem, quod suo modo,  
statuit REGVLA, infra cap. 53. ad quem  
locum pro hac re te conuenio, præter  
ea quæ citatus Suarez pro *recreationi-  
bus*, late adducit, *Vbi supra.*

## XIII.

Debito modo  
Virtutis ac-  
tus est re-  
creatio.

Accedit tamen, ad intentũ, quòd ex-  
ercicia lusoria, quæ in Recreationibus  
Religiosis apte interuenire debent, nõ  
solum peccato carēt, sed potius ad vir-  
tutem pertinent. Est enim ludus ex se,  
cum debitis circũstantijs admissus, vir-  
tutis Eutrapeliæ actus, iustaquæ iucun-  
ditas & affabilitas, in solatium humani  
animi, aliquo leuamine, ob limitatã vir-  
tutem, naturaliter indigentis. Ita docet  
D. Augustinus, *lib. 2. de Musica* Aristot.  
*lib. 4. ethic.* & omnes cũ D. Thom. 2. 2.  
q. 168. art. 2. de quo etiã D. Ambrosius,  
& Tullius, vterque, *lib. 1. de officijs.* Ideo  
que non erat, cur ab hac, suo loco &  
tempore, virtute, abhorreret discretis-  
sima S. P. N. REGVLA, Neque abs re sũt  
leges ludi, quas edixit venustissime Ioã-  
nes Ludouicus Viues, in *Dialogo Vario  
de Vrbe Valentia*, inter quas illud etiam  
in fauorẽ dictorum, verè statuit. *Lusus  
reperitos ad reficiendũ animũ lassum à se-  
rijs. Tunc igitur ludendũ, cũ animus,  
aut corpus erit de fatigatum: Nec aliter  
sumendum, quã somnus, cibus, potus,  
& alia quæ vires renouant ac reficiunt.*  
Subiungitque, vt quis non aliã, ad lu-  
dum, mentem afferat; quã vt à la-  
bore conquiescat, & leuetur animus.

## XIV.

Soluuntur  
opposita.

Ad ea vero, quæ in oppositum, num.  
9. adducta sunt, dicendum est, licet,  
quòd quis magis, ad aspera & tristia ad-  
dictus, & firmitatis ac oblectamenti  
expers, illud Philosophicum, quod ex-

tulit, ex Epicteto, *Gellius, lib. 17. cap. 19.*  
verè & Religiosè adimpleat, scilicet,  
*sustine, & abstine:* & maiorem perfe-  
ctionem adquirat, magisque confor-  
metur Euangelij voci, CHRISTI exem-  
plo, Monachi officio, huiusque vita tẽ-  
pori & loco: in quo est magis & mi-  
nus, intra terminos perfectionis, san-  
ctitatis, & meriti, quia stella ab stella  
difert in claritate: attamen dũm intra  
cancellos Religionis & virtutis, omni  
peccato secluso, supradicta continētur,  
non pugnant cum eã requisita & suffi-  
ciente cõformitate. Nec esse accipien-  
da cum omni exclusiua, eorum quæ,  
cum moderatione explicata, admiffi-  
mus, probāt rationes & testimonia ad-  
ducta, & insuper idem petunt alia, cum  
quibus necessario cõponendus est sen-  
sus. Sic, ad propositum Episcopus Vr-  
Confirmari.  
gell. Anton, Perez, *ad cap. 4. num. 196. solutio.*  
& 197. vt commentaretur instrumen-  
tum 54. ex B. Clemente, *Risum multum  
ac stultũ non amare.* Vbi non omnis ri-  
sus, sed immoderatus & intempesti-  
uus inhibetur; nõ vero prudens & op-  
portuna hilaritas: de quo ibi, iuxta sti-  
lum suum, plura, quæ mihi indicasse fa-  
tis est. Et Iansenius in *Ecclesiasticum,*  
*cap. 21. taxato damnatoq; per illa ver-  
ba, Fatuus in risu exultat vocem suam,*  
immoderato & cachinante risu perse-  
quentia, *vir autem sapiens vix tacite  
ridebit,* non excludit omnem risum à  
sapiente, sed admittit quod raro &  
*modeste ridebit.* Atque vice commen-  
tarij poterat esse, quod ex Seneca ad-  
ducitur. *Rident sinceri, Cachinos edunt  
stulti, arriidēt adulatores, irrident scurrae,  
subrident calidi & dolosi.* Itaque hic cũ  
sinceritate, ille cũ sapientia, componit  
risum tempestiuum & moderatum.

Sed quisnã quæso, modestiã & mo-  
derationem rãta inculpabilitate & in-  
nocentia circũscriptam, in risu, & iocis  
obseruet? Hoc opus híc labor est. Sen-  
sit difficultatẽ Card. P. Damianus, qui  
*lib. 5. Epist. 2. ad fratrem suũ:* hanc iocis ri-  
susque passionem vitiumve, appellauit  
*ferale monstrum, & bestiam nequissi-  
morum dentium,* à quibus se vix posse  
liberari dolet: *nam sub specie letitiæ,*

ait: *Dum me fratribus hilarem ostendere cupio, in Vanitatis verba declino, &c.* quæ latius timorem & tremorem incutiendo prosequitur. Atque nocumētum procliuum & excedentium in eiusmodi, notat, lib. 6. Epist. 32. narrans, ciuem quendam Mediolanensem, accedentem ad Monasterium Eremitarū Gamugnensium, cum proposito Religionis obeundæ, ab eo retrocessisse: *Quia aliquos Vestrum* (ait ad fratres) *anniles nugas & otiosa deliramenta per-*

*pendit profundere, & cum laicis scurriles iocos, & ludibria vidit vrbana miscere.* Atque detestādo, subiungit: *Quæti sanguinis reus est, qui sub sacri habitus Schemate, talem se, per susceptæ professionis incuriam exhibet, ut quærentes accedere, peruersè viuendo deturbent?* Ideoq; maxima & solertissima est adhibēda cautio, & nulla securior, quàm si te omni occasione ludicræ & licentiosæ subtraxeris, quoad fieri possit, & ordo Conuentus patiat. *De humilitate.*

*De humilitate.*

CAPIT. SEPTIMUM.

TEXTVS.

<sup>a</sup> Lucae 14.

<sup>b</sup> Psal. 130.

<sup>c</sup> Gen. 28.



*Q*UAMAT nobis scriptura diuina, fratres, dicens: <sup>a</sup> Omnis qui se exaltet humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. *Cū hæc dicit ostendit nobis, omnē exaltationē, genus esse superbiæ.*

*Quod se cauere Propheta indicat, dicens: <sup>b</sup> Domine non est exaltatū cor meū, neque elati sunt oculi mei. Neq; ambulauit in magnis, neque in mirabilibus super me. Sed quid? Si nō humiliter sentiebā, sed exaltaui animā meā, sicut ablatatus super matre sua, ita tetricus in animam meam. Vnde Fratres si summæ humilitatis culmen volumus attingere, & ad exaltationem cælestem ad quam per præsentis vite humilitatem ascenditur, volumus velociter peruenire, actibus nostris ascendētibus, scala illa erigenda est: <sup>c</sup> quæ in somno Iacob apparuit, per quā ei descendentes Angeli & ascendentes monstrabantur. Nō aliud sine dubio, descensus ille, & ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere & humilitate ascendere. Scala vero ipsa erecta, nostra est vita in seculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cælū. Latera enim eiusdē scala, nostrum dicimus esse corpus & animam, in quæ latera, diuersos gradus humilitatis vel discipline, vocatio diuina, ascendendos inseruit.*

NOTÆ.

I.

*Summatur totū cap. & obligatio per stringitur.*

**H**OC capite, S. BENEDICTVS humilitatis virtutē, hominibus, quibus nō est creata superbia, sed maximè Monachis quibus, cū statu, omnis exaltatio negata est, in primis congenitam & propriam, diffusius accuratiūque proponit. Ad quod scalam illā Iacob mysticè ac moraliter explicat, & spiritualiter in nobis erectā, duodecim gradibus distinguit, & per Dei timorē incipiēs, aliāque humiliati & cōtriti animi exercitamenta percurrens, vsq; ad perfectā charitatē, quæ foras mittit timorē progreditur. Licet autē, ut ait BERNARDVS, P. N. dūm hoc caput, peculiari tractatu

versat (qui tibi pro Cōmētario morali esse, prælijs, poterit) *Hos gradus B. Benedictus, nō numerandos, sed ascendēdos proponit.* Attamen ptopositio est doctrinalis & exhortatoria, ex diuinis literis firmata, eiusque præceptis & consiliis stabilita. ¶ Ita ipsum principiū ostendit dicēs: *Clamat nobis scriptura diuina, &c.* eoq; modo, potius indicatiuo, quā imperatiuo, procedens, præcepta quæ obligationē aliunde habēt, eandē retinēt, sicut alias dictū est, & ad primam CLASSĒ explicatā in *introd. ar. 6.* pertinebūt. Quod si in materia triūvotorū quomodocūq; sint, secundę CLASSIS, ar. 7. de-

*Distributio in Classes.*

declaratę, erunt Monacho. Si quę ve-  
rō, in alijs materijs, pura cōsilia ad Re-  
gulam transferuntur, ita vt, ex modo  
in præceptum transeāt, inde venialis, vt  
dictum est *Archiep. 8. tertię CLASSIS*, erit  
tantum obligatio, vt in singulis gradi-  
bus dicam: Adiecto tamen in omnibus

cum proportione, augmento culpe, ra-  
tione status Religiosi, in quo quis per  
REGVLAM constituitur, & similibus cir-  
cūstantiarum, quę licet nullum aliud  
sint præceptum, ex Regulas accidunt o-  
perationi aliunde.

## TEXTVS.

*Primus gra-  
dus Humili-*

**P** *PRIMVS* itaque gradus humilitatis est, si timorem Dei, sibi ante ocu-  
los semper proponens, obliuione omnino fugiat, & semper sit memor  
omnium quę præcepit Deus. Qualiter contemntes Deum, in gehennam  
pro peccatis incidunt, & vitam æternam, quę timētibz Deum præpa-  
rata est, animo suo semper reuoluat. Et custodiens se omni hora à peccatis  
& vitijs, id est, cogitationum, linguę, oculorum, manū, pedum, vel vo-  
luntatis proprię, sed & desideria carnis amputare festinet. Æstimet se ho-  
mo, de calis à Deo semper respici, omni hora, & facta sua in omni loco à  
aspectu diuinitatis videri, & ab Angelis omni hora Deo nuntari. Demō-  
strat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus nostris, ita Deū semper præ-  
sentem ostendit, dicens: *a* Scrutans corda & renes Deus, & iterū: *b* Do-  
minus nouit cogitationes hominum. Et item dicit: *c* Intellexisti co-  
gitationes meas à longe. *d* Quia cogitatio hominis confitebitur tibi.  
Nam vt sollicitus sit, circa cogitationes suas peruersas, dicat semper humi-  
lis frater in corde suo: *e* Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruaue-  
ro me ab iniquitate mea. Voluntatem verò propriam ita facere prohibe-  
mur, cum dicit Scriptura nobis: *f* Et à Voluntatibus tuis auertere. Et  
item rogamus Deum in oratione: *h* Vt fiat voluntas eius in nobis. Doce-  
mur ergo merito, nostram non facere voluntatem, cum cauemus illud quod  
dicit Scriptura: *i* Sunt vię quę videntur hominibus rectę quarum fi-  
nis, vsque ad profundum inferni demergit. Et cum item cauemus illud,  
quod de negligentibus dictum est: *l* Corrupti sunt, & abominabiles facti  
sunt, in voluntatibus suis. In desiderijs verò carnis, ita nobis Deum cre-  
damus semper esse præsentem, cum dicit Propheta Domino: *m* Ante te est  
omne desiderium meum. Cauendum ergo ideò malum desiderium, quia  
mors secus introitum delectationis posita est. Vnde scriptura præcipit di-  
cens: *n* Post cōcupiscentias tuas ne eas: Ergo si, *o* oculi Domini specu-  
lantur bonos & malos, & *p* Dominus de cęlo semper respicit super  
filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum. Et si  
à Angelis deputatis, quotidie die noctuque Domino factori nostro, opera  
nostra nuntiantur, cauendum est ergo omni hora, Fratres (sicut dicit in  
Psalmo Propheta) *q* ne nos declinantes in malum, & inutiles factos ali-  
qua hora aspiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est, &  
*r* expectat nos cōuerti in melius, dicat nobis in futuro, *r* Hęc fecisti, & tacui.

## NOTÆ.

II.  
Varia lectio  
textus.

**A**DNOTO authoritatem, quam citat textus ex *Psal. 52. Corrupti sunt & abominabiles, &c.* variè legi in exemplaribus: quædam, in *Voluptatibus* quædam, in *Studijs*, quædam, in *Voluntatibus*, & hanc lectionem retinuisse, quia eâ inuenio ex *Psalterio Romano*, & *Cassiodoro*, & quia in præfenti aptior, ubi agit, de nō faciēda propria voluntate, & ad id adducta cum alijs.

III.  
Graduatio  
in his gradi-  
bus nō requi-  
renda.

Notare etiam oportet, haud nimium esse laborandum, in correspondentiâ, vel graduatione horum graduū, ut iuxta additionem numeri, etiam addenda sit maior perfectio, quasi intensiuas aut requiratur quasi coordinatio Specierū seu Generum, continuata serie, subordinatorum, aut proprius ascensus de minus ad magis. Nam licet in aliquibus, possit ea cōnexio, & ascensus cōsiderari; sed certè, non eo artificio laborioso, meditatus fuit S. *BENEDICTVS* hos gradus. Quare, ut videtur mihi, designati sunt, quasi extensiuè, distinguēdo varios modos, quibus exerceri potest *humilitas*, & eos, iuxta diuersas cōsiderationes, & materias, perducendo ad numerum duodenarium, numerum utique Apostolicū, illius collegij, quod sub magisterio mitis & humilis corde *CHRISTI*, hanc illius propriam virtutē didicit, rectè Apostolicæ numeri caractere, in *Monastica Schola* consignandam. Atque pro hoc *Notabili*, addā infra nu. 28. confirmationem aptam & necessario amplectendam.

III. Hic ergo primus gradus, ex timore Dei, propriam videtur differentiā assumere, ut innuunt priora verba: *si timorē Dei sibi, ante oculos, sēper proponēs, &c.* Quē timorē acuit, memoriā supplicij æterni, eorum qui, in *gehēnam* pro peccatis incidunt, & exacuit præfentiā Dei, à quo exploratū est hominem, *semper*

TEXTVS.  
Secundus  
gradus.

**S**ECVNDVS humilitatis gradus est: si quis propriam non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit. Item dicit scriptura. Voluntas habet poenam, & necessitas parit coronam.*

respici, omni hora, & omni loco, & noscere cogitationes eius; atque speculari bonos & malos; quos, patientia sua & expectatione abutentes, reconuincat, illis verbis, *hæc fecisti & tacui*, & terribilis eorum ultor existat. Quo quidē timore depressus animus humiliatur, sic, ut se à proprijs voluntatibus auertēs, subiiciatur Deo, ut eius voluntas fiat, in eo, & veluti Paulus humi, diuino terrore, prostratus, elationē deponat, & humilis subiectionē fateatur, & requirat, *Domine quid me vis facere?* Cūq; timor iste, ille sit, de quo sapiēs, *Prou. I. Timor Dei principium sapientiæ, quæ*, iuxta ipsum, ab humilitate non discedit. *Prou. II. Vbi est humilitas, ibi est sapientiæ, & per hanc timoris humilitatem, introducatur ad renuntiādum vitijs, & sectādā virtutem; rectè hinc principium fecit, & gradum primū humilitatis posuit. Nam & sic, Christianitatis principium, & conuersionis timorem extulit Tertullianus, lib. de Pœnit. inquit: Hæc prima Audientis intinctio est, metus integer, & vocauit, instrumentum pœnitentiæ, metū. Atq; lib. de cultu Fœmin. ait: Timor fūdāmetū salutis est, &c.*

IN hoc autē textu nihil video, quod non sit à sacris literis petatum, nihil quod non præsupponatur, ex diuina fidei lege obligationē habere. Timor Dei, metus gehennæ, æstimatio præfentię diuinæ, futuri iuditij attētio, voluntati Dei & eius mandatis obeditio, desideriorum & voluptatum carnalium ablegatio, & omnis mali operis ac peccati fuga, omnia hæc, secluso Monachatu, obligant quemcumque fidelem Christianum, ne dūm Religiosum, cui à REGVLA proponūtur, & ita quod ad hoc, idem esto iudiciū, quod num. I. NOTARVM huius cap. declarauimus.

V.  
Eius, obliga-  
tio.

Tertius gra-  
dus.

**TERTIVS** humilitatis gradus est; ut quis pro Dei amore, omni obedientia, se subdat maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: b Philip. 2. b Factus obediens patri usque ad mortem.

Quartus gr-  
adus.

**QUARTVS** humilitatis gradus est: si in ipsa obedientia duris, & contrarijs rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacitâ conscientia patientiam amplectatur, & sustinens non lassescat, vel discedat, dicente Scriptura: c Qui perseverauerit usque in finem hic saluus erit. d Psal. 16. Item: d Confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Et ostendens fidelem pro Domino, uniuersa etiam contraria sustinere debere, dicit etiam, e Psal. 43. ex persona sufferentium: e Propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus ut oues occisionis. Et securi de spe retributionis diuinae, subsequuntur gaudentes & dicentes: f Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos: Et item alio loco Scriptura: g Probasti nos (inquit) Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro. Et ut h Psal. 15. ostendat sub Priore nos debere esse, sub sequitur dicens: h imposuisti homines super capita nostra. Sed & præceptum Domini in aduersis & iniurijs, per patientiam ad implentes, qui i percussi in maxillam, præbent & aliam; auferenti tunicam, dimittunt & pallium; angariati milliario, vadunt & duos; cum Paulo Apostolo k falsos fratres sustinent & l persecutionem sustinent, & maledicentes se benedicunt.

**NOTÆ.**

VI.  
Differentia  
gradus secū-  
di.

**D**IFFERENTIA secundi gradus, videtur cōstitui, in exercitio humilitatis, respectu abnegationis propriæ voluntatis, ut nullo oblectamento sui desiderij, quis alliciatur, sed id ad quod per timorem Dei ultoris, atque pœnarum ab eo irato infligendarum, humiliatus introducitur, depressa delectatione, quâ antea ferebatur, cōformiter **CHRISTVM** imitando, amplectatur. Atq; ita, in primo gradu, ex parte timoris, cuius concussione initiatur humilitas, consideratio fuerit; hic ex parte negationis, & propositi, abstinēdi à volūtate ad quam trahit sua quemque voluptas, tali voluptate compressa & denegata. Humiliationem in hoc interuenire, eo ipso, quod se ingerit proprij libiti subiectio, notum est: aliam autem differentiam ex textu depromi non video. Id vero, quod in fine huius secundi gradus apponitur, Itē dicit Scriptura: voluntas habet pœnam, & necessitas habet

coronam, aptissimè exponitur ab Episcopo Vrgell. ut hic volūtate de propria, opposita Deo, intelligatur in sensu quo D. Bernard. ser. 3. de resurrect. dixit: Cesset propria voluntas, & infernus nō erit: & necessitas, non de coactione auferente libertatem, accipiatur, sed ad quam quis, propter obedientiam aut virtutē, aut propter fugiendā pœnā, se volūtariē coarctat & necessitat. Vtrūq; autē, secundum ea formalia verba, ab Scriptura dici nullibi reperitur: at verò secundum exempla atque doctrinam, quæ per narrationem rerum, in Scriptura continentur, idem est atque si in Scriptura dicatur. Ob id enim Paulus, Rom. 15. ait: Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Atque Gregorius, facta, in sacra Scriptura, commemorata, nostra vocat, præcepta, quæ scilicet, ipsa narratione exēpli, aut rei, quasi eloquio proferuntur, quorū longissimā inductionē præstat, hom. 15. in

Scriptura factis loquitur.

VII.  
Verba textus  
attributa  
Scripturae  
saluantur.

*Ezechiel*, incidens in locum *Cant.* 4. *collum tuum, sicut turris David* &c. de quo ait: *In collo guttur, in gutture vox est: per collū sicut & Ecclesia. sacra ei' eloquias inde mille clypei pendent, scilicet præcepta Dei & exempla, quibus scilicet, tāquam voce loquitur scriptura. Quæ, ob id, non incongrue, ab eodem D. Gregorio Epistola, vocatur lib. 4. Epist. 84. Quid est autem Scriptura sacra, nisi quadam Epistola omnipotentis Dei, ad creaturam suam? Idem similiter Augustinus, in Psalm. 64. & Psalm. 9. conc. 2. & Chrysostomus, tom. 1. hom. de ieiunio & Gen. Quod & in alijs locum habet, vt infr. gradu. II. num. 31. Denique scriptura, vt sic, non semper refertur ad sacram & Canonicam, ad verbum, sed ad sensum; aut etiam ad alia nota & sancta scripta, vt forte hic.*

Est Epistola Dei.

## VIII.

Differentia gradus tertij

Tertij verò gradus differentia, ea videtur, vt scilicet humilitas, quæ exercetur in obedientia, maiori præstita, omnimoda sit, non vndecumque perfecta ex timore, & poenarum metu, sed pro Dei amore. Nā de cætero, & in hoc tertio, & in secundo gradu, CHRISTI Domini obedientiam, ad exemplum & imitationem exhibet, vtpotè in cuius eminente perfectione, nostris inadæquatis gradibus, possit plurificare formas. Quæ verò hic apponitur de amore Dei, cui apponere modum nesciuit B. BERNARDVS, Tract. de diligendo Deo, sed modum esse, sine modo diligere, protulit; adè excellens differentia est, vt quantumuis te extendas, crepes potius, quàm possis inuenire maiorem. De quo idem Bern. serm. 83. in Cant.

Amoris Dei excellentia.

## TEXTVS.

Quintus gradus.

a Psalm. 36.

b Psal. 117.

c Psalm. 31.

**Q**UINTVS humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas, cordi suo aduenientes, vel mala à se absconse commissa per humilem confessionem Abbati non celauerit suo. Hortatur nos de hac re scriptura dicens: a Reuela Domino viam tuam, & spera in eum. Et item dicit: b Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius: & iterum Propheta: c Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitias meas non operui. Dixi pronuntiabo aduersum me in iustitias meas Domino, & tu remisisti impietate cordis mei.

Ipse meritum, ipse premium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum, & cætera quæ vtroque loco profèquitur. Quare inane reputo, per additionem excellentiæ (vt num. 3. monui,) hanc graduationem exquirere, aut pensitare.

Ideo de quarto gradu, modus & differentia, quæ illum ab alijs distinguit, cum etiam in ipsa obedientia, humilitatis exercitatio collocetur, est patientia dum in duris & contrarijs rebus, etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacita conscientia, constanter, & perseueranter, paret imperio. Atque in hac humili sustinentia firmanda, sunt omnia testimonia, quæ ex diuinis literis adducit, & ita secundum hanc expressionem, diuersificatur ab alijs gradus iste, per patientiam quæ opus consummet, & ad perfectionem perducatur, nam talis est, quæ non lassescit, non discedit, sed perseuerat usque in finem, prout de ea, ad hanc humilitatis scholam, & doctrinam, loquitur textus.

De his autè tribus gradibus, in quibus eodem modo, procedit. B. BENEDICTVS Regulæ Author, quantum ad obligationem, & distributionem per proprias assignatas CLASSES, eodem modo intelligendum est, sicut de primo gradu diximus, num. 5. & generaliter pro toto cap. num. 1. Nec video aliud præceptum, quàm quod in ratione virtutis, præsupponitur ad Regulam de humilitate; vel in ratione obedientiæ, in qua exercetur, adiungitur ex Voto, cum illud exigitur, & interponitur, modo in *Introduct.* declarato.

IX.

Differentia gradus quartij.

X.

Eorum obligatio.

XI.  
Differentia  
gradus quin  
ti.

**D**IFFERENTIA huius gradus factis exprimitur, & distinguitur ab alijs, dum statuit, interiora sua aperire, ita vt omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala à se abscondite commissa, per humilem confessionem Abbati non celauerit suo. Atque bonū huius manifestationis, sacræ pagine authoritatibus comprobatur. In quo sequutus est similem obseruantiam modū S. Basilij, & Cassiani, quorum doctrinæ plurimum, (vt aliàs notauimus) defert, in Regula sua S. BENEDICTVS. Basilij itaque in Regulis fusioribus, interrog. 26. sic rogat. *Quam omnia etiam cordis arcana, à fratribus cum Antistite, communicari debeant?* & in responsione id cauet: *Vt fiat fratribus ijs, quibus datum illud negotium sit, vt adhibitis facilitate & misericordia, ægrotantes currentur, &c.* Et Cassianus, lib. 4. de institut. Cœnob. cap. 9. in cuius titulo quaeritur. *Quare iunioribus imperetur, vt seniori suo, nihil de cogitationibus suis subtrahant?* Et responsio, quæ in sola communicatione sistit, est, vt dirigantur in via Dei, & discernatur: *An ficta & imaginaria, an vera humilitate fundentur.* Atque ob id statuerunt antiqui patres, discipulis instruendis, nullas penitus cogitationes prurientes in corde celare, nec super earum iudicio, quidquam suæ discretioni committere, sed illud credere malum esse vel bonum, quod discussit ac pronuntiauerit senioris examen, &c. Quibus & ratio, & fundamentum, constituendi huiusmodi gradum continentur apertè.

XII.  
Redit quaestio de Sacerdotio Abbatis.

Attamen ex verbis in hoc gradu notatis, instauratur quaestio illa supra, ad cap. 2. num. 9. excitata, & ventilata, volentes aliqui, hinc probari Abbatem, ex REGVLÆ præscripto, debere esse sacerdotem, dum ait, *per humilem confessionem Abbati non celauerit suo:* Quia scilicet confessio, non nisi sacerdoti fit. Hac enim est potissima ratio, quæ ex hoc loco desumitur. Nihilominus, persistens in resolutione, quam vbi supra tenui, nihil in contrarium, conuinci irrefragabiliter ex hoc loco, similiter te-

neo, propter sequentia.

Primo. Quia etiam si concedamus gratis, (quod tamen non concedimus) ea verba intelligi de sacramentali confessione, quæ necessario excipienda est à præsbitero, non inde conuincitur aliquid, contra assertum. Quia vt probaui ad cap. 2. citatum, nec Regula expressè iubet, nec tunc erat necessarium aut inexcusabile sacerdotium in Abbatibus; ergo si quæ in Regula disponuntur, ad functionem Sacerdotis attinentia, sic sunt accipienda, vt si Abbas sit Sacerdos, ab eo fiant, secus autem si sacerdotio non insigniatur: vt solum ex hypothese, & conditionaliter, intelligatur dispositio Regulæ; ergo dato casu quod hic loqueretur de confessione sacramentali, non inde conuincitur Abbatem debere esse sacerdotem, si alias tunc (vt probatum est) non exigebatur. Atque expressè id ita tenet Smaragdus cuius verba ad longum adducta, & discussa dabo, infra ad capit. II. numer. 9. & 10.

Secundò. Principaliter: quia hic non loquitur de confessione sacramentali, ergo non conuincitur Abbatem, debere tunc esse sacerdotem. Antecedens suadetur, non in congruis rationibus. Primò. Quia omnia testimonia, quæ adducit REGVLÆ, sunt ex veteri testamento, scilicet ex psalmis Dauid, vnde nullum ad literam est de Sacramento Confessionis, ergo prorsus deficit probatio in eo sensu, cum tamen in eo, qui explicatus est num. II. de hoc quinto gradu, optime quadrent.

Secundò, quia tum hoc textu, parificatur alius Regulæ, ex c. 46. vbi tradens modum satisfaciendi publice, de leuibus negligentibus, (vt ibi dicemus) addit in fine: *Si anima verò peccati causa latens fuerit, tantum Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciāt curare sua vulnera, & aliena non detegere, aut publicare.* Hic non agere de manifestatione in Sacramento, sed extrā, solum de consultiua & paterna communicatione, conijcio in primis. Quia nullum verbum ad id cogit. Non illud,

XIII.  
Probatio 1.  
in contrariū.

XIV.  
Probatio 2.  
Quod Confessio non intelligatur hic de Sacramento.

Declaratur  
ex alio textu

*patefaciant*, pro quo; propius ad rem, potuisset dicere, *confiteantur*. Non illud *Spiritualibus senioribus*, pro quo potuisset dicere *Sacerdotibus* aut *Presbiteris*, sicut alias, *cap. 40. 42. & 43.* proprijs nominibus appellat. Deinde, quia non est verisimile voluisse omnes seniores Confessores esse: nam quod vocet *spirituales*, id, sine sacerdotio, competit viris spiritualiter viventibus. Preterea, quia illud: *sciunt curare sua vulnera*, non cadit in sacerdotem ut confessorem, is enim non curat sua peccata, ut confessor, sed ab alio sacerdote, curationem absolutionis accipit. Rursus quia illud: *sciunt aliena non detegere, aut publicare*, non benè congruit de Confessoribus dictum. Quis enim confessor, non scit & tenetur, irreferabili secreti sigillo, tegere peccata? Id quidem magis in consultationem & communicationem, extrà confessionem, quadrat, pro qua seligendi erant, taciturniores, qui consilium possent impendere, & secretum tenere. Sicut ergò, quoad seniores spirituales, constat nullo modo agere, de confessione sacramentali, idem dicendum est, quoad Abbatem, cum pari modo de eo loquatur, dicto *cap. 46.* & idem in textu præsentis: & omninò parificentur.

Tertio. Principaliter probatur. Quia hic humilitatis gradus, rectissimam explicationem accipit, ex modo quo, in simili, seu potius in eodem puncto, Basilii & Cassiani, in suis regulis tradiderunt: hoc enim valde genuinum debet haberi, ex mente ipsius, S. BENEDICTI, qui & hos authores laudat, & ad eorum scripta nos remittit, & similem educationis formam intendisse videtur, cum eis, alijsque, in hoc monastico, & receptissimo documento consentiendo. Nec enim eos laudat aut citat, ut ab eis abhorrere credatur, vbi consensus eius doctrinæ manifesta est. At constat apud utrumque, hoc institutum de non abscondendis cordis cogitationibus seniori, aut Patri monasterii, expressum esse, & a neutro intelligi, nisi de communicatione & mani-

festatione à me explicata; ergò eadem adhibenda est nostro textui. Loca dictorum Patrum produxi *sup. num. 11.* in explicatione huius gradus, & ex eis manifesta est probatio, cui omninò consentit Suarez, *tom. 4. de Rel. lib. 2. cap. 17. num. 9.*

Sed auferendum est obstaculū, quod opponitur ex illo: *Per humilem Confessionem, &c.* quasi hoc, Sacramentalem prorsus conuincat. Quod secus esse, inconcussa probatione patefaciam. Nam vox *Confessio*, est communissima ad quamcumque manifestationem, siue spontaneam, siue extortā, ut sacris prophanisque literis constat. Atque in hoc REGULÆ loco, S. Isidorus, adductus à Petro Diacono, apud Constantinum Caietanum, in *lib. Trium Patr.* ait, *voce confessionis, non dubium esse, ad præconia quoque Domini pertinere.* Quod quidem docent Interpretes facti, ad illud *Matth. 11. Confiteor tibi Pater, &c.* Et ipsa testimonia adducta à S. BENEDICTO, id docent. Illud ex *Psal. 17. Confite-*

*mini Domino quoniam bonus, &c.* in eo sensu explicatur ab omnibus, iuxta D. Hieronymi verba, qui ait ibi: *Confessio hæc, non ad peccatorum remissionem, sed ad laudem pertinet Deitatis:* Sic Augustinus, & ex eo alijsque, Iansenius, Titelmanus, Genebrardus, Lorinus, &c. Atq; in altero testimonio ex *Psal. 31.* cum communis lectio habeat: *Dixi Confitebor aduersum me iniustitiā, &c.* pro *Confitebor*, habet textus Regulæ. *Pronuntiabo*, iuxta Romanum Psalterium & aliquos Patres. Nec tamē fuit sollicitus de verbo *Confiteor* S. BENEDICTVS, pro confessione Sacramentali, quam utique in præsentis non intendebat. Quamuis, ad hunc Psalmum, Lorinus plura de quodam confessionis modo, apud Iudæos, & Gentiles, & Indos, imò, & Maomethanos similitudinariè congerat, & ad veram Ecclesiæ confessionem adumbrandam, mysticè ab aliquibus vsurpari, inficias non eā, quod hic ad rem non est satis.

Deinde in casu proprio, reproduco eundem Cassianum, latius de hoc in-

XVI.  
Verbum cōfessio nō obstac.

Etiā laudationem signi-  
ficat.

XVII.  
Autoritas  
Cassiani pro  
nostra accep-  
tione Cōfessionis expē-  
ditur primo.

XV.  
Probatio 3.  
& propriissima.

stituto & eius praxi *differentem Collat.*  
*e. capit. 11. & 12 & 13.* vbi talem communicationem aut manifestationem, appellat *confessionem*, & tamen ex narratione constat, non loqui de sacramentali; sed de humili insinuatione cogitationis, vel occulti facti, ad senioris censuram, & proprii defectus curationem, vitæque monasticæ profectû. Pro quo argumentum est. Primò: ex illo *cap. 11.* vbi constat, quod *confessio* illa de qua ibi, fuit manifestatio paxamatiij, idest, panis exigui, de vn pane-cillo, quem clanculò, in sinu suo Serapion è refectorio, postmodum comedendum, extraxerat facta coram Abbate Theona, & alijs fratribus, simul in cella de ædificatione spirituali colloquentibus. Vbi cum præsens adesset Serapion, sui furtiui panis & intemperantiæ compunctus, verbis patefecit erratum, vt constat, ibi: *Cum refectio-ne transactâ, collatio spiritualis agitari cepisset, &c.* ex quo patet longè fuisse a confessione sacramentali.

Secundo, id amplius constat. Quia Abbas Theona Sacerdos non fuit, vt è *Collat. 21.* per diuersa capita apparet: imò neque Diaconus, Sacerdotio proximus. Nam licet *cap. 9.* dicatur electus in *diaconiam*, non intelligitur de ordine sacro, sed de œconomi officio, res monasterij dispensante, vt in *cap. 31. de Cellerario*, tangam, & explicauit Chiaconius, in *annotat. ad Cassia.* Atque verba, quæ dictus Abbas protulit, in casu relato, nihil sacerdotale aut Sacramentale continent, scilicet: *Confide ó puer, absoluit te ab hac captiuitate, etiam me tacente, confessio tua.* Videlicet manifestauerat, se eâ intemperantiæ tyranide captiuum teneri, in cuius signum, panem scilicet subtractum, è sinu in medium protulerat compunctus, & lachrymis profusus: ad quod, senex, bono animo esse iubet, siquidem manifestatio illa humilis, eum ligatû & captiuum, à vinculo, quo trahebatur, liberauerat. Aliàs etiam, *eo tacente*, quæ nam poterat esse Sacramentalis absolutio?

Tertiò. Quod, dicta *collat. 2. cap. 12.* ait: *de occasione pernitiõsa Verecundiæ, data pluribus, quæ cogitationes malas studeant obtegere, ac saluari eas patefacere confessione Vereantur*, in confessionem sacramentalem refundi nõ potest: sed est ratio eadem propterquam, S. BENEDICTVS, loco adducto, è *cap. 46.* cauit, vt seniores, quibus facienda esset talis confessio seu manifestatio essent qui, *sciant non detegere aut publicare.* Atque sic prosequens Cassianus ait: *Illa precipue erat causa, qua nouimus quendam in Syria partibus precipuum seniorum, cuidam fratri cogitationes suas simplici confessione prodenti, postmodum quadam indignatione commotum easdem grauius exprobrasse, &c.* Hoc autem de Sacramentali confessione, nec vereri poterat, nec fieri. Et si quis sacrilegus, inconcusa arcani Sacramentalis confessionis repagula, vt cumque perfregisset, illum alio stomacho, alia detestatione prosequeretur, nedum exprobrando, quod nusquam lectum, nusquam auditum est. Nec satis explicaret tam exitiale crimen, in quo sacrilegij Sacramentalis temerator detestandus erat, dicendo *simplici confessione*: dixit autem *simplici*, ad differentiam *sacramentalis*. Neque item hoc singulare factum afferret, tanquam causam, vt quis à necessaria, necessitate medij in adulto peccatore, sacramentali confessione, abstineret, & recedere studeret: bene tamen, vt à consueta consultatione, quam *simplicem confessionem* vocat, solum è stilo monastico facienda, retardaretur. De qua, hunc quintum humilitatis gradum ego intelligo, non solum cum Basilio, & Cassiano, sed antiquiori adhuc disciplina, cuius testimonia B. Antonij, & Pœmenis Abbatis, adducit Rufinus Aquileiensis, *lib. 3. in vitis-patrum, nu. 176. & 177.* iuxta Rosueidi editionem. ¶ Nec ea, quæ hic in contrariû cõiectat, aut adducit Mag. Perez, Episcop. Vrgell. & ex eo, Mag. Sanvitores, *tom. 1. prel. 1. cap. 13. num. 12.* locum habent, de tempore institutionis, R.

XIX.  
 Expenditur,  
 3æx alio loco  
 Cassiani.

XVIII.  
 Expenditur,  
 2.

Obstantijs  
 obuiam iur.

GVLA, per S. BENEDICTVM, sed ad summum valde posteriore; quando iam per exemptionem Apostolicam, translata iurisdictione ordinaria Episcoporum, ad prelatos Regulares, ipsi Abbates ouium suarum extiterent parochi, seu Sacerdotes ordinarii, ob quod, in eis, nouiora iura petierunt necessario Sacerdotium. Neque rursus amplius assequitur, quod ex P. Damiano adducit, num. 13. de Cluniacensi Abbate, aut quod num. 14. ex Nauarro & aliis de Cisterciensium confessionibus; de quibus rationem reddo, infra ad capit. 38. num. 9. & 10. Estque tantum coniectura recenter nata, ut pote quæ ex diffinitione quadam Cistercii, excogitata est; & omnia ad tempus S. BENEDICTI, & eius Regulæ relata, ad rem sunt profus inutilia, & nihil certum inferentia ad propositum.

XX.  
Obligatio huius  
gradus.

Igitur quoad obligationem huius gradus, modo predicto explicati, ex vi huius textus, videtur remanere in ratione moniti aut consilii. Nam hic hortando procedere, sicut in anterioribus, exprimit, ibi: *Hortatur nos de hac re scriptura, &c.* nec est verbum magis vrgens, quod cogat nos, hanc exhortationem transire in præceptum Regulæ. Nihilominus, quia hæc monastica obseruantia statuitur, citato cap. 46. iuxta antiquum & receptum morem, & sic tamquam regulare præceptum, habita & acceptata est; utrobique vnũ præceptum contineri concedo; sed nõ restringendum, ut soli Abbati fiat cõ-

municatio cogitationũ &c. Sed satis esse senioribus, ut ipse B. BENEDICTVS, postremo loco, exprimit, sub diffinitione, & concordat cum D. Basilio, & Cassiano adductis, num. 11. & Rufino, num. 19. Atque tunc censeo, non sub maiori culpa quàm veniali. ¶ Ab hac etiam (meo iudicio) hodie excusantur monachi, dum Presbiteris, ab Abbate, pro confessionibus sacramentalibus, deputatis, qui sunt selecti seniores spirituales, ad curanda conscientia vulnera approbati; & potiori sacramentali silentii sigillo constructi, intimos aperiant suæ conscientia recessus, quomodolibet medicabiles. Nam & si REGVLA, communicatione quasi familiaris, extra sacramentum contenta sit; id intra, melius & ad intentum aptius adimpleri, non est dubium. Neque video aliud exigi, præsertim hodie, quãdò copia tanta est Sacerdotum & Confessorum, tantaque huius Sacramenti frequentia, eisdem, iuxta priuilegia, & constitutiones, delegata. Vndè orta videtur desuetudo, iam longo tempore sufficiens, ut præceptum aliud cessauerit, cuius nemo transgressor arguitur; quod signum est non vigere. Quod si alicubi, aliqua maior obseruatio extet, aut aliqua substituta sit ceremonia, loco huius præcepti, sub eadem obligatione constringet, ut constat ex dictis in introduct. artic. 10. num. 6. & art. 11. num. 10. & vtrouis modo, erunt, ut sic tertiæ CLASSIS, ibid. art. 8.

Eius moderatio consideratur.

### TEXTVS.

Sextus gradus.  
a Psal. 72.

**S**EXTVS humilitatis gradus est: si omni vilitate & extremitate sit contentus monachus, & ad omnia quæ sibi iniunguntur, velut operarium malum se iudicet, & indignum, dicens cum Propheta *a* Ad nihilum redactus sum & nesciui: ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

Septimus gradus.  
b Psal. 71.

**S**EPTIMVS humilitatis gradus est: si omnibus se inferiorem & viliorē non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se, & dicens, cum Propheta, *b* Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. *c* Exaltatus sum & humiliatus & confusus, & item. *d* Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam mandata tua.

c Psal. 87.  
d Psal. 118.

NOTÆ.

XXI.  
Difficultas  
horum gra-  
duum.

**N**ON est facile distinguere hos gradus, cum ad priorem dicat illud, *Vt iumentum sum apud te, &c.* Et ad posteriorem: *Ego sum vermis, & non homo, &c.* Vtrobique se, infra hominum conditionem deprimens, in vno, *vilitatem & extremitatem* designet: in altero, *Inferiorem, & vilio-rem*, omnium reputari & haberi doceat: quæ non videnter differre. Nihilominus materia exercendæ humilitatis, quam, pro differentia sexti gradus, exprimit, non est incomplexa, & vnica, sed complectens, sicut in alijs quibusdam gradibus præcedentibus, plura: scilicet primo, vt quæcumque vilia, & abiecta obire, non de trederet monachus: secundo, vt extremo vel loco vel officio deputari, libenter ferat: tertio, vt omnia sibi iniuncta perficiens, quasi nihil faciat & imperfectè operetur, sic de se humiliter iudicium ferat. Suadet primum D. Basilus, in *constit. monach. cap. 24.* iuxta titulum capitis scilicet: *Quod viliora etiam munia sine opera, magna cum animi alacritate, consecrari monachus debeat.* Notat secundum, de monachis sui temporis, Chrysostomus, *hom. 58. ad popul.* dicens: *Quanta penes nos, est pugna primas partes assequendi, tantum apud illos (scilicet monachos) certamen, ne consequantur, sed repellant.* Heu nos, quantum hodie deformata seu commutata conditio ista. Ad tertium aptè Gilbertus Abbas, *serm. 15. ad illud Cant. 3. quæ est ista quæ ascendit &c.* vbi post alia, iuxta Euangelium, *Lucæ 17.* ait: *Felix qui tantum & talem sibi collegit puluerem, vt quæ iubentur faciat omnia, & reputet quasi nulla, qui vniuersa bona quæ colligit, per humilitatem illa conterit: hoc est frangit, molit, redigit in puluerem, nihil relinquens non humiliatum.*

XXII.  
Differentia  
7 gradus hu-  
militatis.

Vndè pro septimo gradu, illa potissimum differentia exprimitur, vt ea nõ solum lingua pronuntiet: sed etiam intimo cordis credat affectu. Et ad idem recurrit D. Bernardus: *In forma honestæ vitæ, dum de humilitate informat,*

eisdem verbis, & *ser. 42. in Cant.* & ita omnes. At quænam quæso humilitas, secluso corde? Magister humilitatis veræ, se *humilem corde*, proponit discipulis, *Matt. 23.* Propheta ad impetrationem veniæ, *Psal. 50. cor humiliatum* exhibet parituro: atque huius defectu, dånatur humilitas: *Ecclesiastici 19.* tanquam non-humilitas, quia nequam, quia falsa. *Est qui nequiter humiliat se, & est iustus* (talismenpe volens apparere,) *qui nimium se submittit, multa humilitate*, totum id infacie exteriori, larua est humilitatis, de qua ei, præter fictionem, nihil. Quare ista differentia, non quæcumque, sed essentialissima omni veræ humilitati esse dicenda est. Quid enim linguæ pronuntiatio, sine sensu cordis erit, nisi mendacium? falsitas? hypocrisis? deceptio? ¶ Vt autem hoc tam necessarium expresse constet, & exterminet vanas humiliationes, quas sæpe verbo tenus proferimus, dum alios nobis solum quasi urbanè præferimus, aut quadam generalitate modestiæ, nos imperfectissimos omnium, ore fatemur: easque ad suum perducatur gradum etiam si difficilem, verè sibi id persuasum habendi, hanc intimam affectus & cordis estimationem, & credulitatem requirit. Atque specimen graduum istorum, exhibet nobis, Canticum trium puerorum, *Daniel. 3.* in quo post omnium rerum enumerationem dicunt: *Benedicite sancti, & humiles corde*, vbi veros humiles huius gradus describunt, & incunctanter subiungunt: *Benedicite Anania Azaria Miffael Domino*, se postremo & infimo loco collocando. Quare? Quia, vt ait Theodor, ibi: *se ipsos vltimos eorum omnium, quæ creata sunt, existimabant, & omnium hominum abiectissimos.*

In his autem gradibus, plurima se se insinuabat difficultas, quomodo, in 6. gradu, faciens quis omnia sibi iussa, & præcepta adimplens, *malus, & indignus*, possit iudicari? Doctrina enim CHRISTI, est *Matth. 19. si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, ad quam vitam, malis

Humilitas  
nisi ex corde  
larua, &c.specimen  
veræ.XXIII.  
Duplex obiectio.

malis & indignis ingressus non datur. Item in 7. gradu: Quomodo seruetur veritas, quæ cum omni virtute cohæ- rere debet, si quilibet se, omni alio, inferiori, & viliori, pronunciet? Doctrina enim Apostoli est 1. Cor. 15. quod stella ab stella differt in claritate, & ibi, cum eo, sacri Interpretes, de differentiâ meritorum & præmiorum in sanctis intelligunt; ergo necessario aliqui alijs superiores & digniores sunt, & ab eo quod res est vel non est, veritas pronuntianda venit.

## XXIII.

Occurritur  
i. obiectioni.

Disputatio horum, non latè mihi prosequenda, sed præsupponenda est. Et ad priorem difficultatem, aduerto, verba textus, *malus & indignus*, in eo sensu accipienda esse, in quo sumitur, in Euangelio Luca cap. 17. cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus, &c. Quæ parabola & loquutio, præter instructionem sentiendi humiliter de nobis, quam agnoscunt, & ex hoc loco amplectuntur, & docent BERNARDVS, serm. 42. in Cant. & epist. 142. Chrysost. hom. 3. in Matth. & 38. ad popul. & alij plures, est inductio ad supererogationem addendam, & seruanda consilia, super præcepta; quibus licet seruatis, ex suo merito, correspondeat præmium, & aliter damnationis supplicium; at non correspondet singulariter aliquid gloriæ, & peculiaris æstimationis, sicut obseruationi haud debite consiliorum: quod luculenter discutit, & aduersus hereticos calumniatores, acriter declarat, ac defendit Ioan. Maldonatus ad prædictum locum in Euangel.

## XXV.

Occurritur  
alteri obiectioni.

Ad posteriorem difficultatem, habenda est, præ oculis distinctio considerationis eorum, quæ in nobis sunt ex nobis, & eorum quæ sunt ex Deo, quam tradidit D. Thom. 2. 2. quæst. 61. artic. 3. ad 2. & art. 6. ad 1. & adducitur ex Anselmo, lib. de similitudinibus cap. 109. secundum quam, nostra, quæ ex nobis sunt, imperfecta, in malum prona, & mala, comparata cum alijs, quæ ex Deo, eiusque beneficio & gratia, sunt in proximo, semper vere inferiora

& viliora poterunt pronuntari, de quo etiam docte Leonardus Lessius, de inst. & iure, lib. 4. cap. 4. dub. 7. & in re ultra citandos infra num. 28. in fine, etiam D. BERNARDVS, citato serm. 42. qui distinguit humilitatem veritatis & charitatis, illam quæ sistit in iudicio proprio, quo cognoscimus nostra mala & peccata, & nos viliores, ex hac vera nostri cognitione, apud nos iudicamus, non tamen patimur sic iudicari apud alios, aut reputari viliores & inferiores. Quæ humilitas, in conscientia nostra versatur, & etiam si coram Deo, quem nihil latet, sit, adhuc tamen defectuosa iudicatur, & forte non esse quæ ex intimo cordis affectu, vt hic exigitur, quando deficit altera charitatis humilitas, illius affecta calore, taliter vt quantum est ex se, seruatis tamen occultis, quæ non decet aut expedit manifestare hominibus, etiam apud eos velit quis vilior, & deterior reputari, sicut coram Deo agnoscitur. Quod, si non hoc septimo gradu exprimitur, ad eius tamen absolutissimam consumationem pertinere videtur.

Quoad obligationem his gradibus contentam, nullam esse censeo, prout hic ex Regula, præter illam, quam secum adducit humilitatis virtus, vt peccatum superbiæ caueatur omnino: de cætero autem, cum humilitatis materia, sint ea, in quibus, quis sibi ipsi vilescens, (vt dixit B. Bernard. tract. de Grad. hum. & ex eo, & D. Tho. & Rufbrochio adducit Lessius vbi sup. n. 46.) signis & factis, exterius & interius, Deo superioribusque subiectus, suam fateatur deiectionem & contemptum: ad illum terminum pertinet obligatio humilitatis actualiter exercende, ad quem cætera ipsa quæ in Regula continentur, vel præcepta, vel cæremoniales obseruantia, vel superiorum mandata. Namque vt discat monachus, ea debito obire modo, & fructuoso ex parte huius virtutis, eam doctrinaliter, & exhortatoriè proponit & declarat, ad exercitium eius, in alijs, quæ in Re-

Additio hu-  
militatis ex  
D. Bern.

XXVI.  
Obligatio hu-  
militatis ex  
v. gradibus

gula sunt, aut secundum Regulam, nec extendendo ad alia, nec addendo diuersam culpam, ex hinc. Nisi cum formaliter superbiendo, contra humilitatem, vt talis est, quis peccat: & tunc

iuxta superbię modum, ex lege diuina iudicandum est de culpa. Vnde alia, in predicta præcisione, propria quartę CLASSIS erunt, ad idemque consule infra num. 29.

## TEXTVS.

Octauus  
Gradus.

**O**CTAVVS humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterij Regula, vel maiorum cohortantur exempla.

## NOTÆ.

XXVII.  
Difficultas  
de ordine  
graduum.

**H**VNC octauum humilitatis gradum, vt iacet in textu, pro lectione *Præiosa capitularis*, in priuata recitatione officij Diuini, quotidie alicubi reiteratur: & compellit notare: Quæ ratione D. Thomas, qui 2. 2. *quæst.* 161. *artic.* 6. agit de his gradibus, prout à S. BENEDICTO distinguuntur, hunc quæ nos semper octauum, iuxta numerationem R E G V L Æ dicimus, ipse quintum designat? Quod idem, sequendo D. Thomam, facit Antoninus, 4. *par. summ. titul.* 4. *capit.* 12. §. 2. In quo inuenies, ex diametro commutasse ordinem, & quem vltimum & duodecimū ponit S. BENEDICTVS, illi primum designant, quem nos vndecimū, ipsi secundum, ac sic, contrapositione, hic gradus octauus, illis est quintus. Quid autem sibi voluerit, aut vnde profluxerit ea commutatio, nec ipsi dicunt, nec ego scio aliud, quàm quod etiam D. Bernardum mouit, sic ordinare gradus superbię, per quos descenditur, vt superbus positus in duodecimo gradu superbię, scalæ vltimo, si retrogradus reuertitur, ascendens per humilitatis gradus, tunc per vltimum reuertens, vt primum habeat duodecimū illi oppositum. Quod tamen nostram seriem non tollit, vt dicam infra num. 32. &c.

XXVIII.  
Nullus ordo  
in his gradi-  
bus atten-  
dendus.

Illud autem, ex eisdem, possumus, ad dicta in superioribus, adnotare: Quàm verum sit, quod dixi *sup. num.* 3. nullam debere esse curam, de coordinatione, & graduatione horum graduum, sed perquirendam qualemcumque distinctionem eorum, in quibus humiliatio nostra exhiberi aut exerceri potest, etiam in alijs virtutibus, de quo, vbi sup.

D. Thom. in *resp. ad* 1. dixit, non esse inconueniens, quod ea, quæ ad alias virtutes pertinent, humilitati ad scribantur. Probatio huius notationis constat, ex modo, quo ipse D. Thomas distinguit hos gradus, non attentâ eorū serie, nec secundum numerationem R E G V L Æ, nec secundum suam. Atque etiã, quia ibidem, adducta diuisione ex Anselmo, in septē humilitatis gradus: & ex Glosa ord. in tres gradus per exclusionem, aut inclusionem quorūdam, in alijs, omnes diuisiones cōponit & adæquat. Item notare est quã sine falsitate, possit quis credere & confiteri, ad omnia se inutilem esse & indignum, vt continēt gradus supra positi sextus & septimus, ibidem, scilicet, similiter expressum, à D. Thom. & defensum à Caietano ibi, & ab Antonino, loco citato & alijs, cum distinctione allata *sup. n.* 25. quæ etiam pro *num.* 24. deseruit.

In hoc igitur octauo gradu elucet, tum doctrina supra dicta, tum ea, quæ *nu.* 26. & alijs dedimus. Nam iste gradus solum cōstituitur, in eo, quod quis teneat *communem Regulam*, vel quod per *exempla maiorū* obseruatur in Monasterio; subijciendo se vsitatis obseruantijs humiliter, nec transgrediendo terminos, quos possuerunt patres nostri, vt monet Salomō *Prm.* 22. In quo nullū ex humilitate inducitur præceptum à Regula hic, sed solum designatur, pro exercitio humilitatis materia, & adeo ampla, vt nō solum ea, quæ exprimuntur in Regula, comprehendat, sed ad nō expressa, & quasi per traditiones inducta, extēdat. Et ita quoad obligationem quod *num.* 26. dixi, hic maiore claritate dicendum est.

Verificatio  
loquutionū  
humilium.

XXIX.  
Differentia  
huius gra-  
dus.

Et obligatio

XXX. *Admittit Regula vsu contra se.* Ex hoc autem gradu elicitur, non ita præcisse apicibus REGVLÆ, eius obseruantiam contineri, quin admittere possit aliqua, quæ vel ex probato Monasterij vsu, vel ex consuetudine tradita & alterata à maioribus prædecessoribus, pie & rationabiliter, extent in viridi obseruatiã. Neque in eo, sit quis reus Regulæ, licet aliter disponentis. Dè quo ex mente D. Bernard. ad rem, dixi sup. in *Introduct. Artic. II. num. II.* Quod in quavis materia, positiuè ab homine mutabili, contingere potest. Sit tamen in hoc, ad alia plura, exemplum, de tempore & horis, vel diuini officij, vel reficiendi in diebus ieiunii, & aliis. In quibus longè diuersum est, quod hodie seruatur, atque quod in REGVLA disponitur, & tamen quasi cõmunis Regula censendum est, quod probata & recepta consuetudine, introdu-

ctum est. Sic enim quamquàm iure, & consuetudine illa antiquiore, horæ canonicæ, in Ecclesia, haberent diuersa tempora destinata, ac in præsentij, tamè iam ille horæ censentur debitè & licitè dici, prout aliter constitutę fuerint, aliqua iusta causa, aut ordinatione, aut consuetudine Ecclesiæ, vel Diœcesis, vel Monasterii. Vt in terminis, cum Nauarro, Palud. Syluestro & aliis, tradit Thomas Sanchez, tom. 2. *consiliorum lib. 7. capit. 2. dub. 35. num. 3.* Quia consuetudo maiorum, vel dispositione, vel vsu, vel exemplis introducta, & illud antiquum abrogare, & hoc ri- te constituere potuit, maximè in nostro casu, vbi REGVLA ipsa consentit. Quod & vniuersaliter pro omni Ecclesia, & Religione, docuit laudauit ue D. Isidorus, lib. 1. de *Eccles. offic. cap. 14. de vario vsu Ecclesiarum.*

*Exemplo docetur.*

**N**ONVS humilitatis gradus est: si linguam ad loquendum prohibeat Monachus, & taciturnitatem habens, vsque ad interrogationem non loquatur, monstrante scriptura: <sup>a</sup> Quia in multiloquio, non effugietur peccatum, <sup>b</sup> & quia vir linguosus non dirigetur super terram.

<sup>a</sup> Prou. 10.  
<sup>b</sup> Psal. 139.

TEXTVS.

Nonus gradus.

**D**ECIMVS humilitatis gradus est; si non sit facilis, ac promptus in risu, quia scriptum est: <sup>c</sup> Stultus in risu exaltat vocem suam.

<sup>c</sup> Eccli. 21.

Decimus gradus.

**V**NDECIMVS humilitatis gradus est: si cum loquitur Monachus, leniter & sine risu, humiliter cum grauitate, & pauca verba & rationabilia loquatur, & non sit clamorosus in voce, sicut scriptum est: <sup>d</sup> Sapiens verbis innotescit paucis.

<sup>d</sup> Eccli. 20.

Vndecimus gradus.

**D**VODECIMVS humilitatis gradus est: si non solum corde Monachus, sed etiam corpore humilitatem, se videntibus semper indicet, id est in opere, in Monasterio, in Oratorio, in horto, in via, in agro, vel ubicumque sedens ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, de fixis in terram aspectibus, reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei presentari aestimet, dicens semper illud, quod Publicanus ille Euangelicus fixis in terram oculis dixit: <sup>e</sup> Domine, non sum dignus, ego peccator leuare oculos meos ad cælum. Et iterum cum Propheta: <sup>f</sup> Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque.

<sup>e</sup> Luc. 18.

<sup>f</sup> Psal. 118.

Duodecimus gradus.

NOTÆ.

Constitutio  
& obligatio  
horum.

**D**ISTINCTIO aut differen-  
tia horum graduum, ex eorum  
verbis facile elicitur. Nonus enim in  
*taciturnitate*, vsque ad interrogatio-  
nem, linguam compescendo, humili-  
tatem; & decimus in *cohibendo risu*, eā  
constituit, & de utroque ad *cap. 6.* ali-  
quid dictum est. Undecimus gradus,  
modum, & *modestiam loquendi* cum  
lenitate & grauitate, alijsque circum-  
stantijs requirit, vbi demissio & humi-

liatio resplendeat. Duodecimus, cam  
verè *ex corde* prodeuntem, in omni lo-  
co, & omni exteriori actione & signo,  
expressam, aliorum oculis imprimen-  
dam describit. Nec est pro his, quid  
addatur diuersum, quam quod pro  
alijs dictum est (*supra*, præsertim, *num.*  
*1. & 26. & 29.*) cū quibus congruunt.  
Nam & de illo: *Sapiens verbis innotesc-*  
*is paucis*, dicendum est, vt *sup. num. 7.*  
in simili.

TEXTVS.

Graduum  
Cōsumatio.

**E**RGO his omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox  
ad charitatem Dei perueniet illam, <sup>a</sup> quæ perfecta foras mit-  
tit timorem: Per quam vniuersa, quæ prius, non sine formidine ob-  
seruabat, absque ullo labore, velut naturaliter ex consuetudine, in-  
cipiet custodire, non iam timore gehennæ, sed amore CHRISTI, &  
consuetudine ipsa bona, & delectatione virtutum, Quæ Dominus iam  
in operario suo, mundo à vitijs & peccatis, SPIRITV SANCTO,  
dignabitur demonstrare.

a I. Ioan. 4.

XXXI.

Humilitas  
charitati cō-  
nectitur.

**S**VPREMA huius capitis coronis  
hæc est, & summus vertex, vbi  
collocata est charitas, per descensio-  
nes humilitatis, quæ ascensiones illius  
sunt, tandem obtinendus. Haud minùs  
sublime fastigium quàm CHARITAS,  
quæ nunquam excidit, poterat con-  
summare fabricam, cui firmum tantæ  
humilitatis, substratum est fundamen-  
tum. Ingeniosum sane ascendendi ar-  
tificium; humilis ad inferiora depres-  
sio, ipsa est ad superiora progressio; at-  
que humiliter petere profundum, est  
ad excelsum euolare cacumen felicitatis.  
Nempè contingit idem, in opposi-  
ta superbia, *Deieisti eos dum extolle-*  
*rentur*, ait *Psalm. 72.* iuxta Augusti-  
num, qui non diuidens tēpora vtrius-  
que, in eo ipso, inquit, quod *elevati sunt*,  
*deiecti sunt*, *effervi enim cadere est*. Nō  
minùs oportebat in humilitate é con-  
trario fieri, & vbi cumque figas pedem  
humilitatis à te cadens, ascensus est.  
Nihil refert vnde incipias numerare  
gradus, fortè ob id *D. Thomas* ab illo  
incipit, in quo *S. BENEDICTVS* desinit,  
nec ipse ordinem sed effectum petit.  
Vnde quaque adest HUMILITATIS opus,

quocūque te vertas, intus, & foris, co-  
ram Deo, & hominibus, feret opē, ad  
gloriā, quā præcedit humilitas (*Prou. 15.*)

¶ Hæc est enim vitiorum securis, ad  
eorum radicem posita, dū ea, vt ait *D.*  
*Bern. Epist. 42.* *Inimicam omnis gratiæ,*  
*omnisque initiū peccati, debellat super-*  
*biam*: Hæc sanctitatis & virtutū ianua,  
pulsantibus aditum præbet, quā, *primū*  
*Religionis introitum*, vocat *S. Cypria-*  
*nus, ser. de Natiu. Chri.* Hæc ædificij spi-  
ritualis firma soliditas, de qua *August.*  
*ser. 10. de verb. Dom.* *Cogitas magnam fa-*  
*bricam extruere celsitudinis? de funda-*  
*mento prius cogita humilitatis.* Hæc di-  
uitiarum cęlestiū repositio securas quā  
*D. Basilii in constit. Monast. c. 17.* *tu-*  
*tissimum virtutum omnium thesaurum*,  
appellat. Quam earundem Matrem  
magistram que agnoscit *D. Gregorius,*  
*lib. 30. Moral. c. 13.* Hæc illius thesauri  
custos: ponitur à *Beda, in 2. lib. Esdræ,*  
*cap. 18.* Hæc corona ipsarum virtutum:  
pronuntiatur à *D. Hieronimo*, qui ad  
*Psalm. 133.* ait: *Frustra habemus virtu-*  
*tes, si non ipse humilitate Domini coro-*  
*nentur.* Hæc à periculis liberatio; de  
qua *S. Hilarius*, ad illud *Psalm. 118.* vide

Humilitatis  
elogia plura.Eius artifi-  
ciosum inge-  
nium.

humilitatem meam, & eripe me subiungit: Eripi se ob humilitatis meritum deposcit. Hęc hostia propitiationis diuinę quam maximum sacrificium declarat D. Chrysoftomus, tom. I. ad illud Psalm. 50. Sacrificium Deo, &c. Hęc charitatis germanissima & indiuidua comes; de qua Ambrosius, lib. 10. Epist. 84. inter alia, Humilitas & charitas in nullo ab inuicem diuiduntur, & amborum tam in discreta connexio est, ut qui in vna earum construitur, simul vtraque potiatur, &c. Quare (ne in infinitum progrediar) S. BENEDICTVS hęc humilitati charitatem, ad quam Monachus mox perueniet, incunctanter sociavit, ut sicut plenitudo legis est dilectio, ex Paulo Rom. 13. ita Monasticę professionis, sit humilitas plenitudo & tota perfectio, ex Cassiano lib. 12. cap. 31. & ex omni SS. ac PP. doctrinā. Atque ob id Primam Monachi virtutem, dixit Abbas Ioannes Thebæus, lib. 5. de vitis Patrum libello 15. num. 23. esse humilitatem: & eandem, Monachi virtutem summam, D. Isidorus, lib. 3. sentent. capit. 19. Ut in hoc iam principium & finis, diuinum illud Alpha & Omega, Apoc. I. emulari videatur, sit que ipsa vitalis respiratio Monachi, citato lib. 5. de vitis PP.

XXXII.  
Fons vnde  
hoc c. 7. de  
sumptu est.

Abolutis autem, secundum N. P. S. BENEDICTI Regulam, his gradibus humilitatis, & nostris ut cumque NOTIS declaratis, ut generaliter quę dicta sunt fulciantur amplius, in hoc fine apponā fontem, vnde proculdubio hausta est omnis doctrina toto hoc septimo capite contenta: Nā sicut illa, cap. 4. de instrumentis bonorū operum, constat fuisse ex Clemente Romano desumpta, ferē ad verbum, ita & hanc, ex Ioanne Cassiano, lib. 4. cap. 29. vbi quod in præsenti vocat S. BENEDICTVS gradus, ille etiā, indicia humilitatis, vocat, in hæc verba. Principiū nostrę salutis, eiusdemque custodia, timor Domini est, &c. qui cū penetraverit hominis mentē, contemptū ei rerum omnium parit, &c. contemptū autem, ac priuatione facultatū omnium, humilitas acquiritur. Ecce in hoc limine, princi-

piū ipsum ponit, de timore Domini quē in primo etiam gradu, illum pluribus exornans S. BENEDICTVS, tamquam initium collocat. Nec a Cassiano reseruetur ad vltimum, sicut apud D. Thomā: cū & ipse Cassianus non abstineat a nomine gradus, qui immediate, in fine antecedentis capituli, dixerat: Ad quem perfectionis statū, his gradibus atque hoc ordine peruenitur. Quē ordinem tradens, per timorem Dei mundique cōtemptum, in via humilitatis primū dirigit & inducit gressum. Post quem, in ipsa humilitate, non graduationem ordine stabili, sed indicia & modos humiliationis, ad specimen doctrinę declarat eam, nullatenus limitans ad gradus, vel indicia a se numerata, cum in fine addat, sic: Talibus namque indicijs, & his similibus, humilitas vera dignoscitur. Sed subiungo, quę ceperam Cassiani verba.

Ait enim: Humilitas vero his indicijs comprobatur. Primò: Si mortificatas in se habeat omnes voluntates. Secundò: Si non solum actuum suorum verum etiam cogitacionum nihil suum celauerit seniorē. Tertio: Si nihil suę discretioni, sed iudicio eius vniuersa committat, ac monita eius sitiens ac libenter ausculet. Quarto: Si in omnibus seruet obedientiā, mansuetudinem, & paciētię constantiā. Quintò: Si nō solum iniuriam inferat nulli, sed ne ab alio quidem sibi met irrogatam doleat atque tristetur. Sextò: Si nihil agat nihil presumat, quod non vel cōmunis Regula, vel maiorum cohortantur exēpla. Septimò: Si omni vilitate contentus sit, & ad omnia se, quę sibi precipiuntur, velut operariū malū iudicauerit & indignū. Octauò: Si semetipsum cunctis inferiorem, non superficie pronuntiet labiorū, sed intimo cordis credat affectu. Nonò: Si linguā cohibeat, vel non sit clamorosus in voce. Decimò: Si non sit facilis ac promptus in risu. Talibus namque indicijs, & his similibus, humilitas vera dignoscitur.

¶ Atque ut videas hæc indubitanter hinc ad nostram Regulam fuisse translata, nota, etiam epilogum capituli, & conclusionem, cum eodē con-

Gradus humilitatis indicia sunt apud Cassi.

XXXIII.  
Indicia humilitatis ex Cass. quæ?

Eadē etiam in S. Bened. & in Cassia. conclusio.

cordare, adiungit enim: *Quæ cum fuerint in veritate possessa, confestim te ad charitatem, quæ timorem non habet, gradu excellentiore perducet, Per quã vniuersa, quæ prius non sine pœna formidinis obseruabas, absque vilo labore, veluti naturaliter incipies custodire, non iã contemplatione supplicij vel timoris illius, sed amore ipsius boni, & delectatione virtutum.*

XXXIV.  
Præcedentiũ  
confirmatio.

Quæ ipsissima sententia conclusio- nis Regulæ, in hoc capite est. ¶ Quo- rum omnium facilis est cum superius dictis collatio, vt Quòd dum velut in- ditia humilitatis traduntur, non præ- ceptiuam inferant obligationẽ: Quòd Confessio Sacramentalis, non sit de mente gradus quinti Regulæ, qui secũ- dus ponitur à Cassiano: Quòd ordo & series graduum non præscribatur in his, cum videamus, eadem diuersimo- dè numerari, & cætera, quæ ex hoc lo- co Cassiani dilucidè colligi possunt. Quem etiam ad literam inuenies trãs-

latum, in lib. 4. de Viris Patr. cap. 31. qui attribuitur Senero Sulpicio, & Cassia- no, secundum editionem Heriberti Rosuicidi. ¶ Iam vero ex his gradi- bus, ad alia faciamus gradum, si tãtum addidero, ad id quod pro reciprocatio- ne humilitatis & obedientiæ dixi sup. ad cap. 5. num. 1. & 2. & pro mutua, & qua- si permixta distributione graduum, in hoc cap. num. 3. & 28. si addidero, in- quam, placitum Iustiniani Camaldu- lensis, volentis hos gradus, quos humili- tatis vocat Regula, dicendos esse obedi- entiæ: Ea ratione, quam ad capit. 5. Regul. adducit declaratio Camaldulensis, sci- licet: Obedientiam, esse externum quod- dam internæ humilitatis indicium, &c. Vt sic, quasi conuertibiliter se habeant, prout rursus ad hoc cap. 7. insinuat apud idem Declaratorium, & ad trad- ditam doctrinam aptè: sed lectionem Regulæ, de Humilitate preferendo tan- quam legitimam S. BENEDICTI, ab om- nibus vniuersaliter receptam.

Humilitatis  
& obedientiæ  
conuertibili-  
tas.

De diuinis officijs in noctibus.

## CAPIT. OCTAVVM.

TEXTVS.

**H**IEMIS tempore id est à Kalendis Nouembris, vsque ad Pas- cha, iuxta considerationem rationis, octaua hora noctis surgen- dum est, vt modicè amplius de media nocte pausetur, & iam dige- ni surgant. Quod vero restat post vigilias à Fratribus qui Psalterij, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inferuiatur. A Pascha au- tem vsque ad supra dictas Kalendas Nouembris, sic temperetur hora vi- giliarum agenda, vt paruisimo interuallo, quo Fratres ad necessaria na- tura exeant, custodito, mox Matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

NOTÆ.

I.

**H**INC iam de præcipuo Mona- chorum opere, incipit dispositio præceptiuæ Regulæ formam seruandã præscribentis, scilicet officio diuino, cõ- uentualiter & præcipue in Choro, ce- lebrando & agendo. In quo aliqua sci- tu digna, & pro alijs Capitibus REGV- LÆ, necessaria dicam, sed tamen sua ferie. Primo autem textus ait: *Hiemis*

tempore, id est, à Kalendis Nouem- bris, vsque ad Pascha, scilicet Resurre- ctionis Domini, iuxta consideratio- nem rationis, octaua hora noctis sur- gendum est, vt modicè amplius de media nocte, pausetur, &c. Ex hoc Episcopus Vrgellen. hic, media no- cte surgendum esse ad vigilias affir- mat, & illud, modicè amplius, ita pa-

Ad vigilias  
an ex Regu-  
la surgatur  
media no-  
cte?

rum intelligi, vt pro nihilo reputetur. Ego verò in hoc, surgentes ipso noctis medio, transgressores Regulæ nõ cenfeo, sed supererogatores, & dum ob id alia non omittant, laudo, atque eo modo accipio D. Bernardum loquentem ad Fratres de Monte Dei, de nocturnis vigilijs nostris, ad quas ait: *media nocte surgimus*, vt etiam cū Prophetā loquatur, *Psal. 118.* Verumtamen horam hęc designatam, affirmo esse secundam post mediam noctem, aliquid plus minus vè. Nec enim id est mathematicè, sed humano & regulari modo, sumendum; quod etiam verba illa, *iuxta considerationis rationem*, ostendunt. Atque ita sentit expressè Smaragdus hęc, & rectè, cum alijs, in quibus est. S. Hildegardis, ratione, ex vigilia & dormitione, deducta; & pro cerebri corporisque debilitate accommodata.

II. Hanc autem esse REGVLÆ mentem,

Probatio 1. mihi persuadeo: Primò: Ex recepto sēsu, in Cisterciensi Ordine, de quo quātum adhæserit in omnibus literæ Regulæ, facillè agnoscitur, ex libro Exordij Cister. cap. 16. 21. &c. Secundò: Ex

Probatio 2. Declaratorio Regulæ, pro Congregatione Casinensi, autoritate Capituli generalis S. Iustine de Padua. Vbi cum vna hora noctis trāfacta, iri dormitum iubeatur, septem inde ad dormiendum concessis, surgendum esse præcipitur; tamquam iuxta Regulam. In quo constat octauam Regulæ designare, quam in secundam post mediam noctem incidere, statim declarabo. Atque ita etiā Congregatio Senonensis, Turonensis, & Bituricensis, *instituto 10.* iubet vt surgant *sub mediam noctem, secundum Regulæ præscriptum.* Tertiò: Quia illud: *modicè amplius*, non ita parum debet intelligi, vt pro nihilo reputetur, id enim ita parum, sine adiectione particule, intelligendum veniebat, nec admittit eam intelligentiam, expressio determinata horæ octauæ, cui standum est. Deinde in simili, reperies apud Cassianum, *collat. 21. cap. 23.* designādo horas, dixisse, in diebus quibus non ieiunatur, *paulò citius esse prandendum, &*

Probatio 3. *modicè amplius quid dicat?*

tamen illud *paulum*, intelligit horam sextam respectu horæ nonæ, quod trium horarum interstitium est, verba illius sunt: *Cibus qui, hora diei nona, erat accipiendus, paulò citius, id est sexta hora, pro festiuitatis tempore capitur.*

Attamen vt hic, & alijs pluribus locis, ablata obscuritate & æquiocatione constet, quota designetur hora, pensato supputandi modo, quem sequitur S. BENEDICTVS in Regula; & nostro, quo vtimur Hispani, declarationem non differo. Ad quod oportet notare, Hebræis, & Romanis, fuisse eundem modum, diuidendi diem atque noctē, vt monet Card. Baronius, *tom. 1. ad ann. Chri. 34.* Ex Cornelio Iansenio, *in Euang. capit. 142,* & Censorino *de die natali, capit. 10. &c.* & alijs. Quarè is nobis sequendus ad rem, cūm dubium non sit, B. BENEDICTVM, Italiæ limitibus contentum, iuxta Romanum morem computationemque scripsisse.

Igitur partitio hæc erat: Vt sicut noctem diuidebant, in quatuor vigilias, quæ quatuor spacijs æqualibus cōstabant; ita & dies, totidem spacijs, quadripartito diuidebatur. Pro vtrisque ad est probatio; scilicet pro Hebræis fidem facit, apud Matth. cap. 14. & Marcum, cap. 6. illud: *Quarta autem vigilia noctis, &c.* & pro Romanis, Flavius Vegetius, *lib. 3. de Re militari, cap. 8. ibi: In quatuor partes diuise sunt vigilie, vt nõ amplius, quàm tribus horis nocturnis, necessè sit vigilare.* Vbi plura adducit Godescalcus Steuuechius, & Alexand. *lib. 1. Genialium, dier. cap. 12. & lib. 4. c. 20.* & in eundem Semestria Tiraquelli. Nomina verò in nocte erant, *Prima, Secunda, Tertia, & quarta vigilia;* in die autem, *Tertia, Sexta, Nona, & Vespera;* quarum vnaquæque tribus constabat horis, & totidem vnaquæque nocturna vigilia, vnde nox duodecim, sicut dies, habebat horas. Hinc ergo fiebat, vt tempore æquinoctii tantum, horæ diei ac noctis euaderent æquales; at quantò ab æquinoctio recedebatur, tā-

III.

Diei diuisio eadem Hebræis & Romanis.

III.

Diei noctisque diuisio quadrupartita.

ro inæquales essent. Scilicet breuiores in nocte, quando noctes erant breuiores, & è conuersos nõ mutato tamen duodenario numero horarum, pro nocte, & duodenario, pro die.

V.

Horæ naturales & vulgares, &c.

Qua propter orta est hinc, distinctio horarum, in *naturales*, quæ vbique gentium sunt æquales, diuiso scilicet naturali die, in viginti quatuor partes æquales; & in *vulgares vel ciuiles*, quæ diem & noctem sic diuidunt, vt nox habeat duodecim horas, siue nox sit longa siue breuis, & totidem similiter dies *artificialis* qui sola luce solis computatur. Vnde intelligitur, alia horarum distinctio, secundum quam dicuntur horæ *bruzales seu hybernae*, & accipiuntur pro breuioribus, habito respectu ad diem, qui eo tempore, crescentibus noctibus, breuior est, & sic duodenaria horarum partitio diei, ad breuiora spatia est contrahenda; è contrario autem *æstiuæ* horæ summuntur pro longioribus, spacium dante exiguitate noctium. Sic Virg. *Georg.* 1. eo modo describit æquinoctiũ, *Libra die somnique pares vbi fecerit horas, vbi die*, pro diei posuit, & Rursum, idem. *Iam nox hybernas bisquinque peregerat horas, & alia huiusmodi.* De quibus plura, Lilius Gyraldus, *tom. 2. lib. de Annis & mensibus.* In deque Goropius Becanus, lib. 1. de originibus Antuerpianis, dixit: *Quinque igitur horæ æstiuæ, sunt sex horæ & quarta vnus horæ pars, & aliæ, apud eum, similes loquutiones, quæ in hac diuersitate horarum fundantur.* A quibus est D. Isidorus, qui *tom. 2. lib. 1. de Ecclesiast. offic. cap. 19.* agnoscit quadripartitã diuisionem Diei & Noctis, supra assignatam, & quamlibet quartam partem *trinis horarum spatijs*, distinctam, & *tom. 1. lib. 5. æthymolog. cap. 28.* distinguens, interdianum atque nocturnum tempus, quibus tanquam legitimum diem integrum conficiẽtibus, viginti & quatuor horas attribuit: spatium tamen diei *abusiu*, id est computati, a luce ortus solis, vsque ad illius occasum, duodecim horas habere dicit, quas necesse est, iuxta dies æsta-

Di es abusiuus.

tis vel hyemis, longiores vel breuiores esse. De eoque, vterque Celius, Calcagninus, *lib. 1. epist. quæst. epist. 12.* & Rodiginus, *lib. 12. lect. antiq. cap. 9.* ex Plauto, Martiale, & alijs.

Nunc igitur, èx illis quatuor diei partibus; prima quarta pars quæ spacio trium horarum constat dicitur *Tertia*, & sic vocatur, completis tribus horis, à principio lucis diei computatis. Quæ sequitur dicitur *Sexta*, quæ est ipse meridies. Deinde alia dicitur *Nona*, quæ postmeridiem est tertia hora, vltima vero *Vespera*, in fine scilicet diei. Nam sicut *Tertia*, & *Sexta*, partiuntur èx æquo tempus diei, ante meridiem, ita *Nona* & *Vespera* post meridiem. Arque idem proportionaliter dicendum est, de prima & secunda vigilia noctis, vsque ad mediam noctem & de tertia & quarta, post mediã noctem, vsque ad lucem diei. Ex quibus fit, quod cum nostrorum Hispaniæ horologiorum computatio, sit incipiens à media nocte, quod est principium naturalis diei, vsque ad meridiẽ, in quo completur duodenarius primus horarum, computando rursum alium duodenarium numerum, à meridie in mediam noctem; fit inquam, vt quãdò incipit lux diei, censeantur exactæ sex horæ noctis, & ita quæ tunc nostris horologiis, deberet esse hora septima secundum Regulæ computationem, est prima hora diei, & ita *Tertia*, quæ trium horarum spatium secum affert, coincidit cum hora nona Hispani horologij, & deinceps *Sexta*, concurret cum duodecima, quæ est meridies, inde *Nona* incidit in tertiam horam post meridiem; & tandem *Vespera* in sextam horam finemque diei, qui occasu solis terminatur.

Est tamen maximè aduertendum id, èx quo magna æquiocationis occasio oritur. Nam cum *Tertia* seu *Sexta*, &c. sit spacium equiualens tribus horis, vt dictum est, videlicet, quarta diurni temporis pars; quidam appellauerunt à principio illius spatii, quidam à fine, in quo magna diuersitas est. Nam quidam

VI.

Explicatio horarum 3. 6. 9. & Vesp. diei.

Idem de nocte.

VII.

Duplex modus explicandi, Tertiam, Sextam, Nonam.

quidam dicunt v. g. *Tertiam* eam esse, quæ à primo mane incipiens, tribus horis completur, in quarum fine terminabatur *Tertia*, & à fine & complemento illius, eodem nomine appellabatur antè trium horarum tēpus. Sic etiam *Sextam* dicebant immediate sequens spatium, vsque ad meridiē, in quo finiebatur *Sexta*, & sic antecedens tempus denominabatur, &c. Alij verò ē contra volebant, *Tertiam* incipere ab hora dici *tertia*, quæ Hispanis horologijs est nona completa, & excurrere per spacium trium horarum, vsque ad meridiem, citra quem, totum illud tempus, nominaretur *Tertia*, & sic procedendo in alijs sequentibus.

## VIII.

*Praefertur  
prior modus  
& probatur*

At nostra explicatio & computatio non secundum hunc posteriorem modum, sed secundum priorem, est intelligenda. Ipsum amplectitur Cardin. Baronius, vbi sup. Confirmatque ex *cap. 2. Act. Apost.* vbi D. Petrus rationem reddit, cur non sint censendi ebrii, prout sugillabant Iudæi, hora quæ discipuli impleti sunt Spiritu Sancto, dicens, *cum sit hora dici tertia*. Quia si ista hora inciperet *Tertia* dici, quando nobis est nona, & excurreret denominatio *Tertia* in spatium sequens, vsque ad sextam, quæ nobis Hispanis est meridies, nullius momenti esset ratio Petri Apostoli, ad propositum, cum in tali tempore, etiam prandendi, nedum bibendi, esset hora. In priori vero explicatione, quæ tenenda est, aptius ea ratio conuincit, saltem pro bene morigeratis & temperatis. De quo ad prædictum locum Ioan. Lorinus in *Act. Apost.* plura hinc inde, pro huiusmodi suppurationibus, cōgerit, à quibus abstineo, ne te onerem, & sumam quæ meo instituto sint satis. Nostræque sententiæ consentit etiam Card. Bellarminus, *lib. 2. de Missa cap. 16.*

## IX.

*A termino  
sumitur ho-  
ra denomi-  
natio.*

Obserua tamen, illud etiam necessariò admitti debere scilicet, nomen ipsum v. g. *Tertia*, aut *Sexta* &c. regulariter significare ipsam vltimam partem, illius spatij trium horarum, quod quarta diurni temporis pars constitui-

tur. Vt *Tertia* non dicatur, in prima aut secunda hora sui spatij, sed in tertia & postrema; nec *Sexta* nisi in illo termino, in quo iam duæ horæ præcesserint, & successerit tertia & vltima. Nisi aliquid addatur aut extet, ex quo constet, diuersam partem illius spatij indicari. Alias enim horæ subinde cōtentæ, in his quatuor principalioribus, quibus quadripartitò dies, & quadripartitò nox adscribitur, sua numeralia habent nomina, quibus sigillatim notentur, & distinguantur. Horum autem exempla, in ipsa REGULA reperiemus, infra *cap. 48.* vbi ait: à prima, vsque ad horam quartā, & rursus, ab hora quarta vsque ad horam quasi sextam, & iterum, à tertia vsque ad decimam horam. Ita vt sit nominare & distinguere horam primam, & secundam, & tertiam, & quintam & ceteras. Quo pacto hora quæ, tempore interdiano, à Regula dicitur *Sexta*, diei, nostris Hispaniæ horologijs, est *duodecima*, & quæ eisdē est *prima hora post meridiem*, ea iuxta Regulam est *septima*, & quæ nobis hora *secunda*, Regulæ, est *octaua*, atque sic progrediendo; eodem modo contingit in nocte. Vnde *octaua hora*, quæ designatur ad surgendum, in textu, pro Vigilijs nocturnis (quas nunc vulgo appellamus *Maitines*) ipsa est nobis hora *secunda* post mediam noctem.

*Colligitur  
hora textus.*

Sed adhuc non dimittam aliquam, prædictæ distinctioni horarum, adiungere probationem, vltra adductam à Card. Baronio, vbi sup. & à Lorino, in *Act. Apost. cap. 2. vers. 15.* §. colligitur, consentientem omnino REGULÆ. Id autem totum habemus in vno Matth. *cap. 20.* vbi: Pater familias exiit, primo mane, ecce horam Primam Diei. Deinde egressus circa horam tertiam, Ecce iam transacto debito spatio, scilicet prima hora, & tota secunda, designat progressum in tertiam, non vtique plenam sed iam iam circiter complendam, ob id enim dicit *circa*, & vocat *Tertiam*. Rursus, exiit circa *Sextam*, & *Nonam*, horam, vbi constat, *Sextam* vocari, in fine ternarij horarū & significare *Sex-*

## X.

*Apta ostensio  
computa-  
tionis hora-  
rum.*

Parabola Pa-  
tris familias  
Matth. 20.

tam prope meridiem, scilicet duodecimam horam nostri horologij Hispani, Aliàs si sexta sic diceretur à principio, cum incipiat immediate post tertiam horam, quod est incipere in ipsa hora tertia completa, inceptioe extrinseca; nullum esset interuallum abeundi, & regrediendi ad operarios conducendos, vt parabola exposcit. Itaque intelligendum est, proportionatis interuallis circa Sextam, hoc est prope meridiem; & iterum circa Nonam, hoc est prope horam tertiam post meridiem, vt nos numeramus. Denique vt saltem vna hora dici, ad laborandum in vinea superesset, exijt circa vndecimam horam, scilicet transacta post Nonam vna hora, quæ decima Romanis erat, nobis quarta, & in sequenti nempe vndecima illis, nobis quinta, eaque non completa, exijt Pater familias. Ex quo constat, inde solam vltimam dici horam restare, quod ipsi conquerentes in Euangelio, dicunt: *hi nouissimi, vna hora fecerunt, &c.* Atque etiam constat, donec subingrederetur aliquid illius vltimæ horæ, non vocari circa Vesperam, quia & hæc illis, proprie, in duodecima hora complebatur, quæ incidit cū hora Sexta Vespertina nostra, & est vltima in supputatione dici, ad quam, pro nocte, sequitur primæ vigiliæ inceptio. Ad quæ plura aduehit Stephanus Durandus lib. 3. de ritibus Eccl. cap. II. num. 7. &c. Hæc tamen semel pro hac re, in expeditionem difficultatum, quæ occurrent dicta sint.

XI.

Vigilia &  
Matutini  
quid & quo  
modo dice-  
bantur?

Nunc iam redit textus REGVLÆ, ibi: *Quod verò restat post vigilias à fratribus qui psalterij, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur.* Vbi, Primò. Nota, quod iam obiter monui num. 9. Vigiliæ solum intelligi de Nocturnis diuini officij, quæ licet primitus separatim dicerentur, vt probat Guillielm. Durandus, in Rationali, lib. 5. cap. 3. quem cum aliis citat Stephan. Dur. citatus lib. 3. cap. 5. num. 4. iam tempore B. BENEDICTI, vt ipse disponit, sine interuallo dicebantur simul. Sed tamē seclusis aliis, quas nos Laudes voca-

mus. Has enim, vt statim & sæpe constabit, vocat *Matutinos*, quia dicebantur circa auroram, quæ *Matuta* vocatur, & separatim, facto interuallo, inter Nocturnos & Laudes. De quo Cassianus, lib. 3. cap. 4. docet, hanc solemnitatem *matutinam*, id est Laudes, antea cum quotidianis *vigilijs*, id est Nocturnis, pariter consumari solitam, & quæ post modicum temporis interuallum, in Gallie monasterijs celebrabatur, in suo, (scilicet ipsius Cassiani,) monasterio, primitus institutam. Videlicet, vt interuallum fieret, post dictos Nocturnos, vsque ad Laudes ad auroram dicendas, & rationem ibi adducit. Attamen iam de indulgentia Ecclesiæ, concessum esse, vt nullo interiecto spatio, successuè dicantur, post Guilliel. Duran. tradidit citatus Stephan. lib. 3. cap. 5. num. 6. ex Amalario, & Hugone de S. Victore. Quod ab omnibus, & in Religione iam ab antiquissimo admissum tempore, licitè & absque aliqua culpa fieri tenendum est, non obstante Regula, iuxta dicta in *Introduct. Art. 9. num. 10.* & ad cap. 7. num. 30. Notando etiam hic solum loqui de tempore hyemis, & de vigiliis ferialibus, nã de Festiuis aliter disponit, cap. II.

Nunc licite  
aliter dicun-  
tur.

XII.

Observatio  
vocata Lã-  
parilla, hic  
fundatur.

Secundo. Nota circa eundem textum, in eo fundamentum habere antiquam obseruantiam, quam in Congregatione OBSERVANTIÆ nostræ Cisterciensis, vulgo vocamus *Lamparilla*. Sic que vocata, quia ad accensam lucem, fratres incumbunt Psalterio & lectionibus addiscendis, per illud spatium, quod erat inter Nocturnos & Laudes, ex Regula, & nunc est inter Laudes simul cum nocturnis dictas, & Primam, quæ, loco laudum, ad auroram dicenda successit. De quo peruetustus liber vsuum Cisterciens. ante annos fere 500. exaratus, ait: *Post Vigiliæ, accenso lumine à seruitore Ecclesiæ, ante armariū, & in Capitulo, sedeant fratres & legant &c.* Hoc autem, iam ex antiquissimo vsu monachorū prouenire docet Cassianus, lib. 2. cap. 12. ibi: *Nec vltorius quisquam eorum, in requiem somni resol-*

uitur,

uitur, donec superueniente diei splendore, nocturno operi ac meditationi, operatio diurna succedit, & statim, cap. 13. in titulo quærit: *Quare post Missam nocturnam, dormire non oporteat?* rationēque subiungit; idemque profequitur, lib. 3. cap. 4. In quibus non hæreas in nomine Missæ, non enim ibi significat Sacrificiū Eucharisticum Altaris, sed horam Canonicam Officij Diuini, vt ostendam infra ad cap. 17. & ipse Cassianus significationem adstruit, dum ait: *Canonicis vigilijs, priuata ab eis subiunguntur excubiæ, &c.*

## XIII.

*Limitatio* Sed ex nostra Regula, aduerto limitationem obligationis. Nam solum Lamparillæ imponit eam, tempore hyemis designato, à Kalendis Nouembris vsque ad Pascha: Et eo tempore (meo videri,) solum pro diebus ferialibus, vt infra, ad cap. 12. num. 1. ex cap. 11. satis probabiliter colligitur, vbi pro Dominicis diebus, nullum interuallum assignat, inter Vigilijs & Matutinos, hoc est, inter Nocturnos & Laudes. Tamen à nostris, aliter, si non intellectum, tamen practicum est; vt sine exceptione dierum obseruetur; quæ supererogatio erit, & amplior Regulæ obseruatio. Præterea limitatur obligatio, quoad personas, scilicet *fratres qui psalterij vel lectionum aliquid indigent*, & ita solum pro iunioribus, indigentibus instrui, in his quæ ad officium diuinū, discere oportet, hæc obseruatio præcipitur, id quod expressè tenet S. Hildegardis, ad illud Regulæ, cap. 10. *memoriter dicatur.* Vnde cum rationabili fundamento, Congregatio nostra, solum adstringit iuniores, non excedentes quintum religionis annum, prudenter iudicans, hoc spatium sufficiens regulariter esse, ad eam indigentiam supplendam.

## XIII.

*Meditari,*  
*quid significet hic!*

Illud verò textus, *meditationi in seruiatur*: non de contemplatione spirituali loquitur, sed de exercitio circa psalmos, & lectiones, aliaque similia addiscenda. Nam *meditari* dicitur, de quocumque, non solum intellectus, vel memoriæ, sed etiam corporis exer-

citamento. Ad cuius probationem deseruiet locus, ex Cassiano adductus, sup. num. 12. sed & Seruius, ad illud Virgil. Eglog. 6. *Agrestem tenui meditor arundine musam*, vbi, pro scribere carmen, accipit *meditari*, & Plautus in *Sticho*: *Ad cursum meditor me, ad ludos Olympiæ.* Ne tibi inculcem notum locum, *Genes. 4.* de Isaac, qui egressus fuerat, *ad meditandum, in agro*, quod ad exercendum, vertit Hierony. August. & alij, quos tibi Lipomanus in *Catena*, ministrat. Quod verò monachus intra quinquennium, vbi hoc vigeat, sine licentia aut causa aliqua, ab hac obseruatione se subtrahat, vt sic, non excedit venialem culpam: & sine illa, obsoleuisse iam apud alios Benedictinos, ex communi doctrina & rationibus alias adductis, deducendum est. Vt in *introd. art. 9. à num. 8. & artic. II. num. 11. & ad cap. 7. Reg. num. 30.*

Progreditur textus ad horam surgēdi, in noctibus, tempore veris, & ait: *A Pascha autem vsque ad supradictas Kalendas Nouembris*, quæ est reliqua anni pars, sic temperetur hora vigiliarum agenda, vt paruisimo interuallo, quo fratres ad necessaria natura exeant, custodito, mox matutini (id est Laudes) qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur. Hæc, ex dictis, num. 11. constant, & eodem modo tenenda.

De illo autem paruisimo interuallo, inter Nocturnos & Laudes etiam si interstitium notabile esset, vt locum daret recundi ad somnum, Regula non prohibet, & notauit expressè S. Hildegardis dicens: *Hic interuallum ad meditationem orationum seu lectionum non ostendit. Neque in his diebus fratres, finitis Matutinis, ad quiescendum redire ad lectos prohibet, sed si tempus permiserit, ita vt maturius surrexerint, quia in prolixitate Nocturni & diuini seruitij fatigati sunt, in arbitrium eorum, vt ad lectos redeant silenter, ponit, &c.* Itaque ex Regula, exceptis iunioribus modo explicato, num. 13. nullus tenetur ad eam obseruantiam, vlllo tempore. Et idem est, post coniunctionem Vigiliarum, & lau-

## XV.

*Hora Vigiliarum tempore alio.*

## XVI.

*Quatenus liceat dormire post vigilijs?*

& laudum, de interuallo inter ipsas & Primam, vt fit hodie. Non obstante doctrina Cassiani, num. 12. & aliorum de nunquam redeundo ad somnū post Vigilijs, cui adheret Benedictus Haftenus lib. 12. tract. 2. disp. 5. multis pro, & contra adductis quæ quidem laudabilis est, sed ex vi Regulæ minime o-

bligatoria, meo iudicio: faciuntque ad hæc efficaciter quæ infra ad cap. 73. adducimus, maxime num. 6. cum seqq. Quod non tollit, id posse statui in aliqua Congregatione, prout in Synodo Aquilgranenfi, cap. 5. cuius obligationis alia erit consideratio.

*Quot psalmi dicendi sunt, in nocturnis horis.*

## CAPIT. NONVM.

TEXTVS.

**H**YEMIS tempore, præmisso in primis versu, Deus in Adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina In secundo, ter dicendum est: Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Cui subiungendus est tertius Psalmus, & Gloria. Post hunc psalmus nonagesimus quartus, cum Antiphona, aut certe decantandus. Inde sequatur Ambrosianum. Deinde sex psalmi, cum Antiphonis. Quibus dictis, & dicto versu, benedicat Abbas. Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim à fratribus, in codice, super analogium, tres lectiones; inter quas tria responsoria canantur. Post tertiam vero lectionem, qui cantat dicat, Gloriam. Quam dum incipit Cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant, ob honorem & reuerentiam Sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in Vigilijs, tam veteris testamenti, quam noui, diuine authoritatis, & expositiones earum quæ à nominatissimis Doctores, orthodoxis, catholicisque Patribus factæ sunt. Post has vero tres lectiones, cum responsorijs suis, sequantur reliqui sex psalmi, cum Alleluia canendi. Post hos lectio Apostolica sequatur, ex corde recitanda, & versus, & supplicatio Litanie, id est Kyrie eleyson, & sic finiantur Vigilia nocturna.

NOTA.

1. Modus Nocturnorum ferialium.

**H**ORAM præscripsit Vigilijs nocturnis, tempore hyemis, capit. precedente B. BENEDICTVS, nunc modum Nocturnorum Diuini Officij, pro eodem pore, ordinat in diebus ferialibus, designando psalmorum numerū, & cæterorum formam & ordinem, quem sanè huc vsque Cistercienses, prorsus retinent & conseruant, in Officio principali & maiori, quod solum in REGVLA institutum est. Idem reor, & de alijs S. Benedicti Congregationibus. Quod si in aliquibus, aliquid diuersum inueniatur, cum id semper

in hac re, vel maiorum exemplo & traditione, vel legitima authoritate, introductum sit, vt nuper, de Breuiario Benedictino, Pontificia potestate confecto, & à pluribus Congregationibus, vel petito vel admissio vidimus; quomocumque laudabiliter retinetur, nec est aliqua reprehensio, ex Regula, iuxta iam notata sæpius, & sup. ad cap. 8. num. 11. & locis ibi citatis.

Litera autem textus satis est plana. Officij Diuini consuetudo antiquissima est, & à principijs Ecclesie, vt pluribus probat Stephanus Durantus, l. 3.

*Regula vt ferat mutatione Breuiarij & Officij.*

II.

*Percurrit illustratio textum.*

de

dè ritibus Eccl. cap. 13. Numerus psal-  
morum varius, pro locis, & tempori-  
bus olim fuit, vt constat ex Cassiano,  
lib. 2. & 3. de institutis cœnob. hîc iam  
exprimitur, pro his ferialibus Noctur-  
nis. Ibi: *Ambrosianum*, intelligit hym-  
num, à celebritate hymnographi S.  
Ambrosij, in cuius, *Ecclesia Mediola-  
nensi*, primum hymni celebrari ceperunt,  
iuxta D. Isidor. lib. 1. *Eccles. offic. cap. 6.*  
Deinde in textu, ibi: *Analogium*, pro  
eo accipitur, quod alij faldistorium, in  
quo volumen legendum aptatur, aut  
iuxta ipsum Isidorum, lib. 15. *ethimol.*  
cap. 4. aliqua eminentior pars editio-  
ris scamni, dè qua lectio ab omnibus  
meliùs perciperetur. Ibi: *Lectio Aposto-  
toli*, intelligitur quæ nunc *Capitula*, vo-  
catur, & iam, ad differentiam aliarum  
lectionum longiorum, quæ accepta be-  
nedictione recitantur, istæ breuiculæ  
lectiones, *Capitula* nominari solita, èx  
Concilio Agath. cap. conuenit 21. de cõ-  
secrat. dist. 5. & Radulpho & alijs, trad-  
dit Stephanus Durant. lib. 3. cap. 18. Itẽ  
ibi: *Supplicatio Litanie*, fatis explica-  
tur in textu, qui addit. *Id est Kyrie elei-  
son, & Litanie ipsa*, quæ Græca vox est,  
deprecatio Latine dicitur. Et precatio  
fit illis tribus repetitis vocibus, *Kyrie  
eleison*, id est, *Domine miserere*. Dè quo  
plura, citatus Stephanus, lib. 2. cap. 13.  
Censeo autem subintelligi simul Ora-  
tionem seu Collectam, quæ semper  
illis vocibus annectitur, sine fuerit ip-  
sa oratio Dominica, siue alia, dè quo  
infra ad cap. 12. num. 13. cum ibi citatis,  
dicam.

## III.

Hæc benedi-  
ctionem Sa-  
cerdotium  
exigere vo-  
lunt aliqui.

Sed circa ea verba: *Dicto versu, be-  
nedicat Abbas*, maior insurgit contẽ-  
tio, quibusdam hîc instaurantibus dif-  
ficultatem, ad cap. 2. discussam, & rur-  
sum ad cap. 7. à num. 12. An statuerit  
REGVLA, Abbatẽ debere necessario esse  
Sacerdotem. Ad quod, aliquid se fecis-  
se putant, si hæc *Benedictio*, quam ab  
Abbate impertiri iubet, functio Sacer-  
dotii esse probetur. Et contendit hoc  
Fr. Anton. Yepes, to. 1. *Chron. ad annos  
532.* Ad idque. Primo, allegatur locus  
Pauli, quẽ in margine citat ad *Rom. 7.*

Primò.

sed est, ad *Hæbreos, 7.* In quo de bene-  
dictione, quàm præstitit Melchisedech  
Abraham; ait: *Sine ulla contradictione,  
quod minus est à meliore benedicatur.*  
Secundo, citatur cap. denique 21. dist. *Secundò.*  
Vbi Nicolaus Papa decernit, vt nullus  
Sacerdos, maiore suo non inuente con-  
sacerdote, cuiuslibet rei benedictionẽ dare  
nitatur, &c. Tertiò, Citatur, Cap. hinc *Tertiò.*  
est, 16. q. 1. quod adducitur èx D. Gre-  
gorio, in cuius litera nihil ad rem inue-  
nio. Solùm enim cauet, dè Abbate cu-  
iusdam Xenodochii, vt ad *Episcopatu*  
non eligatur, &c. Quæ autem in anno-  
tatione, vel Gratianus, vel emendator  
decreti illius ait, in solutione referam,  
& expendam. Quarto, adducitur Be-  
llarminus, tom. 2. lib. de *Monach. cap. 42*  
quasi dicat Abbatem Congregationũ  
monachorum Laicorum, Sacerdotem  
fuisse, cuius verba, in solutione dabo,  
infra num. 9.

Nihilominus adhuc èx hoc loco,  
nullo modo inducor, ad mutãdam sen-  
tentiam. Ratio mihi est, quia *Benedic-  
tio*, dè qua in præsentì, est illa, quæ ab  
eo, qui in choro præsidet, impertitur  
cantaturo dicturove lectiones Noctur-  
ni Officii, hanc autem annexam face-  
re Ordini Sacerdotali, eiusque functio-  
nem propriam, sine fundamento est.  
Nam eadem impertitur legenti ad mē-  
sam, & in claustro ante Cõpletorium,  
& Inuitatori legenti chalendarium in  
Capitulo, eademque forma verborũ,  
& tam in choro quam extra, proferũ-  
tur etiam ab Abbatisa aut Priorissa,  
alia ve Religiosa foemina, quæ sancti-  
monialibus præsidet: ergò frustra ligã-  
tur Sacerdocio tales benedictiones.  
Quia licet antiquitus essent quædã dic-  
tæ Diaconissæ, de quibus cap. *Diacono-  
nissam, 27. quæf. 1.* & apud Græcos, aliæ  
dictæ *Præsbitera* de quibus, cap. *fin. dist.*  
32. illæ destinatæ in choro ad legendũ  
Euãgelia & homiliassitæ ob senectũ-  
tem venerabilem, ad curãdum aliquid,  
de rebus Ecclesie, aut sacristiæ proprii  
Monasterii; nullo tamen ordine Sacra-  
mentali, cuius diuino iure incapacem  
foeminam, cum ingenti authorũ copia,  
ad-

## III.

Refellitur &  
suadetur op-  
positum.

Diaconissa  
& Præsbi-  
tera quid?

adstruit Thomas Sancius, *in cons. mor. lib. 7. c. 1. dub. 30. n. 2. Et alij passim.* Oppositumque pertineret ad Pepuzitarū haresim, damnatam ab Epiphanio, *heres. 49.* & Augustino *heres. 27.*

Inde obseruatio.

¶ De quo exemplo & instantia adducta, immerito exclamat, & miratur irridens Magist. San-Vitores, *tom. 1. præl. 1. capit. 13. num. 18.* qui potius ex distinctione benedictionum, quam ipse, ex D. Thoma adducit, posset elicere, esse plures benedictiones nec Sacerdotales, nec Clericales præcisæ, vt conuincunt instantiæ irrefragabiles, quas, quoad præsens, *numer. seq.* subiungo: vnde potius in eo quod adducit ad probationem, petit principium, & in se vertit certè exclamationem, &c.

V.  
Etiā à pacitate Sacerdotum probatur.

Et pro sententia nostra, constat: Quia antiquitus plures congregationes, in celebrandis quotidie suis horis statutis & Canonicis, sepius caruisse Sacerdote: raritas eorum, pro illo tempore, inter Monachos, ostendit. Hæc autem raritas constat supra *ad capit. 2. à num. 12. &c. Et ad capit. 7. à num. 17. &c.* Sic ex Vitispatrum 2. *par. §. 21.* refertur Monachos Scithiæ conuenisse, vt vnum eis Abbatem Isaacum presbiterum facerent ordinari, atque fugientem & reluctantem compulere. Sic ibidem, in vita S. Pachomij, *capit. 24.* de illo dicitur: *Non patiebatur inter eos esse quemquam, qui clericatus officio fungeretur. Proinde cum solemnitas ex more deposceret, vt misteriorum celestium participes fierent ( id est, sacrosanctam sumerent Eucharistiam ) ex proximis viculis presbiteros conuocabant, qui eis festiuitatem lætitiæ spiritualis implerent.* Propter eandem rationem Epiphanius *Epist. ad Ioann. Hierosol. apud Hieronym. tom. 2. Epist. 60.* refert, ordinasse quemdam Monachum inuitum, & in alieno territorio, prius Diaconum, deinde Sacerdotem propter necessitatē, quia non habebant, qui Monachis *Sacramenta conficerent; &*

vt ea perciperent, cogebantur ad alienam Ecclesiam conuenire. Quod etiam monet Antonius Massa, citatus ad rem, supra *ad capit. 2. Regule numer. 14.* In tanta ergo paucitate Sacerdotum, certum est, vt plurimum sine Presbitero, statutas vigilias noctis celebrasse: nec tamen ob id, benedictionem solitam, quam hic præscribit B. BENEDICTVS impertiendam lectionibus seu legentibus, tunc defuisse: & præsertim quam, tanto tempore post S. Benedictum, decreuit & declarauit ad propositum Concilium Aquisgranense *Can. 62.* Vt Abbas vel Prepositus vel decanus, quamuis Presbiteri non sint, lectionibus benedictionem tribuant. Quid ergo clarius? Ne nobis de cetero, in hoc molesti sint opinantes. Atque in id rectè Antonius Molina *Carthul. tract. 3. instruct. Sacerd. in additionibus officij diuini, capit. 8. §. 5.* de his benedictionibus lectionum dixit: esse quidem quasdam breues aspirationes, & quasi orationes iaculatorias, aptas ad excitandam affectū & attentionem lectionis. Quod stat, seclusa Sacerdotali functione. In quod & ad rem, accedit Mendoza *in lib. Regum, tom. 1. cap. 2. num. 20.* omnino pro nobis.

Et à qualitate lectionis.

Et auctoritate clara.

Qua propter, oppositis sic respondeo. Ad primum eo loco argumentum Pauli, esse ad probandam excellentiam Sacerdotij CHRISTI in Melchisedech, supra Sacerdotium Aaron, qui de Abraham processurus erat. Et ita à meliori benedicitur, dixit, non à Superiori, tamen pariter Superior designabatur: & quâ ratione quis benedicit, vt sic, Superioritatem habere, aut gerere intelligitur. Sic Isaac benedicens suos filios, *Genes. 27.* Sic Iacob benedicens filios Ioseph, *Genes. 48.* Sic Salomon, *benedixit omni Ecclesie Israel, 3. Reg. 8.* Quos tamen constat id fecisse, non tamquam Sacerdotes: sed tamquam maiores, & Superiores, benedicere: eamque sufficere ratio-

VI.  
Responsio ad I.

*Maiores est  
benedicere.*

nem Abbas ergò, etiam si Sacerdos nõ esset, aut quicumque in Monasterio Præsidentis & Pater, ex maiori parte Superioris, quam gerit, potest eam benedictionem impertiri. Imò, & sufficere quamlibet maiori partem, quasi ad umbratam & intentionalem, seu rationis, non parum vrgenti exemplo, adstruit citatus Molina Cartusianus, vbi supra, *tract. 1. capit. 9. §. 3.* agens de benedictionibus institutis in Missa, super ipsum CHRISTVM in Eucharistia, ab Ecclesia.

## VII.

*Responsio ad  
2.*

Ad secundum dico, ibi: Pontificem describere debitum ordinem, quem inter se debent seruare Sacerdotes: vt qui inferiores sunt, honorem aut vicem non præripiant Superioribus: vbi actio æquè ab omnibus potest præstari. Quod potius fauet nostræ sententiæ. Nam hæc benedictio lectionum, à quocumque, qui Superior sit, præstatur (imo & ab inferiori, si contingat maiorem, seu Superiorem, lectionem in choro habere) non attento Sacerdotio: igitur illius erit dare proprium, cuius fuerit maioritas, aut illius rationem gesserit. Sed Abbati, aut cuilibet Præsidenti, ex officio & prælatura, competit prius: ergo ab ipso præstari debet: suo enim munere fungitur, neque præoccupat actionem præbiteri, cum hæc ei, solius superioritatis prætextu, competat, secluso Sacerdotio. Quod vero iam ea benedictio, nunquam, sine Sacerdotio, inter viros Religiosos, publicè aut solemniter fiat, non nascitur ex necessitate, sed ex copia Sacerdotum, inter quos vt sic, illum ordinem iam dictum discernit Nicolaus Papa, in illo *cap. denique.*

*Abbas etiã  
non sacerdos  
Superior.*

## VIII.

*Responsio ad  
3.*

Ad tertium: Quantum attinet ad textum adductum a Gratiano, omitto, illum citari ex D. Gregorio, in eius Epistolarum registro, *lib. 21. Epist. 10.* cum nos in eius operibus solum vsque ad *lib. 12.* habeamus: à qua difficultate se non satis expediet qui

ea vitur. Tamen de cætero nihil habet ad intentum: quia in quacumque partem determinasset (quod quidem non determinat) cum posterior tot annis fuerit Gregorius Magnus, nihil conducit ad id, quod pro tempore dictatæ seu scriptæ Regulæ requirimus. Quod vero ibi additur, ex Annotatione ad illum, & alios textus præcedentes, quibus videtur interdicti promotio ad ordines, tam Abbatibus quàm Monachis: Annotatio tantum est, non Canon. Tamen admitto ex ea, ibi non esse prohibitionem ordinum, sed distinctionem munerum: vt quid ex Monachatu vt sic, & quid ex Clericatu competat, sciatur: & né Præfectus Monasterij vt Monachus, præficiatur aliis in cura Clericatus, cum dispendio suæ professionis, vt *l. 40. Cod. de Episcop. & Cler.* Nihilominus eadem Annotatio, vt probet id non prohiberi, adducit duo ex Regula S. BENEDICTI. Vnum, quod ipse in ea iubeat, Abbatem Fratibus egredientibus, & regredientibus, benedictionem dare: de quo dicam *ad capit. 67.* Alterum, quod lectionem Evangelij Abbati legendam tribuit: de quo dicam *ad capit. II. num. 9.* Colligitque ex his necessario petere Abbatem Sacerdotem. Cum verò ista duo sint extra difficultatem benedictionis, de qua specialiter in præsentis *capit.* agitur, illa in suis notatis locis discutiam: ne hic amplius quam exigit textus demus, & inuoluendo diuersa, obscuritatem veritati obfundamus, quam aperte dabo dictis locis.

Ad quartum, vt respondeam, adducã Bellarmini verba: ibi, enim reddens rationem, quare antiquitus Monachi, tam impensè, etiam ex instituto Monachali, quod tunc practicabatur, labori manuum incumbebant, ait: *Quia illi Monachi, cum non essent Clerici, sed laici omnes, excepto Abbate, non satis erant occupati, & ideo ad fugiendum ocium, necessarium erat illis laborare, &c.* In quo æquiocatio videtur:

*Obiectiones  
duæ remittuntur.*

## IX.

*Responsio ad  
4.*

nam

nam ad mentem Authoris, illud excepto Abbate, non est referendum ad illud, *laici omnes*; quia neque consequenter ab eo, nec verè ab eo & alijs, poterat generaliter excipi Abbas, vt ille eo tempore antiquo numquam fuisset laicus. Non consequenter; quia ipse oppositum tenet saltem, *lib. 4. de Eucharist. capit. 4. & lib. 1. de Rom. Pontif. capit. 27.* expressè. Non verè; quia in contrarium sunt omnia testimonia, à nobis adducta suprà ad *capit. 2. à num. 9. & numer. 20. cum sequentibus, & ad capit. 7. circa 5. gradum humilitatis, & in pres. capit. num. 5.* Quare exceptio illa, propriè refertur ad illud: *Non satis occupati*: Nam Abbas, cui tot Monachorum incumbere cura, & spiritualibus ac temporalibus omnium esse debebat intentus, semper, exinde, occupationibus satis (vt experientia docet) districtus erat. Alias exceptio vniuersalis non est; & ita neque ex ea, generalis regula argui potest ad intentum. Atque autoritas Card. Bellarmini, in hac parte, pace tanti viri, de Catholica Ecclesia, & eius fidei puritate benemeriti, in alterutram partem claudicat, propter dicta, sup. citato *cap. 2. num. 20.*

X:  
Obligatio officij diuini remissive.

Nunc autem se se insinuabat questio, de obligatione, qua tenentur Monachi, ad diuinum officium persoluendum. De quo aliàs in *introduc. artic. 8. num. 5.* indubitanter resoluti generaliter non solum Monachos in sacris constitutos, sed quoslibet professos choro destinatos, sub mortali teneri. Imò, & pariter quoad nostram Congregationem Cisterciensem, OBSERVANTIÆ Hispanæ, etiam quantum ad Officium paruum Beatiss. Virginis MARIÆ perpetuò, & quātūm ad officium Defunctorum. suo tempore & modo, & idem dicam aptiùs, infra, ad *capit. 18.* quod est vltimum, pertinens ad dispositionem officij diuini. Et insuper de eisdem, contra Ioannem Caramuelem, in fine huius Operis, in addita LACINIA seg-

mento 13. cum sequentibus, & vtrouique, quæ omni Religioni, pro sua cuiusque obligatione, vel de obligatione, in seruiant.

Denique, in hoc cap. circa illa verba: *cum Antiphona, aut certè cantandus, & rursum illud: tria responsoria canantur, & item: sex psalmi, cum Alleluia canendi, &c.* dubitari potest: An vigiliæ istæ feriales, cantus modulatione agerentur? Et quidem de Antiphona, & cantus modo, dicam *infr. cap. 12.* Sed hic difficultatem ingerit, liber V suum Cisterciensium antiquissimus, in quo, *capit. 59.* quod inscribitur, *de Missis priuatis*, per verbum *Cantare* disponitur de illis: quas tamen non cantus modulatione, sed simplici recitatione peragimus. Verba libri prædicti sunt hæc: *Possunt Sacerdotes cantare priuatim, &c.* Et item: *Aquam non nisi Sacerdos qui cantat admisceat, &c.* Et rursus: *Qui cantat priuatas Missas moderetur voces, ne alij impedimentum patiantur, &c.* vbi certe *cantare*, idem videtur esse quod *celebrare* Missam. Quo pacto accipitur, *Capit. fin. de Consecrat. distinct. 2.* vbi ait: *In altari in quo Episcopus Missam cantauit, presbiter eodem die, aliam celebrare non præsumat.*

Nihilominus in nostræ textu REGVLÆ, à propria significatione non detorqueo verbum *Canendi*, aut *cantandi*, loquitur enim de modulatione cantus, ad differentiam eius, quem nos dicimus *entonado*, quem proprio nomine exprimit S. BENEDECTVS, differentia causa, vbi oportet. Vt infra *capit. 12.* videbimus. Atque tunc temporis, etiam vigiliæ feriales modulari canentes fratres nō dubito, quādo solum illud Officium præscriptum in Regula, celebrabatur in choro. Nūc autem progressu temporis, & adiectione duplicati Officij B. MARIÆ, & Defunctorum, & frequentiori celebratione Missarum solemnium, aliarumque orationum, quæ perficiuntur in choro, iam modulatio nocturni Officij ferialis, in intonationem,

XI.  
Cātare pro celebrare.

TEXTVS

STOM

XII.  
Modulatio distincta ab intonatione.

ab antiquo, recepta consuetudine, tēpore commutata est. Ad quod etiam legitimam potestatem esse Capituli: in finuatum est in *introduc. artic. 9. nu. 9.* & aliās prout ibi: & Nostris, vel ex priuilegio perpetuo Eugenij III. constat, *tom. 2. priuileg. 10.* Quod & similia, quę dictis capitulis (vt ibi *priu. 7. & 8.*) tribuunt potestatem etiam variandi & disponendi *Officium*, limitata non esse per Pontifices Pium V. & Clemētem VIII. consentit doctrina Bonacine *tom. 1. tract. de horis Canon. disp. 1. quæf.*

Facultas id alterandi.

3. *punct. 1. num. 2.* & alij, & fauet ad rē Rupertus citatus *infr. ad cap. 15. num. 2.* & consuetudo saltem nostra tenet, vt rursus ad dictum, *cap. 18. num. 4.* remitto. Atque de præsentī materia cantus, ipsa REGVLA quandoque excusat, vt noto *infra ad cap. 12. num. 2.* Nec in prædicto modulationis aut intonationis ritu & modo, qualis fuerit in quolibet Congregatione hodie, non potest non, vel ex cōsuetudine, vel ex auctoritate, sine Regulæ culpabili iniuria subsistere, vt apparet.

*Qualiter, & statim tempore, nocturna laus agatur.*

### CAPIT. DECIMUM.

#### TEXTVS.



*Pascha autem vsque ad Kalendas Nouembris, omnis (vt supra dictum est) psalmodiæ quantitas teneatur, excepto quod lectiones in codice, propter breuitatem noctium, minimè legantur: sed pro ipsis tribus lectionibus, una de veteri Testamento, memoriter dicatur, quam breue Responsorium subsequatur. Et reliqua omnia (vt supra dictum est) impleantur, id est, vt nunquam minus duodecim Psalmorum quantitate, ad vigiliis nocturnas, dicentur, exceptis tertio & nonagesimo quarto psalmo.*

#### NOTÆ.

I.  
Summatur textus.

**N**OCTVRNOS Officij diuini dicendos diebus ferialibus, ordinauit, *capit. precedente*, pro tempore hyemis: nunc eisdem, pro altera parte anni, quę est à Pascha vsque ad Kalendas Nouembris, ordinat. Atque reducta triplici lectione ad vnam breuem, *memoriter dicendam*, ne in breuitate earum (vt hic ait S. Hildegardis) *impedimentum sustineant, si aut codicem ad legendum, aut lumen ad videndum, in promptu non habuerint:* de cætero numerum Psalmorum non minuit, sed expressè cauet eūdem duodecim psalmorum, exceptis duobus semper repetendis. Quod vero huic numero psalmorum insulat, in eo, antiquorum Monachorum vestigia premit B. BENEDICTVS. Sic Ioan. Cassian. *lib. 2. cap. 4.* ait: *Per vniuersam Ægyptū & Thebaidam, duodenarius psalmorum*

*Numerus duodenarius in Psalmis.*

*numerus, tam in Vespertinis, quam in Nocturnis solemnitatibus, custoditur, &c.* additque, iam suo tempore, hunc modum esse antiquitus constitutum, atq; *capit. 5.* Angeli miraculosa visione & exemplo tradidimus & *cap. 6.* inde inter venerabiles Patres constitū, atque decretum. Plura enim laudabilia, & Monastica vitæ apta, quę in antiquioribus præcessere, consulto, prudenter & scienter hinc inde delibata à S. BENEDICTO, nihil derogat auctoritati, & proprietati suæ REGVLÆ: cuius ipse etiam rerū selectus, & ordinatio bona & apta, diuino SPIRITV donante atque docente fuit, sicut & nouiter ab eo adiectorum institutio & appropriatio.

Et quidem videtur tota officij ordinatio, accedere plurimum, ad instructionem, quam dedisse legitur Angelicè Pachomio, vt in eius vita, *cap. 22.*

II.  
Cōformis Regule Angelicæ Pachomij.

refertur: *Vt diurnæ orationes duodecim fierent, & vespertinæ duodecim, & nocturnæ duodecim.* Quæ si ad psalmodiâ referantur, vt retulisse videtur Cassianus, *lib. II. cap. 4.* citatus à Rosuueido, in Notatione ad ipsum locum, benè, & supereffluenter impletur mensura. Nam pro Nocturnis iam statuit. 12. psalmos: *Exceptis tertio & nonagesimo quarto,* qui semper superadduntur, iuxta Regulam. Horæ verò diurnæ, pro ut distinguuntur à vespertinis cōprehendentibus pomeridianum tempus, sunt Matutini, id est *Laudes*, quæ luci diei adscribuntur in Regula, & Prima, & Tertia, & Sexta, & etiam exceptis, ijs, quæ in laudibus communiter repetuntur, ad eundem numerum perueniunt. Deinde Nona, Vespera, & Cōpletorium, eandem fere quantitatem exequant. Quem duodenarium nume-

rum, etiam in lectionibus, *cap. sequēte,* constituit B. BENEDICTVS, & ei quam familiaris fuerit & acceptus, in extructione & instructione cœnobiorū, *infr. ad c. 21. n. 7.* latius dicam. Quam vero solemne, in choro & eius laudibus, fuerit Dauidicum Psalterium semper, dixit Beda, *rom. 8. in præf. ad ipsum.* Ideo plus omnibus alijs in Ecclesia frequentari, quia plura de Christo, & Christiana Religione, cōtinet mysteria & quia à Patribus veteris testamenti, in simili vsu sit habitū. Alijsque rationibus, quas prosequuntur Ambrosius, in *Præfatione ad Psalmos*, quos ipse cōmentatur, Chrysost. *to. 1. hom. quæ in scribitur. Dauidicæ Cantica, diuersis subseruiunt nostris consolationibus, & meditationibus,* August. *tom. 8. in prologo ad Psalm.* & in præfatione antecedenti innominati Authoris. Basilius, *homil. in Psalm. 1. & c.*

*Psalterij ap-  
tundo ad  
chorum.*

*Qualiter diebus Dominicis Vigilia agantur.*

## CAPIT. VNDECIMVM.

TEXTVS.

**D**OMINICO die, temperiùs surgatur ad Vigilijs, in quibus vigilijs teneatur hæc mensura, id est modulatis (vt supra disposuimus) sex Psalmis & versu, residentibus cunctis dispositè, & per ordinem in subsellijs, legantur in codice (vt supra diximus) quatuor lectiones, cum Responsorijs suis. Vbi tantum in Responsorio quarto, dicatur à cantante Gloria. Quam cum incipit, mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas lectiones, sequantur ex ordine alij sex Psalmi, cum Antiphonis, sicut anteriores, & versu. Post quos iterum legantur aliæ quatuor lectiones, cum Responsorijs suis, ordine quo supra. Post quas iterum dicantur tria Cantica, de Prophetis, quæ instituerit Abbas, quæ Cantica cum Alleluia psallantur. Dicto etiam versu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones, de nouo Testamento, ordine quo supra. Post quartum verò Responsorium, incipiat Abbas hymnum, Te Deum laudamus. Quo dicto legat Abbas lectionem de Evangelio, cum honore & tremore, stantibus omnibus. Qua perlecta, respondeant omnes Amen, & subsequatur mox Abbas hymnum, Te decet laus, & data benedictione, incipiat Matutinos. Qui ordo Vigiliarum, omni tempore, tam æstatis quàm hyemis, equaliter in die Dominico teneatur; nisi forte (quod absit) tardiùs surgant, & aliquid de lectionibus

breviandum est, aut Responsorijs; quod tamen omnino caueatur, ne pro-  
ueniat. Quod si contigerit, dignè inde satisfaciatur Deo, in Oratorio, per cuius  
euenerit neglectum.

## NOTÆ.

I.

Nocturni fe-  
stini, quoad  
tempus &  
cantum.

**T**RANSIT ad ordinandas Vigi-  
lias, hoc est Nocturnos, in diebus  
Dominicis, (quod idem est in festiuis,  
vt infra cap. 14.) & prius designat horã,  
ibi: *Temperius surgatur*, id est maturius,  
quod debet sumi, respectiue ad horam  
dispositam, pro Vigilijs ferialibus, *sup.*  
*capit. 8.* Deinde describit modum triũ  
Nocturnorum, & duodecim lectionũ,  
prout ad literã prorsus retinetur. Quod  
vero ait: *Modulatis* ( vt *supra* *disposui-*  
*mus* ) *sex Psalmis* &c. in quo se refert  
ad cap. 9. ostendit, vtrobique, de cantu  
proprie intelligi, quæ est legitima sig-  
nificatio verbi, *Modulari*, vt ibi dictum  
est, *num. 12.*

II.

Antiphonæ  
significatio-  
nes.

Quod attinet ad *Antiphonam*, eius  
hodie propria significatio est ea, quam  
trahit Amalarius Fortunatus, *lib. 4. de*  
*Eccles. offic. cap. 7.* Scilicet pro clausu-  
la aut sententia breui, quæ coniungitur  
psalmo, qui ad eius musicam seu tonũ  
canitur, alternantibus choris; vtrobique  
in fine, ipsam antiphonam simul canẽ-  
te. Atque in hac significatione, censeo  
fuisse iam, tempore B. BENEDICTI; &  
loqui in eo sensu, argumento est, quod  
hic ait ibi: *Cantica cum Alleluia canan-*  
*tur*, in quo, designat ipsam Antiphonã,  
vt ad Cantica, loco alterius breuis sen-  
tentia, sit *Alleluia*. Quamquam non  
negem, ipsam primẽuam significatio-  
nem Antiphonæ, solum fuisse pro reci-  
proca voce duplicis chori, alternatim  
psallentis; vt trahit Isidorus, *lib. 6.*  
*æthymol. capit. 19.* & Raban. Mau-  
rus, *lib. 1. de institut. Cleric. capit. 33.*

Mos canendi  
alternando.

¶ Quem modum canendi, primum  
apud Græcos introductum, constat ex  
Basilio *Epist. 63. ad Cleric. Neocesar. ibi:*  
*Nunc quidem in duas partes diuisi, al-*  
*ternis succincentes psallunt, &c.* & B.  
Ambrosius transtulit ad Latinos, vt re-  
fert Paulinus, *in eius vita*, & fatetur D.  
Augustinus, *lib. 9. Confess. & S. Isidorus,*  
*lib. 1. de Eccles. offic. capit. 7.* Quem ab

Ambrosio inductum ritum Latinis, &  
à Damaso Papa vtique tunc probatũ,  
& in Occidente generaliter admissum,  
certum est à S. BENEDICTO statutum &  
seruatum potius quàm alium, quem  
Cassianus suo tempore adstruit, *lib. 2.*  
*capit. 5. 8.* & II. aut antiquiorum Syna-  
xium diuersarum, contra quod, nec lo-  
cus aliquis Regulæ vrgenter reclamans;  
nec est vllum vestigium reformati cã-  
tũs, in consueto modo à principio Re-  
ligionis Benedictinæ.

Ex prædictis, alijsque expressiori-  
bus REGULÆ locis, quos notabimus, cõ-  
stat manifeste, sanctiss. BENEDICTVM,  
officium diuinum, cum cantũs modu-  
latione instituisse; atque inde *Recolle-*  
*ctiones* sub eius Regula, si quæ sunt,  
quæ cantum in choro dimissere, à Re-  
gula in eo dissentire, sua tamẽ (credo)  
& ratione & autoritate nitentur. De  
cætero Cantum in Ecclesia antiquissi-  
mum, & acceptissimum esse, in diuinis  
laudibus, quam plurimis tibi cõfirmat  
Stephanus Durantus, *de Ritibus Eccl.*  
*lib. 3. cap. 21.* & Petrus Crespetius, *in*  
*summa Catholice veritatis. Verb. Cãtus*,  
sed adhuc in pretium huius Monasticæ  
modulationis & cantũs, recolo S. BE-  
NEDICTVM *sup. capit. 9.* officij Cantoris  
meminisse, ibi: *Dum incipit Cantor, &c.*  
& sæpius ibi, & hic, & alibi, huic lau-  
dabili consuetudini attentum: insuper  
citationes quasdam non morabor a-  
dijcere, vnde Monasticæ vitæ Profes-  
sor & choro addictus, obloquẽtium &  
quidpiam æstimationis & meriti sini-  
strè deterentium, ora retundat, suamq;  
in hoc sacro Religiosissimoque obse-  
quio mentem confirmet.

Ad vtrumque autem proderunt,  
quæ adducit, ad prædictum Regulæ  
*capit. 9.* in suis *Commentarijs*, Episco-  
pus Vrgell. haud leui manu congesta,  
à *num. 11. vsque 16.* Sed adde insuper,  
racemationis vice, quæ ex Nizephoro  
Ca-

III.

Cãtus officij  
in choro Re-  
gulæ confor-  
mis.

III.

Illius com-  
probatio &  
authoritas.

Ca-

Calixto, lib. 2. capit. 16. Eusebio Cesar, lib. 6. *Eccles. histor. capit. 26.* Tertuliano in *Apolog. contra Gent. capit. 2.* Casiodoro, lib. 10. capit. 9. Iustino Martyre *Epist. ad serenum.* Clement. Alex. lib. 6. *stromat.* Chrystostomo *homil. in illud Psal. 25. Cantate Domino canticum, &c.* Augustino, lib. 10. *Confess. capit. 32.* & 2. *Retraçtat,* & in *Regula sua,* S. Thoma 2. 2. *quæst. 90.* Petro venerabili Abb. Clun. *Epist. contra Petro-Brusianos ad finem.* Concilio Anthiocheno, *contra Paulum Samosat.* Concilio Agatense, *capit. 30.* Ex quibus aliisque, tantam habentes nubem testium, curramus ad nostræ professionis propositum, Angelicis haud disimile choris, à quorum similitudine, etiam in alterna chori modulatione, cælesti indicatione fluxisse, quam in visione habitam, à B. Ignatio, & eius Ecclesiæ Anthiochenæ traditam, referunt authores cum Nizeph. lib. 13. *cap. 8.* & alijs.

V. *Quid de canticu organico?*  
Attamen de Cantu, quem aliqui figuratum dicunt, vulgò de organo & de ipsis instrumentis, quæ nunc organa vocamus, aptato generali nomine, ad peculiare instrumentum musicum, omnibus notum, quod fistulis follibusque aereo spiritu sonantibus constat; dubium est, sit ne cõtra REGVLAM? Et mouet id, quod in Declaratorio illius, Congregatio S. Iustine disponit, ad *cap. 19.* prohibendo cantum illum, & prohibendo organa fieri, & factis non nisi cum certis limitationibus, per raro uti permittendo. In qua dubitatione, si verum esset, quod Nauarrus, lib. de *horis Canon. cap. 16.* asserit, tempore S. Thomæ Aquinatis, Organorum prædictorum usum non dum receptum; certum est, à Regula nihil de eis potuisse disponi. Sed & Platina in vita Vitiliani Papæ, ipsi introductionem attribuit, qui sedit ad annum 657. & Marianus Scotus, in vita Pipini, ad eius tempus trahit, cuius meminit Baronius, ad annum 766. vtrumque tamen adhuc est posterius, ad tempus Regulæ, quæ proinde de eo, nec verbum potuit loqui prohibendo. Neque in *capit. 19.* quod est, de *disci-*

*plina psallendi,* quidpiam constituit contrarium. Nam reuerentia & prudentia, qua in cõspectu Domini sapienter psallendum est, coherere potest, adhibita Religiosa cura, cum recto vsu cantus, & instrumenti prædicti, qualis in Ceremoniali Romano Clemētis VIII. cauetur, lib. 1. *capit. 28.* Et ita, ea musica Organa defendit Cardinalis Cesar Baronius, in *Annalibus ad annum 60.* & admissa receptaque ab Ecclesiæ Concilij, vsque ad Tridentinum, prædit citatus Petrus Crespertius, verbo organa, & alijs. Atque ideo quantum est ex Regula S. BENEDICTI, nihil contrarium est in ea. Aliunde verò solent adiungi alia incommoda, scilicet ex Cantorum, ac Ministrorum musicæ moribus & licētijs, quandoque cum rigore, modestia, & austeritate Monastica minime coherentibus; quæ nè obseruantem vitæ tenorem relaxent, satius est Capellam vocum organicam, à monasterijs amandare, in quibus in commodis Religionis præponderantibus, aliter consultum esse non potest, prout video expresse prohiberi in Declaratorijs PP. Castnensium & Camaldulensium, & ob id rectè, quod ipso experimento docente, alicubi ablatum & amotum vidimus. Hæc tamen, in instrumento Organi prædicto non militant; sed leuamē spiritus canentium est, honorque diuini officij, suis debitis temporibus, & festorum solemnitatibus; atque Dei sacer & venerandus cultus, in similibus instrumentis musicis, satis probatus apud sacras literas, ut ex lib. 1. & 2. *Paralipom.* pluries, & ex Psalterio & alijs locis, cuique notum & perspicuum est.

Ad illud verò textus, scilicet: *Tria cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas,* &c. notandum est. Quod licet tunc relicta fuerit arbitrio Abbatis dispositio & electio Canticorum, sicut & alia, quæ, illis temporibus, stabilita & fixa non dum erant, sed certo modo intra metas Canonici officij permittenda; iam nunc isthæc non ab Abbatis, aut Superioris Monasterij pendet arbitrio,

Eius decen-  
tia.

VI.  
Breuiare le-  
ctiones vt  
liceat?

aut voluntate, postquam á diuturno temporis tractu, & superiore legitima que authoritate, statuta facta tectaue haberi iussa sunt. Aliquid tamen perdurat, ex illis verbis: *Nisi forte tardius surgant, & aliquid de lectionibus breuiandum est, aut responsorijs, &c.* Vt in choro Abbas, vel eo absente, Præsides, possit breuiare lectiones; dum tamen sint de illis, quæ longiores, in maioribus lectionarijs choro destinatis, prolixius, scriptæ sunt; secus autem si per Breuiarium vsuale, & singulis destinatum, & pro omnibus excussum, recitatio fit. In quo (vt reor) nec Abbati, nec alteri, in choro, aut extra chorum, vllatenus licet breuiatio illa. Circa quod inuenio PP. Camaldulenses, non admittentes in choro lectiones Breuiarii, quod cum ea breuitate lectionum, cēsent dum taxat destinatum recitanti- bus extra chorum. Sic ipsi, in declaratione ad *Capit. 9. Reg.* & laudo: sed ad alias Congregationes non extendo obligationem amplius quam ab eisdem cautum fuerit peculiariter de hac re. Quæ verò modo suprascripto, est breuiatio propter longiorem, extra præscriptum excussi Breuiarii prolixitatē, videtur permissa, iuxta Regulam, cuius vsus, in hoc, hodie apud nostros alio- que viget. Nec aliàs in his perperam Abbati laxentur habent, non distinguendo tempora, nec iura: De quibus non nihil agam, in addita LACINIA, ad finem huius operis, *Segmento 25.* animaduerso etiam, Ioanne Caramuele, aliter opinante, qui sanè remittendus esset, ad citatam Religiosissimæ Camaldulensis Congregationis declarationem, qua se in similibus cohiberet, & laude Dei infrenaret, vt *Isa. 48.*

VII.  
Et quomodo  
de Responsorijs?

Quòd autem attinet ad *Responsoria* breuianda, notandum est, textū & verba *REGULÆ*, solūm intelligi de breuiatione quoad cantū & modulationem, eiusque notas, aut puncta: sed nihil de numero eorum, aut litera cuiuslibet minuendo. Quæ quidem Cardinalis Ioannis Turre-crematę interpretatio est, & mihi omninò recta videtur. Inde

verò est coniectura certa, iam tunc tēporis, puncta notasve modulati cantūs practicari, prout ex antiquioribus libris, habemus satis longas, & prolixas. Nec enim breuiatio, aut protractio canendi, aliter poterat stare, nisi aut modo dicto, detracta truncataue iteratione punctorum; aut, in eiusdem punctis, concitā vel remissā pausa. Affertque lucem premissis, liber antiquus Vsum Cisterciensium, *capit. 115.* quod inscribitur de *Cantore*, vbi ait: Quod ipsius sit, *ad nutum Sacristæ, citius cantare, & lectiones breuiare, &c.* In quo illud *Cantare citius*, ad breuiationem penes cantum pertinet. Sed tamen iste Sacristę nutus obsoleuit: Cantori tamē sub Præsidente, relicta breuiandi vel producendi cantūs & pausæ, cura: de lectionibus verò, soli Abbati aut Præsidenti, modo dicto. ¶ Hanc autem modulationis & canendi formam antiquiorem quoad tonos in melius accuratē reductam, & Antiphonarium ad id compilatum pro Ecclesia Romana, à B. Gregorio Papa, tradidit à Ioanne Diacono, *lib. 2. vitæ illius, à capit. 6.* & dum compilatum & *centonizatum*, dicit ibi: haud dubium, quin plura ex Beatissimi P. BENEDICTI Schola & vsu, Monachus ipse Benedictinus, de hac hauserit materia, & in cōmunem vniuersalis Ecclesię transfuderit ritum, cui tot alia, facer iste Ordo per omnia natus eidem, à principio contulit & vicissim mutuatus est in alijs.

Sed ecce adest, in hoc *Cap. dubium*, quod ex *Capit. 9. num. 8.* huc remissi circa textum hunc, in illis verbis: *Legat Abbas lectionem de Evangelio, &c.* ex quibus necessitas Sacerdotij in Abbate, arguebatur. Sed citò me ab hac difficultat expedio, sentiens semper id, ad melius esse, aptius cum dispositionibus Regulæ cohærere, sed necessitatem, pro eo tempore, & ex hinc non probari. Nec scio, quid opus sit, vim in ferre authoritatibus, ex quibus nulla vis sumitur, ad asserendum efficaciter Sacerdotium Sanctiss. P. N. BENEDICTI de quo dixi ad *capit. 2. num. 11. &c.*

Cantus nota.

Reformata  
à D. Greg.

VIII.  
Euāgeliū in  
choro canere  
Sacerdotium non  
arguit.

Potius enim, cum illud certum negari ei non possit, detrahatur certitudini, his & alijs debilibus argumentis emendicatis. Nam ad illud quod hinc sumitur, constat lectionem Euangelij non amplius petere, toto rigore, in Cantante, quam ordine diaconatus insignitum esse: & hoc si solemniter, in Missa, aut alijs, cum stola & *Dominus vobiscum*, tamquam Diaconus proferat. At si simpliciter & seclusa ea solemnitate fiat, etiam à foeminis Sæctimonialibus decantatur in choro, nedum à viris Monachis, sine discrimine Sacerdocij. Quod videre est, apud Ioann. Cassianū lib. 2. instit. cap. 6. vbi loquitur, de more adiungendi psalmodiæ lectiones, *vñ de Apostolo, vel actibus Apostolorum, & aliam de Euangelijs*, quas in discriminatim dicebant, *hi quibus lectio cura est, seu memoria scripturarum*. Nam & pariter Epistola, non nisi à Subdiacono solemniter cum manipulo decantatur: alioqui à quouis laico sacrista & coniugato inter solemnem celebrantis Parochi ruralis Missam, publicè cani solet, secluso ordinis sacri ritu. Dolerem sanè, si à tam debilibus fibris, pondus Sacerdocij Sanctissimi P. N. penderet, cui ex paritate cum alijs Abbatibus, eo tempore, in hac re fere nihil probationis accedit.

IX.  
Confirmatio  
Smaragdi  
notanda.

Et vt in omni casu & euentu, confirmem sententiam traditam, supra ad cap. 2. num. 10. & meam ibi datam liberem fidem; adduco promissum testimonium Smaragdi Abbatis, in commentario huius cap. cuius hæc sunt verba: *Sunt Abbates, qui nec Sacerdotis, nec Levitæ fungantur ministerio, & ideo, nec Sacrosanctum legere possunt Euangelium: Cantoris non gestant officium, & ideo non possunt alitè boando hymnū (scilicet, Te Deum laudamus) incipere: gregem tamen cum supremo iuvamine possunt gubernare sibi commissum, & propterea eliguntur, ad Abbatis ministerium peragendum. Attamen si ipsum opus benè facere debet, aut praevaleret Abbas, faciat. Si autem non valet, valentem facere permittat. Secundum quod*

*ipse Sanctus Benedictus, alio loco, (cap. 47.) præcipit dicens: Cantare autem & legere nemo præsumat, nisi qui potest ipsum officium adimplere, &c.* Huc usque Smaragdus, vt antiquum & grauem authorem habeas, nostræ resolutioni & rationi adeo clare consentientem. Quam ceptam, Cap. 2. à num. 9. continuavi ad cap. 7. in 5. humilitatis gradu, & ad cap. 9. & in præsentī, & ulterius progressuram. Quibus omnibus, vt melius deseruiat testimonium, illud, ab aliquibus nubeculis expurgabo. ¶ Dū tamen prius moneam, quid subsidii ad oppositum adducat recenter, Magister Sant-Vitores, tom. 1. de Sole Occidentis, prælud. 1. cap. 13. num. 17. ex textu quodam in cap. Hinc est 16. quas. 1. quæ iam supra ad cap. 9. num. 3. adduxi, & expendi ibidem, num. 8. vbi videri poterunt instantiæ, quas ad rem patitur, & insuper multo pluribus laborat Annotatio, illi textui in Decreto Gratiani adiecta, ex qua proferunt authores, pro se, illud: *Euangelium legere Sacerdotalis officij esse*. Deficit enim in proposito. Primò: Quia Annotatio illa recentior est ipso Canone, qui similiter est multo posterior ipsa Regula, præter quam quòd nihil determinauit in casu, nec de tempore Regulæ potuit determinare. Secundò: Quia verba illa nescimus cuius sint, & omnino incertæ & ignotæ authoritatis, & ita nullius ponderis ad intentum probandum. Tertio: Quia in eis verbis apertè falsum inculcat: nam Euangelium legere, etiam cum omni solemnitate & Ecclesiastico ritu, Levitici muneris est, & tantummodo requirentis Diaconatum, vt iam in superioribus dictum est; & lippis etiam & tonforibus notum: non exigere Sacerdotale officium. Quarto: Quia Annotator ille, quisquis sit, solum intendit per canonem illum, non prohiberi, Abbates fieri Sacerdotes, recurrens, vt id probet, ad S. BENEDICTI Regulam; ex qua adhuc languidè arguit, qui posset, si eam probè caleret, viuidius id probare. Sed illud in casu nihil momenti affert; nam aliud est, *Abbates non*

Occurritur  
cuidā obici  
& dissipatur

Primò.

Secundò.

Tertio.

Quarto.

prohiberi esse *Sacerdotes*, quod omnibus in confesso est, & mihi in præcedentibus, etiam ex REGVLA, satis admissum & probatum: aliud verò, necessario debere esse *Sacerdotes*, de quo penitus nihil concludunt. Sed redeo ad illustrationem loci.

X. Itaque prædicta Smaragdi auctoritate, solum vtor, ad intentum, quod ex Regula non præcipitur, vt Abbas debeat esse præcisse Sacerdos, quod manifestissimè probat. Attamen in eo, quod Leuitam saltem petit, hoc est Diaconum, vt legat Euangelium, intelligi debet, de lectione solemni cum *Dominus vobiscum*, & secundum exercitium ordinis; aliter licere alijs, nuper, num. 8. monui, & sup. ad capit. 9. num. 4. Similiter quod ad intonandū, seu alte boandum, petat esse Cantorem, videtur nasci ex opinione, quæ Cantoris, aut Psalmistæ officium, inter minores ordines computat. Quo ordine, posse carere Abbatem, præsupponitur à Smaragdo, ac sine eo, alte boando, hymnum incipere non posse. Sed in hoc fallitur, nam ea munia, formaliter non esse inter ordines minores computanda, est recepta & communis sententia. Nec alij numerantur, sub ordine sacro Subdiaconatus, nisi Acoliti, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii, post quem, vltimus, & in susceptione primus, est prima tonsura clericalis, quæ non ordinatum, sed initiatum potius & deputatum ad ordines constituit, intra Cleri statum. De quo Reginaldus, lib. 30. tract. 1. num. 4. & ante eum Henriquez lib. 10. capit. 2. cum pluribus ab eo citatis, & post eum, Filiucius & alii, & sup. ad capit. 1. à num. 26. satis plura. Atque etiam si illa, ad Lectoris gradum seu ordinem redducantur, vt pluribus citatis, traddit Thomas Sanchez, tom. 2. consil. lib. 7. capit. 1. dub. 7. nu. 6. tanquam officium ei annexum; aliique vt Angelus verb. ordo. num. 1. & aliqui Canonistæ, vt refert Siluester, ordo. 1. quaes. 2. velint esse idem, Psalmistatum & primam tonsuram Clericalem; tamen sine hac, cum sola Mona-

Et corrigitur  
in multiplicati-  
one ordinū

stica, etiam sine Lectoris ordine, stare exercitium psallendi, & cantandi in choro certum est. Vnde ex hac parte, frustra inhihet Smaragdus Abbatem, ne altè boando incipiat hymnum, nisi alia vocis ineptitudine, aut imperitia laboraret, ad quam potius ( vt creditur ) respexisse videtur, citatum capit. 47. de quo ibi: Interim ergo in hoc boet reboetque intrepidè, absque impedimento pro tempore Regulæ.

Circa illa verba: *Et data benedictione, incipiant matutinos*: aptissime dubitat Episcopus Vrgell. & exacte enumeratis omnibus, nō inuenit quid certò pronuntiet de illa benedictione, confugiens necessario ad coniecturas, quarum nulli firmum inuenit fundamentum; & minus illi, de interpollatione vigiliarū à matutinis, ( seu quod idem est ) Nocturnorum à Laudibus, deducta ex capit. 13. Tūm quia in his Dominicis & festiuis Vigiliis, non disponit REGVLA interuallum inter vtrūque, neque est qui agnoscat illud, vt terminentur cum *Benedicamus Domino*, cui reluctatur tota antiquitas nostri Officii. Tūm etiam errat dum morosam recitationem, de qua ibi, tribuit Psalmo 50. cum non tribuatur, nisi Psalmo 66. propter rationem quam ibidem videbimus. Ego autem statim de benedictione illa aliquid certius afferam vt reor: adiicio tamen ad alias cōiecturas, an forte loquatur de ea benedictione, quam sine verbis sola significatione crucis, præmittimus, in principio cuiuslibet horæ, immediate ante versum, *Deus in adiutorium meum intende*. Sic enim & in fine Completorii, signando nos cruce, dicimus: *Benedictio Dei omnipotentis, &c.* & benedictio appellatur, vt infra cap. 17. in fine noto.

Prædictus itaque author, qui ad capit. 9. occasione benedictionis de qua ibi, dum ait: *Benedicat Abbas*, asseruit: in *Commentarijs* illius capit. num. 2. sequi inde, quod iuxta præscriptum Regula, Abbas debet esse Sacerdos: Satis libenter vellet inuenire hic, aliquam

XI.  
Obscuritas  
benedictionis  
de qua  
hic.

XII.  
Benedictiones  
etiā à nō  
Sacerdotibus  
dari  
quæ?

certam benedictionem, unde eius opinio firmaretur; sed neque hinc aliquid elici affirmo propter adducta late *sup. ad dictum capit. 9. à num. 3. & insuper, quia ex generali ratione benedicendi, nullo modo infertur exigere Sacerdotium. Nam Benedictiones versari etiam inter non Sacerdotes, vt frequentissimum notat Heribertus Rosuueidus, in Onomastico adiecto ad Vitas Patrum, verb. Benedictio, & Latius de eadem materia Gretzerus, lib. de Benedictionibus, & Pamelius, varia benedictionum genera enumerat, etiam Ecclesiasticarum, quæ secluso Sacerdotio, exercebantur, circa Terul. lib. de testimonio animæ, capit. 2. num. 6. Propter quod, Thomas Sanch. de matrimonio lib. 3. disp. 20. num. 4. reijcit opinionem Ledesmæ existimantis, parochum assistentem matrimonio, necessario debere esse iam suscepto presbiteratus ordines; ex eo quia non posset commode benedicere sponso, illis verbis Concilij Trid. sess. 24. de matrimonio, capit. 1. Ego vos coniungo, &c. & eam reijcit, quia nullam inuenit repugnantiam, ea verba benedictionis, à paracho non-Sacerdote proferri, dum ille, parochi inuestitura collata, ante Sacerdotium, anno in quo ordinari tenetur non elapso, matrimonio adsistat. Quare dum non apparet benedictio, quæ propriè Sacerdotalis sit, & nulli alteri cõmunis nihil infert ad intentum, & laborat sine fructu.*

Quod verò mihi certius videtur, in presenti intelligi, illis verbis, & data benedictione, incipiant matutinos. Est quod in collecta seu oratione, quæ post Te decer laus, vltimo terminat Nocturnos, & quæ tanquam horæ terminus est, censetur finalis eius benedictio data, & terminatione illa, Benedictionis nomine intellecta, continuo incipiant laudes. Quod ita fit, & omninò cõgruit literæ & veritati; solum desideratur probatio: nec abest longè. Sic, Card. Turrecremata hic, de oratione, quæ post Euangelium consuevit dici, intelligit, quæ quasi consummati operis benedictio habeatur. Sic, S. Hildegardis exponit inquit: Quo Euangelio lecto, dicit, data benedictione, scilicet in consuetudinaria oratione, incipiant matutinos. Atque inde & ipsa oratio, Benedictio appellata est, ad quod profero verba ex Ordinario officiorum diuinorũ, Congregationis Bursfeldensis, capit. 9. vbi loquens, de his Regulæ verbis, data benedictione, &c. de Collecta accipit, dicens: Donec incipiatur benedictio, id est collecta immediate sequens. Quo nihil clarius. Idemque confirmabo, Cap. sequente, dum de Collecta dicam, & capit. 53. num. 9. & 10. ad illud: accepta benedictione comprobatione clarissima & similiter, cap. 38. num. 2. Fauetq; Declaratio Camaldulensium ad hoc cap. 11. expresse sentiens esse, secundum Regulam.

Verior expli  
catio de ora  
tione pro be  
nedictione.

*Qualiter Matutinorum solemnitatis agatur.*

## CAPIT. DVODECIMVM.

TEXTVS.

**I**N Matutinis Dominico die, in primis dicatur psalmus sexagesimus sextus, sine antiphona in directum. Post quem dicatur psalmus quinquagesimus cum Alleluia. Post quem dicantur ceteri decimus septimus, & sexagesimus secundus. Deinde Benedictiones, & laudes; lectio de Apocalipsi vna ex corde, & Responsorium, & Ambrosianum, & versus, & Canticum de Euangelio, & Litaniæ, & completum est.

Hic

NOTÆ.

I.  
Laudum in  
Dominicis ra-  
tio.

**H**IC, etiam si in titulo desit, tamē, in textu, constat loqui, de Dominicis diebus, quo ad Laudes, & erat id consequens, cum post vigilias seu Nocturnos, quos *precedente cap. eisdē diebus* disposuit, sequeretur immediatē disponendum de matutinis, id est, laudibus; quæ a deo immediatē post Nocturnos sequuntur, vt (sicut notauit S. Hildegardis) *Hic interuallum, ad meditationem orationum, seu lectionum, non ostendit.* Coniunguntur enim incunctanter ad Nocturnos, iuxta dicta *cap. precedente.* Et laudum dispositio est prorsus eadem, quæ obseruatur in nostra Congregatione, puto & in alijs, vt in Cisterciensi Nauarræ exerior, cum Aragonia, &c. In textu, præter declarata in Superioribus, occurrit illud: *In primis Psal. 66. (scilicet Deus misereatur nostri, &c.) dicatur sine Antiphona in directum.* Vbi nota: dici *sine Antiphona*, iuxta Regulam, nō significare, quod dicatur sine alternatione chori, hinc inde singulos versus psallentis. Alternando enim dicitur, sed sine modulatione cantus. Nam in officio à REGULA disposito, id obseruari oportet, quod ubicumque Psalmi cum Antiphona disponantur, perinde est, ac si disponantur cum cantus modulatione promendiscuius modulationis tonum aut melodiam, musicis notis aut characteribus, Antiphona contineat, qui verò sine Antiphona iubentur, ij sine cantu proferendi sunt.

II.  
In directum  
quid signifi-  
cet?

Qua propter, quod ait: *sine Antiphona in directum*, idem est atque excludendo modulationem, & indicando modum proferendi *in directum*, quod sit vno eodemque tono, æquali semper voce regulato, quod sup. c. 9. nu. 12. notauit ad differentiam eius, quod vulgo dicimus *Cantado*. Nam *in directum* dicitur *en tono*, aut *entonado*, in quo cōsentio cum explicatione Episcopi Vrgell. Atque in subsidium distorum, ad duco locum, ex *cap. 17. infra*, vbi ait: *Si maior congregatio fuerit, cū Antiphonis, si vero minor in directum psallatur, cuius omnino sensus est: officium in ma-*

iore Conuentu, modulatione cantus esse agendum; in minore vero sine illa, solum in tono directo, & æquali Rursus *in eodē cap.* Loquendo de Psalmis pro Cōpletorio dicendis quotidie, ait: *Qui psalmi directanei sine Antiphona dicēdi sunt.* In quo idem significatur, & eodem modo fit, alicubi tamen solemnioribus diebus, & cantu, & alternatione organici instrumenti, psallitur, quod supererogatio est laudabilis.

Quod sequitur in textu ibi: *Inde Benedictiones*, intelligit Canticum trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini, &c. Daniel. 3.* Rursus, & *Laudes* intelligit *Psal. 148.* Cū duobus sequentibus, videlicet, *Laudate Dominū de cælis, &c.* à quibus ipsa hora Canonica *Laudes*, appellata est. Deinde ibi: *Letitio de Apocalisi vna, &c.* intelligitur Capitula scilicet, *Benedictio & claritas &c. Apoc. 7.* *Ambrosianū*, iam diximus esse hymnū D. Ambrosij, scilicet, *Splendor paternæ gloria, &c.* Rursum *Canticum de Euangelio*, est illud, *Benedictus, &c. Luca 1.* Tandem *Litanie*: intelligit quod sup. *cap. 9. Kyrie eleison, &c.* Sub quo adhuc intelligenda venit *Oratio* quæ, ipsa Litanie seu deprecatio, horaque completur. Nec enim in solo & percisso *Kyrie eleison* finiebatur, vt iam subiungo & *cap. seq. n. 5. & 6.* constabit.

Hanc autem orationem, quam *Collectā* appellamus, subintelligi debere pro terminatione cuiuscumque horæ, docet cōmunis vsus, numquam in sola pronuntiatione illarum vocum, *Kyrie eleison*, percisse terminatus, sed cum adiectione deprecationis, etiam cum Dominica oratione, vel submisse, vel alte recitata & constat ex antiquissima consuetudine, adhuc B. Benedicto anteriore. Nā licet *collecta*, (vt omittam alias acceptiones eius, vt pro Eleemosynis, ex collatione pluriū cōgregatis, vt *1. Corinth. 16.* & pro cæna sodalium, simbola conferentium, apud Adrian. Turneb. *Aduers. lib. 3. c. 6. &c.*) ad propositum, latinè sit idem quod *Sinaxis Græcæ*, id est *Congregatio & collectio homi-*

III.  
Percurritur  
textus.

III.  
Collecta sig-  
nificationes.

Oratio qua-  
re Collecta  
dicatur.

hominum, conuenientium simul ad Dei cultum, vt *Leuit. 23. & Deuter. 16.* & sæpius in Sanctis Patribus, quos refert *Sthephanus Durantus, lib. 2. capit. 16.* & inde oratio, in eo conuentu hominum, appellaretur *Collecta*; in super tamen, ex eo quod terminet, atque finiat totam actionem orantium, dum minister, breui precatione, recolligit eorum petitiones, *collectio*, seu *collecta* dicta est. Quibus patrocinator *Cassianus, lib. 2. institut. capit. 7. ibi: Cum autem is, qui orationem collecturus est, &c. & Concilium Agathense vt habetur, Capit. Conuenit. 113. de Consecrat. distinct. 5. ibi: & plebs, collecta oratione, ad vesperam, ab Episcopo cum benedictione mittatur, & in eodem textu, vbi*

ait, *Collationes*, alij legunt *Collectiones*, ad idem *Hugo Victor. libr. 2. de offic. Eccles. capit. 16.* Atque in dicto *Canone Agathensis Concilij*, notare est, pro eodem haberi, *Colligi orationem*, aut *collecta oratione* finiri, & cum benedictione dimitti, & absolui horam. Quod etiam proderit dictis supra, *capit. precedente numer. 13.* ¶ Fuit autem *Concilium Agathense* anno 506. quem annum fere seculo integro præcessit *Cassianus*, ipsumque *Concilium*, bene *S. BENEDICTO* cognitum fuisse, suadet ipsa *Regula*, quæ ad verbum habet decretum desumptum ex illo, pro vt iacet, *capit. 1. de celebratione Missar. etiam si hoc anticipare ad cap. 16. quod eisdem verbis constat, dictum sit.*

Cap. 16. Re-  
gula ex Cō-  
cil. Agathē-  
si.

*Qualiter priuatis diebus Matutini agantur.*

## CAPIT. XIII.

TEXTVS.

**D**IEBUS autem priuatis, *Matutinorum* solemnitas ita agatur, id est *sexagesimus sextus Psalmus*, dicatur sine *Antiphona* in directum subtrahendo modicè, sicut *Dominica*, vt omnes occurrant ad *quingagesimum*, qui cum *Antiphona* dicatur. Postquem alij duo *Psalmi* dicantur, secundum consuetudinem, id est, *secunda feria, quintus & trigessimus quintus. Tertia feria, quadragesimus secundus, & quingagesimus sextus. Quarta feria sexagesimus tertius, & sexagesimus quartus. Quinta feria, octogessimus septimus & octogessimus nonus. Sexta feria, septuagesimus quintus, & nonagesimus primus. Sabbato autem centessimus quadragesimus secundus, & Canticum Deuteronomij* a: Quod diuidatur in duas glorias. Nam cæteris diebus, *Canticum unum*, quodque die suo, ex *Prophetis*, sicut psallit *Ecclesia Romana*: Post hæc sequantur *Laudes*. Deinde lectio una *Apostoli*, memoriter recitanda; *Responsorium; Ambrosianum; Versus; Canticum de Euangelio; Litaniam, & completum est*. Plane agenda *Matutina*, vel *Vespertina*, non transeat aliquando, nisi in ultimo ordine, oratio *Dominica*, omnibus audientibus, dicatur à *Priore*, propter scandalorum spinas, quæ oriri solent, vt conuenti per ipsius orationis sponsonem, qua dicunt: b *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus no-*

a Cap. 32.

b Matth. 6.

stris ; purgent se ab huiusmodi vitio. Cateris vero agendis , Ultima pars eius orationis dicatur , ut ab omnibus respondeatur : Sed libera nos à malo.

## NOTÆ.

I.  
Declaratio  
Textus, sub-  
trahēdo mo-  
dice.

**H**ic sanctiss. PATER disponit officiū Matutinorū, id est *Laudū*, pro omnib<sup>9</sup> dieb<sup>9</sup> ferialibus hebdomadæ, suos cuiq<sup>ue</sup> Psalmos, & cætera designando, quæ quoad hoc, pariter sicut præcedētia, apud nos ad vnguē explētur, ut Regulæ textus præscribit. Quare omissis, quæ iam explicata manent, ex litera, residuum percurro. Circa illud: *Sexagesimus sextus Psalmus dicatur sine Antiphona in directū*, eo ipso, non cātu, sed in tono dicendum insinuat, pro ut iam explicui, *cap. precedente n. 1. & 2.* Quod addit, *subtrahendo modice*. Tur recremata intelligit, id est, *minus altè quam cæteri Psalmi*, sed melius Episcopus Vrgell. id est, *semisim & morose recitando*, cui assentior, concordat enim cum phrasi loquendi libri Vsum Cisterc. quem alias citavi; & est magis ad intentum, statim ibi à Regula indicatum, scilicet, *ut omnes concurrant ad quinquagesimum, qui cum Antiphona dicatur*. Quia tardè occurrentibus, post primum Psalmum, iniungitur satisfactio, de qua agitur infra in *cap. 43.*

II.  
Receptio E-  
pisc. Vrgell.  
hic.

Hic nescio quo pacto legerit Episcopus Vrgell. textū Regulæ, qui ut notavi ad *c. II. n. II.* eam morosam & protractiorem intonationem Psalmi, quā textus iubet de Psalmo 66. qui primus pronuntiatur in laudibus, ipse cōmentatur de Psalmo 50. qui secundus est illius horæ. Insuper & satisfactionem faciendam à tarde occurrentibus, ut infra *cap. 43.* collocat post secundum illum Psalmum; & in utroque deficit vir alioqui sedulus. De priori, ipsa litera textus conuincit, dicens: *Psalm. 66. dicatur sine Antiphona in directū, subtrahendo modice, sicut Dominica*, totum hoc manifestè cadit super Psalmum illum. Alium sensum hic quærere, est idem, quod in scirpo nodum. De posteriori, reclamant verba illius, *cap. 43.*

scilicet: *Diurnis autem horis, qui ad opus Dei post versum & gloriam primi Psalmi, qui post versum dicitur, occurrerit, in ultimo ster loco, &c.* Quod enim Matutini seu Laudes inter horas diurnas computet, de articulatè ostendit *capit. 16.* Post versum autem scilicet: *Deus in adiutorium meum intende, &c.* de quo ibi loquitur, constat primum Psalmum esse illum: *Deus misereatur nostri, &c.* ergo de isto apertè intelligitur; & ita in libro vsuum & ceremoniarum Cisterc. nostro, & apud alios iuxta Regulam.

Solum aliàs difficultatem ingerit, quod ibi additur, *sicut Dominica*, vel quod alij legunt, & est idem, *sicut in Dominica*. Nam si in hoc remittit se ad aliquid dictum, aut dispositum de Dominica, nihil de hoc puncto inuenitur: imò nec in eo videbatur posse sic disponere, in *Dominica*. Ratio enim propterquā, hic iubet hunc Psalmū dici, cū maiori pausa & mora, ea est in textu: *Ut omnes occurrant ad Psalm. 50. & sint ei & officio præsentis*: Sicut in simili Psal. 94. pro Vigilij, seu Nocturnis, assignat infra *capit. 43.* generaliter de omnibus alijs horis, indicens multam, post *Gloriam* primi Psalmi, tardè occurrētibus ad chorum. At illa ratio videtur deficere in *Laudibus* Dominicæ diei, quæ incunctanter post nocturnos dicuntur, sine aliqua absentia illorum, qui Vigilij aderant: ergo nō opus erat morā, ad dandum maius spacium venturis. Quorsum igitur illa additio? Igitur dicendum est non se remittere ad aliquid specialiter dictum de *Dominica*, sed ad vsitatum in ea, ex generali dispositione pro singulis horis, quocumque modo dicerentur, etiam nullo interiecto spacio. Quodd spacium tunc in Ferialibus semper & magnum succedebat Vigilij, vsque ad Laudes; de quibus laudibus præsertim occurrit ratio

III.  
Difficultas  
Textus.

Componitur.

hic

hic assignata: *Vt omnes occurrant, &c.* Et tãquam de hora præcipua & distincta, & quæ etiam si in diebus festiuis statim sequatur ad Nocturnos, est noua incipiens hora: eodem modo præsupponit instaurãdam præsentiam eorum, qui fortè aliquã exigentiã abfunt: & vt stet pro omnibus, ratio multæ indictæ tardis ad singulas horas. In quibus etiam si incunãtenter continuetur, nihilominus practicatur ceremonia Regulæ, ac si dicerentur seorsum.

III. Sequitur in textu, illud: *Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore, &c.* Quod ita vt statuitur, fit, vt scilicet in *Laudibus, & Vesperis, Paternoster, &c.* alta voce integrè dicatur. Quis verò ibi, nomine Prioris intelligatur, dictum est sup. ad cap. 6. num. 6. & 7. Ratio autem illius redditur, dum ait: *Propter scandalorum spinas, &c.* id est propter quasque breuiculæ iræ aut iurgioli punctio nes, quibus, bis quotidie refricatã medicina, curationem adhibere solem niter vult, per ipsius orationis sponsonem, hoc est, quasi conuentionem & pactum conditionale, quo pacisci videmur, sic nobis velle dimitti debita nostra, sicuti nos dimittimus debitoribus nostris. Adeò nos peccatos esse oportet, & ab omni comotione alienos; & memores, quoties ea verba proferimus, toties contra nos, à nobis ipsis pronuntiarì sententiam. De quo latè Cassianus, lib. 8. à cap. 5. cui titulus est: *Cuius placiditatis Monachum esse conueniat*, Basilius, in *Reg. fusior. interrog. 49.* & in *breuior. interrog. 29.* Augustinus, in *Reg. cap. 19.* BERNARDVS, *serm. 1.* & *2. de Sancto Michaeli, & serm. de dicat. Eccles.* & in id totã Patrum Monastica disciplina, vt sit bonum & iucundum, habitare fratres in vnum: Atque decretum orationis Dominicæ dicendæ extabat iam, vt cap. id *semper. de consecrat. d. 5. in Concilio Gerundenfi:* tempore Hormisdæ Papæ.

V. Denique ait: *Cæteris verò agendis, supple, horis, sicut, paulo ante, Plane agenda Matutina, vel Vespertina nõ tran-*

seat, suppleendum est hora, & vt in præ, in Prologo, num. 1. & aliàs particula *vel*, ibi Copulatiua est, nam pro vtraque hora disponit, quod dictum est de *Paternoster*: exceptis, cæteris agendis horis, in quibus solum dicitur alta voce, *Et ne nos inducas, &c.* vt ab omnibus respondeatur: *sed libera nos à malo.* Nec est inusitatum quod particula, *vel* copulet, cuius exempla, ex Latinissimis Terentio & Cicerone, adducit Robertus Stephanus in Thesaurò. Sed vtroque modo, alta vel submissa voce, prolata oratione Dominica, quæ subsequitur ad Litaniam *Kyrie eleison*: de nulla alia oratione, aut collecta adiuncta (vt nunc iam in vniuersum adiungitur) mentionem facit. Presit difficultatem eruditè satis Episcopus Vrgell. & posset amplius vrgere, autoritate S. Hildegardis, quæ ad cap. 67. *Regulæ*, vbi de absentibus Monachis itinerantibus, ait textus, quod *semper ad orationem vltimam operis Dei, commemoratio omnium absentium fiat*, sentit, Dominicam orationem vltimã esse, & ita terminantes eam, cum *sed libera nos à malo*, addebant pro absentibus, *Et famulos tuos Fratres nostros absentes*, in adimpletionem mandati REGVLÆ, imò & subiungit rationem: *Quia collectas orationum plenarie, illo tempore, nondum habebant, & ideo diuinum seruitium, per Dominicam orationem sæpius terminabant.* Sic illa satis clarè.

Et quidem vt contrariũ sentiat prædictus Author, plura congerit de antiquitate orationum aut collectarum: eã tamen plusculum nos extendimus ex Cassiano sup. c. 12. nu. 4. nam quæ, post REGVLAM, adducuntur testimonia, ad rē inutilia sunt & altum silentium huiusmodi orationum, aut collectarũ in illa, vbi alia quæque officij minutissima, hymnum, versum, Capitulam, Kyrie eleison enumerat, plurimum fauet sententiæ Hildegardis. Ego nihilominus oppositè adhæreo, non solum ex antiquitate talis orationis aut Collecte, sed ex aliis indiciis, ex REGVLÀ desumptis. Primo; Quia in enumeratione supradicta,

Difficultas de Collecta

TEXTVS

NOTA

Explicat

VI. Resoluitur ex collecturis.

similiter

I.

Coniectura  
prima.

vsque ad hoc *cap.* nunquam numerauerit *Orationem Dominicā*: ergo in precedentibus capitibus, vbi enumeratio terminatur in *Litania*, aut *Kyrie eleisō*, semper subintelligendam voluit, quā nunc nūquam omittendam statuit, unde sub *Litania*, quę precatio est, quęcūque vsitata oratio subintelligēda venit. Secundō. Quia dum in hoc *cap.* recomēdat *Orationem Dominicā* nō prætermittendam, sed in *ultimo ordine* dicēdam, insinuat in fine horę esse ordinem orationum, aut de præcationis, qui admittat posse dici & omitti *orationem Dominicā*, & remanere pro-

priam collectam terminātem horam, sicut in *Vigilijs festiuis*, omisso *Pater noster*, &c. cum sola *Oratione* alia terminatur. Tertiō: Quia citato *cap.* 67. verba ipsius supra adducta id ostendūt, dum ait, ad *orationem vltimā*, nam proprie numerus inter plures versatur, nec potest dici vltima nisi respectu precedentium; aut alterius anterioris; & ita post *Pater noster*, restat alia oratio, quam nunquam defuisse censeo, more antiquo *Collecta*, quę non est cum *Pater noster*, &c. confundenda.

3.

*Qualiter in Natalijs Sanctorum, Vigilia agantur.*

## CAPIT. XIII.

TEXTVS.

**I**N Sanctorum verō festiuitatibus, vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: excepto quod psalmi, aut Antiphonæ vel lectiones, ad ipsum diem pertinentes dicantur, modus autem supra dictus teneatur.

NOTÆ.

I.  
Explicatio  
Textus.

**L**ICET de *Vigilijs* sit titulus, tamē etiam *Maturinos* comprehendit, atque in omnibus tam *Nocturnis*, quam *Laudibus*, pro diebus festiuis Sanctorum, atque in omnibus solemnitatibus, statuit eundem modum & formam, quę supr. *capit.* II. & 12. pro *Dominicis* præscripta sunt. Ita tamen, quod *Psalmi*, *Antiphonæ*, & *Lectiones*, &c. ad diem pertinentia dicantur: Quę planissima sunt, nec explicationis indiga, nisi, quod festiuitates, & solemnitates, intelliguntur, non solum cum de precepto Ecclesię non laboratur, sed etiam in quibus laborando officium, 12. lectionum celebratur.

II.  
Natalitia  
quid?

Nolo tamē nos prætereat, in titulo, *cap.* dixisse *Natalitia*, vt quālibet sanctā festiuitatem intelligeremus. Quia *Natalis* dies, seu *Natalitia* solemnitas, cum proprietate ad festiuitatem *Nascendi* pertinet, sic *Genes.* 40. dies *Natalitius Pharaonis*, & *Matth.* 14. dies

*Natalitius Herodis*, & ita propriissime *Natiuitas Christi*, *Marię*, & *Baptistę*, *Natalitia* sunt. Sed inde cum magna analogiæ conuenientia, traslatum est nomen ad Sanctorum mortem celebrandam, quę verē eorum *felix factus* que *Natalis* dies est, prout ad rem declarauit *D. Ambrosius*, *serm.* 70. de *depositione S. Eusebij*. Et ita antiquissimē vsurpatum in Ecclesia, constat ex *Origine*, *lib.* 3. in *Iob.* August. in *Enchir.* *capit.* 64. & *tract.* 22. in *Ioann.* *capit.* 5. & *Hilario* in *Psal.* 2. Ex quibus id docet *Ioanes Molanus*, de *Martyrolog.* *capit.* 5. adiectis *Pamelio*, in *Cyprian.* *Epist.* 34. *Beda*, *lib.* 2. in *act.* *Petro Chrysol.* *serm.* 129. Similiter ex alijs *Baronius*, in *Notat.* ad *Martyrolog.* *Rom.* 3. *Ianuarij*. Nā & quodcūque rei principiū *Natalis* dicitur. Sic *lib.* de *Patient.* *Tertullianus*, *Natales patientiæ*, & *lib.* de *Pallio*. *Natales mundi*. Sed insuper *Natalis* nomē, pro festo *Cathedrę Pōtificię Petri*, citatus *Baron.* 18. *Februar.*

Natiuitas.

Mors.

Dignitas.

Confessio.

& Molanus capit. 15. de Martyrolog. Vsuardi, & 22. Februarij, vbi etiam Confessio B. Ioannis Euangelistę & Apostoli, Natalis appellatur. Similiter ordinationis diem in Episcopum, Natalem appellari & agi, citatis locis tradidit idem Card. Baronius. Vt iam inde, omnis celebritas sancta, cuiusque festiui mysterij, vel rei, cuius memoria solemniter celebratur, Natalitius dies tanquam renascētis rei, eiusque principij imaginem præferens, appelletur. Ad quod Ioannis Zonare, tom. 2. An-

nal. locus, vbi ait: Urbis Romę edificatio vndecimo Kalendas Maij, hoc est vigesima die Aprilis, est absoluta, qui dies Romanis festus est, & patria Natalis appellatur, &c. Cui consonat Goro-pius Bezan. lib. 4. de originibus Antuerp. ibi: Huic debemus Romę Natalem, &c. Atque de his, post alios, Martinus Roa, lib. de Die Natali, qui est inter, lib. singularium locorum, ipsius, capit. 23. vt constet Natalitia, cunctas continere festiuitates, in sua significatione recepta,

edificatio, &amp;c.

Festiuitas.

Quibus temporibus Alleluia dicatur.

## CAPIT. XV.

TEXTVS.



Sancto Pascha, vsque ad Pentecostem, sine intermissione dicatur Alleluia, tam in Psalmis, quam in Responsorijs. A Pentecoste autem vsque ad Caput Quadragesime, omnibus noctibus, cum sex posterioribus Psalmis, tantum ad nocturnos dicatur. Omni vero Dominica, extra Quadragesimam, Cantica, Matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nona que, cum Alleluia dicantur, vespera vero cum Antiphonis. Responsorija vero nunquam dicantur cum Alleluia, nisi a Pascha vsque ad Pentecostem.

NOTÆ.

I. Alleluia, Regula restrictum pro Septuages.

SECUNDVM dispositionem huius Capit. nullum tempus in totum ab Alleluia, immune relinquit, nisi Quadragesimam. Quod tunc ita seruatum constat, ex Concilio Tolet. 4. sub Honorio I. Canon. 10. & Augustino in Psalm. 118. Censeo enim hic, nomine Quadragesime nullo modo intellexisse Septuagesimę tempus, in quo nunc Alleluia filemus; quia hæc duo tempora, nomine & numero distincta, non est cur confundisse intelligamus, vt constabit infra cap. 49. dum de varietate Quadragesime agemus. Sed certum est, tempore S. BENEDICTI id ita fieri; & postea etiam a tempore Septuagesime, iussum fuisse ab Alleluia, cessari. Hoc autē probatur ex cap. Hi duo 155. de Consecrat. dist. 1. Vbi Leo IX. qui ad annum 1050. vixit, rationem tradidit, & consuetudinem, cur a Septuagesima, Alleluia nouem hebdo-

madibus remittatur, scilicet vsque ad Pascha.

Sed forsitam opponet aliquis, non satis esse disponi aliquid, in vsu Romano, vt statim id transeat in Monasticum, vtens ad hoc, testimonio Ruperti Tuiciensis Abbatis, lib. 8. de diuinis Officijs, capit. 3. vbi in simili, de mutatione quadam facta a B. Gregorio, in officio hebdomadę Paschalis, adstruit nõ ob id esse mutandam Regulam Monachorum, neque credendum esse, aliud intendisse B. Gregorium, sed rectius esse, quemque suam tenere Regulam. Quo testimonio vsus videtur, in hoc Capit. Episcopus Virgell. quamquam non ad retinendum Alleluia in Septuagesima, quę propria hic erat materia, sed concludendo, non esse omittendam Litaniam REGVLÆ, hoc est. Kyrie eleison, &c. tempore Paschali. Nihilominus Ruperti auctoritatem

II. Opponitur Ruperti sententia.

Quid affe-  
quatur?

ad id accipio, vt confirmem illud, quod supra capit. 9. num. 12. tetigi, Pontificū ordinationes circa officium diuinum Romanum, non intelligi de Monastico proprio alicuius Religionis, nisi aliud expresse declaret & iubeat, ad presentē autem casum ea autoritas nihil efficit propter sequentia.

III.  
De Alleluia  
potius est pro  
nobis.

Primó: Quia ibi, Rupertus, cū alia explicet, in quibus mutatio non sit admittēda, iuxta mutationem officij Romani, vt de minuendo num. 12. lectio- num, & alijs, de Alleluia tamē tempore septuagesimæ non dicenda, nihil prorsus agit, loco citato: & vbi de re ipsa agit, scilicet, lib. 4. per sex priora capi- ea, & in capit. 4. præsupponens, tempore septuagesimæ, non dici Alleluia, parat rationem, cur de ore Ecclesiæ, diebus istis, Alleluia tollatur, illud trahens à tempore B. Gregorij, quem Ordinato- rem officiorum vocat, & iam quingen- tis & amplius annis ante Repertū, vel autoritate, vel exemplo rationabili introducta consuetudine, id rite muta- tum fuisse in REGVLA est maximè cer- tum. ¶ Secundó: Id confirmatur

Idem ex D. ex D. BERNARDO, qui legitimam con-  
Bern. suetudinem, in Religione agnoscit, ser. 1. de Septuag. ad finem, vbi concludit: in luctu pœnitentiæ septuagesima præ- sens agitur, vnde & reticetur interim Alleluia solenne, &c. ¶ Tertió: Quia de hoc Smaragdus hic, ait, in Gallia cessatum esse ab Alleluia, tem-  
Idem ex cō- pore Septuagesimæ, iussu cuiusdam Sy-  
cil. Aquif- nodi in Francorum Regno congregatæ,  
gran.

iuxta consuetudinem Romanæ Eccle- siæ, non tamen exprimit nomen Syno- di, nec tempus. Fuit tamen præuldu- bio Concilium Aquisgranense, tempore Ludouici Pij, anno 817. de quo dixi, & rationem reddidi, in *introduc. art. 1. num. 5.* in eo autem, *Canone 30.* decer- nit: Vt Alleluia in Septuagesima dimittatur. Quod iam vniuersaliter fit, & tā- quam ex Regula reputandum.

Mos autem canendi Alleluia, vltra tempus Pentecostes, quod textus Re- gulæ admittit, iam à tempore Damasi Papæ, de Hierosolymorum Ecclesia, ex Beati Hieronymi traditione, in Roma- nam tractum, testatur B. Gregorius, lib. 7. Epist. 63. de quo & Card. Baron. ad annum 384. & Iacobus Gaulterus, in *Cronolog. Eccles. seculo 4.* Reliqua autē de Alleluia, & eius significatione & mysterio, præstabunt abunde, Ruper- tus locis citatis, Guilielmus Durandus, in *Rational. diuin. offic.* Stephanus Du- rantus, de *Retibus Eccles. lib. 2. capit. 20.* Petrus Crespetius, *summ. Cath. verita- tis, verb. Alleluia.* D. Isidorus, lib. 1. diuin. offic. capit. 13. vbi Caue, quod aliquibus equiuocationis causa fuit, nam inscrip- tio Capituli est. De laudibus: Sed vocat laudes, quod ipse in corpore cap. ex- primit. Laudes, hoc est Alleluia canere, &c. deducto nomine à significatione, quam vt ipse ait est *Laus Dei*, vel vt alij, *Laudate Dominum*, non quouis modo, sed læta & gloriosa iubilatione, de qua prædicti Authores, & alij.

III.  
Alia de  
Alleluia.

Qualiter diuina opera per diem agantur.

### CAPIT. XVI.

a Psal. 118.

**S**EPTIES in die (ait Propheta: <sup>a</sup>) Laudem dixi tibi. Qui sep- tenarius sacratus numerus, à nobis sic implebitur. Si matutini, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completoryque tem- pore nostræ seruitutis officia persoluamus, quia de his horis dixit Prophe- ta: Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis vigilijs, ipse Pro-  
b Psal. 118. pheta ait: <sup>b</sup> Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his tem-

TEXTVS.

poribus, referamus laudes Saluatori nostro, super iudicia iustitiæ suæ, id est, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.

## NOTÆ.

**I**N hoc capite, nullum præceptum est, à numeratione horarum Canonicarum distinctum. Atque de numero, diuerse sentientum partita differentia est; aliis septem, aliis octo numerantibus, & vtriusque partis auctores, late refert Stephan. Duran. lib. 3. de Ritibus Eccles. capit. 3. & hic Episcopus Vrgell. qui rectè controuersiam appellat de nomine, tametsi, in ordine ad considerationem moralem, multiplicanti peccata, omittentis officium, iuxta numerum horarum illius, diuersitatem in re adducat; alias non, vt ex sententia multorum, tenet Diana, 2. par. tract. de hor. Canon. Res. 5. Attamen quoad integritatē, nec qui octo dicit, aliquid addit Officio, nec qui septem, detrahit. Et cum S. BENEDICTVS, ex more antiquo, Matutinos seu (quod idem est) laudes à Vigiliis separet, etiam spatio temporis interiecto, sēper in Ferialibus, quod in Festiuis ea cōiungat, & quod postea etiā in Ferialibus coniuncta fuerint, nō tollit, quin sicut antea, duæ horæ sint, & laudes semper suum initium, sicut aliæ horæ, habent, per *Deus in adiutorium meum*, &c. & qui priuatim recitat, etiam si, recitatis Nocturnis, referuet recitandas Laudes quocumque in-

teruallo factō, nequaquam intelligitur vnā horam diuidere; sicut nec diuidit chorus, qui in die Natiuitatis Domini, vtrumque separat. Quare octonarium numerū à S. BENEDICTO assignatum, proprium & legitimū esse censeo, & desumptum ab eo ex Concilio Agath. vt notauī sup. cap. 12. num. 4.

Sed nota, quod etiam si præallegauerit, pro Vigiliis nocturnis, illud Psalmi *media nocte surgebam*, &c. tamen quando tempora repetit horarū, omisit illud, *media*, & solum dixit, *nocte surgamus*, idque consequenter ad dicta supra, capit. 8. vbi nunquam, ipsa media nocte surgendum ordinat, sed *medice amplius de media nocte*, hora ibi designata & probata. Atque id satis hic esse iudicat, ad correspondentiam temporis in tempestæ noctis, insinuatæ à Propheta, nec reluctante dicto Psalmo, ad cuius locum, Lorinus, ex voce Græca, deducit non adeo exactè semper *medium* desumi, cum dicitur *media nox*, sicut cum vocatur *meridies*, & absque illo medietatis rigore, stat veritas & fructus illius maturæ, antelucanæ, & vigilantissime confessionis, in Dei laudes; & in peccata lachrymis per singulas noctes, eluenda profuffis.

II.  
Notatio de  
media nocte

Quot Psalmi per easdem horas dicendi sint.

## CAPIT. XVII.

## TEXTVS.

**I**AM de Nocturnis vel Matutinis digessimus ordinem Psalmodia, nunc de sequentibus horis videamus. Prima hora dicitur tres Psalmi sigillatim, & non sub vna, Gloria, Hymnus eiusdem horæ post *versum*: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, antequam Psalmi incipiantur*, post expletionem verò trium Psalmorum, recitetur lectio vna, *versus*, & *Kyrie eleison*, & *missa* sint. Tertia vero, Sexta, & Nona eodem ordine celebrantur, id est *versus*, *hymni* earundem horarum, terni Psalmi, lectio, &

ver-

*Versus Kyrie eleison, & missæ sint. Si maior Congregatio fuerit, cum Antiphonis, si vero minor, in directum psallantur. Vespertina autem Synaxis, quatuor Psalmis cum Antiphonis terminetur, post quos Psalmos, lectio recitanda est, inde Responsorium, Ambrosianum, Versus, Canticum de Euangelio, Litaniam, & Oratio Dominica, & fiant missæ. Completorium autem trium Psalmorum dictione terminetur. Qui Psalmi directanei, sine Antiphona dicendi sunt, post quos hymnus eiusdem horæ, lectio una, versus, kyrie eleison & benedictio, & missæ fiant.*

## NOTÆ.

I.  
Percurritur  
textus.

Versus Deus  
in adiutoriū  
&c. Virtus.

**I**N titulo cap. illud easdem horas, refertur ad reliquas, præter Vigiliis & Matutinum, id est præter Nocturnos & Laudes, de quibus in Superioribus disposuit, & nunc pro reliquis idem facit. In textu: *Nocturnis vel Matutinis*, iterum particula, vel copulatiua accipitur, sicut sup. cap. 13. num. 5. & circa residuum literæ, fere omnia in anterioribus explicata manent. Versus, *Deus in adiutorium, &c.* in principio omnis horæ semper assignatur, qui ut ait Cassianus Collat. 10. cap. 10. non immerito, de toto scripturarum exceptus est instrumento, eiusque virtutem, per totum illud prolixum sed iucundum, Caput late profequitur, ut ad omnia, illius efficaciam iuuenimur. Illud *Synaxis*, accipitur pro ipsa hora Canonica, sumpto nomine à Congregatione aut Conuentu eorum, à quibus simul diuinum Officium agitur, ut notauimus, cap. 12. num. 4. illud cum *Antiphonis, & in directum, & directanei, & sine Antiphona*, eodē capit. num. 1. & 2. explicauimus. Illud, *Benedictio*, ut sup. capit. 11. num. 13. vel si maioris, pro signatura crucis, & verbis: *Benedictio Dei omnipotentis, &c.* ut ibidē, num. 10.

II. Sed cum idem sit, sine Antiphona, & in directum, ut probatum est, & in Antiphonis præsentem dicat: si maior Congregatio fuerit cum Antiphonis, si minor in directum psallantur: Numquid, officium, quod pro maiore Conuentu Antiphonas habebat, si in minori Conuentu psallatur, omittendæ sunt Antiphonæ, id est, clausulæ, aut sententiæ illæ quæ in fine psalmi alternati, ab utroque canuntur cho-

ro? Respondetur negatiue; ut usus tenet, quod licet Antiphona notis musicis descripta sit, & tonum contineat, secundum quæ modulatio psalmi fiat, quando omittitur modulatio musica, tamen litera dicatur & recitetur; ut ferè semper in officio Defunctorum fit, quamuis alias notis aut punctis musicis dispositum sit, & aptum modulatione cantari. Verumtamen REGULA, à quibus ipsa remouet regulariter modulationem cantus, ut semper in directum, seu en tono, dicantur, etiam literam Antiphonæ remouet, ut patet in Completorio, &c. ubi verò Antiphonam ponit, eam cantu instructam, & ad canendum aptam, non solum aptitudinem, sed actum requirit & iubet, nisi aliud declaret, ut in præsentem disponit.

Maior autem dubitatio est, & explicatu difficilior circa illud, quod sepius hic iterat, semel post ordinatam Primam dicens, & *Missæ sint*, iterum, post Tertiam, Sextam, & Nonam, & (meo videri) pro qualibet repetendum. Rursum post Vesperam, & *Missæ fiant*, & tandem idem post Completorium. Quod verò in hoc cap. his verbis, nulla sit mentio de Eucharistico Missæ sacrificio, quod in altari à Sacerdote perficitur, nulli dubium est. Non enim quater, aut sexies, celebranda erat in die Conuentualis Missa, neque ea congruit horis post Nonam, aut Vesperam, aut Completorium; & ideo alia via procedendum est in explicatione.

III. Igitur de hoc Card. Turrecrem. explicat *Missæ sint, aut fiant*, idem est, ac *Opinio Tur- recremata di- Cardin.*

Resoluitur.

III.  
Dubitatio de  
illo Missæ  
sint.

III.

Opinio Tur-  
recremata  
di- Cardin.

dicere: dicantur orationes seu collectæ, quas in fine Horarū sub *oremus*, solemus dicere, easque vocat *Missas*, quia per illas, preces Deo mittimus. Refutatur autem ab Episcopo Vrgell. licet fateatur esse conforme Alcuino, Isidoro & alijs. Adde quod ex Smaragdo, adducitur idem à Petro Chiaconio, in *Annotat. ad Casian. verbo Missa*, item Concilium Mileuitanum, *can. II.* quod in hunc sensum, citat Bellarm. *lib. 1. de Missa, cap. 1.* Imò de ipso sacrosancto sacrificio *Missæ*, Petrus Mauricius seu Venerabilis, *lib. 2. de Miracul. capit. 28.* dixit: *Quia Deo mittitur, Missa vocatur.* At Episcopus prædictus non agnoscit hic *Missæ*, scribendum esse cum diphthongo, & ita ait *Misse sint*, id est hora completa est, nam ita supra *capit. 12.* in simili dixit, & *completum est*, & rursū, *cap. 13.* atque ita sit ad modum, quo dicitur *ite Missa est*, quo indicatur completam & finitam esse *Missam*. Quam explicationem ad locum REGVLÆ adhibuerat Stephanus Durant. *de Ritibus Eccles. lib. 2. capit. I. num. 5.* qui id explicat, quasi *Missæ* idem sit quod *missio*, aut *dimissio*; quia completo sacrificio, dimissio populi fit, & ita per *ite missa est*, denuntiatur absolutio sacri, & dimissio adstantis populi, vt latius eodem *lib. capit. 56.* ex Alcuino, Floro & alijs, licet D. Isid. *lib. 6. æthim. cap. 19.* deriuationem à mittendo tenens, ait: *Quando Catecumeni foras mittuntur, inde Missa.*

Opinio Episcopi Vrgell.

XI

allian orat  
de sacrosan  
capit. 13  
S. B. B. B.

V.  
Missæ signi-  
ficatio 1.

Ego autem in hac re sic existimo, *Missam* habere plura significata. Vnū quidem & proprium, vnde cumque nomen sumptum sit, siue Hebræa, siue Caldeæ origine, iuxta tradita à Baronio, *tom. 1. ad ann. 34.* ab ipsis Apostolis vsurpatum & posteris traditum, vt significet sacrum altaris MYSTERIVM; nam & *Missæ*, idem est quod *oblatio*, & stat pro ista viuifica oblatione Corporis & Sanguinis CHRISTI. Quo sensu probabilis accipio cum dicitur, *ite, missa est*, vt *missa* idem sit quod *oblatio*, quasi dicatur *ite*, hoc est, abire licet, quia *oblatio est*, scilicet, extat peracta & perfe-

cta. Nam si ibi *Missæ* intelligatur, quasi *Missio est*, idem sit, quod abire, discedite: redundat particula *ite*, in qua satis dimissio significatur: & eius ratio subiungitur, dicendo *Missæ est*, id est, oblatio huc vsque. Nec tamen nego verbū *Missæ*, cum *missione*, aut *dimissione* conuenire, nam & cum supra citatis, sentit Card. Bellarm. *lib. 1. de Missa, capit. 1. & lib. 2. capit. ultimo*, volens nomen Latinum esse: In quo cum conueniat etiam citatus Episcopus Vrgell. iuxta exempla, ex Virgilio & Terentio, ab ipso allata; nescio cur dicat, quod *Ly Missæ* nunquam cum diphthongo scribatur. Ego enim, excepto textu Regule ab ipso editæ, nullam sine diphthongo vidi: neque inter varias lectiones, quas adducit Haestenus, varietatē aliquam huius vocis inuenit: Imò & ablato diphthongo, talis dictio, incognita est omni in vniuersum auctori Latino: neque vlla inde suo intento exurgebat probatio. Sed ad rem, cum ea dimissio populi, completo sacro, fieret: pro eodem haberi: Oblationem sacrā compleri & finiri: & dimissionem adstantis populi fieri, ex vtroque colligitur.

LECTIO Episcopi Vrgell. repro-  
batur.

XV

de sacrosan  
capit. 13  
S. B. B. B.

VI.  
Missæ signi-  
ficatio 2.

Rursum ad nostrum textum, alia *Missæ* significatio est, pro quacumque hora Canonica diuini Officij. Ad huius significationis probationem, tibi congerit loca eruditissimis viris, citatus numero 4. Petrus Chiaconius: sed ex Casiano, cuius loquendi modus vsurpasse S. BENEDICTVM sæpe constat, aliqua subiecio, *lib. 2. de instit. canob. capit. 7.* eius titulus est: *de disciplina orandi*, & in corpore ait: *nec dum finito psalmo, in orationem procumbens festinamus, ad celeritatem missæ quantotius properantes, vbi taxat expertum vitium eorum, qui velocitate vrgent chorū, de refectio-  
ne potius corporis cogitantes, quam orationis vtilitatem requirentes.* Item *capit. 13.* cuius titulus est. *Quare post missam nocturnam, dormire non oporteat.* Vbi *missam* vocat, quod in corpore *cap. orationum Canonicarum functiones*: scilicet nocturnas vigilias, duodenario psal-

XIV  
de sacrosan  
capit. 13  
S. B. B. B.

psalmodiū numero cōstantes, vt ex antecēdēti cap. liquet. Rursus c. 15, in titulo ait: *Qualege modestie. post orationū missā, vnusquisque ad suā cellam redeat.* Quod explicat initium capitis, scilicet esse finitis *Psalms*, & quotidiana Congregatione absoluta, &c. Preterea, lib. 3. capit. 5. de Matutinis ait: *missa Canonica celebrata, &c.* Et capit. 6. ibi: *Eodem ordine missam, quo prius, in nocturnis Conuentibus, celebratam, & idem, capit. 8.* & II. & adducitur etiam confirmatio ex Victore, lib. 2. de persecutione Vandolica: Ex quibus significatio prædicta constat. Possetque confirmare ex Ilidoro, in Regula sua, capit. 6. de officio, ibi: *deinde tres missæ psalmodum, &c.* Quam vero significationem missæ, pro lectione, adducit Hæftenus, lib. 7. tract. 8. disq. 5. locis REGVLÆ quadrare non posse, vbi nihil agitur de lectionibus, per se patet.

VII.  
Dimissio à  
Choro, hora  
finita.

Cum vero de significatione constet propria officij diuini, de quo his Capitibus agit REGVLÆ constat etiam quod finita hora Canonica, à choro recedebant Monachi, & eorum dimissio fiebat, vt Cassiano, lib. 4. capit. 16. apparet, ibi: *si dimissa synaxi, non concitus ad cellam festinauerit, id est, dimissa Congregatione aut cætu, absoluta officij hora.* Ad quod non opus est, vt Missa significet dimissionem istam, sed satis est eam semper hora finita fieri, vt pro eodem sumatur, quoad effectū & modum loquendi hora est peracta, & dimissio à choro facta. Atque sub hac significatione reor vsurpari in nostro textu REGVLÆ Missæ sint, aut Missæ fiant, vt intelligantur finitæ horæ, & quantum est ex parte cuiusque, iam sic perfectæ & finitæ, liceret discedere.

VIII.  
Dubitatio de  
interuallo  
postquālibet  
horam, resolu-  
tur.

Sed hinc requiret aliquis, an ista dimissio, seu recessus à choro, fieret in omnibus horis? & regulariter ita videtur affirmandum. Nam de Nocturnis saltem ferialibus, constat, capit. 8. De Prima etiam, quæ per se, interuallo facto, ante Tertiam dicebatur, & de Sexta ante Nonam ex capit. 48. videtur satis colligi;

quia prandium, certo tempore, Sextam à Nona diuidebat, & sæpe post Nonam erat, & alio tempore post Vesperas, & semper inter has & Completorium interiacebat lectionis tempus, vt suis locis, secundum REGVLAM, pro eius tempore, apparebit. Solum de interuallo inter laudes & Primam, non omnino liquet. Sed est etiam verisimile, nam saltem diebus Festiuis, & Dominicis, in quibus capit. 11. Laudes cum Nocturnis coniungit, non videtur potuisse connecti incessanter Prima. Atq; ideo interuallū in omnibus fuisse existimo, modo dicto, licet de hoc nullum premens REGVLÆ præceptum sit, sed communi iam consuetudini standum, sicut in alijs rite introductis & mutatis.

Etenim dūm in Missæ nomen incidimus, mirabitur aliquis, quod cum per tot Capita, huiusmodi Missas seu horas Canonicas, denique totum officium diuinum, tam peculiariter & accurate ordinauerit nullum sermonem, de sacrosancto sacrificio Missæ, quibus diebus, qua hora, vel quo pacto celebrandum esset, in congregatione seu conuentu, fecerit. Præsertim cum de Sacerdotibus vel suscipiendis, vel ordinandis, tam distincte agat, capit. 60. & capit. 62. atque de sacra communione, capit. 38. & capit. 63. Quod verò tunc, vt etiam à principio Ecclesiæ, ritè & solemniter Missæ sacrificium, & oblatio vbique celebraretur, dubium esse non potest fidei, innumeris adductis testimonijs, à Guillel. Dur. Mimantensi, in Rational. diuin. & à Steph. Dur. lib. 2. de Ritibus Eccles. & vt vnus pro omnibus citetur, à Card. Roberto Bellarm. de Missa, lib. 1. & 2. Sed & in casu nostro, satis erat testimonium D. Greg. describentis Vitam S. BENEDICTI, lib. 2. dialog. capit. 26. dum ait: *Cum in Ecclesia Missarum solemnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret, &c.* Cur igitur in proprijs Monasterijs, quæ cum officij diuini præcipua celebratione instituebatur, tanti sacrificij celebrandi modum non præscripsit, nec de co-

IX.  
Quare nullū  
de sacrificio  
Missæ caput  
in Regula sit?

mandatum dedit? sed ad summum obiter meminit, *cap. 35. vt ibi dicemus, & c. 38. etiam confuisse.*

X.  
satisfit, res-  
pensione va-  
ria.

In hac re quidem, ex prædictis testimonijs, mihi exploratum est, Missarum celebrationes, non solum priuatim, sed conuentualiter fuisse, & idem censeo de alijs, de quibus adhuc minor aut nulla, in REGVLÆ dispositione, mentio fit, vt statim, *Cap. sequenti adnoto, & capit. 73. num. 3. enumerato.* At omissionis horum & similium, quænam fuerit certa causa, affirmare non audebo. Existimo tamen de aliquibus, peculiarem librum, præter Regulam extitisse, sicuti nunc distinctum librum *Vsuum* habemus, vbi de Missis, & alijs, ad Missas & suffragia, ceremonijs, ageretur. Aut id, *Missali*, iuxta ritum cuiusque Ecclesie Episcopalis, cui subdebantur Monasteria, derelictum, tamquam quid

propriè pertinens ad Dioecesanum, & ab ipso, etiam pro Monachis ipsi tunc subditis, statuendum. Aut quædam ita esse, in praxi & stilo, vsitata & nota, vt traditione vigente, non esset opus peculiariter REGVLÆ textu recenseri: sicuti etiam, hæc de articulata officij diuini dispositio, in alijs omittitur Regulis. Aut sanè contigit, vt videmus in omni lege humana accidere, vt quantumuis omnia velit exprimere, aliqua tamen fugiant, aut commissa traditionibus, aut permissa consuetudinibus, aut quasi cõcessa arbitrio succedentium relinquantur. Neque hoc est nouum, si Regulas alias consulamus, in quibus adhuc multo plura desiderari, diligens inspector deprehendet, imò & de prædictis hic expressis etiam præteriri multa.

*Quo ordine Psalmi dicendi sunt?*

## CAPIT. XVIII.

TEXTVS.

S. I.



**I**N primis, semper diurnis horis dicatur *versus*: Deus in adiutorium meum intende, &c. & Gloria. Inde hymnus vnius cuiusque horæ. Deinde Prima hora, Dominica dicenda quatuor Capitula Psalmi 118. reliquis vero horis, id est Tertia, Sexta, & Nona, terna capitula supra dicti Psalmi 118. dicantur. Ad Primam autem secundæ ferie, dicantur tres Psalmi, id est 1. 2. & 6. & ita per singulos dies ad Primam vsque ad Dominicam dicantur per ordinem terni Psalmi, vsque ad 19. Psalmum, ita sanè vt 9. Psalmus & 17. partiantur in binas Glorias, & sic fiat, vt ad vigilijs Dominica semper à 20. incipiatur. Ad Tertiam verò, sextam, & Nonam secundæ ferie, nouem capitula que residua sunt de 118. Psalmo, ipsa terna per easdem horas dicantur.

S. II.

¶ Expenso ergò Psalmo 118. duobus diebus, id est, Dominica & secundæ ferie: tertia feria iam ad Tertiam, Sextam, & Nonam, psallantur terni Psalmi, à 119. vsque ad 127. id est Psalmi nouem: quique Psalmi vsque ad Dominicam per easdem horas itidem repetantur, hymnorum nihilominus, lectionum, vel versuum, dispositione uniformi, cunctis diebus seruata: & ita scilicet, vt semper Dominica à 118. incipiatur.

Vespe-

§. III.

¶ *Vespera autem quotidie, quatuor Psalmorum modulatione canatur, qui Psalmi incipiuntur à 109. usque ad 147. exceptis his, qui in diuersis horis, ex eis sequestrantur, id est à 117. usque ad 127. & 133. & 142. reliqui omnes in vespera dicendi sunt, & quia minus veniunt tres Psalmi, ideo diuidendi sunt, qui in numero supradicto fortiores inueniuntur, id est 138. & 143. & 144. Centesimus vero sextus decimus quia paruus est cum 115. coniungatur. Digesto ergo ordine Psalmorum Vespertinorum, reliqua, id est lectiones, Responsorialia, Hymni, Versus, vel Cantica, sicut supra taxauimus impleantur. Ad Completorium vero quotidie ijdem Psalmi repetantur, id est 4. 90. & 133.*

§. III.

¶ *Disposito ordine psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes Psalmi, qui supersunt æqualiter diuidantur in septem noctium Vigiliis, partiendo scilicet, qui inter eos prolixiores sunt Psalmi, & duodecim per unamquamque constituantur noctem. Hoc præcipue commonentes, ut si tui forte hæc dispositio Psalmorum displicuerit, ordinet si melius aliter iudicauerit: dum modo omnimodis id attendatur. Ut omni hebdomada, Psalterium ex integro numero 150. Psalmorum psallatur, & Dominico die semper à capite repetatur ad Vigiliis. Quia nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendunt Monachi, qui minus Psalterio, cum Canticis consuetudinarijs, per septimanam circulum psallunt; cum legamus Sanctos Patres nostros, uno die hoc strenuè impleuisse, quod nos tepidi, utinam, septimana ipsa integra, absol-uamus.*

NOTÆ.

I.  
Circa textū  
obseruatio.

**N**IHIL aliud hinc præstat Sanctiss. P. N. BENEDICTVS, nisi distribuere Dauidicum Psalteriū, per canonicas horas dierū totius hebdomadæ, & eo modo, quo huc vsque, in nostro obseruatur Breuiario. Vbi textus ait: *Quatuor capitula Psalmi 118. &c. vocat Capitula, diuisiones illius Psalmi, qui per Octonarios, suis literis Alphabeti Hæbraici distinguitur. In qua distributione diaria, etiam non ad integrum supputatis capitulis prædicti Psalmi, correspondet numerus cuiusque diei, illi quem ex Regula, ab Angelo data S. Pachomio, notabamus, sup. capit. 10. num. 2. etiam Canticis adiectis non computatis. Reuerentiam Psalterij, & receptissimum illius vsum, in fine capituli maximè commendat, ad quod, pro meo instituto satis esse possunt dicta supr. citato num. in fine,*

*& capit. 11. num. 4. quæ ad idem pertinent.*

Aliquid tamen occurrit circa illud: *Si cui forte hæc distributio Psalmorum displicuerit, ordinet si melius aliter iudicauerit, &c. In quo præter humilitatem tanti viri, se se aliorum iudicio ad eò promptè submittentis, quæ superbiorum, nullam patientium censuram, aciem reuerberat, videtur officij diuini dispositionem, & fuisse voluntariam S. BENEDICTO, & voluntati Abbatum relinqui, tantum enim limitat, vt omni hebdomada, Psalterium ex integro numero 150. Psalmorum psallatur, cum aliis Canticis consuetudinarijs, iam in Superioribus dispositis. In quo non est mihi integrum, quoad hoc vltimum, pronuntiare, hanc dispositionem relinqui Abbati, qui REGVLAM professus, eam magistram sequi, & à nullo deuiare*

II.  
Ordinatio officij num. libera B. Benedicto?

Quomodo permissa aliter?

tenetur, vt capit. 3. dictum est, neque ipsis subditis, in re tanta, videtur facile permissu arbitrium, sed illud: *si cui forte, &c.* ad alios referendum forte est, in quorum manus, si deuenisset REGVLA, scirent, se non præferre suam dispositionem aliis, potius, humiliter de illa sentire, & quod in melius mutari posset. Quod si quis mordicus contrarium sentiat, pro tunc non contendo, vt cumque enim, iam nunc tale arbitrium (si forte permisserat Regula,) cessauit, vt ediseram, respondendo ad primum.

## III.

*Ipsi Bened.  
libera fuit.*

De quo, tempore illo, censeo liberum fuisse adhuc S. BENEDICTO, officium suo modo disponere, in quo olim tanta fuit varietas, vt Cassianus, lib. 2. capit. 2. affirmet, *tot propemodum typos, ac regulas vidisse vsurpatas, quod etiam Monasteria, cellasque conspexit.* Nec est vnde illum affirmemus fuisse constrictum, ad sequendum aliorum typum; sed ordinasse quem, consideratis aliis, aptiorem suo instituto iudicauit. Nec modus, quo illum tradidit, & mutandum proponit, aliud suadet. Et licet ex iniuncto Damasi Papæ, D. Hieronymo instante, Psalmis decantandis adiunctum videatur, *Gloria Patri, &c.* vt ex Epistola eius, tom. 1. Concil. Colligitur tamen modus formaque officii, non ab antecessoribus, neque ab ipso, aut à Siricio, qui ei successit, ita generaliter determinata fuere, vt ab omnibus seruarietur, & ita nihil antecedenter obfuit Monastici officii ordinationi, quod sciamus, nisi ordinaria subiectio Episcopo loci ad quem potius referenda est illa submissio, *ordinet si melius, &c.* de quo vberius infra in *Lacinia Segm.* 25. à numer. 3. contra Ioann. Caramuel.

## III.

*Iam ablata  
potestas mu-  
tandi.*

Postea verò accuratius, Gregorij Magni autoritate, Ecclesiastico ordinato officio, iam inde ab eo approbatione REGVLÆ adiecta, in concilio Romano, anno 595. officium in ea, pro suis Monachis ordinatum, magna fuit autoritate susultum, & antiqua consue-

tudine firmatum. Ita vt postmodum, alijs adhuc variationibus in Breuiario Romano, ab alijs Pontificibus inductis, tantam reuerenti sint Sanctitatem & antiquitatem dispositionis, & eam illibatam reliquerint, & seruari voluerint: vt iam ex inde, si quod arbitrium à REGVLA concessum est, cessauerit, nec liceat Abbatibus, alijs ve, aliquid propria volente immutare, nisi per Capitula Apostolicis priuilegijs instructa, vt dixi supr. capit. 9. num. ultimo, & capit. 15. num. 2. & tunc etiam, quoad Sanctorum adiectionem in Calendario proprio, seruata prærequisita Sancti canonizatione, aut beatificatione, de qua Bellarm. tom. 1. *Controu. de Eccles. triumph.* lib. 1. capit. 10. & Fagundez, de *Quinque Eccles. præcep. par.* 1. capit. 3. num. 15. aut si qua alias Apostolica limitatio extet, quæ ultra vtentes Romano Breuiario extendatur, & ultra habentes simul propria Sanctorum talis Religionis Calendaria, quæ perinde atque ipsum Breuiarium, comprehendantur. Circa quæ est decretum Congregationis sacre Ritum, per Vrbanum VIII. anno 1628. editum. De quo an generaliter receptum & practicum sit, dubito; sed specialiter, non ultra prædictas metas, vt de peculiari Religionis Breuiario non decernat, scio grauium virorum fuisse sententiam, & conformem dictis sup. capit. 9. num. 12.

Huc vsque iam absoluta dispositione officii, iuxta Regulam, ordinate, de obligatione illius, videbatur diferendum, neque id opus erat cuiuslibet capiti annectere, donec absolueretur ordinatione, quamuis præocupatione vtēs, iam indicatum sit sup. capit. 9. num. 10. & nunc idem assero: scilicet quod ad persoluendum diuinum officium præcipuum, quod vocamus *Mainus*, & statuitur iuxta REGVLAM, & Breuiaria, cuiuslibet Congregationi dispositum, sub mortali tenentur Monachi professi, à die professionis, etiam si nullo ordine sint insigniti, dummodo ad chorū sint destinati. Huius officij antiquitatem &

*Præter Capi-  
tula genera-  
lia & quo-  
modo.*

## V.

*Obligatio of-  
ficij Regule  
pro Mona-  
chis.*

obseruatiã, prosequitur Petrus Crespius, in *summa Cath. verit. verbo officium diuinum, Hora, cantus*. Et Stephanus Durant. de *ritibus Eccl. lib. 3. à capit. 2.* & resoluit prædictam obligationem, *capit. 22.* Idem, ventilata quæstione Episcop. Vrgell. latè in *Comment. Regul. cap. 19.* Author *Compēdij nostrorum priuileg. verbo officium diuinum, Azor; tom. 1. lib. 10. capit. 6.* Bonacina, *tom. 1. de Horis Can. disput. 1. quæst. 2. punct. 5.* & qui ab eisdem citantur, plures. ¶ Eadem assertio intelligenda est, de Monialibus professis destinatis ad chorum: Cum eisdem, & quos citat Diana *par. 2. tract. de Hor. Canon. resol. 17.* qui cum benignam casu resolutionē promittat, & toties problematicè procedat, in hoc, aliam benignitatis latitudinem non inuenit. Nasciturque hæc obligatio in Monialibus prædictis, sicut & in Monachis non initiatis ordine sacro, ad minus ratione consuetudinis, habentis vim præcepti obligantis ad mortale, vt cum pluribus, vltra prædictos, docet Thomas Sanchez, *tom. 2. Consilior. lib. 7. capit. 2. dub. 3.* Imo & amplius ratione etiam præcepti, ex Regula ostendam in *Lacina Segmento 9. & 10.* Secus vero est in professis vtriusque sexus, nõ ad chorum destinatis, vt similiter idem ibi: *num. 13.* & qui sup. Hi enim cum diuino cultui mancipati non sint, ad hoc officium non obligantur. Quæ ratio similiter currit in equitibus Alcantaræ, Calatrauæ, Montesiæ & similibus Ordinis Cisterciensis, & Regulam S. Benedicti profitentibus, destinatis ad Militiam, & ita, ab officio in ea ordinato liberi sunt & immunes. Atque ad orationes aliàs sibi iniunctas, solum iuxta diffinitionum Cisterciensium obligationem suorum capitulorum, tenebantur ordinatione aut mandato. De assistentia autem in choro, dico *cap. 32. num. 12.*

VI. Hoc tamen sic de officio diuino & Officium B. maiore REGVLÆ. Sed cum hodie, duo Mariæ omis alia officia, vnum B. MARIÆ, quod sum in Reg. paruum appellamus, & aliud DEFUNC-

TORVM, suo etiam modo, recitemus: quæri potest. Cur nihil in Regula dispositum? Et quanam obligatio vtriusque? Ad primum respondetur breuiter de officio B. MARIÆ, longo tempore post B. BENEDICTVM incepisse, vt constabit inferius, & ita nihil haberi ex eius Regula. De officio autem defunctorum, potest esse disputatio, aut de suffragiis in funeribus defunctorum aut de annua illorum memoria, die secunda Nouembris: aut de quotidiano, saltem ferialibus diebus, officio certo modo recitando. Quorum omnium in REGVLA nulla mentio est, quia etiã B. BENEDICTO posteriora fuere, excepto primo, de quo ad Regulam, quæ viuendi normam præscribat, non in ea intererat cura pro mortuis, eã charitati fratrum demandatã, iuxta communem sepeliendi morem, aut in peculiari cæremoniali descripta, pro vt in simili dixi, *cap. 17. num. vlt.* Nam & isti funerum ritus, & exequiarum suffragia, inter Christianos, ab ipso Ecclesie exordio cepisse, tibi, (vt omittam alios,) ostendit erudite Stephanus Durantus, de *Ritibus Eccl. Cath. lib. 1. cap. 23. num. 10.* Petrus Crespius verbo, *Defunctus*, Baronij abreuiator Henricus Spondanus *tract. de sacris ceterijs*, qui se ipsum citat, in *Epitome Baron. ad ann. 34. num. 91.* & Gerard. Vossius, in *schol. ad Testam. B. Ephrem. & alij.*

Quantum ad annuam memoriam Defunctorum, die supradicta, eam in D. Petrum Damianum refundit Guiller. Duran. *Mimat. in Rationali diuin. lib. 7.* Sed ipse Petrus Damian. acceptum fatetur, ab Odilone Abbate Cluniacensi, in eius vita, & ita Sigebertus, in *Chron. ad annum 998.* postmodum qua inde ab Ecclesia, ea die stabilitum, quod tradidit Baronius in *Notation. ad Martyrol. die 2. Nouemb.* Vnde neque istud in REGVLA vt pote anteriore, requirendum est. Idem dicendum est, de Officio Defunctorum Nocturno & Vespertino, cuius antiquiorem mentionem non inuenio, quàm

Cur defunctorum funera? & eorum antiquitas.

III

VII.

Idem de memoria annua defunct. & quando cepta

quæ

Idem de officio diario, & eius principium.

quæ ex Concilio Aquisgranensi, de quo dixi sup. cap. 15. num. 3. in quo canone 12. dicitur: & quando officium mortuorum celebratur, priusquam lectio Completorii legatur, bibant, & Can. 66. ut psalmus inuitatorius & gloria, pro defunctis non cantetur, & etiã Can. 50. & 73. Atque si quid ampliùs dandum, ferè in idem tempus coincidit, scilicet annum 800. tempore eiusdem Ludouici Pij, in quo Amalarius Fortunatus Episc. Treuerens. lib. de ordine antiphon. cap. 65. ait: Post officium Sanctorum, inserui officium pro mortuis, multi enim transferunt de presenti seculo, qui non illico sanctis coniunguntur, pro quibus solito more officium agitur &c. Et quamuis solito more dicat, tamen in trecentis fere annis à tempore S. BENEDICTI, recentior consuetudo potuit introduci, quam ipsius REGVLA non potuit exprimere in officio, & ita ex ipsa nihil habemus. Sed solum standum est, postmodum introductæ obligationi, quam, secundum cuiusque Congregationis modum, constitutio vel consuetudo firmavit. Nam de mea Congregatione Cisterciensi Hispanæ OBSERVANTIÆ, idem quod de officio, B. MARIE dixerim, de illo etiam pronuntiabo; vtriusque enim eadem est probatio, & similis existimatio apud nostros.

VIII.  
Omissio officij B. Mariæ in Regvla.

Nunc de Officio B. MARIE, restat videre, quod adhuc minùs possumus dicere præteritum, aut omissum in REGVLA, cum omnino tunc non extitisse constet. Atque in obsequium sanctissimæ Dei genitricis, cuius debitæ seruituti à nullo detractum velim: & ut eius memoriã, dum illam, indignus licet, cogito & inuoco, meæ qualescumque lucubrationes, in bonum dirigantur, & cælitus roborentur altius, ista repetam. Nec erunt ingrata legenti. Imò & cuique Congregationi proficua, pro sua, qualis fuerit, obligatione cognoscenda, licet specialiter solùm de nostra Cisterciensi OBSERVANTIÆ Hispaniæ procedam nunc. Modus autem, quo istud officium, quod respectu Maioris primi, & solemnioris, vocamus Paruum, reci-

tatur in dicta Congregatione, iste est. Illius in nostra Congregat. modus, & obligatio. Ut nullo omnino die prætermittatur, nec in choro à communitate & conuentu, neque extra chorum, ab illis, qui aliàs adesse choro excusantur, ita quod nec in tempore, neque in personis vlla sit exceptio. Obligatio verò est sub mortali culpa, modo quo officium maius: & hoc sit pronuntiatum, vndique à me expendendum.

Ad quod, de principio, & progressu huius officij, B. MARIE, premitto, illud iam inter monasticas obseruantias frequenter admissum, à tempore Card. Petri Damiani, cui primùm attribuitur. Licet Ioannes Monachus, in eius vita cap. 15. Amplificatorem institutionis horarum B. Mariæ, eum dicat. Tamen Card. Baronius, ad annum 1056. trahit in eius Gamugensi Monasterio Eremitarũ, quod ipse instituit, statuto Dei genitricis officio, & persuasione Gozonis cuiusdam monachi, reprobis & queruli quòd onus istud impositum esset, vltra dispositum officium Regulæ S. Benedicti, post triennium omissio, tot rapinis, incendijs, & calamitatibus afflictum monasterium fuisse, (ut constat ex fragmento epistolæ eiusdem P. Damiani, lib. 6. epist. 32. adducto à Baronio) quod nulla hominum opitulatione, ei potuit succurri. Donec ab ipso Cardin. B. Petro Damiano, ea re cognitã, & ab ipsis monachis humili poenitentia talis omissionis facta, officium B. VIRGINIS restitutum est, & ex eo, remedium tot malis allatum. Vnde propagatio eius vires & augmentum sumpsit. Nã in Carthusia, miraculosa reuelatione fuisse admissum, viuentis ipsius fundatore S. Brunone, refert Laurentius Surius, in eius vita tom. 7. Octobri, 6. Atque inter instituta Cluniacensis Monasterii, quæ innouauit S. Petrus Mauricius Abbas, vocatus Venerabilis, qui statuto 60. ann. ex consuetudine in Ecclesia infirmorum quotidie, recitari solitum. Ac tandem, prout inter monachos vigeat, pro omnibus etiam Clericis ad Canonicum officium diuinum obligatis, vniuersaliter à Urbano Pa-

IX.  
Officij B. Mariæ origo & progressus.

pa II. indictum est in super idem officium  
 B. MARIE, in Concilio Claromonten-  
 si anno 1095. ad quem annum, Card. Ce-  
 sar. Baronijs, aut iuxta alios anno 1096  
 vt ex Antonino Archiep. Florentino,  
 & Nauclero, Genebrardus, in *Chronolo-  
 gijs*, & ipse Antoninus 2. *part. hist. tit. 16  
 cap. 1. §. 23.* & Nauarrus in *Enchiridio  
 de oratione cap. 22. num. 99.* & Rutilius  
 Benzonijs in *psal. 86. cap. 6.* alijque, &  
 quæ de ipsius Concilij Claromontani  
 actis, adducit Seuerinius Binius, in cuius  
 Conciliorum editione extant rela-  
 ta, Colonia Agripp. *tom. 3. part. 2.* & etiã  
 Guillelmus Dur. in *Ration. lib. 6. cap. 2.*  
 Radulphus, de *Can. obseru. cap. 24.* &  
 alij.

X. Nunc ergò dubitatio est aliquibus;  
 vnde Nostris tanta proueniat obliga-  
 tio, quanta à me supra pronuntiatur?  
 Nam primò ea non prouenit ex Regu-  
 la S. BENEDICTI, qui huius officij B. MA-  
 RIÆ, sicut nec Defunctorum, non memi-  
 nit. Secundò. Non ex communi Eccle-  
 siæ Romanæ stylo, cū potius illius Bre-  
 uiarium, ab ea obligatione liberet reci-  
 tantes. Tertio. Non ex aliarum Religio-  
 num more, apud quas fortè deuotio  
 tantum est, aut saltem non sub morta-  
 li reatu, vt de sua Congregatione VAL-  
 LISOLETANA S. Benedicti, expresse  
 tenet Mag. Antonius Perez illius olim  
 Generalis, & postea Episcopus Vrgell.  
 citatus, in suis *Comment. ad cap. 19. Reg.  
 num. 34.* Quarto. Non ex præcepto ali-  
 quo positiuo, à religione nostra posito,  
 quod neque ex diffinitione obseruati-  
 onis constat, nec ab aliquo adducitur. Quin-  
 to. Non ex voto peculiari, quod nulla-  
 tenus emittimus. Sextò. Non ex autho-  
 ritate scriptorum, cum solè in annis præ-  
 teritis Mag. Angelus Manrique, nostræ  
 Cōgregationis decus, in quodam *Proæ-  
 mio 1. part. Sanctoralis*, obiter alia recen-  
 sendo, sine probatione dixerit, nos ad  
 mortale obligari, addens id esse vnicū  
 & singulare in nostro ordine: in quo  
 addito fortè deceptus, prioris dicti de-  
 terit authoritatem. Quæ omnia militāt  
 contra nostrum assertum.

XI. Vt tamen expediamur ab his sigilla-

tim, & ad propriam veniam probatio-  
 nem. ¶ Ad Primum, de REGULA fate-  
 mur, non inde, saltem proximè & ex-  
 pressè, obligationem oriri, & denique  
 nullam, iuxta ea, quæ ad *cap. 73.* addu-  
 co. ¶ Ad Secundū Concedimus, post  
 Breuiarium Pij V. ex eius indulto cessa-  
 se obligationē priuatam officij B. MA-  
 RIÆ, imò & publicam in Ecclesijs, vbi  
 consuetudo non erat, iuxta modum  
 Bullæ Pontificis communiter explica-  
 tum ab authoribus; Tamen obligatio  
 quælibet antecedens ipsum Breuiariū,  
 etiam post illud relicta est in suo robo-  
 re, omnibus retinētibus Breuiarium a-  
 liud: vt generaliter obseruat Suarez, *eo.  
 2. de Relig. lib. 4. de Hor. Can. cap. 13. nu.  
 14.* & etiam specialiter, vt Ambrosianū  
 non excuset Mediolani, Bonacina, de  
*hor. Canon. disp. 1. quest. 3. punt. 1. num. 7.*  
 & alij. Vnde contra nostram obligatio-  
 nem nihil inde detrahitur: potius præ-  
 supponitur præextitisse alicubi talem  
 obligationem officij, & talem perseue-  
 rasse tūc. ¶ Ad Tertiū, Damus ex sti-  
 lo aliarum Religionum non firmari nos-  
 tram, neque oppositam partem. Tamē  
 si exempla iuuant, non esse nouum, aut  
 sine exemplo, quod asserimus de obli-  
 gatione sub mortali in nostra Congre-  
 gatione. Id enim inuenio de Celestinis  
 in Constitut. Celestini V. approbatis à  
 Gregorio X. in Concilio Lugdunensi,  
 prout fatetur Petrus Crespertius ipsius  
 ordinis alumnus, in *Summ. Cath. verit.  
 verb. officium diuinum, in fine.* Idem de  
 suo ordine traddunt Silvester. *Verb. Ho-  
 ra nu. 7. in fine*, excipiendo officium B.  
 MARIE, ab alijs non obligatorijs sui  
 ordinis, & Armilla, *eod. verb. num. 7.* &  
 Medina, in *Summ. lib. 1. cap. 14. § II.* Idē  
 apparet de Camaldulensibus, Consti-  
 tuentibus expresse, *omnes professos qui  
 omittunt officium tam Domini, quam Ma-  
 tris eius, mortaliter peccare.* Vt habetur  
 in Declarationibus illius Congregatio-  
 nis ad hoc *cap. 18. Regula.* Atque contē-  
 dentibus aliquibus ex eis, obligationē  
 quam habebant, recitandi quotidie of-  
 ficium paruum Dei Genitricis, debere  
 cessare illis diebus, quibus, per nouum

Respondetur  
 dictis.

Ad primum;

Ad Secun-  
 dum.

Ad tertium

Exempla  
 aliorum in ea-  
 dem obliga-  
 tione.

Breuiarium monasticum Benedictinū, eiusque rubricas, aliter disponitur, cum ab ipsis admissum esset; nihilominus, re ad sedem Apostolicam delata, anno 1619. Congregatio Rituum declarauit adhuc talem obligationem constringere. Et idem fortasse de alijs, de quibus mihi non est affirmare aut negare. Nā & in Congregatione Cisterciensi Aragoniæ, Nauarræ, Valētię, &c. idē quod de nostra OBSERVANTIA inuenio, & ita in hoc (nunc nostro) Oliuensi Monasterio, conformiter ad alia, Observantissime tenetur, quibus omnibus resolutio & doctrina nostra proderit. ¶

Ad quartū.

Ad Quartum. Cōcedimus nullum præceptum extare quod agnoscamus, pro nostra (de qua loquimur) Congregatione, scriptum distinctè, sub ea obligatione, & modo. Verumtamen præsupponitur, in libro vsuum nostræ OBSERVANTIÆ, iussu Capituli nostri Hispani excusso Salmanticæ anno 1586. cap. 27. §. 1. ubi expressè pronuntiat omnes religiosos Choristas obligatos esse ad recitandum quotidie officium B. MARLÆ eodem modo, sicut *Officium Maius*. Itaque ab hinc iam fere, 60. annis, & cognita & recepta, publico hoc instrumento testante, extabat obligatio dicta. ¶

Ad quintū.

Ad Quintum. Certum est ad id non teneri aliquo voto, sicut nec Officium aliud vouetur. ¶ Ad Sextum, verò de auctoritate, Maius potest adesse subsidiū. Nam ad assertiuum prolatum citati Angeli Manrique, præcessit prædicta Capituli nostri generalis in libro vsuum auctoritas, iam ab antiquioribus traddita & a sequētib; recepta, non solum indocti vulgi, sed doctiorum etiam verbis & scriptis probata. In quibus haud ignobilis Generalium Reformatorum series, & aliorum virorum literis & religione insignium Cathalogus, numerari posset, qui & pro sua peritia, & pro notitia, experientia, & antiquitate, iudicium ferre de obligatione poterant. Atque eidem Angelo Manrique, ita tūc sentienti, & nunc sententiam (vt infra num. 14. & aliàs videbitur) confirmanti, non parua auctoritatis accessio facta

Asserti auctoritas augetur.

est, dum non solum, pro meritis, Generalis postea fuit nostræ Congregationis anno 1626. sed in primaria Theologiæ Cathedra Salmanticæ academiæ, per longa & consueta curricula studiorum iubilatus, qui & a concionibus Catholici Regis Philippi IV. erat, in Pacēsis Ecclesiæ Episcopum hodiè coopertus est, vt quę postremis curis & consilijs solidauit, iustam pro sua parte nanciscantur cercitudinem. ¶ Nam quod de Claromontensi Concilio & Urbano II. insinuatum est, licet non possit affirmari ab eo iniunctum fuisse officium istud Monachis, sed solum ad instar eorum, in quibus iam monastica illa vigeat observatio, extensa sit ad Clerū, tamen pro quibuscumque fuerit institutio, a præcepto incepisse, negari non potest. Sic decretum Concilii, refertur etiam a Baronio, sub verbis: *persolui debere*, quæ obligationem præcepti continēt. Sic, Antoninus Florentinus citatus ait: *ex inde officium B. MARLÆ, in præcepto fuisse sicut officium Domini*, parificando illud cum principali Canonico. Sic Genebrardus refert sub verbo *instituit*, quo vtitur respectu alterius officii canonici. Sic etiā loquitur Guillelmus Durandus. Sic Nauarrus citatus *sup. n. 9.* cū cæteris præceptū proprie fuisse declarat, in sua institutione & principio: atque sicut aliā quam plura decreta Conciliorum generalium, successu temporum, ex recipientium modo, vrentium varietate, & consuetudinum introductione, aut ex parte aut etiam ex toto desiere; ita in huiusmodi recitatione officii, cuius iā inde ferè nullus stare obligationem agnoscit præcise, tametsi morem Cisterciensium, in eo recitando, suo tempore, tanquam vestigium huius institutionis autumet, loco citato Nauarrus.

Verumtamen, haud contemptis superioribus adminiculis quæ pro stabi-lienda præcipua probatione, nō parū conferunt; ea hodiè efficaciter videntur reducenda ad consuetudinem. Nam hæc per manus antiquorum ad nos traducta, ad eum peruenit statum, vt ex-

Additur Vr-bani II. decretum.

XII.  
Probatio  
præcipua.

communi existimatione Religiosorū & sapientium, omnes credant se peccati lethalis reos teneri, si omitant officium paruum B. MARIÆ, sicut præcipuum & maius Canonicum; sed talis consuetudo habet vim legis, & præcepti obligantis; ergo ea sufficit ad pronuntiandam & statuendam huiusmodi obligationem. ¶ Minor argumenti est in confesso apud omnes qui de consuetudine, legis vim, atque adeo præcepti robur habente, agunt, cum D. Thoma, 1. 2. *quæst.* 97. *artic.* 3. adiectis etiam Canonistis, ad *cap. Series, de testibus, & ad capit. fin. de Consuetudine.* Silvester *verb. Consuetudo, quæst.* 4. *num.* 6. & *quæst.* 13. *num.* 18. Thomas Sanchez, *lib.* 6. *summa capit.* 4. à *num.* 12. cum pluribus, quos ex more citat, & sequitur. Quibus adde nostrum Magistrum Petrum à Lorca in 1. 2. D. Thoma *sect. de Legibus, disput.* 29. per totam, Azorium, *tom.* 1. *lib.* 2. *capit.* 10. & Latus *lib.* 5. Bonacinam, *tom.* 2. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 4. *num.* 24. & alios. ¶ Cōfirmaturque eadem minoris probatio. Primó. Quia obligatio grauis & submortalis recitandi officium Canonicū in Clericis secularibus, constitutis in ordinibus sacris, citra Sacerdotium, probabilissimè censetur, secluso præcepto, solum ex consuetudine consistere; atque eam consuetudinem obligantem esse indubitabilem. Quæ cum Nauarro *de orat. capit.* 7. *num.* 2. & Azorio, *tom.* 1. *lib.* 1. *capit.* 5. tradit Suarez supra citatus, *lib.* 2. *capit.* 16. *num.* 9. tenentque id plures alij, qui pressius rem inuestigantes, non aliam inueniunt obligationem, nisi ex consuetudine, ad eam sufficientissima reputata, ergo idē in casu nostro. ¶ Secundó: Confirmatur pari formi exemplo, de Monachis destinatis ad chorum professis, nondum in sacris ordinibus constitutis, quos similiter superque factis obligari sub mortali ad officium, saltem ex consuetudine, vidimus, *num.* 5. ergo eadē sufficit in presenti, ad stabilendā huiusmodi obligationē, quæ Cōfirmatio est irrefragabilis, in sentē-

tia omnium quos citavi *n.* 5. citato.

Maior autē propositio, vt probetur: affirmare non possum, ante Conciliū Claromontense, habuisse Cistercium consuetudinem recitandi hoc officium: licet coniectari ita possit, ex præsupposito vsu apud alios Monachos; & ex vicino exēplo Carthusiensiu, tunc recēti, scilicet biēnio ante foundationē Cistercii; & ex antiquiori Cluniacensium, vt innuunt verba, *sup. num.* 9. adducta, dū innouata statuta dicuntur, quod denotat præcessisse; & ex maximo affectu, & deuotione Cisterc. Ordinis, ad B. Dei genitricem Mariā, vnde prodiit æncomium illud Gregor. Papæ X. *tom.* 1. *privil.* 43. *num.* 1. Cisterciensis ordo, inter Religiones ceteras, gloriosa Virgini singularitate deuotionis adstrictus, &c. Atque gloriatio fidelis, Ioannis Abbatis Cistercii, in exhortatione ad Monachos, in fine *tom.* 1. *privil.* dicentis: Cisterciensis Religio, est omnium Religionum prima, in ipsius Virginis Matris honorem dedicata. Et ipsius dedicationis primitiua exequutio, vt omnia Monasteria, B. MARIÆ uocatione insignienda essent: quod & notauit Yepes, *cent.* 7. *anno* 1113. *cap.* 4. Quæ omnia, coniecturæ faciunt fidem, nihil primæuos fundatores præteruisse, quod in aliis, VIRGINI MATRI obsequiosum aduerterent.

Nec etiam affirmare possum, eo quo nunc, apud nos, modo officium eius persoluitur, in principio ordinatum & stabilitum fuisse, cum videam, ex *lib.* 1. *Exordij Cisterc. capit.* 40. id quod indicant ibi illa verba, de duobus Monachis Dei seruis: Dum verò quadam die iter agerent, & secundum æstimationem temporis, regularem sextam horam simul dixissent, retraxit se Monachus, qui cum viro Dei ibat in partem, vt horā de Domina nostra, secreto singuli per se, psallerent. Quia nondum data erat licentia horas de B. Virgine cantandi publicè. Fuit autem hoc, tempore Rainardi Abbatis Cistercii, qui electus fuit anno 1133. à fundatione Cistercii 35. ex quo loco, & aliis nostri Cesarii, & aliorum, solertissime adductis à nostro

XIII.  
Coniectura  
de officio B.  
M. semper  
à Cisterciens.  
recitato.

XIII.  
In modo recitandi quæ  
varietas in  
principio.

Confirmatio  
duplex.

XII  
Proprio  
pæcipuo

precitato & laudato M. Angelo Manrique, in eius magno opere *Annalium Cisterciensium*, nuper, post nostras collectas micæ, editorum, *tom. 1. ad annu 1103. cap. 3.* deduco, has officij Mariani horas, à recitatione seorsum, ad comunem in infirmitorio, esse translatas, & inde ad Chorum, seculo fere elapso, post foundationem Cistercij. Eoque modo continuata serie, ad nos peruenit; magna semper adhibita cura, & cognita pensi obligatione; prout latius loco citato *Annal. Cisterc.* exhibetur, haud ignoratum fuisse graue obligationis pondus: & integritatem & perpetuitatem officij, sine exceptione dierum, aut personarum, non esse nouam sed ab antiquitate acceptam.

XV. Igitur constat ad minus, à tempore præfati Concilij cum precepto expresso, saltem quoad Clerum, Apostolico, etiam, suo modo, quoad Monachos, præsuppositam obligationem, quæcumque illa esset, confirmatam & instauratam esse. An verò id receptum fuerit ab omnibus, & quo modo, quoque pacto dispositum officium, extra, vel intra Chorum, quibus diebus, & quonere aut culpa, ex pluribus capitibus, potuit accipere varietatem, quam apud alios videmus. Ceterum Ordo noster, biennio, aut saltem triennio, post dictum Concilium fundatus, atque cum ipsa officij Virg. MARLÆ vniuersali institutione, pariter institutus & natus; singulari affectu ad Deiparam (vt ex dictis apparet) & incipientis Recollectionis fragranti feruore, tantę deuotionis audus; facilè monastica iam obseruatione dispositus, imbibit generalem iussionem recentem Pontificis: à quo, & primam renouati propositi confirmationem accepit Cisterciensis Ordo, seu Congregatio egregia S. BENEDICTI. Vt refert Genebrar. Ex Platina, & constat ex vtroq; Cisterciensi exordio, in *paruo, cap. 7. & in magno, lib. 1. cap. 15.*

XVI. *Vltima probatio.*

Semel autem admissa obligatione, si tunc fortè non adeò rigoroſe imposita, ex obseruanti acceptione, & ardenti studio, accedente vigore, cum stricto

onere mortalis culpe, ad nos vsque peruenit obligatio officij, secundum modum a Religione & OBSERVANTIA nostræ Congregationis, dispositum; ita vt nos, qui iam quinquagesimum annum & ultra in Monachatu (Deo donante) exegimus, alios in principio nostræ conuersionis, non minoris antiquitatis cognouerimus, qui & ab alijs senioribus, eandem existimationem huius obligationis habuerint. Atque huc aptari potest ratio, qua vtitur Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 9. cap. 14. num. 11.* in alia non minus graui materia, inquit: *Obligatio quæ consuetudine nititur, aliquando incipit per actus, qui fiunt sine obligatione præcepti, quorum usus paulatim immutat iudicium & intentionem operantium, & ita tandem introducit obligatio. Quando autem hoc modo inducitur, difficile vel potius impossibile moraliter est, certum initium eius designare, &c.* Neque necessarium est, quod designetur; totaque hinc confirmatur doctrina.

Demum Congregatio nostra, præcauens quemcumque euentum; cum expeditum nouiter esset Breuiarium Monasticum, pro Congregationibus sub Regula S. Benedicti degentibus, curauit aliquorū circa hoc opiniones, & ausum eneruare. Nā fuere qui prædictum Breuiarium, priuata autoritate, recipere & eo vti præsumebant. Ad quod infirmo nitebantur fundamento, cum Bulla apposita breuiario, solum expedita sit, ad petitionem quorundam Procuratorum generalium, certarum Congregationum, quibus tantum dirigitur, & pro ipsis vim habet: à quarum numero abest Congregatio OBSERVANTIE. Et etiam si pro alijs permitteret, non est liberum cuique autoritate priuata, admittere & vti tali Breuiario, & omittere proprium; sed requiritur consensus Capituli Generalis, vt expresse, de Breuiario Romano, cauit Pius Quintus. Quod non solum, ad hoc quod

XVII. *Breuiarium Monasticum quibus & quomodo comperit?*

TEXTVS

Palma

Palma

Palma

admittatur in choro, intelligendū est, sed etiam pro priuato vsu Religiosi. Quod sic teneo, cum Suarez, tom. 4. de Relig. cap. 23. num. 9. & Azor, tom. 1. lib. 10. cap. 11. q. 1. Quidquid dicat Hieronymus Rodriguez, in Compend. 99. Regul. Resol. 24. num. 34. quod solum, vt semel aut altera vice, ex causa, fieri possit, admittit Miranda ab ipso citatus, & quod ego supra, tenet etiam Bonacina, ro. 1. De offic. diuino. disp. 1. q. 3. punt. 1. & alii.

## XVIII.

Non prodest ad auferendam obligationem officij B. M. & defunct.

Insuper, cum nec in illo casu, liberetur Monachus noster, a debito prædicti officij B. MARIE, & similiter defunctorum, iuxta morem nostrum consuetum, prout ipse, qui prædictum Breuiarium Monasticum concinnauit, aut concinnatum debita autoritate approbavit, scilicet Cardin. Bellarminus, (mih i authore fide digno referente) sentiebat, nihilominus fuere, qui semel autoritate publica, rite recepto Breuiario, dicerent excusari Monachos nostros a prædicta obligatione. Quapropter vt etiam eo casu (qui tamen non euenit) consulti esset, bono exemplo Camaldulensium, de quo sup. n. 11. detulit Congregatio nostra, per suum procuratorem Romæ, ad Sedem Apostolicam casum, & a Gregorio XV. expeditum est decretum, anno 1622. die 18. Octob. quo cauetur: *Quod Monachi nostræ Observantiæ, siue utantur Breuiario Romano, siue Monastico Benedictino, iussu Pauli V. reformati, ab obligatione quam habent, ex antiquissima ipsius Congregationis consuetudine, reci-*

tandi quotidie officium paruum B. Mariæ semper Virginis, ac diebus ferialibus officium defunctorum, nequaquam liberati censeantur, &c.

Quia tamen occluso hoc ignorantia & repiditatis effugio, non defuit qui eleuare auferreque voluit obligationem, altè in Superioribus stabilitā, & in omnium cordibus altius radicata m, ne nutaret in aliquo certa obligationis prædictæ veritas, ipsum Capitulum generale nostræ Congregationis, celebratum mense Maio, huius anni 1644. per suum Diffinitorium cōstans, vt solet, Generali & sex diffinitoribus, annuente & merito tota sacra Congregatione, declaratum est, seu (vt verius dicam reiterata est antiquior similis declaratio (quæ sup. num. 11. obligationem, recitandi Dei genitricis Dominæ nostræ Officium fuisse & esse iam dictā. Eam vt diu cognitam & certam autoritatiue talem esse stabilientes de nouo. Magnaque mihi gloria, & felix meorum ibi officiorum clausula, me in hoc partem fuisse, & inter huius obsequij Virg. M. assertores etiam Diffinitorem inueniri. Cui vtinam, in hoc & in omnibus, complaceant eloquia oris mei, in conspectu eius semper. Tamen post finem harum NOTARVM videnda est addita LACINIA, vbi plicat. 3. hæc eadem contra nouum Authorem Ioā. Caramuel, propugnantur pressius, eius rationibus impugnatis, quibus seorsum & oppido occurrere necessarium fuit.

XIX.  
De clarata obligatione per Capitulum generale.

## De disciplina psallendi.

## CAPIT. XIX.

## TEXTVS.



Bique credimus diuinam esse presentiam, & oculos Domini in omni loco speculari bonos & malos. Maxime autem hoc, sine aliqua dubitatione, credimus, cum ad opus diuinum assistimus.

a Psalm. 2.

Ideo semper memores simus, quod ait Propheta a: Seruite Domino in ti-

b Psal. 46.

more, & iterum: b Psallite sapienter. Et c In conspectu Angelorum

c Psal. 137.

psallam tibi. Ergo consideremus, qualiter oporteat nos in conspectu Diuinitatis & Angelorum esse, & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.

IN

NOTÆ.

I.  
Literæ sen-  
sus & obli-  
gatio.

**I**n hoc cap. nihil aliud agit, quam ex sacrae scripturae testimonijs commendare, qua attentione & reuerentia, in choro cum ad Opus Dei assistimus, eius maxime considerata presentia, stādum est. Quod præceptum de attentione orandi, diuinę, naturalis legis est, & expressa obligatio debite recitandi, in capit. Dolentes. De celebr. Missar. supr. quæ, ex REGVLÆ, nullum distinctum præceptum est, sed vel præexistens ad ipsum ius, sub eadem graui obligatione, vt dictum est in *introduc. art. 8. n. 4. & 5.* vel continuatum post illud, in eodem sensu internæ attentionis, in hoc REGVLÆ textu, expressę, de qua Chrysostomus, *tom. 1. hom. 1. de verbis Isai. 6. vidi Dominum,* & alij. Et præcipue quæ addam in *LACINIA Segmento 21. 22. & 23.* contra Dianam, & Ioann. Caramuelem, omnino videnda ad rem pro necessario huius Capituli commentario, & vt doctrinæ Sanctiss. PATRIS N. & veritati pietatique prospectum sit.

II.  
De vocali oratione hic loquitur.

Quæ verò hic disquiri poterant, de ratione psallendi, aut cantandi, dicta sunt *supr. capit. 9. num. 11. & capit. 11. à num. 2. cum sequentib. & capit. 12. n. 2.* Nam in hoc cap. loqui de oratione

vocali, de qua huc vsque in præcedentibus capitibus egit, certum est. Atque id ostendit titulus, de *Disciplina psallendi*, hoc est vocaliter pronuntiandi Psalmos, cum sibi connexis; & finis Cap. ibi: *Et sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.* Aduerteq; verbum *Psallo*, licet significet Canere, siue id ore fiat, siue instrumento musico, vt ipsa pulsatio citharæ seorsum, psallere sit, iuxta Passeracium ex Budeo & Gellio; tamen ipsa recitatio & vocalis oratio, maxime Psalmorum etiam absque cantu & modulatione, *psallere*, dicitur, & sic sæpius in REGVLÆ, & similiter in exordio Cisterciensi, cuius *sup. cap. 18. num. 14.* dedi testimonium, ad id etiam deseruiens. De materia autem huius, *cap.* habes plura apud D. Basilium, *lib. de institut. Monach. capit. 57.* Cassianum, *lib. 2. cap. 9. cum seqq. & Collat. 9.* & eius Mag. Chrysostomus, *tom. 5. serm. de orat. & alios frequenter.* Adeoque impense hæc occupatio diuini operis, iuxta REGVLAM, semper in ordine Benedictino, generaliter enituit, vt Leo Ostiensis, *lib. 4. Chronic. Cassinens. cap. 8.* Monasteria S. BENEDICTI, propter officium orandi, maxime ditata fuisse, signanter aduertat.

Psallo quide

De reuerentia orationis.

## CAPIT. XX.

TEXTVS.



**S**I cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate & reuerentia, quanto magis Domino Deo vniuersorum, cum omni humilitate & puritatis deuotione, supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum, nos exaudiri sciamus. Et ideo breuis debet esse & pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis diuine gratia, protendatur. In Conuentu tamen omnino breuietur oratio, & facto signo à Priore, omnes pariter surgant.

NOTÆ.

I.  
Literæ sen-  
sus & obli-  
gatio.

**C**VM in precedenti capite, pro exigentia antecedentium, in quibus, de Canonicis horis, quæ vocaliter & alta voce proferuntur, egeris quod in presenti adiungit, ego de oratione

submissa & tacita, qua quisque seorsum orat, accipiendum esse reor. De qua documentum est, & instructio earum conditionum, quibus ornata decet esse oratio, reuerentia, humilitate, deuotione,

uotione,

uotione, puritate cordis, compunetione lachrymarum. Quæ ex REGVLA nullum præceptum nouum inducūt, nec aliud in eis continetur, nisi quantum, ex natura sua, secundum diuinam legem, oratio ipsa, vt sine culpa, potius cum merito, & fructu exerceatur, exposcit. Traddere autem doctrinā, pro instructione singulorum, in suis peculiaribus orationibus, colligitur, ibi: *Ideo breuis debet esse oratio & pura, nisi forte ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ protendatur.* Et ex eo quod in fine capit. ait: *In Conuentu tamen, &c.* vnde constat, antea non de Conuentu loquutū fuisse. Quod bene & dilucide perspexere Patres Camaldul. in Declaratione ad hoc cap. 20.

II  
Sensus illius  
semper orā-  
dum, &c.

In illis autem verbis, de breuitate orationis, non contrariatur S. Benedictus CHRISTO Domino, qui Luca 18. ait: *Oportet semper orare, & numquam deficere; neque Apostolo, qui 1. Thesal. 5. dixit: Sine intermissione orate.* Ad quæ componenda D. Thomas, ad locum Pauli, triplicem adducit modum, secundum quem, dicitur quis semper orare, & alii eisdem locis, modum illius perpetuitatis expendunt, vt semper, humano, & morali modo sumatur, scilicet assiduè, frequenter, opportunè, debitis temporibus. Ne alias declinare sit, in heresim Euchitarum, quam damnat August. *heres. 57. tom. 6.* ex Epiphano, propter stolidam intelligentiā verborum CHRISTI & Apostoli, quæ, ait Augustinus: *Suauiissime sic accipiuntur, vt nullo die intermittantur certa tempora orandi.* Ita Euthymius *Luc. 18.* semper, videlicet, die & nocte, congruis & ordinatis temporibus, atque Beda ibid. vide Anselmum in locum Pauli. Basiliū *hom. de Martyre Iulita, &c.* Itaque nulla contrarietas est cum doctrina REGVLÆ, quæ præter statutas nocte die que horas officii, etiam peculiare orationes docet, & ad eas instruit.

III. Quod verò in eis, ordinarie breues esse debere sentiat, ea sanctorum sententia est, pro maiore retinendo feruore: ne remittatur affectus, in quo diu-

turni esse non possumus. Sic Cassianus, lib. 2. capit. 10. ait: *Vtilius censent breues quidem orationes, sed creberrimas fieri, vt frequentius Domino deprecantes, iugiter eidem coherere possimus: & vt insidiantis diaboli iacula, succinta breuitate vitemus, & apud eundem collat. 9. capit. vltimo, ait Abbas Isaac: Frequenter quidem sed breuiter orādum est. ne immorantibus nobis, inserere aliquid cordi nostro possit insidiator, &c.* Idem que admittit S. Augustinus, *Epist. 121. ad Probam, capit. 10. ne per productiores moras, euanescat atque euitetur intentio, &c.* Atque D. Chrysostr. *hom. de fide Annæ, ad eum sensum trahit Christū, & Apostolum, dum ait: Christus & Apostolus inuit breues, sed crebras fieri præcationes, ex paucis interuallis, &c.* Quare licet aliter, nostro seculo, sentiat Antonius Molina Carthusianus, lib. de *Exercitijs spiritualibus, tract. 1. capit. 28. §. 1.* Hispano sermone scribēs, quod nunc ego Latine: *Regulariter vtiliorem esse orationem diurnam, continuatam, vt per duas aut tres horas, quā si idem tempus in plures partes diuidatur orando: hoc tamen sic admitto, prout Sanctiss. PATER hic, scilicet, quando ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ, protenditur, non aliter, vt adducta testimonia cum nostro textu probant, & difficultas illius diurnitatis suadet.*

Ceterum addit textus, ibi: *In conuentu tamen omnino breuietur oratio, & facto signo à Priore, omnes pariter surgant.* Hic non de statutis iam Canonicarum precum terminis, in Psalmis Hymnis, Lectionibus, &c. intelligenda est breuiatio, de his enim, quam reuerenter & sapienter psallenda sint, iam capit. precedenti, & in alijs de vocali officio, dictum est. Et ita solum de aliqua oratione mentali, aut tacita, quæ in silentio conuentualiter fieret, in fine aut principio alicuius horæ, intelligi debet. Vnde inuenio duplicem interpretationem: Vna est S. Hildegardis, quæ intelligit de oratione, quæ in principio horæ præmittitur: aitque, ideo disponi in textu: *Quoniam ante singulas horas*

III.  
Breuiatio  
orationis in  
Conuentu;  
quæ?

horas Canonicas, orationem dici admonet, &c. & rationem præparamenti ad salutandum Deum, adiungit dicens: *Cum S. Benedictus dicat quod hospiti non prius osculum offeratur, nisi oratione præmissa, multo magis cum omnipotens Deus salutandus est, oratio præmittenda est & breuis.* Neque reluctatur textus, qui non dicit, vt facto signo exeant à Choro, sed quod surgant. Surgunt autem, dum post orationes, *Pater noster, & Aue Maria, &c.* Silenter recitatas, dato signo, Monachi, qui inclinati vel prostrati, illas ante horam præmittunt, eriguntur, vt horam incipiant psallere. Altera est Card. Turrecr. qui autumat fuisse. *Vt quando in fine officij, Religiosi prostrati, aut inclinati, soliti sunt facere orationem aliquam, vsque ad signum, quod fit à Prelato.* Quod & valde verisimile est, prout nunc in fine horæ, qua finita exeundum est à Choro, fit: vt tantis perflexis genibus oretur, & qui Choro præsidet (is enim vocatur hic Prior, vt docui, *capit. 6. num. 7.*) signum det, vt surgant & exeant. Et vtraque interpretatio integrat vnam, quæ tam de principio quam de fine horarum, intelligat REGVLAM; cui, eo modo quo nunc in Choro, vel incipiendo horas, vel eis finem imponendo, communiter practicatur, satisfactum videtur & satis consultum breuitati indictæ.

Quod verò hic affirmat absolute

Episcop. Vrgell. loqui tantum de priuatis orationibus, reuincitur manifeste, ex verbo illo *in conuentu*, & ex particula *tamen*, quæ aduersatiua est, trahens ad aliquid diuersum sententiam, vt *num. 1. dixi*, & etiam ex illo, *omnes pariter surgant*, & *facto signo*. Quid non conuentuale, in his verbis sonat? Imò potius volet aliquis, hic habere fundamentum, illam horam contemplationis seu orationis mentalis, quæ partita in Matutinum Vespertinumque tempus, iniuncta est conuentualiter in definitionibus nostræ Congregationis, & suo modo in alijs. Quem morem confirmare vult Hæstenus in *Cōment. Vitæ S. Bened. capit. 4.* ex Monacho castigato, qui ad orationem stare non poterat. Nec abnuo. Nihilominus obligationem huius obseruantia, censeo, solum ex vi definitionis resultare, non ex REGVLÆ. Nam præter quod, prolixior mora illarum orationum, non bene cohæret cum hac breuitate Regulæ, neque aptari potest interpretationibus prædictis, de inceptionsibus & desitionibus horarum; hic nullum statuitur præceptum, nec licet, sit Regulæ, aut Monasticæ institutioni conforme, sequitur esse præceptum ab ea, sed solum præcipi posse: cuius obligatio, ab eo qui nouiter præcipit, deriuatur, vt tigi in *introducet. art. 10. num. 5.* & infra ad *cap. 73.*

*Hora orationis mentalis an sit ex Regula.*

### De Decanis Monasterij.

## CAPIT. XXI.

TEXTVS.



*Si maior fuerit Congregatio, eligantur de ipsis Fratres boni testimonij, & sanctæ conuersationis, & constituantur Decani: qui sollicitudinem gerant, super Decanias suas, in omnibus, secundum mandata Dei, & præcepta Abbatis sui. Qui Decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua. Et non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Quod si quis ex eis, aliqua forte inflatus superbia, repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel, & iterum, & tertio, si emendare noluerit deiciatur, & alter in loco eius, qui dignus sit, subrogetur. Et de preposito eadem constituimus.*

VT

NOTÆ.

I.  
Decani significationes.

**V**T de titulo constat, mos iste Decanorum, in maioribus Monasterijs, antiquus fuit, de quo S. Hieronymus, *Epist. 12. capit. 15.* vbi de Monachis, *diuisi sunt (ait) per decurias, &c.* Nam decani ij sunt, dicit Isidorus, *lib. 2. de Eccles. offic. cap. 3.* qui denis Monachis præponuntur. Tamē & si a decenario numero nomen desumptum est, etiam sine adstrictione ad numerū inuenitur, vt ex Valla & Plauto, adducit Robertus Stephanus, in *Thesauro verb. Decurio*, & pro officii dignitatis que nomine, remansisse. Ita apud Ciceronem, *Pro sextio*. Decuriones Senatores sunt. Et in re militari, vbi prius ad amusim bellica disciplina viguit, decani, ait Vegetius, *lib. 2. cap. 8.* denis militibus præpositi, nunc caput contubernij vocantur: & eisdem Præpositos equitum, aut præcipuos cõsilij publici gratiã conscriptos, in Colonijs Romanis, profert Rosinus, *lib. 10. Antiq. Rom. capit. 7.* Denique nomine ad Ecclesiam translato, gradus atque dignitatis est, sic in Academijs, Magister in facultate primus, vocatur Decanus, & similiter qui in Cathedralibus Ecclesijs, toti Collegio Canonicorum præest, de quo iure, *Cap. dilectus de appell. & cap. dilectos, de Præbend &c.*

II.  
Decani computatio duplex.

Itaque licet Decanus, & decurio idē sit, explicatur tamen dupliciter, vel qui præficitur decem; vel qui tantum nouem, cum ipso autem præfecto decania complebatur. Hunc posteriorem modum loquendi, tenet Hieronymus *Epist. 22.* ibi: *Ita vt nouem hominibus decimus præsit, & rursus decem præpositos sub se centessimus habeat, &c.* Priorem modū loquendi vsurpat Augustinus, *lib. 1. de moribus Eccles. cath. capit. 31.* ibi: *Decanos vocant, eo quod sint Denis præpositi*, Ita vt Præpositus, superadditus sit denario numero. Atque hanc esse genuinam computationem, si ad normam militarem conformetur, probat ex Vegetio, *lib. 13. capit. 15.* Godescalcus Steuuechius, in *Comment. ad lib. 2. capit. 6.* nec aliter stare posse designatum numerum Legionis,

aut cohortium, nisi Decanus vndecimus sit, & caput Contubernij. Atque sic loqui, in præsentī B. *BENEDICTVM* censeo, illis verbis: *Decani sollicitudinem gerant super decanias suas, &c.* Decania enim non nisi per decem constituitur: ergo ipse superadditus vndecimus sit, & confirmatur clarē ex Isidoro citato *sup. num. 1.* & citando infra, *cap. sequenti, num. 3.*

Percurrendo verò literam, ait: *Si maior fuerit Congregatio eligantur, &c.* Itaque non in quolibet, sed in maiori Monasterio, Decanos ad gubernationem eligi iubet. Ex quo in primis constat, minores Conuentus ad hoc non obligari. Deinde neque in maioribus, vbi per Præpositum electum ab Abbate, instituta est gubernatio Monasterii. Nam vt constat *ex cap. 65. de Præposito Monasterij*, tota hæc dispositio Decanorum est conditionalis, & ad obuiãda incommoda, que oriri solebant ex gubernatione, per Præpositum electum ab aliis, modo ibi explicato, quem omnino remouet, vt totaliter subiectus in omnibus Abbati sit, & in illius potestate Præpositū instituere, & destituere. Atque ita optionem relinquit Abbati, *si iudicauerit expedire.* Cū verò iam ille modus eligendi Præpositum cessauerit, & consideratione, & experientia diurnā, agnitum sit, non satis cōmodē distinctiones decanorum fieri posse in Monasterijs; optio facta est de gubernatione, per Præpositum omnino ab Abbate dependentem; & inde altera gubernatio decanorum, quæ hoc capite statuebatur sub eo casu & conditione, dato iam casu, & conditione impleta, non subsistit, sed iuxta *REGVLAM* ommissa est, & vt reor vbi que.

Vt tamen etiam sub conditione & casu, quo Præpositi gubernatio non esset admissa, textum perpendamus, ex *cap. illo 65.* quod se ad hoc refert, & cum eo se correspondet, adduco illa verba: *Si potest fieri per decanos ordinetur, vt antea (scilicet hoc cap.) disposuimus, omnis vtilitas Monasterij,*

III.  
Gubernatio per Decanos in Regula, est cõditionalis.

III.  
Quinam cõuentus apti essent decanis.

proh

*prout Abbas disposuerit, vt dum pluribus committitur, vnus non superbiat.* Vnde constat, Decanos non expetere, nisi vbi pluribus committi possunt Decanię, & plures super illas constituantur Decani. Et quamquam vt tenet regula *Cap. pluralis de Reg. iur. in 6.* pluralis loquutio duorum numero sit cōtenta, & si solūm diceretur, *decani* cōstituantur, satis in duobus saluetur loquutio, sed tamen dicere *plures decani*, amplius perit. *Plures enim pro multis cōmuniter ponitur ab authoribus, atq; inde plures, & pauci, opponuntur, quorum testimonia, ex Clauicis, profert tibi plura Robertus Steph. in Thesauro verb. Multus.* Igitur tunc ea gubernatio Decanorum designatur in Regula, quando numerus conuentus, potest diuidi in tres aut quatuor Decanias.

V. *Expenditur numerus requisitus ad decanorum gubernium.* In hac igitur consideratione, Card. Turre-cremata cēset, etiam ex iudicio aliorum, Conuentum non pertinentē ad numerum triginta Monachorū, reputandum esse minorē, in quo, iuxta REGVLAM, locum non habeat Decanorum institutio. Ego autem prædictum numerum, intellectum (vt intelligi debet) de Monachis Conuentualiter degentibus intra Monasterium: vix sufficere credo ad duas Decanias cōstituēdas; quas S. BENEDICTVS ordinat, quasi specimen habentes paruorum cœnobiorum, in quibus, vt constat ex B. Gregorio, *lib. 2. dial. c. 4.* pro duodecim Monachis, satis iudicauit vnum cōstituere Patrem. Nā vna Decania constat (vt vidimus) vndecim Monachis cum Decano (in quibus non computatur Abbas, nec Cellarius) quibus solis completur numerus: & ita Decania intra Monasterium, & sub illius Abbate cōtēta duplicata, petit vnginti duos: Cum vero inde addatur Abbas, & illi qui circa ipsum, vtcumq; propter eius personā, & propter hospites, & propter res temporales administrandas, & propter Cellarij Ostiarijq; officia, immediatius curæ & regimini ipsius Abbatis sūt destinandi: vt ē vicino, peculiari ratione, illius imperio & iussionibus atten-

dant: adhuc necesse est numerum vltra triginta protellari. Sed in quæstione quam de re, sine futuritione, censemus, & de propositione de subiecto non supponente, insinuatio quæuis sufficiat, vt ad alia transeamus.

Illud autem possumus ex dictis colligere, satis Monasticæ disciplinæ proficuum, si forte sit qui auscultet, & non canimus surdis: & nequis in minoribus Monasterijs, Monasticam Observantiam ad eō remittendam credant, vt nonnulli, minus distinctionis Religiosæ amatores existimant: dum ad id de paucitate causantur. Nam Regularem Observantiam instituti, locum habere in qualibet Decania, bene videtur sentire S. BENEDICTVS. Et si in his, paucitatē vnus Decanię, alteri us Decanię consortio, intra idem Monasterium suppleri, respondeas: difficultatē non effugies, de numero duodenario, adiuncto solo Prælato. Vt in excusabilis fere videatur in eo, quicumque defectus obligationis REGVLÆ. Quod vt suadeam, efficaci exemplorū vtar argumento, quæ subiungo, solideturque dictum Abbatis Ioachimi, *in capit. 12. Apocalips. dicentis: B. Benedictus duodecim Monasterijs, quæ construxit, eiusdem numeri Abbates præposuit, vt ostēderet huius numeri perfectionem in vita Monastica consumari, &c.*

Ad quod non insisto, in Apostolico illo Collegio Religioso, cui præfuit CHRISTVS & Dominus noster, verē ABBAS, Pater Abbatum omnium. Neq; id deduco ex alijs, quæ ex sacra Scriptura, dicto numero duodenario patrocinantur, de quo si vis addi Ioan. Maldonatum *in Euang. cap. 10. Matth. & quos ipse abunde citat, vt vnum pro omnibus habeas, nec te citationibus onerem repetitis.* Sed in terminis proprijs loquēdo de S. BENEDICTO in suorum Monasteriorum foundationibus, ita habes testimonium D. Gregorij. Sic etiam in suis prioribus foundationibus, imitati sunt Cistercienses, vbi tantum cum rigore, instauratus est Monasticus splendor, decernentes per duode-

VI.  
Observatio  
Regule integra in quo  
numero?

VII.  
Exempla duodenarij numeri in conuentibus Religionis.

nos Monachos, adiuncto Patre, disposituros se Monasteria, vt testatur Exordium Cisterc. capit. 16. & notauit, agens de fundatione Monasterij Firmitatis, Antonius Yepes in Chron. S. Bened. tom. 7. ad ann. 1113. capit. 4. Sic nostra Cisterciensis OBSERVANTIÆ Congregatio Hispaniæ, cepta in Monasterio Montis-Sion, prope Toletū, duodenario Monachorū numero fuit contenta, vt in 3. tom. priuileg. eius excusso Salmantica, pag. 198. Sic pro Benedictinis VALLISOLETANIS, eorumque Congregatione, sensit Pius V. concedendo facultatem ad vnienda inter se exigua Monasteria, vt saltē in eis possent duodecim Monachi sustentari, a quibus Regularis Observantia custodiri valeret, vt habetur in lib. priuilegiorum illius Congreg. priuileg. 97. num. 7. Sic in Monasterio illo Cluniaco, duodecim tantum ab initio cōuenisse, docet, ex Glabro Rodulpho, Andreas Quercetanus, in Notat. ad restam. Guillelmi, apud Biblioth. Cluniac. Atque sic constat ibidem, inter statuta illius Congregationis, statuto 41. statui, vt vbiūque loci facultas permiserit, exceptis decanis, duodecim Fratres constituantur, addito tertio Priore, plenumque ordinem teneant. Sic Camaldulenses in Declaratione ad cap. I. Regule statuūt, & sentiunt. Sic de Carthusiensibus in suo principio, duodecim tantum Monachos, cum tertio decimo Priore esse, in sui ordinis Monasterijs, decreuisse docet Petrus Venerab. apud Bibl. Clun lib. 2. de miraculis, capit. 28. Sic in hoc olim consensus Basilius, de instit.

Monach. Sic proprius D. Franciscus, duodecim socijs adhibitis, Ordinem Minorū instituit, vt in eius Vita. ¶ Vt denique tot exemplis interclusa cautio, nulla sit ad defraudandam debitam obseruationem Monastica Religionis, & ceremoniarum, in eodem numero intra Monasterium degente, maximē in ieiunijs, silentio, clausura & alijs personalibus obseruantijs, quæ non indigent consortio plurium. Nam v. g. ad ieiunium non redditur quis potentior ex consortio, nec magis laborat ieiunans solus, vel cum paucis, quàm cum multis. De cætero aliqualis differentia colligitur ex hoc, capit. & constat ex capit. 17. in cantu respectu maioris, aut minoris Conuentus: & in alijs quæ in paucitate Religiosorum nequeunt apte & conuenienter fieri, vt in Pontificalibus ab Abbate exercendis, in aliquibus officijs plenius & solemnius celebrandis & similibus, quæ alias relaxationes morum Regularium non inducunt.

Reliqua Capituli huius, annotatione non egent. Nam quod in fine de Præposito dicitur, infra capit. 65. iterandum est, & ibi constabit, illud quod hic, post præmissum modum tenendum cum Decanis, ait: & de Præposito eadem constituimus, non esse referendum ad trinam monitionem, dispositam pro Decanis reprehensibilibus; sed ad subrogationem alterius, defectu emendationis. Nam pro Præposito, quatuor esse vult monitiones, vt patebit dicto, capit. 65.

Quomodo dormiant Monachi.

## CAPIT. XXII.

TEXTVS.



**S**INGVLI per singula lecta dormiant. Le Et isternia pro modulo conuersationis, secundum dispositionem Abbatis sui, accipiant. Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant. Si autem multitudo non finit, deni aut viceni, cum senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent, Candela iugiter in eadem cella ardeat,

Et consideratio in numero.

VIII.

In monitionibus nō parificat Præpositum.

usque manè vestiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus. Et castellos ad latus non habeant, dum dormiunt, ne fortè per somnium vulnerentur dormientes. Et parati sint Monachi semper, ut facto signo absque mora surgentes, festinent inuicem se praeuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate & modestia. Adolescentiores Fratres iuxta se non habeant lectos, sed permixti sint cum senioribus. Surgentes vero ad opus Dei, inuicem se moderatè cohortentur propter somnolentorum excusationes.

## NOTÆ.

## I.

Dormitio singillatim.

**P**LVRA Monastica instituta traduntur hoc cap. quæ suo ordine annotanda sunt. Primū, ibi: *Singuli per singula lecta dormiant*, vbi *Lecta*, in neutro genere propriā lectionem Regulæ esse consensio, & defensionem exemplis ab Hæsteno & aliis admitto, etiā si minus in vsu. In quibus tamen & similibus, quæ nihil sensus immutant, parū est hærendum. At de re ipsa Sic decreuit Concilium Turonense. Secundū: Sub Pelagio 1. *Can. 5.* & Turonense Tertiū: Sub Leone 3. *c. 24.* Verum tamen utroq; Concilio REGVLÆ anterior est, & inde ex ea, obseruatio inter nostros irrefragabilis. Tamen transgressio, vt sic, non est plusquā venialis, nisi vbi honestatis, aut alterius circumstantiæ prauæ, periculum ingruerit, quo pacto, iuxta materiam eius iudicandum erit de culpa: Seclusis autem his, ex vi Regulæ, pertinebit ad tertiam CLASSEM, prout in *introduc. ar. 8.* Quod si aliqua necessitas interueniat foris in aliqua occasione, aut dormi penuriæ lectorum, propter insolitum plurium hospitem aduentum, aut quid simile, & maximè dispensante Abbate, ex causa, culpa nulla erit.

## II.

*Lectisternia quid hic?*

Deinde ait: *Lectisternia pro modo conuersationis, secundum dispositionem sui Abbat̃ accipiant.* In quo non est fermo de *Lectisternijs*, siue *Pulvinarijs*, quod idem reputant authores Sinedochicòs accipientes illa nomina pro toto illo sacrarum epularum Gentilico apparatu & ritu, de quo plura ex Liuij, Lazio & alijs Guillelmus Stukius, lib. 1. de *Antiquitatibus Conuual.*

capit. 33. Longè enim à nostro textu ea significatio, & illi conuiuantium Lectistrati. Sed hic intellige *dispositionem*, adhuc non de stramentis lectorum, de quibus agit infra *capit. 55.* sed de dispositione loci, vbi cubandum est, an in primo, vel secundo lecto, an in hoc dormitorio vel in illo, in quo & modus *conuersationis* hoc est qualitas personæ, antiquitas vel nouitas, sanitas, vel egritudo, &c. attendi & ordinationi Abbatis statim, debet, cui ea consideratio in disponendo incumbit. Quod quidem in assignandis cellis, nunc vbi dormiant, & habitent Monachi, ita fit. Atque hinc colliges nullum sibi posse cellā immobiliter ad scribere, sed iuxta Regulā semper à dispositione Superioris depēdere, eiusq; volūtati subdi. Illius autē erit, pro conditione personæ disponere, nā & Prælati iustitiæ seu equitatis titulis, si qui fuerint, obstringetur; subditus autē Abbati, vt cūq; disponenti, tenebitur obedire, nisi utroq; in re Superior, quod in idem redit, aliter expe dire iudicauerit, aut cōsuetudo quasi Regula obtinuerit.

Rursus prosequitur textus: *Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant, si autem multitudo non sinit, deni aut viceni, cum senioribus suis, qui super eos solliciti sint, pausent.* Hinc confirmatur in primis dictum, supr. *capit. præced. num. 2.* quod Decanus vndecimus fit, denisque præsideat. Sic enim prædictis *denis*, aut *vicenis*, addit *seniores suos*, id est præfectos decanos, & ita expresse Isidorus in sua Regula, *capit. 13.* vbi statuto quod dormiant decem, addit: *quibus vnus est præparandus*

## III.

*Locus dormiendi communis ex Regula.*

*decanus*. Sed ad rem, hoc etiam de cōmuni loco dormiendi, a Prouincialibus Concilijs supra citatis, *num. 1.* pariter decernitur; nostra tamen obligatio ex REGVLA prouenit. Et quantum ad hoc Episcopus Vrgell. hic *num. 5.* tradidit iā desuetudine cessasse obligationem, atque pluribus prosequitur rationes, & conuenientiam deputandi cuique distinctam cellam. Quibus & ego libenter annuo, sed ad licite recedendum a præscripto REGVLÆ, non semper rationes & cōuenientiæ sufficiunt, quæ quādoque excusationes nostræ commoditatis sunt, nisi accedat aut sufficiens cōsuetudo inde rationabiliter introducta, aut autoritas, & vtrumque accessisse reor, vt dicam.

## III.

Qualiter id  
cessauerit?

Et quidem inter nostros (sicut & communiter apud alios) textus Regulæ obseruatur, quantum ad id quod vno loco dormiant. Sed cellis distincto, non communi aperto, & patente. Cellas autem singulos Monachos habere, de tempore S. BENEDICTO anteriore infra *num. 8.* proferam testimonia, quæ autoritatem huic mutationi cōciliēt. De tempore verò ad nostram obligationem pertinente, ostendit saltem de Ordine Cisterciēsi, Bulla Benedicti *12.* qui etiam, ex ipso ordine Cisterciēsi, ad Pontificatum assumptus est, vt post alios, vltimus asseruit, & contra negātes, vindicauit Chriostomus Henriquez, in *Menolog. April. 25.* Hic itaq; pro reformatione, Bullam illam longissimam, quæ habetur, *tom. 1. nostrorū priuil. priuil. 58.* expediuit, anno 1334. In qua Ordinem Cisterciēsem: *Fulgentem stellam matutinam* appellat, & egregijs encomijs exornans, de se testimonium perhibet, quo stāte nec asseritore, nec vindice opus erat, vt credatur fuisse Cisterciēsem Monachū, ait enim ipse. *Huius quoque ordinis ab adolescentia nostra, perseueranter iugūfustulimus, & in eo alumni effecti, per temporum curricula diuturna creuimus, & tandem conscendimus (quamquam immeriti) summi cathedram pastoratus, &c.* Quibus reluctari, cęcucire in me-

Benedictus  
12. Cisterciē-  
sis.

ridie erit. Ibi ergo, *num. 24.* iubet destrui cellas in Monasterio constructas, easque solum Priori, & Subpriori, ad arbitrium Abbatis, cōcedit. Vnde cōstat cellas, pro singulis Monachis, iam antea præcessisse. Quantum autem obtinuerit hæc constitutio eas abolens, ignorō; scio tamen reuocatam fuisse eiusmodi Bullam nostris ab Eugenio III. anno 1437. vt habetur, *tom. 2. priuil. 7. num. 15.* Et *priuil. 10. num. 11.* fidem facit Ludouicus Episcopus Triuifinus, constitutionem dicti Benedicti duodecimi, suspensam esse, per autoritatem Sedis Apostolicę, & Bullam huius suspensionis, haberi in Monasterio S. Georgij de Venetijs.

Deinde ab eodem Eugenio III. habemus in nostra Cōgregatione *priu. 10. citatū n. 2.* per quod nostræ Congregationi concedit: *Quòd licite valeant & possint cellas habere in dormitorio, ita quod vnusquisq; Monachus per se possit habere cellā.* Adiungit verò cōditionē: *Dū tamē porta cellæ habeat tale foramē, quod per præsentē ab extra possit videri, quid agatur intra cellā.* Quod reor adiectū ad normā Declaratorij Regulę, pro Congregatione Casinensi: Tū quia ita ibi in eo reperio exigi: *Vt habeat, in superiore parte ostij, foramē rotundū, coopertū foris tabula, &c.* Tū quia priuilegiū illud Eugenii, ordinatū fuit interuētū dicti Ludouici Epi. Triuifini, olim Abbatis Obseruantię regulatis, Monasterij S. IUSTINE de Padua, quæ est eadē cū Congregatione CASINENSI, qui iuxta morem illū distatuit. Atq; hoc fuisse antiquum statū Cluniacensē, cōstat ex eius biblioteca, vbi *statuto 76.* habetur: *In ianuis cellularū iuuenū & non-Sacerdotū, sint fenestellę & cæcelli, vbi & conditio fenestellę, aut foraminis, restringitur ad solos iuuenes non-Sacerdotes.* Cancellus autem nō aliud, quam fenestella, significat, nisi reticulatā esse. Nam sic D. Bernard. *serm. 57. in Cant.* quod semel dixit, spōsum per fenestras cancellosque respicere, postea non per apertam portā, sed per angusta foramina explicauit.

Reuocat a ei  
Bulla Fulgēs  
sicut stella.

## V.

Facultas ha-  
bendi cellas  
seorsum.

## IIV

Cancellus  
quid, sic?

Ex-

VI.  
*Conditio illa  
 ablata.*

Ex dictis ergò constat, præfato modo, non solum consuetudine, sed etiam Apostolico indulto hanc dispositionem Regulæ defuisse, ac proinde hæc nobis ad quartam CLASSEM, in introd. art. 9. explicatam, pertinere. Quod etiam sine illa conditione foraminis, aut fenestellæ, licet fieri hodie, mihi persuasum est. Quia ea circumstantia, fortè incommoda ad videndum omnia interiora cellæ, & exposita cuicumque transitorio; aut non admissa, aut citò dimissa, in desuetudinem abiit, iam ducentis ferme annis, ex quo illud priuilegium emanauit, Elapsis; quibus diu firmata est consuetudo, haud rationibus destituta, esseque ad hunc modum distinguendi cellam, pro quolibet Monacho decentissimas rationes, censeo cum Vrgellensi Episcopi & communissimo omnium sensu & usu.

VII.  
*Verba Regule  
 non contra  
 dicunt, cellas  
 haberi seclusa  
 dormitio-  
 ne.*

Ad quod de separatione cellarum, pro singulis, aduertere est, inspecta REGVLÆ, non prohiberis sed solum communem dormitionem iniungi. Nec insolitum est etiã hoc tempore, maximè inter Sanctimonialia Religiosa, licet commune dormitorium patens & apertum, lectis distinctum, ad nocturnum somnum capiendum habeant; peculiare etiã sigillatim habere cellas, in quibus secluso eo tempore, maneat, legant, orent, laborent, quas huic textui REGVLÆ satisfacere, certum videtur. Verùm tamen, ut constet absolute distinctionem cellarum, pro singulis, ab antiquiore Monastica disciplina non ab horrere, id ostendam, non in Anachoretis, quos certum est loco difitos, habitacula etiam eremitica in solidum habuisse: sed in cœnobitis, in eodem Monasterio, & sub vno Patre degentibus. In quo etiã aduertere est, non semper quæ loquuntur de eremitis, esse intelligenda de merè solitarijs Anachoretis: nam etiam cœnobitæ dicuntur eremitæ & solitarij, quorum licet communis & Monasterialis sit habitatio, tamen ipsa cœnobitæ in eremis, & solitudinibus, ab hominum, populorum, & vicinia semota sunt. Sic enim D.

*Erēmista &  
 iã cū Cœno-  
 bita coheret*

Augustinum fuisse Eremitam cœnobitam, eamque communem vitam sectatum, & instituisse, probat pluribus, Jordanis de Saxonia, in *Vitas fratrum lib. 1. capit. 7. & capit. 13.* adductis maximè testimonijs eiusdem D. Augustini, & præcipue ex sermonibus ad fratres in eremo, ser. 5. 21. & 27. & c. Licet contrarium, toto nixu, contendat Ioannes Le-Paige in sua Bibliotheca Præmonstratensium, ut non Monachos instituerit Augustinus, sed Canonicos; quorum gremio & nomenclationi se adscriptos haberi valde contendunt. Ad propositum tamen parum interest. Nam ferè eodem pacto esse cœnobitas, quos per suam Regulam aggressus est instituire B. BENEDICTVS ex capit. 1. & alijs, apparet. Ad idque refertur, quod in primis statutis Cisterciensibus habetur, in *Exord. Mag. lib. capit. 24. & in paruo, capit. 16.* in hæc verba: *Quia etiam B. Benedictum, non in ciuitatibus, nec in Castellis, aut in Villis, sed in locis à frequentia hominum semotis, cœnobitæ construxisse, sancti viri illi sciebant, idem se emulari promittebant.*

Sed ut ad id, vnde digressus sum, redeam; testimonia profero. Primum ex Regula S. Pachomij, quam in Latinum sermonem vertit D. Hieronymus, vbi numer. 10. *Dimissa collecta, singuli egredientes vsque ad cellas suas, &c.* Et numer. 61. *Ad alterius cellulam intrare nullus audebit, & etiam numer. 63. Nihil in cella sua, absque Præpositi iussione, quispiam condet, nec poma quidem, &c.* Præterea Cassianus, lib. 2. capit. 14. quod inscribitur: *Quemadmodum in cellis suis, opus manuum, & orationum pariter exercent, quod profectur in corpore illius, Cap. & capit. 15. & eod. lib. capit. 12. & alijs locis, loquiturque de Cœnobiorum institutis Deinde S. Ephrem Syrus, tom. 3. De Timore Dei, ibi: *Ne cellam ingre- diaris fratris tui, antequam ad ostium pulses, & tom. 2. de Virtute adhort. 4.**

VIII.  
*Exempla ali  
 qua cellarum  
 sigillatim.*

ibi: *A reflectione resurgens, noli vagare per cellas, sed in tua cella cōquiesce.* Et sic alia apud ipsum, & apud D. Basilium ipsi contemporaneum, in *hom. de laudibus eremi.* & Chrysost. *tract. de monach.* & *vita monast.* & Augustinum supra citatum, qui & memoriam agit monasterij vocati *Centum cellas*, à numero scilicet earum, pro quolibet monacho, & similiter Patres S. BENEDICTO antiquiores. Nam de posterioribus, adhuc maior est memoria & consuetudo, ipse que Beatiss. P. N. BERNARDVS, ad Frat. de Monte Dei scribens, *tract. de vita solitaria*, plura docet.

IX.  
Candela in  
dormitorio  
quatenus ob-  
liget.

Nunc rursùm ad textum ibi: *Candela iugiter in eadem cella ardeat, vsque mane.* Hoc de Lampade, quæ regulariter accenditur in dormitorio, procedit, tempore noctis. Multiplicandę vero istę Lãpades essent, si plures essent loci communes, vbi deni, aut viceni dormissent monachi; pro quibus ita permixtè tunc pausantibus, ne passim impingerent & errarent, similiter necessarium id erat. Cum verò iam ille modus dormiendi, ita communiter in vno patenti loco, cessauerit; dubium esse potest, an cessauerit etiam obligatio ista lampadis, iugiter ardentis, ita vt culpa sit, & transgressio REGVLÆ, eam ex toto non habere? In quo, censeo; quòd licet cessauerit ea ratio, ita proximè & è vicino in simul dormientium; tamen eam nõ fuisse tantùm pro illuminando communi loco, sed pro singulorum, quæ occurrere poterant, necessitatibus, quibus prouisum esse oportebat. Et ita adhuc ardere debere aliquam communem lucem, ad quam monachi conuentus, concurrere possint, vt quauis horã noctis, priuatam & opportunam lucem accipiant, è REGVLÆ esse non dubito; & quantum è ipsa, defectum in hoc, plus quam venialem culpam pronuntiare non audeo, & sæpe nullam, dum non ex toto & pro semper tollatur, nisi vbi consuetudo & exigentia conuentus, & grauis incommodi periculum, id non rectè patiuntur: iuxta quas circumstantias iudicandũ erit, in casu ex Dei lege.

Rursùm in textu: *Vestiti dormiant, & cincti cingulis aut funibus, & cultrilos ad latus non habeant, dum dormiunt, dormiendi &c.* Circa hoc sane maior quæstio, qua cum cuculla liter vestiti debeant esse in dormiendo? An totaliter etiam cum cuculla? In quo Cardinal. Turre-cremata hæret dubiò, sese ad Consuetudinem, quæ optima legum interpres est, referens, & ad cap. 55. *infra*, existimans, non eisdem vestibus interdium, & in dormiendo, vsos fuisse Monachos, quod tamen non bene cohærere, dicam, ibi, num. 8. At Episcopus Vrgell. rem non tractat, & sic declinauit difficultatem sicut alij, solùm quãtùm ad dormiendum sine scapulari ordinis (quod idem fere est, ac in nostra Congregatione scapulare quod vocamus BREVE) defendit rectè, contra Iacobum à Capua, existimantem esse peccatũ lethale: & quibusdam iuribus seu Canonibus adductis è Decreto Gratiani respondet, & ipsum tanquam singulariter sentientem refutat. Et quãtùm ad prædicta iura (de quibus *infra* num. 14.) nullatenus vrgere, censuit idè Suarez, tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 5. num. 18. Nam & adducta à Gratiano in Decreto, non omnia iuris rationem habere, bene cum alijs prosequitur Bonacina, de legibus disp. 1. quæst. 1. punct. 3. num. 37. Et quamquã decreta illa non solũ honestatis, sed necessitatis essent (addit præcitatus Episcopus, ad hęc ea. num. 9.) nõ statim sub mortali instat obligatio, tùm materiæ grauitate non stante: tum maxime respectu monachorum, qui non obligantur sub mortali, quantum est ex iure & virtute REGVLÆ, nisi ad tria vota substantialia. Sic ille: & sic à mortali liberat dormientem sine scapulari illo. Quod quantum ad hoc, & ego ita sentio; atque inter nostros, de scapulari breui (de quo statim) idem affirmo. Cætera de obligatione REGVLÆ in introductione discussi, & ad eam remitto, art. 4. & 8. nam & ipse satis confusè loquitur licet in re cõsentiat, pro vt ibidem, art. 8. dictum est, & aliàs dicendum in Lacinia-plicatura, i. aduersus Ioan. Caramuelem.

Dormitio cū  
scapulari.

III

XI. *difficultas de cuculla augetur.* Cæterum de difficultate dormiendi cum cuculla, nihil expressius determinant: & coniecturam, quæ ad præsens adduci solet, ex cap. 55. nihil conuincere, ex verbis illius, ibi notabo. Præterea ad hoc, quod expressius inuenio, nostris est priuilegium Gregorij XIII. quod habetur, tom. 3. priuil. nostræ Congreg. priuil. 23. in quo concedit, iuxta immemoriam consuetudinem, & traditionem, auferendo scrupulum de non extante priuilegio alio Apostolico, à quo dimanauerit vsus dormiendi, cum scapulari, quod vocamus Brebe, loco cuculle, cum qua, iuxta regularia instituta S. BENEDICTI, deberent (vt ibi dicitur) dormire; concedit inquam, vt eo scapulari vtantur. Vbi præsupponitur huiusmodi sensus verborum illorum, *vestiti accinti dormiant*, vt cum cuculla dormiretur. Verum totum hoc, solū est relatio & narratiua, ex opinione referentium, ac petentium indultum illud, non aliunde suffulta, nec fortè ab omnino certa existimatione profecta.

XII. *Rigor literæ ex litera textus, in rigore iudicandum quid exigat?* In hac igitur re, si quantum liquet est, solū constat, *vestitos, cinctos* que debere dormire Monachos. Cum autē absque cuculla satis vestitus maneat Monachus, vt dormitum eat, quod superindutus cuculla cubet, non cōuincitur. Maximè si credimus explanationi S. Hildegardis, quæ ait: *Vestiti dormiant, scilicet simplici & sola veste, quæ proxima ad cutem hominis est, ne nudi iaceant, quæ lanea fuit, & non duplici veste induti, quia hoc pati non possent, &c.* At hæc interpretatio nimis laxa videtur, quæ remouens solū delitiosam & inhonestam nuditatem corporis, in dormiendo, cum sola interula lanea, quæ camisiæ vicem habet, contenta est. Quare à nullo receptam eam video, neque ego ei assētior, propter plura quæ omitto in re clara, & nō recepta aliquo modo.

XIII. *Quid iuxta S. Hildeg. ? alios?* Præterea si adhuc demus, dormire deberi cum ipsa cuculla (cui numquā satis acquiesco) coniector fuisse cum

illa, quæ non anicata erat, & proprie appellari cucullam, docet, Concilium Vienne, *Clement. Ne in agro, de statu Monach.* Nam quæ cum manicis erat, & pendula vsque ad pedes iuxta REGVLAM, & appellabatur *flocus*, quæ & nūc vtimur, neque apta cingi erat, neque vt lecto quis inuolueretur. Hæc autem cōiectura firmatur, ex ceremoniali Bursfeldensis Congregationis, *distinct. 13. capit. 23.* vbi ait: *Ad dormiendū pro habitu superiore (scilicet floco) cuculla vtantur regulari, clausa sine manicis.* Nisi pro cuculla, quoad hoc, quis intelligat illam paruam, quam Cassianus describit, lib. 1. *instir. capit. 4.* ibi: *Cucullis paruis, vsque ad cervicis, humerorumque demissis confinia, quibus capita tantum contegebantur, indefinenter diebus vtuntur & noctibus.* Cum qua, inscius rei, Ludouicus Cerda, confundit cucullam nostri habitus, non intellectis locis Cesarij, adductis ab eo, in *Aduers. sacris, capit. 44. num. 12.* ¶ Accedit autem proxime ad illam cucullā Cassiani, Sozomenus, lib. 3. *capit. 13.* & Nicephorus Calixtus, lib. 9. *capit. 14.* & alii. Nec ab ea distat multum illud scapulare breue, quod nostræ Congregationi concessit Gregorius (vt sup. n. II.) pro cubantibus, & etiam decedētibus, vt indulgentiis fruerentur habitus, & verè cuculle: quod concedit album, vel nigrum, & non solum cum caputio sed etiam sine illo, quo pacto appellatur à Pontifice, ibi: *Patientia* & a Casinēsis in suis Constitutionibus: *Hasta:* vt vel hinc cesset Nostris prolixior quæstio, quam de obligatione Caputii, versat Hæftenus, lib. 5. *tract. 8. disq. 2.* Cum itaque tanta sit incertitudo, & adeo generice loquatur textus, *vestiti dormiant:* rectè Card. Turrecremata confugit ad consuetudinem cuiusque Congregationis, secundum sensum in quo recepta sunt verba, aut practicata, diu est ea obseruantia. Quam ad tertiam CLASSEM pro his & similibus assignatā, in *introduc. art. 8.* vt cumque reduco: vt potè eo modo obligantē ex REGVLA. Atque refrico idem infra, *capit. 55. n. 6.*

*Præfertur sē rentia Turrecrem.*

cum seqq. Vbi & rursum de cuculla à num. 3. dicam.

## XIII.

Difficultas  
de alijs vesti-  
bus.

Cum autem totum hoc, de retentione habitus, in dormiendo, ad alias vestium partes possit extendi, & sint qui, ex REGULA adiunctis autoritatibus, Capit. Sanctimonialis, dist. 23. & cap. cum vidua, 20. quas. I. vellint hanc obligationem inducere, ut habitus Monachalis indefinenter deferatur, etiam in somno dormientium: restat requiringdum de Cingulo; quia de eo pariter disponitur in præsentibus, Cincti Cingulis, aut funibus, & in nostra Congregatione, & alijs etiam cum Caligis, dormire in usu est, simul cum scapulari, Breui dicto, & secunda quadam tunica quam vulgo Saiofaco, vocamus. Atque in alijs Congregationibus, sua, in hoc sicut in alijs, erit varietas: & de cultellis deponendis dum dormiunt, quod etiam REGULÆ textus cauet. Quare de his omnibus generaliter loquendo, maius iudicium moralis conscientiae esse non debet quam quod nuper de cuculla, & sup. num. 10. de scapulari eius substituto diximus, imo minus ut videbimus in aliquo. Nā de autoritatibus illis Gratiani, iam, ibi: dixi & dico parum ad hoc obtinere. Vtraque enim est, ex Concilijs tantum Prouincialibus Carthaginensi, 4. & Toletano 10. desumpta. Et in vna non exprimitur dormitio cum veste: in altera non distinguitur, quæ vestis viduæ religiosa (de qua ibi,) sit in lecto retinenda, & neutra est quæ quidpiam introducat autoritative in nostram Regulam, ipsa autem solum rationem assignat suæ dispositionis: *Ut parati sint monachi semper, & facto signo, absque mora surgant*, quæ verba ad explicationem, cap. 55. notanda sunt, & recolenda.

## XV.

Cingulum  
An de substantia habitus?

Nunc specialiter ad singula redeuntes: Quo ad cingulū cuius cinctionem petit REGULA, quod sit de substantia habitus, videtur non carere fundamento. 1. Primo, Cassianus lib. 1. de instit. cap. 1. Monachorum habitum recensens, à cingulo incipit, quasi præcipuum militis Christi habitum: eoque vsos Ioannem Baptistam, Apostolosque Petrum

& Paulum, erudite notat & refert ad illos, qui huius professionis fundauere primordia, Eliseum, Eliamque, cuius habitus vnus fuit signum. Zona pellicea circa lumbos, eius. Ut 4. Regum 1. Secundo, D. Basilius, in Regulis fuffior interrog. 23. de Zona. Idem probat ex eisdem alijsque exemplis, & ita ait. Zona vsu necessarium, qui etate nobis superiores fuerunt, sancti viri declarant, &c. Neque oblitus est illius Nicephorus, allegatus num. 13. Tertio, ex Pachomio in eius vita, inter alia Regulæ monachorum, ab Angelo ei tradite, est illud: quod induatur noctibus libitenos lineos, præcincti lumbos, &c. Atque ita tamquam substantiale habitus admittit, pro Eremitis S. Augustini, Jordanis de Saxonia: lib. 1. de vitis fratrum, cap. 15. Firmatque id autoritate S. Ambrosij, qui serm. 92. de ipso S. Augustino, ait: *Novum Christianum nouis vestimentis, cuculla nigra induimus, Cingulo ex corio nos ipsi præcinximus, &c.* Accinitque S. Ephrem, to. 1. tract. de correctione eorum, qui vitiose viuunt, vbi inquit: *Nō putetis, in cingulo vesteque, consistere perfectionem monachi, &c.*

Nihilominus licet tanta Cinguli solemnitas sit, non solum in sacro monachatu, sed etiam in profanis: vnde tamquam signum status, dignitatis, & honoris, habebatur cingulum, & loquendi formam dedit, ut priuari cingulo, tantumdem sit, atque dignitate tali priuari ut ad Concilium Hispalense 2. cap. 3. notauit Archiepiscopus Gaspar Loaisa, in editione Conciliorum Hispaniæ, & Ludouicus Cerda in Aduersar. sacris cap. 146. num. 16. nihilominus respectu monachorum Benedictinorum, in hoc rigore accipi, nullo modo video cingulum; sed CVCVLLA, alias appellata FLOCVS, distincta ampla & pendula ut sup. num. 13. descripsi ex Regula, & perpetuo inde vsu, ac testimonijs quam plurimis comprobata: ea habetur nobis tantumquam proprius habitus, & in ea potissimum ipse saluari creditur. Vnde lib. 2. Collat. S. Odonis Abbatis secundi Cluniacensis, apud eius Bibliothecam dicitur, CVCVLLA Monasticum sche

2.

3.

## XVI.

Non in Benedictinis Monachis.

XIX

*ma.* Et innuitur, in *cap. Mandamus, 19. quæst. 3.* & nostra incliyta S. Hildegardis exponendo REGVLAM, *Singulare signum monachi*, esse dixit, Atque post alios Episcopus Vrgell. *nostræ religionis, velut Notam expressam*, aptè deduxit. Ideo cuculla ad profitendum benedicitur: eaque sola sepultus monachus, cū habitu suo sepeliri creditur. Neque nostræ cucullæ habitus cingulum vnquã admissit, aut nos cinctutos esse permittit. Quod vero Hæftenus *lib. 5. tract. 4. disq. 1.* Zonam laneam assignat Cisterciensibus, ad rē non est, cōfundit enim cingulum quo adstringitur scapulare nostrum, cum Zona quã omnino caret cuculla: nam de cinctione tunice dubitatio nulla est.

## XVII.

Et adstruuntur differentia ab alijs.

Non tamen ob id, *Cingulo* nego suã significationem, sed ea etiã in alijs vestibus adducitur, quæ æstimationi & venerationi proficua est, sed nõ necessaria, ita vt inde rationem propriam, & quasi essentialem habitus, in illo collocemus. Atque S. BENEDICTVS, *cap. 55.* cingulum, inter vestes monachi, non numerat. Et quamvis certum sit non omnino discinctos aut malè præcinctos velle monachos: tamen in alijs, & numeratur, & videtur principalitatem obtinere, vt in *Cordigeris* Franciscanis, & in *corriatis* Augustinianis: in Benedictinis neutrum dixeris, sed *cucullatos*, sicut Petrus Cellensis se, aliosque monachos appellat, *lib. 7. epist. 14.* non semel. Quare dum dormiendi modum traddit B. BENEDICTVS, non aliud videtur voluisse, quã ex præsupposito, quòd vestiri dormiant, aduertere cinctionem vt monachales vestes, quæcumque illæ sint, in lecto redundantes & vagas coerceant, & constringant: de cætero siue *cingulo* vsuali sit, siue *fune* quolibet, nõ curat. Quin & in egrotis, qui depositis alijs vestibus in lecto decumbunt, licet cura sit inter Nostros, tanquam de proprio habitu, ne illis scapulare breue, substitutum pro cuculla, desit; tamen de *Cingulo*, quasi ad habitum attinente, nulla mentio, ex REGVLA. Quæ verò prohibentur *Zonæ* in *cap. Monacho. 27.*

*quæst. 1.* illæ sunt de quibus *Matth. 10.* quæ pro marsupijs vsurpantur.

Qua propter hæc, instructio potiùs directiua videtur, vt sciant quo se pacto in lecto componant, ad sui in cubando decentiam & commoditatem. Sicut illud quod pariter cauet, vt *cultellos* à latere dependentes deponant, ne dormientes improuise sauciantur. Nam si cultellus ita sit capsula inclusus, vt nullũ prorsus periculum timeri possit, etiã si non deponatur, vt interdũ, nisi aliàs se quis discincturus sit, fere numquam deponitur à dormituro, nullius culpæ reum putabo. Quia vtrumque reputo, non tam præceptum, quam decentis commoditatis & cautionis admonitionem ad quartam CLASSEM pertinentem. Deduco tamen inde duo: vnum, quam sit conforme REGVLÆ, cultellũ scindendi panis causa, secum deferre ad mensam sessuros, ne vel collateralibus sint molesti, vel manibus in compertè lanient cibos. Quæ incuria, defectus gladioli scissorii, nec venit in mentem D. Bonauenturæ, qui, in *speculo disciplinae part. 3. c. 4.* tot minutias circa comestionem suggessit, vsque ad coclearia, & de cultello supposuit. Alterum autem est, hinc coniectari, ad minus cū ea veste iri dormitum, super quam adlatus, cultellus dependere solet, cū aduertat inde eum deponere, non vestem exuere, ad quam præcinctus aut appositus erat, & constat nunquam super cucullam, cultellum appositũ gestari.

Superest de *caligis* perquirere: an illis retentis, calceati debeant dormire, iuxta REGVLAM? Et sane ita receptum videtur, vt admittit Card. Turrecremata ad *cap. 55.* & in vsu nostræ Congregationis, detractis calceis, caligæ retinentur ad dormiendum. Cumque sic diutur, naperpetua que cōsuetudine interpretante, intellectum sit ita & seruari oportet. Sicut enim consuetudo potens est, sonantem rigorem minuire, ita & non omnino expressum quasi augere; vt iuxta Regulæ sensum accipiatur verbũ *vestiti*, ad caligarum indumentum extendi. Nam & ob id solitũ

## XVIII.

Cingendi. se & deponendi cultellum quæ obligatio?

Duo inde deducta.

## XIX.

Decaligis in dormiendo.

est

est, & vidimus aliquando caligas, concissis pedalibus, parari, vt pedum evaporationi locus detur, nudarique possit pes, vestita caligis tibia, in quo sensu caligas accipio in Regula, quem morem & sensum confirmat insignis testimonium, quod ex Hugone Cluniac. profero infra ad cap. 55. nu. 10. idq; clarissimè, quidquid ex Nigronio adducat Hæftenus, lib. 5. tract. 5. disq. 3. cum copiosissima illa calcearia re. Atque si rigor ipse verborum, benè inspiciatur, illud. *Vestiti dormiant*, etiam si quid diuersum sit, quam calceati, tamen caligas indumentum tiliarum non excludit. Verbū enim calcio, calceis, caligisque deseruit. Et ita ex more antiquo monastico, sicut alia, ad Præmonstratenses, seu Monachos, seu Canonicos, reor transfisse etiam hunc, de quo Iacobus de Vitriaco Card. Cap. 22. *histor. Orient.* expressè ait: *Caligis calceati dormiunt*, quod eodem sensu intelligo. Nā quod *Actor. 10.* dicitur: *Calcea te caligas tuas*, ibi, sicut & alias sepe, caligas pro calceis accipi, docebo cum alijs de re vestitaria, ad cap. 55. & ita inde rectè dixit imo proprius *Calcea*. Quia calceus aut calceamentum, quod opponitur, aut intelligitur diuersum à vestimēto, à calce, extrema parte pedis deducitur, & tantum dicit regmen pedis. Vndè

Calce° quid?

Horatius, & *male latus in pede calceus hæret*. Indeque & *Nudipedalia sacra*, ab antiquis exerceri, sola calceorum detractio, depræhendes, ex pluribus locis, adductis ad illud Virgilij, *libr. 4. Aneid. Vnum exuta pedem vinculis*. Vbi post seruium & alios, consulendus erit eruditissimus Ioannes Ludouicus à Cerda. Sed tamen in illis, si quando delinquat monachus, vbi hæc obseruantie obligatio viget, trāsgrassio venialis, ex *REGVLÆ* vigore est, tertiæ scilicet *CLASSIS* prout in *introductione Art. 8.* & minor respectu cucullæ, aut scapularis dicti.

Tandem quod in textu dicitur: *Adolescentiores fratres &c.* Vsque ad finem Capituli, pertinet ad tempus, quando in vno loco patenti, vicinisque lectis dormiebant, quo rite sublato, deficit materia omnino dispositionis ibi contentæ, ita vt neque modus ille obseruantie extet. Quod si extiterit decentie, & honestatis pudicæ custodia, & ex lege Dei, & ex voto, obligatoria semper est, & proprias *CLASSES* primam & secundam habens: nec alias peculiare *NOTAS* nostras requirit. Nam quæ ad mores sunt, & modestie honestatis aliarumque virtutum ex alijs præsupponimus, aut aliunde petenda, tractatio nostra literalis relinquit.

XX.  
Quod super-  
est ex textu

De Excomunicatione Culparum.

CAPIT. XXIII.

TEXTVS.



**S** I QVIS frater contumax aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius existens sanctæ Regule & præceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini nostri præceptum Matth. 18. admonetur semel, & secundo secreto; à senioribus suis. Si non emendauerit obiurgetur publice coram omnibus. Si verò neque sic correxerit, si intelligit qualis pena sit, excomunicationi subiaceat. Si autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.

Matth. 18.

PER

NOTÆ.

I.  
Excommu-  
nicatio hic  
quid?

**P**ER hæc quinque sequentia capita, & sepe alias in REGVLÆ, introducitur iste modus loquendi de *excommunicatione*, pro pœnitentijs imponendis monachis delinquentibus. Atque ideo valde intererit, semel determinare, in hac difficultate: An ista intelligenda sint, de propria excommunicatione, quæ censura Ecclesiastica est? Et partem affirmatiuam tuentur insignes Authores, Card. Ioann. Turrecremata, & Magist. Antonius Perez Episcopus Vrgellensis & alij quorum & si suspicio grauitatem, sed fundamentorum ponderé agendum est. Præsupponoque disputationem procedere, de tempore REGVLÆ, & eius institutione à S. BENEDICTO. Nam postea (quidquid tunc fuerit) omnino ab eo rigore longè esse, immemorialis vsus religionis conuincit, & concors omnium acceptio & praxis: vt hodie, de eo, nulla etiã leuis quæstio esse possit, ideo in prioris sensu disputamus.

II. Ea verò quibus prædicti Authores maximè nituntur, sunt hæc. Primo. Nomen ipsum *excommunicationis*, quo REGVLÆ, nititur, & quod censuræ Ecclesiasticæ nomen est. Secundo. Modus admonitionum, quas autè imponendam excommunicationem, præcedere iubet, ibi: *Admoneatur semel & secundo secretò, &c. deinde, obiurgetur publicè, &c.* Quæ trina monitio est, & propriũ requisitum, ad fulminandam censurã. Tertio. Effectus subsequuti, de priuatione communicationis, de qua *cap. 25. ibi: Suspendatur à mensa simul & oratorio, nullus ei fratrum in vllò cõiungatur cõsortio, neque in colloquio, &c.* In quo tã in humanis quàm in diuinis separatur. Quarto. Exageratio pœnæ, quam exprimit hic textus ibi: *Si intelligat qualis pœna sit excommunicatio, &c.* Vtiq; quia non solum in externa priuatione fit, hæc enim à quolibet intelligitur: sed in spirituali damno. Vnde *cap. 27. timet. ne abundantiori absorbeat ur tristitia excommunicatus.* Quinto. Ex verbis Apostoli I. Cor. 5. quæ adducit *cap. 25. Traddidi huiusmodi hominem Sathanæ,*

&c. Quæ de anatematizato intelliguntur. Sexto. Quia *cap. 28. vocat vitione excommunicationis.* Quæ loquutio, non nisi in vrentem spiritu aliter censuram, videtur cadere. Hæc potissimè sunt, quæ non parùm inducunt ad credendum, tunc à S. BENEDICTO, veram & propriã excommunicationem traddi. ¶ Quenam verò nouiter adducet, pro ea sententia, quam in *tom. 1.* indicat Mag. S. uitores se tuiturum, in *tom. 2.* propediè edendo, nunc ignoro. Si autem hæc editio nostra, præueniat in promptu habebit, quibus respondeat, sicut in alijs nonnullis, in quibus dissentio. Quod nemo publicè scribens declinare potest: nec ego id detrecto, qui in omnibus, veritatem & sinceritatem doctrine, sine inuidia, & contentione, sectari profiteor. Habet autem, cui nouiter ex parte in casu adhareat, Benedictũ Haftenum, *lib. 8. tract. 4. disp. 1. & 2.* à quo similiter discedo.

Nam, illis argumentis non obstantibus; Censeo, has excommunicationes verè censuras nõ esse, sed solum vocabulo consentire cum illis: re autem ipsa, esse quasdam *Monasticas pœnitentias*, tantã reuerentia tunc & religione acceptas, vt licet spirituale nocumentum, quod vera excommunicatio ingerit, non inferrent: tamen quasi traddi Sathanæ estimarent, à societate fratrum priuari, & in actionibus, conuictuque secerni; idque etiã à principio REGVLÆ. In decursu enim temporis, ne vestigium quidem esse Ecclesiasticæ censuræ, clarius est, quam quod vel leuissima probatione indigeat.

Illud igitur mihi in primis persuadeo, ex eo quod similem separationem & excommunicationem animaduertito, in antiquioribus Patribus, maximè Basilio & Cassiano, quibus ipsa REGVLÆ (vt alias monui, & vt oportet monebo) tantum defert, & quorum, aliorumque prædecessorum modum, in hoc tenuisse, verisimile imò certum est. Sic ergo S. Basilius, post Regulas breuiiores, & ante Cõstitutiones Monasticas, habet viginti nouem Animaduersiones, id est

VI.

Preoccupatio authoris.

III.

Non esse censuram resoluatur.

III.

Probat ex S. Basilio.

ideſt pœnas regulares, *aduerſus Canonicos vel canonicas delinquentes*. Vbi expreſſis culpis, pro quibus irrogandę ſunt, his verbis eas imponit: *A reliquorum conſortio ſegregantor, aut, à reliquorum ſocietate, per hebdomadam vnã, excluditor, & ea phraſi pluries*. Quod non procedere dē excommunicationis cenſura, conſtat ex eo, quod quandoque alternatiuam adiungit: *aut hebdomadam vnã ieiunato*, quod cum excommunicationis cenſura parificandū non erat: neque tam frequenter, & pro quolibet errato, etiam leui, vt ſunt plura ibi numerata, irroganda erat. Item per ipſum verbum *excommunicationis*, inter ipſius opera, ante librum de vera virginitate, adducuntur alię ſimiles animaduerſiones multatitię, *Sit excommunicatus, vel excommunicantor*, inter quas in 15. ait. *Si quis veſpere poſt Pater noſter inueniatur colloquens, excommunicetur*. Vbi pro ſilentio ſubijci cenſurę, incredibile eſt. Nec eſt qui de ea, intelligat Baſilium, ſed de pœna monaſtica, prout alię ibi contentę ſcilicet, quod *careat benedictione, Quod ieiunet, &c.*

V.  
Probatur ex  
Caffiano.

In idem Caſſianus lib. 2. inſtit. cap. 16. vbi, quem S. BENEDICTVS vocat *excommunicatum*, ille dicit, *ſuſpenſum*. Cum conſtet, ſuſpenſionem à chori ingreſſu, etiam in rigore, non eſſe excommunicationis cenſuram; ſed parem ibi ſegregationem eſſe, ſicut diſponit B. Baſilius, nullamque ligaminis cenſurę Eccleſiaſticę rationem habere. Nihilominus dē æſtimatione huius pœnitentię, addit: *Tali Obſeruantia ſemetipſos, ab orationis eius ( ſcilicet ſuſpenſi ab oratorio) conſortio ſegregant, atque ſecernunt: quod credunt eum qui ab oratione ſuſpenderitur, ſecundum Apoſtoli ſententiam, traddi Sathanae. Et ſi quis orationi eius, antequam recipiatur à ſeniore, inconfiderata pietate permotus, communicare præſumpſerit, complicem ſe damnationis efficiat, traddens ſemetipſum voluntarię Sathanae, &c.* Quę omnia prorsus præter rationem excommunicationis Eccleſia-

ſticę exerceri, plura manifeſtant. Scilicet: Quod erat pœna frequens, *pro admiſſo quolibet delicto*: Quod nullam, ad impositionem, requirat Eccleſiaſticam authoritatem, ſed loquatur indiftincte, ad ſeniores conuentus pertinere, etiam tempore, quando plures cōuentus, ſine Superiore Præbitero, erant: Quod *inconfideratē cōmunicans*, cum ſegregato, aut ſuſpenſo, pari pœna inuoluebatur: cum hoc quoque alienum ſit, ab excommunicatione, vt pari cenſura feriatur comunicans cum eo, ſed minori aut nulla. Vnde de ſuſpenſione iſta Caſſiani, pariter, ſicut de excommunicatione S. BENEDICTI, in eius Regula, ſentit Suarez, tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 9. num. 10. ſolum pœnas regulares, non cenſuras Eccleſiaſticas fuiſſe, prout tenet.

Quod ſi altius id repetere vellimus hoc genus pœnitentiarum Monaſticarum, inueniemus, inter inſtituta S. Pachomij & Orfeſij, quę Latine tranſtulit B. Hieronymus, vbi, *Præcepto 84. ait: Qui facilis eſt ad detrahendum, ſeparabunt eum extra conuentum, ſeptem diebus, &c. & Præcepto 87. Qui habet conſuetudinem, vt peruertat animos ſimpliciorum, &c. ſeparabunt eum extra Monasterium, & verberabunt, &c.* Igitur, ex prædictis antiquioribus monumentis, colligo S. BENEDICTVM, ſimilem in excommunicatione, quę ſeparatio & ſegregatio quędam eſt, tenuiſſe modum: vt Monaſtica pœna ſit, non cenſura Eccleſiaſtica, quę rariffime infligenda eſt, & non aded paſſim, neque pro quibuslibet negligentis, in Monachos animaduertet tanto ſupplicio, præter paternam benignitatem, rigidus iudex deſe-

Deinde idem probo, ex eiufdem REGVLÆ coniecturis. Primò: Quia, vt nuper dicebam, hæc excommunicatio, in ea eſt frequentiffima, contra documētum Sanctorum, & Conciliorū iniungentium, raro & cum vrgentiſſima ratione, vtendum eſſe gladio huius ri-

VI.  
Probatur ex  
S. Pachomio

VII.  
Probatur ex  
Regula.

gida censure. De quo Ambrosius lib. 2. offic. capit. 27. Leo primus, Epist. 87. ad Episcop. Vicens. Est enim occisio quædam animæ, vt Cyprianus, lib. 1. Epist. II. ad Pomponium, ait: Spiritus in gladio necantur, dum de Ecclesia deijciuntur. &c. Augustinus, quæst. 39. sup. Deuter. ibi: Hoc nunc agit excommunicatio, quod agebat tunc interfectio, &c. in idem Nacianzenus in Apolog. Chrysostomus, homil. 70. ad Ropul. & homil. de Anath. & Hieronymus, in Ierem. capit. 29. & Ezech. capit. 17. & similiter alij Patres antiquiores S. BENEDICTO, quorum aliorumque ipse doctrinam a primæ calebat, & utique sequeretur. Secundò: Quia, vt notabo ad capit. 51. sæpe in REGVLÆ imponitur, pro culpis præteritis, quæ semel transferant, & in quibus nulla est contumacia & proterbia, nec aliquid vestigium utilitatis de censuris: quas nõ prodigeret discretissimus PATER, maximè cum damno spirituali. Imò, & non posse ferri excommunicationem, pro peccato præterito, vt sic, concors est sententia plurium, cum quibus Bonacina, tom. 1. de cens. disp. 1. quæst. 1. punct. 3. propof. 5. Tertio: Quia ex capit. 70. constat, potuisse de facto, à quocumque monacho imponi respectu sui inferioris. Quod ne fiat, prohibet tamquam quid pariens de ordinationem, dicens: Nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare, &c. Quod si sermo esset de Ecclesiastica censura, quæ ferri nequit, nisi ab habente spirituale iurisdictionem; inepta & impertinens esset prohibitio, fermè tamquam si prohiberetur homini ne volaret, qui potentia ad volatum caret. Et vel solus ille Regulæ locus, sufficiens erat, ad sensum, quem intendimus in ea, conuincendum mentem eius longe esse a ratione Ecclesiasticæ excommunicationis.

VIII.  
Probatur ex  
posterioribus  
Regulæ.

Præterea idem cõfirmo, ex alijs posterioribus S. BENEDICTO. Nam S. Isidorus in sua, seu ab ipso abreuiata Regula, cap. 17. quod inscribitur de Delictis, cum accuratè distinguat grauias, &

leuias: de his, ait: *Triduanæ excommunicatione emendanda sunt*: de illis vero: *diuturna excommunicatione purganda sunt*. Vbi nota, quod non de excommunicatione distinguit, vt maior grauius, & minor leuius imponeretur, quod in Ecclesiasticis cõsuris, erat omnino necessarium: Sed solum distinctionem ponit, in *triduanæ*, vel in *diuturnæ*. In quo manifeste sentit Ecclesiasticam censuram non esse. Nam si de excommunicatione maiori intelligatur, prout absolute *excommunicatio* accipitur, dum non additur restrictio, vt cum pluribus docet Bonacina, tom. 1. de excommunicat. disp. 2. quæst. 1. punct. 2. num. 2. & est communis Logicorum regula, de famosiore significato: talis excommunicatio maior, nec ad vnum diem, neque ad horam, pro leui culpa erat infligenda. Imò neque minor excommunicatio, pro culpis quas ibi exprimit: Vt si casu aliquid fregerit, si alicubi ad momentum discesserit, &c. Vnde ipse Isid. capit. 18. quod inscribitur, de excommunicatione, eam solum appellat, *emendatoris satisfationis censuram*, hoc est censuram, seu castigationem ad instar eius, quæ à Censoribus Romanis inferebatur. Adnectoque testimonium S. Hildegardis, cui tantam authoritatem & pondus defert & merito, ipse Magist. Sanvitores, vbicumque eius meminit. Illa igitur ad verba textus: *Excommunicationi subiacet*, exponendo, ait: *Non illa iure Sacerdotij sub stola prolata, sed excommunicationi quæ verbis tantum simplicibus, à consortio fratrum, seu in refectorio, seu diuino officio in choro, & his similibus separatur. Quoniam poena hæc intelligentibus grauiorem confussionis ruborem affert, quàm vindicta corporalis: cum non intelligentibus, disciplina inferenda sit, &c.* Quibus verbis, rem totam egregiè explicauit.

Ex S. Isid.

Ex S. Hildegardi.

Iuari autè potest tota hæc, tametsi satis euidens probatio, ex eo quod sup. cap. 2. num. 10. Citato Suarez, insinuauimus, optimè stare potuisse statum Religiosum, sine potestate iurisdictionis

IX.  
Probatur ratione.

Q

spi-

spiritualis in Prælato; sufficereque solam potestatem dominationis, quæ ab illa distincta, & separabilis est. Atque hac potissimum, à primordijs Monastici status, & postmodum, diu superioritatem religiosam constasse, eidemque consuetudini, pro tempore accommodatam Regulam; vt necessariò non exigeret eam spirituales iurisdictionem, in Abbatibus, quæ tunc temporis residebat legitime in Episcopis, quibus iure communi monasteria subdebantur plenè, vt latius apud citatum Authorem, *to. 3. de Rel. lib. 2. c. 17. & 18. tom. 4. lib. 2. c. 1. n. 3.* Cum ergo sine spirituali iurisdictione, censura excommunicationis fulminari nequeat: manifeste sequitur, eas excommunicationes, quæ à sola potestate dominatiua prodibant, longè à ratione censuræ Ecclesiasticæ discedere. ¶ Neque obstat aliàs dixisse, REGVLAM a principio habuisse approbationem sufficientem à Superiore ordinariò, in suis locis, vt tãquam lex, propriam legis obligationem haberet; nam aliud est, eam per præcepta ibi expressa, habere vim obligandi in conscientia subditos: aliud verò Abbatem seu Patrem Monasterij, habere iurisdictionem Ecclesiasticã, ad censuras ferendas requisitam. Quã aliquando caruisse satis notum est: quo casu, etiã alijs seclusis, conuincit prorsus ratio, nec ab ea satis se expedit Haesten<sup>o</sup>, *lib. 8. tract. 4. disq. 1. sibi etiam minus consequens, vt notabo infra ad c. 24. n. 3.*

X.  
Responsio ad  
I.  
Restat nunc ordine suo respondere ad obiecta *sup. n. 2.* & ad primam, dico: Quando de re constat, nomini nõ esse inhærendum. Significationem verò *excommunicationis* est, esse extra communicationem, quæcumque illa sit. Vnde seclusa omni ratione propriæ censure, fuisse excommunicationis modũ, in lege veteri, constat: & ad id reducit originem huius, qua nunc vtitur Ecclesia, Polydorus Virgilius, *lib. 4. de Inuentor. verum, c. 12.* Sed & apud Gentiles, nõ solum ex locò Iulij Cæsar. in cõmentarijs, de Druidibus, quem citat Petrus Crespetius, in *summ. Cath. verit.* verbo

*excommunicatio*, sed ex alijs, quæ latè adducit Cerda ad illud. *Virg. Æn. 6. Proculo proculeste prophanio Conelamat Varus, totoque abstistite luco.* Quibus adde Aimonium, de Gestis Francorum, in præfatione, qui de eisdem Gallis atq; Paganis, ait: *Si quis eorum decreto non steterit, sacrificijs interdicitur; hæc pœna apud eos grauissima.* Attamè etiam primitus in Ecclesia, non censuram, vt nunc, sed remotionem à communione (quæ anthonomasticè est Eucharistia) significasse: postea vero extensam esse ad plenam censure, similem cum anathemate habentem effectum, tradunt Authores. Cum quo nihilominus stat, vt vsus nominis, quod tantumdem valet, ac *separare, segregare ab alijs, interdicerè, &c.* etiam in vi talium significationum accipiatur. ¶ Sic vsus est verbo: *excommunico vos*, ipse S. BENEDICTVS, vt refert D. Gregorius, *lib. 2. dial. c. 26.* absq; propria ratione excommunicationis. Quod obiter ipse aduertit; vtique quia neque in intèntione fuit, quam, *non proferendo intulit, sed minando, & vocat eam, communè eius loquutionem, vt esset quod vulgo dicitur, Vn modo de decir, Vn amago:* Et quia in effectu solũ fuit, exire foras ab Ecclesia eas defunctas, prout in visione apparebant, qui miraculosus effectus alienus est à censura: & ab illa apparitione, nõ ab absolute, sed oblatione quãdam à Sancto præstita, cessatum est. ¶ Sic etiam, in *cap. facilius, de Pœnit. dist. 1.* dicitur: *Facilius Deum placabunt, qui se ipsos excommunicabunt.* Vbi verbũ *excommunico*, non intelligitur de Ecclesiastica censure, quã in se ipsũ quis exercere non potest: sed pro eo accipitur, vt quis se ipsũ *redarguat, & voluntarie remoueat, & se parer ab altari.* Quo pacto id explicat Bonacina, *tom. 1. de censuris in Comm. disp. 1. q. 1. pun. 4. n. 17.* ideoque ex nomine conuincitur nihil.

Ad secundã respondeo: in REGULA passim similes admonitiones adhiberi, & *cap. 65.* non solũ ter, sed quater admonetur Præpositus, & alibi etiã pluries, vt *ibid. num. 19.* adnoto. Et ad quãcumque

Sæpe absque  
censuræ  
ratione.

XI.  
Responsio ad

Excommu-  
nicatio varia

cumque maiorem correctionem disciplinae regularis inferendam, monitiones præmitti iubet. Unde infirmum est argumentum, ut inde inferatur, hæc Monasticam pœnam, & regulare excommunicationis animaduersionem, esse censuram Ecclesiasticam. Qua seclusa, in ipsa correctione fraterna, iuxta Euangelium adhibetur præuiae monitiones, & in alijs pœnis inferendis similiter.

XII.  
Responsio ad  
3.

Ad tertiã dico: Omnem illam priuationem assistendi choro, refectione, &c. externam tantum esse, sine interiori animæ spirituali nocimento, censure, aut ligaminis eius. Quod ostendunt exempla ex Cassiano & B. Basilio adducta. Sed adhuc ex Cassiano lucem maiorem assero: Apud quem lib. 4. instit. capit. 16. numeratis leuibus defectibus: ut tardius occurrere oratorio, ut si cantando Psalmum modice ritubet, ut si leuiter murmurauerit, & alia in hunc modum subiungit, quod, in hac procedit animaduersio spiritualis, & designando quænam sit hæc, ait, esse: *ut cunctis in Synaxi congregatis, tandiu prostratus in terra veniam postulet, donec orationum solemnitas consumetur, &c.* Et deinde enumerans grauiora crimina, ut, *sunt aperta conuitia, effrenata processio, familiaritas apud fœminas: operis peculiaris, (id est proprietatis) presumptio, & similia, hæc ait: non illa increpatione spirituali, sed vel plagis emendantur, vel expulsiōe purgantur, &c.* Vbi animaduersio spiritualis seu increpatione, nõ dicitur talis, quia censura malum ad animam spiritualiter pertinens inducat, pro leuissimis culpis: sed spiritualis, id est, lenis, iuxta illud Apostoli. Galat. 6. *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite, in spiritu lenitatis.* Nempe suauis leuisque animaduersio, ac proinde longe à rigore censurae Ecclesiasticæ.

XIII.  
Responsio ad  
4.

Ad quartam: Constat, ex locis Cassiani adductis numer. 5. maxime apud antiquos, æstimari prædictas separationes & segregationes, etiam si censura Ecclesiasticæ non sint: neque

ad id esse necessarium, ut proprie excommunicatione sit, quæ nulla maior in Ecclesia pœna est, ut ait, ex Augustino, Capit. corripiantur, 24. quæst. 3. Cordatos autem & Religiosos viros, minora etiam summe sentire constat: maxime pœnitentias similitudinem & analogiam quandam, cum illa omnium maxima gerentes, & quæ in Religione, vel pessimam notam inurunt, vel a gremio virtuosorum ignominia quadam, ab homine probopius quam ignis fugienda, discolors & malè moratos separant. Nec mirum ea quandoque imaginatione torqueri, ita ut meror importunus timeatur, eiusque nimietati sit prudenter consulendum, propter acerbiteratem, de qua infra numer. 15. in resp. ad 6. & supra num. 8. S. Hildegardis testimonium.

XIII.  
Responsio ad  
5.

Ad quintam, redditur solutio, ex eodem Cassiani loco: Haberi enim tamquam si in his pœnitentijs tradderentur Sathanæ, esse, non veritate & re, prout verba Pauli præ se ferunt, de anathemate, & prout uincit eiusdem effectus, in nocimento animæ, perinde habetur. De quo Cornelius à Lapidé, in Epistola Pauli, 1. Corinth. 5. & alij ibi, ut Ambrosius & Anselmus, atque Augustinus, lib. 3. contra Epistolam Parmen. Sed traddi Sathanæ estimatio, iudicio, opinione, solum exterioribus priuationibus & effectibus, sufficiter absorti atque perterriti, de quo infra ad cap. 25. num. 26.

XV.  
Responsio ad  
6.

Unde & ad sextam obiectionem dico, ea ipsa prædicta satis esse, ut *ostio* nomenclatura, afficiatur illa pœna. Nam merore & ignominioso rubore suffundi, quænam maior interni pectoris adustio? Ita Romanis, ait Ioannes Rosinus, de antiquitatibus Romanorum, lib. II. capit. 17. *Censoris officium nihil ferè damnato affert, nisi ruborem, &c.* Qui licet ijs, qui atrita sunt fronte, & nesciunt erubescere, parum ingerat molestiæ; at viro bono, ut Tucidides, lib. 2. ait: *ignominia tristior est morte.* Quare Plato in le-

Rubor quā-  
ta pœna?

gibus contra custodes exercitus, vel civitatis desertores, tamquam qui Rempublicam omnē prodiderint, ignominiaē supplicium taxavit. Plutarchusque de Paufania i quos crudelius castigaret, ait: totum diem ludibrio stare cogebat. Et aliquando pro pœna mortis subrogatū pudorem, iudicant Tertulliani verba, in Apolog. c. 4. ibi: in pudoris notam, capitis pœna conuersa est, &c. Si ergo ex prædicta pœna, tanta Religiosi operit cōfussio faciem, quid non ferè absorbeatur tristitia? Quid nō exiccetur & vratur mærore? Quarè prædicta est nostra, de hac re, circa REGVLAM, sententia: quæ confirmabitur amplius infr. n. 17. & c. 24. n. 2. & 3. c. 25. pertorium, & c. 26. n. 1. & 2. c. 43. n. 4. & 7. c. 44. nu. 12. c. 51. n. 2. proprijs repetitis, de re, locis. Et tenet etiā hanc partem, vir in hac re versatus, Anton. Yepes, tom. 3. chronica S. Bened. in Appen. circa Concilium Aquisgran. can. 64. & Franc. Suarez, to. 3. de Relig. lib. 2. c. 18. n. 8. & tom. 4. lib. 2. c. 1. num. 3. ita etiā Camaldulensium Declaratio ad hoc. cap. ita & alij.

His sic necessario præmissis, ad textum huius cap. pergamus, ait enim: Si quis frater cōtumax aut inobediens, &c. In quo id potissimū, cum fratre in Monasterio eiusque conuersatione peccāte, obseruandum traddit, quod Christus Dominus Matth. 18. cum quolibet peccatore. Quod, non voluntariū consilium, sed Domini præceptum vocat & ipsum obseruandum proponit, ut admonetur semel & secundo secreto, & inde si nō emendetur, obiurgetur publice. Quare nulla obligatio hinc, ex REGVLA, consurgit distincta ab ea, quam ex præcepto de correctione fraterna, quisque habet (prout in prima CLASSI in introd. ar. 6.) eamque sartam tectam vult Legislator noster, pro suis Monachis, a quibus tantum abest, ut renuntiare exigat, quod nec specialibus institutis, nec voluntarijs eorum, quorum

interest, placitis, in aliquo dim; sui velit. De ipsius autem præcepti ratione, mihi non incumbit agere, sed remittendum est Authoribus, inter quos, tibi præcipuū exhibeo nostrum Mag. Petr. a Lorca, in 2. 2. D. Tho. q. 33. ar. 2. disp. 47. qui plures refert, sicut & etiā Thomas Sâchez, lib. 6. summ. c. 16. a n. 42. & alios omnes doctos & cordatos viros.

Sequitur in textu: Si intellexerit qualis pœna sit, excommunicationi subiaceat. Si autem, &c. Sed adde huic loco aliū, ex cap. 28. vbi ait: Si etiam excommunicatus non emēdauerit, accedat ei acrior correctio, id est verberum vindicta in eū procedat. Et ex vtroque collige euidēter in fauorem resolutionis supra traditę, non loqui sanctiss. BENEDICTVM de excommunicatione propria quę censura Ecclesiastica est, cum apud ipsum acrior pœna sint verbera, & tamquam grauior, posterius imponenda. Consonatque valde cum loco Cassiani adducto, sup. n. 12. & cum intelligentia S. Hildegardis, num. 8. Quare hic: Si intellexerit, qualis pœna sit excommunicatio, non dicitur, quia ea propria censura Ecclesiastica sit, animę inflicta; sed quia etiam ad ponderandum huiusmodi segregationes à mensa, à choro, à laborantium consortio, &c. quę honorificæ communicationes sunt, est necessarius æquus, prudens, & intelligens æstimator. Nam si vilis sit, & abiecti animi, & nullius frugi, qui cum in honore esset non intellexit, & vel insipientia stultā vel inuerecundia deplorata, nihili facit proprio loco priuari, excludi à cōmuni mensa, & in alijs honorificis functionibus deposita decentia, quę erga bonos seruatur, contemptim tractariis acriori supplicio stultorū, & non intelligentium proprio, deputandus est, scilicet fustibus, & verberibus, tamquam improbus, quo verbo, recte vsus est, in hac parte, pro maligno & peruerso, apud quem lenitas minus valet.

XVI.  
Correctio  
fraterna etiā  
ex Regula.

XVII.  
Confirmatur  
assertio de  
excommunic.

Qua

*Qualis debet esse modus excommunicationis.*

## CAPIT. XXIII.

TEXTVS.

**S**ECVNDVM modum culpe: a excommunicationis vel disciplina debet extendi mensura. Qui culparum modus, de Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen Frater, in leuioribus culpis inuenitur, tantum à mensa participatione priuetur. Priuati autem à mensa consortio, ista erit ratio, ut in Oratorio Psalmum, aut Antiphonam non imponat, neque lectionem recitet, usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi, post Fratrum refectionem, solus accipiat, mensura, vel hora qua prouiderit Abbas ei competere. Vt si (Verbi gratia) fratres reficiunt sexta hora, ille frater nona; si fratres nona, ille uespertina, usque dum, satisfactione congrua, veniam consequatur.

a Deut. 25.

I.  
Obligatio,  
& explicatio  
textus.

**P**RO mensura peccati, erit & plagarum modus, ait Scriptura, Deut. 25. & iuxta illam textus: *Secundum modum culpæ, excommunicationis, vel disciplina debet extendi mensura.* Quem modum relinquit iudicio Abbatis, ut ipse inspecta leuitate, vel grauitate culpe, quæ & ex obiecto, & ex circumstantijs, multiplices & varios potest habere gradus, iustam satisfactionis adhibeat mensuram; nec scutica dignum, horribili sectetur flagello. Et hæc generalis regula, præceptum est iustitiæ vindicatiuæ naturale & diuinum, indeque eius obligatio pensanda, prout de pertinentibus ad primam CLASSEM, dictum est in *Introduct. art. 6.* In quibus nota duo: Vnum, quod pro eodem reputat, *excommunicationem & disciplinam*, ut tantundem valeat, dicere vnum, ac alterum. Aliud, quod huiusmodi poena potest accipere variationem multiplicem, & ita non omnibus culpis leuioribus, eadē erit poena, quā statim subiungit; neque in grauioribus quā sequenti Cap. assignat, sed quibus addi, detrahique debeat, iuxta multiplex pōdus, notabiliter, in suo gradu, varians reatum.

II.  
Excommu-  
nicatio &  
disciplina  
pro eodem.

Ex quibus etiam colligo, non posse hic aptè intelligi *excommunicationem*, pro Ecclesiastica censura, quæ solum duplex est. Maior, & minor, & vtrius-

que certi & determinati effectus, sed iuxta modum iustitiæ assignatum, in vtraque, potest & debet esse variatio, additio, & detractio: ergo non habent rationem censure propriæ. Quā variationem expressit, in casu D. Basilii, *serm. 1. de institut. Monach.* inquit: *ij autem, qui in culpa aliqua deprehensi fuerint, ad magnitudinem delicti poena accommodetur, videlicet, ut vel in communi cum ceteris, Psalmorum decantationi interesse prohibeantur, vel ad orationis communionem nequaquam admittantur, itemque à cibi communicatione arceantur, &c.* Vnde S. BENEDICTVS *excommunicationis, vel disciplinae voce, indifferenter utitur.* Nec differunt ista, nisi ad modum generis & speciei, vel tanquā communius, & magis determinatum. *Disciplina* enim est quid generalius & communius, compræhendens quidquid distractionis aut poenalitatis, potest regulariter imponi delinquentibus, ut latè docui *sup. capit. 3. num. 8. 9.* & *io. excommunicatio* verò specialior est, & magis determinata poenā, & modus quidam discipline, consistens in hac aut illa priuatione, seu segregatione, ut explicatum est.

Sequitur in textu: *Si quis tamen in leuioribus culpis, &c. & disponit modum quem-*

III.  
Nec excom-  
municatio  
minor locum  
habet.

quemdā, vt in plurimū leuioribus cul-  
pis conuenientem, qui per excommu-  
nicationem hanc Monasticam tenen-  
dus sit. Volunt autem Authores citati,  
*cap. præcedenti, num. 1.* hanc esse excō-  
municationem minorem, quæ censu-  
ra est, sed immerito, tum propter dicta,  
tūm quia nullum proprium effectum  
eius assignant, qui consistit in priuatio-  
ne passiuæ Sacramentorum, & electio-  
nis canonicæ, de quibus nullum ver-  
bum facit REGVLÆ. Quod si censuram  
illam vellet cōstituere, vtique effectus  
proprius non taceret, aut non recurre-  
ret ad alios diuersos, nec eos per parti-  
culam *tantum*, limitaret. Accedit quod  
neque hic pro leuibus culpis, nèque in  
*sequenti cap.* pro grauioribus, formam  
imponendi tales censuras, neque ab-  
soluendi, præscribat. Vtpote longe ab  
eis. Faretur autem Hæftenus, *lib. 8.*  
*tract. 4. disq. 2.* hanc leuiorem Regu-  
læ excommunicationem, non esse cē-  
suram, & consequentius procederet, si  
idem dixisset etiam de grauiore, & ve-  
ram parificaret doctrinam.

III.  
De culpa leui  
& graui.

Adnoto autem ex hoc cap. & se-  
quenti, ortum esse in nostra Congre-  
gatione & aliis, statuisse duos modos  
satisfactionis, & poenitentia, qui vocā-

tur *culpa leuis*, & *culpa grauis*, Metoni-  
micè posita causa pro effectu, scilicet  
pro pœna, quæ imponi dicitur, aut de-  
stinatur culpæ leui, aut graui. Sic. 2.  
*Mach. 12.* vt à peccatis soluantur, pec-  
cata accipiuntur pro pœnis. Igitur mo-  
di illi, licet aliquantulum diuersi sint, à  
dispositione REGVLÆ, iuxta diuersitatē,  
quā vel in horis reficiendi, vel in cho-  
ro, vel in laboribus, iam ritè & licitè  
admissam habemus; & etiam non sem-  
per integre imponatur pœna pro vt in  
diffinitione describitur, quæ subroga-  
tio Regulæ est, sed vel addatur, vel alte-  
retur, ac minuatur; non tamen in eo  
Regulæ transgressio culpabilis, vt sic  
est, sed potius constat admitti à Re-  
gula, iuxta dicta *num. 1.* Nam isti modi,  
non præscribuntur vt immutabiles, sed  
vt attemperandi rationi & mensuræ  
iustitiæ, secundum *modum culpæ*, & de-  
pendenter à iudicio Abbatis, iuxta  
quæ rectissimè inuerti & variari pos-  
sunt, & debent. Quæ verò in fine ca-  
pit. adduntur de horis reficiendi, expli-  
cata sunt sup. ad *capit. 8.* & refrican-  
da infra ad *capit. 48.* Cæremoniæ e-  
tiam satisfaciendi in choro, aut aliàs  
in culpa graui aut leui, tradduntur in-  
fra *cap. 44.*

### De Grauioribus culpis.

## CAPIT. XXV.

TEXTVS.



**I**S autem Frater, qui grauioris culpæ noxā tenetur, suspendatur  
à mensa simul & ab oratorio, nullus ei fratrum in illo  
iungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi in-  
iunctum, persistens in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli  
sententiam dicentis: *Tradditum huiusmodi hominem Sathanæ, in  
interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini. Cibi autem re-  
fectionem solus præcipiat, mensura vel hora, qua præuiderit ei Abbas  
competere, nec à quoquam benedicatur transeunte, neque cibus qui ei  
datur.*

1. Corint. 5

QVOD

NOTÆ.

I.  
Suspensio  
pro excom-  
municatione

**Q**UOD præcedente Cap. pro le-  
rioribus culpis, disposuit San-  
ctiff. PATER, hic pro grauio-  
ribus statuit, aggrauata pœna. Vbi no-  
ta verbum *suspendatur*, quod etiam si  
in ratione censuræ sumeretur, diuer-  
sum est ab excommunicatione, quan-  
tum hæc, à suspensione distat, de quo  
tibi plura Suarez, *tom. 5. in 3. par. Auila*  
*tract. de cœsuris*, & omnes passim, con-  
cordatque cum loco Cassiani addu-  
cto sup. *capit. 23. num. 5.* vbi voce *sus-*  
*pendendi* vtitur. At vtrobique, nil est,  
quod cogat accipi, in vi censuræ Ec-  
clesiasticæ, potius hic cum de excom-  
municatione agat, consequenter ad  
prædicta, mutans verbum, & per sus-  
pensionem se explicans, manifestat se  
largo modo vti huiusmodi vocibus; in  
differenter sufficientibus ad significân-  
dum huiusmodi priuationes & pœ-  
nas Monasticas, absque rigore censu-  
rarum, quæ aliàs non erant confun-  
dendæ.

II.  
Traddi Sa-  
thana, quid?

Ibi: *Persistens in pœnitentiæ luctu,*  
*sciens illam terribilem sententiam Apo-*  
*stoli, &c.* Hoc expositum est sup. *capit.*  
*23. num. 13. & 14.* Quæ propter hic per  
illud *sciens, &c.* non ita ad scientiam  
delinquentis, in pœnitentiâ & luctu  
positi, reuocat hoc, vt intelligat, sicut  
Apostolum, spiritualem gladium ana-  
thematis intulisse; sed vt recolat pœ-  
nas olim in culpæ curationem il-  
latas: Vt ad eum modum, diuexari cor-  
porali afflictione & molestia propter  
culpas, quasi infernali tortori permis-  
sus credatur, eum tamen medicinalem  
debere esse cruciatum & angorem, ag-  
noscat, *vt spiritus saluus sit, in die Dô-*  
*mini*, quod etiam intendit Apostolus.  
Nam & ipsa vera, & propria tradditio  
Sathanæ, licet sæpe supplicium culpæ  
sit, tamen ex se, non malum culpæ, sed  
malum pœnæ est. Sic Chrysostomus,  
*hom. 3. ad Popul.* ait: *Dæmone peius est*  
*peccatum in anima, nec Diabolus lædere*  
*potest, &c.* Atque solum tradditum es-  
se aliquem Sathanæ in interitum car-  
nis, vexarique à spiritu immundo, se-  
cluso alio actuali peccato, non redde-

Energume-  
nis commu-  
nicatio data.

bat cum excommunicatum: *Quin po-*  
*tius talibus, sacrosanctam communionem,*  
*numquam interdicitur, quinimo si possi-*  
*bile esset, quotidie imperiendam, ex mo-*  
*re sui seculi, refert Abbas Serenus, a-*  
*pud Cassianum collat. 7. cap. 29. & 30.*  
& ex parte consentit Concilium Eli-  
beritanum, tempore quo Nicenum  
celebratum, *Can. 37. de Energumenis.*  
Et nostro etiam tempore, de illa cele-  
bris sanctitatis foemina Domina Ma-  
ria Vela Abulensi, moniali Cistercien-  
si, constat, (*ex lib. vitæ eius qui inscri-*  
*bitur La muger fuerre*) quanta, diutur-  
na vexatione passa est à Dæmonibus, vt  
tametsi non possessa, ferè tamen ingi-  
ter ab eis notabiliter afflictæ, traddita  
illi tortori videretur crudeli, multo qui-  
dem apud Deum merito, multa apud  
homines laude.

Imò licet ex illo Pauli loco addu-  
cto, atque ex alio simili, *Timot. 1.* col-  
ligatur autoritas & potestas excom-  
municandi, vt expresse. D. Thomas ibi-  
dem, & quos latè adducunt Authores  
& etiam ad *1. Corint. capit. 5.* atque ex  
efficacia Apostoli, tunc cum eo effectu  
esset, vt à diabolo corripere excō-  
municatus torquendus, vt consentiunt  
Theodoretus, Chrysostomus, Hiero-  
nymus & alij, tamen & apud ipsos a-  
liàs metaphora etiam creditur, quæ sig-  
nificetur, publica pœnitentiâ alicui im-  
posita, in cilicio, ieiunio, alijsque aspe-  
ritatibus, quibus carnis petulantiâ mul-  
tabatur, vt *dum caro*, (quæ verba sunt  
Hieronymi) *per pœnitentiâ afflictæ,*  
*quemdam interitum patitur, spiritus cō-*  
*seruetur.* Atque iste sensus videtur cō-  
uenire maximè, vbi non actualis pec-  
cati contumacia plectitur, sed suppli-  
cio afficitur præteritum erratum, in  
quod, excommunicationem ferri non  
posse, quæ proprie censura sit, com-  
munis est Authorum consensus, quos  
(vt iam dixi) citat Martinus Bonacina,  
*tom. 1. de Censur. in comm. disp. 1. quæst. 1.*  
*punct. 3. proposit. 5.* & tenet etiam Tho-  
mas Sanchez, *tom. 2. consil. lib. 6. capit.*  
*10. dub. 1. num. 33.* In REGVLÆ autem,  
semper regulares istæ excommunica-

Etiam me-  
taphoricus.

tiones, pro commissis culpis imponi iubentur, & vt iuxta modum commissæ culpæ castigatio sit, vnde manifestè constat, non proprias excommunicationes Ecclesiasticas esse; sed pœnas

quasdam, incommodum temperale infligentes & pœnalitatem: Sed satisfactionem peccati commissi, operantes, & culpis perpetratis attemperatas.

*De his qui sine iussione Abbatis iungunt se excommunicatis.*

### CAPIT. XXVI.

TEXTVS.

**S**I quis frater presumpserit, sine iussione Abbatis, Fratri excommunicato, quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

NOTÆ.

I.  
Exponitur  
textus vt ex  
communicatio  
hic non sit  
censura.

**H**IC contra quemlibet monachum, iungentem se cum excommunicato, aut loquentem cum eo, aut mandatum ei dirigentem statuit, vt similem sortiatur excommunicationis vindictam. En tibi satis conuincens ratio, quam sup. cap. 23. num. 8. insinuauit, vt de propria excommunicatione non debeat intelligi. Tam leuia enim errata, grauissima excommunicationis Ecclesiasticæ censura, inuoluenda non erant, nec ipsa Ecclesia vnquam communicantem vt sic, cum excommunicato, simili, hoc est pari vindicta excommunicationis animaduertit. Quod verò in alijs Regularibus disciplinis, & pœnitentijs, ea extensio fiat, in eum maximè qui, prout textus exprimit, *presumpserit*, æquius admitti debet, secus in censura illa, spiritualium pœnarum maxima. Pro quo omnino recale locum Casiani, vt sup. cap. 23. num. 5. vbi cum excommunicatio Ecclesiastica non sit, dicit tamen de eo, *qui inconsiderata pietate communicauerit*, cum suspenso aut separato ab oratorio, *quod credebat* (scilicet estimatione religiosa,) *se traddere Sathanæ*. Vnde constat illam phrasim de traditione Sathanæ, non significare ibi propriam excommunicationem, quæ ex tali modo loquendi deberet esse maior, vt notauit cap. 23. num. 8. & hæc nec ex sola communicatione cum excommunicato incurritur, nec ex *inconsideratione*, quæ venialis

ad summum est, contrahi poterat.

Atque ne quæuis allusio, inferat rei proprietatem, expendo B. Basilium in *Constit. monast. cap. 34.* vbi segregationem monachi, quam ipse indicit ibi, in pœnam & confusionem, refert ad similitudinem earum, de quibus I. Cor. 5. in illis verbis, *Cum huiusmodi nec cibum sumito*, & 2. thesal. 3. ibi: *non commisceamini cum illo*, quas excommunicationes vocat. D. Thomas, ad eadem loca, sicut & *Epist. 2. Ioan.* illud: *Nolite recipere in domum, nec aue ei dixeritis*: tamen non reputet eas iam pronuntiatas, sed seruato iudiciali modo ferendas. Et Caietanus, ita distinctas censet, ab ea in qua dicitur *traddi Sathanæ*, vt credat fuisse, quasi quasdam *censuras Religiosas, & Clausuales*. Sic ipse loquitur, eas ad modum nostrum Monasticum reducendò. Verumtamen licet demus, istas Apostoli Ecclesiasticas censuras in rigore esse, aut sicut loquitur Cornelius à Lapide, *quasi excommunicationes* cum particula *quasi*, in vi diminuenta pro *ferè*: nihilominus apud Basilium, re vera prorsus non intelligi propriam excommunicationis censuram, neque quid propriè tale, constat ex vltimis verbis, vbi aliquando *Segregationem Fratris vacare reprehensione*, dicit, & quòd quandoque, *Antistitis iuditio, occultæ alicuius, quam ipse sciat, vtilitatis causa fiat*. Atque per eam, verè reprehensione dignam, qua separan-

II.

Allusio non  
est proprie-  
tas rei alluse

II

Thom. 2. thesal. 3. ibi: non commisceamini cum illo

Enigmæ  
in communi-  
catis

ran-

rantur à congressu & communicatione aliorum fratrum, solum ignominiosam confussionem respectu eorum intendit, tamquam pœnam, qua

resipiscant, & sic in alijs multis locis, absque alia intelligentia verè & propriè censuræ procedit. nec alia in præfenti quadrat.

*Qualiter debeat Abbas sollicitus esse circa excommunicatos.*

## CAPIT. XXVII.

TEXTVS.



**Q**UONIAMSOLICITUDE curam gerat Abbas, circa delinquentes fratres, quia, Matth. 9. non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Et ideò uti debet omni modo, ut sapiens medicus, immitere quasi oculos consolatores senipetas, id est seniores sapientes fratres, qui quasi secreto consolentur fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis satisfactionem, & consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeat. Sed sicut ait Apostolus. *a* Confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet sollicitudinem gerere Abbas, & omni sagacitate & industria curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem. Et metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus. *b* Quod crassum videbatis, assumebatis, & quod debile erat, proiiciebatis. Et pastoris boni piam imitetur exemplum. *c* Qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abiit vnã ouem, quæ errauerat, quærere. Cuius infirmitati in tantum cõpassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.

*a* 2. Cor. 2.*b* Ezech. 34.*c* Luc. 15.

NOTÆ.

I.  
 Explanatio  
 textus &  
 obligatio.

**T**OTVM, hoc caput admonitoriũ est, nullum peculiare, quantum est ex REGVLA, continens præceptũ, nisi quod diuinæ legis, ex sacris literis, proponit Abbati, iuxta sui muneris, ex iustitia, obligationem, ut præsit in solitudine maximè circa delinquentes fratres, quæque errantes, & reliqua quæ doctrinalia sunt, & obligatoria ex officio: à quibus si deficiat, secundum modum defectus, erit & culpæ grauitas. De hac autem industria, prudentia, sagacitate, & charitate Prelati: in corrigendo, plura ministrabant authores.

Gregorius Papa, toto opere, Pastoralis cure, & hom. 11. & 21. in Ezech. Nazianz. Apolog. 1. Bernard ser. 23. & 44. in Cant. Petrus Dam. opusc. 46. & opus. 13. cap. 15. Ambros. in psal. 118. serm. 9. & lib. 1. de Pœnit. cap. 2. Bonauentura ex alijs, tom. 1. opus. Pharetra lib. 3. cap. 36. & lib. 4. c. 38. Chrosost. hom. in Eliam. tom. 1. & quid non hac doctrinã ubique plenum? maxime si recentiores scriptores adiicias in hac materia superiorum copiosos semper, & adeo necessaria, ut adhuc redundantes non redundent.

De

De his qui sapius correcti non emendauerint,

## CAPIT. XXVIII.

TEXTVS.



**S**I QVIS frater frequenter correptus, pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendauerit, accrior ei accedat correctio, id est verberum vindicta in eum procedat. Quod si nec ita correxerit, aut fortè (quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc faciat Abbas quod sapiens medicus. Si exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si medicamina diuinarum scripturarum, si ad vltimum vltionem excommunicationis, vel plagas virgarum, & si viderit nihil suam prauale re industriam adhibeat etiam, quod maius est, suam & omnium fratrum, pro eo, orationem, ut Dominus qui omnia potest, operetur salutem, circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam utatur Abbas ferro abscisionis, ut ait Apostolus: <sup>a</sup> Auferte malum ex vobis, & iterum: <sup>b</sup> Infidelis si discedit, discedat, ne vna ovis morbida omnem gregem contaminet.

<sup>a</sup> 1. Cor. 5.  
<sup>b</sup> 1. Cor. 7.

## NOTÆ.

I.

Illustratio  
textus & ob-  
bligatio.

**S**tatuit hic Santiss. Pater, qui modus correctionum, quo etiam ordine, adhibendus sit à Superiore, vsque dum, ad prius exhibita linimenta, seu prior gradatim animaduersio succedat postremòque confugium ad orationem indicit, ac tandem perseuerante incorrigibilitate delinquentis monachi, à monasterio cum exturbare iubet; ne eius contagio sanum inficiatur pecus. Hoc vltimum naturale quoddam ius est, diuina etiam autoritate Pauli 1. Cor. 5. & 7. firmatum. Antecedens progressus correctionum, inuoluit precepta, tum charitatis, tum iustitiæ, quibus, ex lege Dei, superior erga subditum obligatur, & in eandem recidit doctrinam & obligationem, præcedenti cap. expressum, nihilque ex vi Regule præcisse, superaddentem, vt explicatum est, de prima CLASSI in introd. art. 6. & art. 9. num. 5. nisi forte in modo adhibendæ orationis, de quo statim, numer. 5.

II.

Expulsio in-  
corrigibilis.

Ad hoc Cap. Episcopus Vrgell. in suis Commentarijs, versat difficultatē.

An liceat monachum à religione expellere? Resoluitque perdoctè partem affirmantem, quam & nos alias resoluiimus conformiter ad loca scripturæ, quibus vtitur REGVLA; & ad iura, cap. c. ad monasterium. de statu mon. & cap. Resecanda 24. quæst. 3. ex Hieronymo, & ad authores Azorium, tom. 1. lib. 12. cap. 16. Thomam Sanchez, lib. 6. summ. cap. 9. à num. 1. Suarez, tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 4. Bartholomeum à S. Fausto Cisterciensem, in Thesuro Relig. lib. 6. q. 226. & alios. Qui omnes consentiunt id licere, quando monachus est incorrigibilis, & ex eius vitio nocumentum patitur communitas, ratione enim contagij, & ne eius lues totum corpus peruat, etiam membrum secare oportet, nedum morbidam ouem à grege secernere. Quod ius, ipsum naturalis rationis lumen decernit, eique se attēperat, in præsentī, REGVLA. Ad quam eiectionem ait Suarez, vbi sup. num. 7. non esse necessarium, quod monachus actu existat contumax in sua prauitate, sed sufficere exploratam esse, eius incor-

NOTA

Explorata  
contumacia  
obligatio.

COR-

corrigibilitatē, per iteratam inutiliter correctionem; quod tamen de exploratione, quę desperationem moralem emendationis prudenter inducat, intelligo.

III. Sed nuper in hac materia, obstat nouum decretum, editum à nostro Sanctiss. P. Urbano VIII. anno 1624. cuius, præfati Authores non habuere notitiā, adducitur autem, ex authentico instrumento, ad verbum, à Hieronymo Rodriguez, in *Compendio quæst. Regul. Resol. 57. nu. 3.* & post eum ab alijs, & nouissimè bullam integram (in qua alia de suspensione ab exercitio ordinum, & inhabilitate, ad suscipiendos alios, pro eiectis &c. continentur,) adducit Ascanius Tamburinius. *de iure Abbat. tom. 3. disp. 8. quæstio. 3.* qua prohibet expulsionem à Religione, reuocatis statutis & constitutionibus cuiuscumque Religionis, nisi verè incorrigibilis sit religiosus expellendus; tuncque verè incorrigibilem cēseri, si ad id concurrant, quæ ex iuris communis dispositione requiruntur; & per anam in pœnitentijs & carceribus probetur, quo transacto, & adhuc perseverante vitioso morbo, ita expellatur, vt instructo secundum stilum & constitutiones ordinis processu, plenèque probatis causis, à Generali, cum consilio & assensu sex Patrum, ex grauioribus eligendorum in Capitulis generalibus, expulsio fiat. Is fermè tenor decreti.

III. Notabilia pro intelligentia Decreti. Circa quod notari oportet, REGVLAM, cum decreto conuenire, in hoc quod exigatur vera incorrigibilitas, ad expulsionem: nam omnia ea tentamenta, vsque ad Deum unitè implorandū per orationem, eò tendunt, vt exploretur incurabilitas morbi. Secundo, nota modum illum experiendi incorrigibilitatem, in Decreto Urbani statutum, non deseruire, nisi vt illa constet; quod si aliter verè constaret, scandalumque talis societatis pateretur communitas, ius naturale illud excutiendi, saluum remanet, nec per decretum aufertur in conscientia. Aliud erit, deducta re ad iudicium, quid sentiat iudex, de adim-

pleada forma in decreto præscripta. Tertio nota, quod non videatur decretum habere locum, si expulsio fiat, secundum dispositionem REGVLÆ, in ea sequenti, idque ostendit ipsum Decretum, quod solū procedit, *sublatis, in hac parte, statutis & constitutionibus*, quorum nomine vt videtur, non intelligitur sublata Regula, quę ab illis quid distinctum est, in rigore loquendo: & sic distinguit Siluester. *Verb. Religio. 1. quæst. 7.* & in quodam priuilegio Eugenij III. nostræ Congregationi aliàs concesso, vt habetur, *tom. 2. priuileg. 7. num. 14.* diuersimode de REGVLA atque de *statutis* loquitur, & non sub eadem facultate vtrumque concludit, variasque differentias inter Regulam & Constitutiones adducit Bened. Hæstrenus, *lib. 1. tract. 1. disp. 3.* ex Ioanne Nider, Antonino, Suarez, & alijs, in quibus semper maior Regulę prærogatiua esse solet, atque adeo non videatur alijs nominibus derogari in casu nostro, iuxta quæ, qui melius non habet, poterit iudicare.

Circa textum verò, ea verba. *Si etiā excommunicatus nō emendauerit, acrior ei accedat correctio verberum, &c.* explicata manent, sup. cap. 23. numer. 17. Rursus ea: *Abbas faciat quod sapiens medicus &c.* continent modum procedēdi in charitate & iustitia, qui per similitudinē Medici aut Pastoris, &c. ostenditur, neque est quid distinctum, ab obligatione Prælati eiusque officij, insinuata cap. 27. numer. 1. Denique illas *Adhibeat, quod maius est suam & omnium fratrum orationem, &c.* Quod remediū quam efficax & presentaneum sit, videre poteris apud S. Ephrem. *tom. 1. de oratione, in editione Antuerpiana, pagina 26.* & ibi Scholiastem eruditum Gerardum Bosium, plures citantem, etiam Jordanem de Saxonia, in *vicis fratrum, lib. 1. cap. 4.* cum ibi citatis a Marco Anton. Massa. Nec tamen de his, magnā tibi parare struem contēdo, qui à principio huius laboris, eam partem, tamquam à meo peculiari proposito quasi alienam, seclusi. Attamē Abbatem debere,

V. Residuum textus exponitur.

Orationis re medium.

bere, extante casu, adhibere hoc remediū, antequā ferrū abscissionis accedat, REGVLÆ præceptū iudico, nō omittendū, vtpote in quo vltimū efficacitatis constituitur. Cum tamen, in huiusmodi casibus, qui pijs fratrum oculis subiiciuntur, ex cōmuni præcepto charitatis, quod Deus cuique mādauit de proximo suo, *Eccli. 17.* infurgat quædā obligatio orandi, pro eo: quæ hic imponitur à REGVLÆ, est, vt ea fratris necessi-

tas proponatur cōuentui ab Abbate, & plerūq; inter ipsas corporeas animaduersiones fit, cū quo satisfactum REGVLÆ credo, absq; alia solemnitate conuentualis deprecationis. Quod si ea propositio, aut iniunctio orandi, cōtingat secluso formali contēptu omitti, nec expulsionem incorrigibilis reddit irritam, nec amplius quam veniale reputabo, & in tertia CLASSI reponendū, vt in *Introduct. Artic. 8.*

*Si debeant recipi fratres egressi de Monasterio.*

### CAPIT. XXIX.

TEXTVS.

**F**RATER qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de Monasterio si reuerti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitij, pro quo egressus est, & sic in vltimo gradu recipiatur, vt eius humilitas cōprobetur. Quod si denuo exierit, vsque tertio, ita recipiatur. Iam verò postea, sciat omnem sibi reuersionis aditum denegari.

NOTÆ.

I.  
Explicatur  
textus de e-  
iectione.

**H**OC Caput cum præcedente cōnexum est, in ea difficultate, an & quomodo liceat Monachū à Religionē eiectione, de qua dictum est ibi: & applicanda doctrina *num. 4.* Casui expresso de ter fugis, &c. Hic autem additur dispositio, non solū circa eiectiones, sed circa egredientes de Monasterio, scilicet per Apostasiam aut fugam, sic enim intelligendum est, & ita obseruauit Suarez, *to. 4. de Relig. cap. 6. n. 3.* & disponit, vt qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de Monasterio, &c. vbi tã de fugitio, quàm de proiecto loquitur, vsque tertio recipiatur. Et vsque tertio recipi debere, præceptū est REGVLÆ. Vterius autē censet Card. Turrecrem. licet reuertenti intercludatur aditus, vt sciat, secundū iustitiam legis, nō posse instare, vt recipiatur; tamē non obligari Abbatē, ad non recipiendum. Quam explicationē verba textus consentiunt, & approbata REGVLÆ, in hoc admittit obligationem recipiendi talem, vltra tertiam vicem; sed non imponit obligationē non recipiendi seruato tamē modo aliunde necessario.

Recepturus  
nō limitatur  
ad tres fu-  
gas.

Et ita alia prohibitionē non stante, ex Regula, non prohibetur, vt autoritate confirmo *infra num. 3.* stare autē prohibitionem iure communi tamquam de clericis degradatis, sic de solemniter eiectionis, vt restitui nisi Apostolica autoritate possint ad Religionem, docet cum alijs Hieronymus Rodrig. *in Cōp. qq. Regul. Resol. 77. n. 14. & Resol. 68. n. 11.* Sed ex consuetudine iurisdictionem dante id posse Generales. Quod à fortiori Capitula poterūt, & ab eis si quādo occurrit casus, fit. Sed ad Abbates nullatenus extendo, qui subsunt superiori. Quamquam Religiosus expulsus, parificandus non est ad reincorporandum Religioni, cum Clerico de gradato restituendo ordinibus, propter plura in hoc cōsideranda, quæ alijs remitto.

Qui autē recipitur, ait textus: *In vltimo gradu recipiatur, &c.* idque iustissimē, in eum qui se, voluntate sua & sententiæ fugitini irreuerabile.

II.  
Tempus ab-  
sentie fugi-  
tini irreuerabile.

*omnes, ff. de Re milit. vi.* Quod si & in hoc, purgata malitia, ad priorem statū reducatur desertor, seu fugitiuus, aut suo malo absens à Religione; tamen habere honorem & gradum illius intermedij temporis, quo egrediens, aut eiectus vagatus est, numquā videtur iuste concedendum. Est enim indulgentia iniuriosa sanè, vt quis ordinis sui desertor, absens & iners gradum adquirat ex desertione & inertia, quæ sibi alij, in statione permanentes, strenuè & grauitèr adquisierunt. Argumēto etiam militaris disciplinæ, in qua, absentię tempore, desertoribus stipendia auferuntur, ex *l. cum allegaris, Cod. de Re milit.* & quibuslibet donatiuis priuantur, *l. ex causa, ff. de Re milit. §. l. i. C. eod. tit.* Stipendia autem & donatiua Monachi, quæ tempore desertionis Apostaticæ, aut absentię vitiofæ, currūt, est promeritus honor & gradus, illius spatij temporis, quibus omninò se priuauit; & tamquam iactura præcissa temporis, tempore transacto, irreparabilis est; quia ille gradus, non nisi illo tempore erat adquisibilis, quo elapso, fundamentum acquisitionis perit, ab eoq; fugiens fugitiuus, sua fuga irreuocabile reddidit. Ad quod etiā ex Monastica disciplina, Cassianus *Collat. 6. cap. 15.* quod inscribitur sic: *Quod detrimentum sit, discedentis à cella? Vbi cum illud etiam in animo irrecuperabile faciat, denique concludit: Quantumlibet enim post hæc, animi intentio fuerit operata, instantis diei profectus, & presentis temporis quæstus est, non lucri semel perditæ reparatio.* Arque etiā D. Basilius in huiusmodi à Monasterio deficientes, agit in *Constit. Monast. cap. 34.*

III.  
Misericordia erga reuertentes.

Cum hoc tamen stat, fratris miserè lapsi, & à suorum consortio, deceptione actuque diabolico abstracti, si reuertatur, benigna susceptio, atque compassiua tractatio. De quo S. Ephrem-

Syrus, *tom. 2. Paranesi. 27.* tota huius arguementi. D. BERNARDVS, *Epist. 83. ad Simonem Abb.* atque Petrus Venerabilis, qui & Mauricius, Abbas Cluniac. *lib. 1. Epist. 28.* in his quæ adducit, pro admittendo fratre, etiam quater fugitiuo, sine reluctantiā REGVLÆ, vt dixi *num. 1.* cuius sententiæ suscripsit citatus Turre-cremata, & nos subscribimus, dum mutatio dexteræ excelsi, in eius respicientia, appareat, sine damno gregis, ne fermè percunt, salutis portus denegetur, quid quid ad oppositum ingerat Episcop. Virgel Nec etiam vererimur eidem P. Venerabili subscribere adhuc in alijs, vbi ratio deposcat, quamquā Epistola illa, tota responsiua sit, & Apologetica contra obiecta à primis Cisterciensibus, aduersus Cluniacenses, circa REGVLÆ obseruationem, æmulatione quadam (credo indubitanter) bona. Maximus tamen Cisterciensium tunc feruor, in nonnullis, etiam ultra REGVLÆ præcissas metas ferebatur; quod alias me notasse meminim, & colliget sedulus inspector, ex primis institutis Cisterciensibus, *lib. 1. exordij, cap. 24. & 27.* Sed aliud est, maiorem perfectionem, austeritatem vitæ inire, & ad statutam obseruantiam, liberales obseruatores quidpiam supererogare; aliud verò constantes & proprios REGVLÆ terminos circumscribere. Cū autem id in præsentī opere intēdamus, testimonia ad id apta, etiam si nostris Cisterciensibus contraria, detrectare non debeo; maximè eximij viri, de quo præterea, quæ congerit elogia Bibliotheca Clunac. excusa Lutetiæ à pag. 590. & authores, quos latè enumerat in illius *Notis*, Andreas Quercetanus: vnus mihi satis Beatiss. P. N. BERNARDVS, *Epist. 277.* pro eo, ad Papam Eugenium: vt summum decus autoritatemque, nostris *Notulis*, inde conciliari existimem.

TEXTVS

Petri Mauricij, seu venerabilis laudatio.

## De Pueris in minori etate, qualiter corripiantur.

## CAPIT. XXX.

TEXTVS.



**M**INIS etas vel intellectus, proprias debet habere mensuras: Ideo quoties pueri, vel adolescentiores etate, aut qui minus intelligere possunt, quanta pœna sit excommunicatio, hi tales dum delinquant, aut ieiunijs nimis affligantur, aut acerbis verberibus coerceantur, ut sanentur.

NOTÆ

I.  
Exponitur  
textus, &  
cessatio illi.

**M**ATERIA huius cap. quæ & similiter infra in alijs, capit. 59. & 63. & 70. tradidit, omninò cessauit, quia ab antiquissimo tempore, desijt mos iste, recipiendi ad Monachatum pueros adeò teneros, ut nonnumquam etiam rationis vsum antè verterent, quos, vsque ad pubertatis annos, in puerorum peculiari disciplina versari constat, ex alijs locis citatis. Ut capit. 59. ibi: Si puer in minori etate est, &c. & capit. 63. ibi: Pueris per omnia ab omnibus disciplina teneatur, &c. & rursum: Foris autè, vel vbi vbi custodia habeant & disciplinam, vsquedum ad intelligibilem etatem perueniant, &c. Vbi ista intelligibilis etas est, prout dico ibi, & declaratur, capit. 70. illis verbis: Infantes vero, vsque ad quintum decimum annum etatis, disciplina diligentia sit, & custodia adhibeatur ab omnibus. Itaque vsque ad quartum decimum annum complementem pubertatem, computat huiusmodi paruulos minùs intelligentes, & pueriliter tractandos. Igitur iam cesante materia cessauit lex, & sine lege non est præuaricatio. Verumtamen & quæ literalia fuerint, pro antiquo more intelligèdo, hic, & citatis locis breuiter attingam.

II.

Mos recipiendi pueros ad Monachatum. Meminit autem puerorum huiusmodi S. Basilius in Regul. fusius disput. interrogat. 15. late agens de hac re, & interrog. 53. vbi rogat: Quomodo ar-

tium magistri, corrigere pueros debet a nrd  
Ipsam verò S. BENEDICTVM ante suam REGULAM solemniter conditam, licet iam in praxi propria, adumbratam, obseruasse morem docet D. Gregorius, lib. 2. dialog. capit. 4. cum tradidit fuere à parentibus Maurus, & Placidus, qui puerilis adhuc indolis annos agebat. Fuisse autem etiam tempore S. BERNARDI, ostendit eius Epistola miraculosa, ad Robertum nepotem, eo modo in Cluniacensi Monasterio à Patre oblatum. Et alia exempla adducit Yepes, tom. 2. ad ann. 633. capit. 3. Talis etiam fuit in Monasterio Floriacensi Bernardus Bellouacensis, ut refert Aymonius, in Vita S. Abbonis, capit. 10. Talis in Casino Leo Ostiensis à teneris annis, ut narrat Petrus Diaconus, lib. de viris illust. Casin. & quam plurimi alij insignes viri, quorum aliqua etiam, in sequentibus, occurret mentio.

Illud verò: Qui minus intelligere possunt, quanta pœna sit excommunicatio, &c. Exponendum est, ut supra capit. 23. num. 17. Nam sicut in illis improbitas, ita in his, imperfecta intelligendi, per etatem, facultas, aufert veram æstimationem honoris, aut contumeliæ, quæ in separatione illa, & Monastica excommunicatione continetur. Admonitionem autem moralem, ad huiusmodi pueros, habes apud Card. Petr.

III.  
Defectus in  
telligentiæ,  
sicut etatis.

Da-

Damianum, *opusc.* 13. *cap.* 20. sicut, & adolescentes, qui parùm etate distant, *capit.* 21. Cætera de hac materia dabo citatis capitibus, iuxta exigē-

tiam literæ eorum, ad quæ te remitto, seposita semper de hac re & aliis profuo instituto profuffis, relicta tractatione longiore.

*Qualis debeat esse Cellerarius Monasterij.*

## CAPIT. XXXI.

TEXTVS.



**C**ELLERARIVS Monasterij eligatur de Congregatione, piens, maturus moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omnis Congregationis sit sicut Pater. Curam gerat de omnibus, sine iussione Abbatis nihil faciat, quæ iubentur custodiat, fratres non contristet. Si quis frater ab eo aliqua forte irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter, cum humilitate, male petenti denegat. Animam suam custodiat, memor semper illius Apostolici præcepti: <sup>a</sup> Quia qui bene ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum, infantium, hospitem, pauperumque, cum omni sollicitudine curam gerat, sciens, sine dubio, quia pro his omnibus, <sup>b</sup> in die iudicii rationem redditurus est. Omnia vasa Monasterij, cum etiamque substantiam, ac si altaris vasa sacra conspiciat, nihil ducat negligendum, neque auaritiæ studeat, neque prodigus sit, aut extirpator substantiæ Monasterij: sed omnia mensuratè faciat, & secundum iussionem Abbatis sui. Humilitatem ante omnia habeat, & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, quia scriptum est: <sup>c</sup> Sermo bonus super datum optimum. Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua: <sup>d</sup> a quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo vel mora offerat, ut non scandalicentur, memor diuini eloquij, quid mereatur: <sup>d</sup> Qui scandalizauerit vnum de pusillis. Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur, a quibus adiutus, & ipse, æquo animo, impleat officium sibi commissum. Horis competentibus, dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt, ut nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.

<sup>a</sup> 1. Tim. 3.<sup>b</sup> Matth. 25<sup>c</sup> Eccli. 18.<sup>d</sup> Math. 18.

NOTE.

**C**IRCA titulum capituli, Cellerarius nomen, à cella ductum esse constat. Significatque Prefectum cellarumque Cellarium vocat Plautus, in *Militie*, & in *Capit.* & *Collumella*, lib. II. c. I. ait: non minor habenda ratio, ut cibus, & potus, sine fraude à cellarijs præbeatur. Quibus locis cella, pro pœnu, aut

loco ubi cibaria reponuntur aliaq; accipitur. Sic cella vinaria *Cant.* 2. & cella aromatum. *Isai.* 39. & cella olei & vini, *1. nam quod, S. item si quis, ff. de Pœnu legata*, & sepius ita. A quibus deductum nomen credo, quia munus cellerarij, idem est atque œconomi, præficiturq; in REGVLA omnibus cellis, in quibus

substantia quælibet Monasterij, ad vsû  
sumptumque eius, reconditur. Quam-  
quam *Cella* etiam Monastice, cuiusque  
Monachi habitatio sit, vt *supr. capit.*  
22. latè visum est. Nomen etiam fuit  
quandoque totius Monasterij, vt *ex*  
*lib. 2. dialog.* D. Gregorii, licet non solum  
parua vt Prioratus quos acerbè  
exofus cellulas vocat B. Bernardus,  
*Epist. 252. ad Guarinum*, sed magna &  
perfecta Monasteria colligere, & ex  
Sozomeno, *lib. 6. cap. 30.* & plura sunt,  
quæ adhuc retinuere nomen cellæ: Vt  
*Cella-Monachorum*, Monasterium Ger-  
maniae, cuius meminit Anton. Yepes,  
*tom. 3. ad annum, 734* & in Turcia *Cen-*  
*tum-cellas*, cuius mentionem fecit Ior-  
danus de Saxonia citatus *supr. cap. 22.*  
*num. 7.* Aliud *Cella-aurea*, de quo in  
*Vita S. Maioli, capit. 18. in fine Bibliot.*  
*Cluniac.* Aliud absolute *Cella* vocatum  
apud D. Bernard. *Epist. 293.* denique  
(vt alia plura omittam) apud Galle-  
ciam in Hispania celebre & egregiû  
Benedictinum *Cella-noua* cœnobium.  
Sed tamen *Cellerarius*, non hinc pro-  
priè præfectus Monasterij dicitur; is  
enim Prælatus est nempè Abbas; licet  
suo modo Cellerarius Congregationis  
PATER dicatur, non absolute sed *sicut*  
*Pater*, scilicet similitudine, & substitu-  
tione quâdam PATRIS præcipui in Mo-  
nasterio, quo ad temporalem substan-  
tiam. Eoque vtimur nomine, tametsi  
barbarû putet Rodiginus, *lib. 14. cap. 8.*

II.  
Diaconia Cel-  
lerarij offi-  
cium.

Huiusmodi autem Officium, in pri-  
mitiua Ecclesia, ipsi Apostoli vt prædi-  
cationi instarent, transfulerunt ad illos  
septem, quos elegerunt *Act. 6.* & post  
iniunctam curam, vt ministrarent men-  
sis, ordinauerunt eos in Diaconos, vt in  
altari etiam circa Sacerdotè, hoc mu-  
nere fungerentur. Inde autem conie-  
ctura est, effectum fuisse, vt ista cura tẽ-  
poraliû rerum administrandarum, anti-  
quitus, in Monasterio, vocaretur *Dia-*  
*cônia*, etiam si nulla ordinatio Sacra-  
mentalis interueniret, quæ ad id opus  
non erat. Tametsi cum nomine, & ve-  
neratione eorum, qui primitus hoc ad-  
ministracionis munus, tanta electionis

solemnitate, obuiere seius estimatio ad  
alios, etiam secluso ordinis Sacramen-  
to, transferit. Cuius vestigium est apud  
Cassianum, *collat. 21. c. 1.* ubi: *Tunc repon-*  
*ris, merito sanctitatis electus, diaconia*  
*presidebat, & c. 9. & 10.* Vbi de Theo-  
na, eum, ait, *summis, ac sublimissimis vi-*  
*ris, in diaconi & electione, prætulerunt.*  
Ita etiã Paulus, *2. Corinth. 9.* ubi habet,  
*ministerium huius officij*, ex Græco dicit  
*diaconiam*, id est dispensationem colle-  
ctarum eleemosinarum, quo pacto ip-  
se Cassianus, quod prædictis locis ap-  
pellauit *diaconiam*, *lib. 5. instit. c. 4.* vo-  
cauit *dispensationem*, & dispensatorem  
*œconomum*. Quibus consentit Petrus  
in *annotat. ad Cassian.* & Baronius in  
*annot. ad Martyrol. Rom. die 8. Augusti*  
*litera B.* Tãti habita est ea functio Mo-  
nastica Cellerarij, quã in œconomica  
administracione REGULA ei commit-  
tit.

His circa titulum notatis, textum  
perlustremus. Nam huius officij, Ci-  
stercienses, & nomen & rem retinent:  
nisi quando Abbatem cura, se non-  
numquam, nimium ad temporalita-  
tis quasdam minutias sordidè infle-  
ctit. Sunt enim qui non verecundan-  
tur, ex abiecta quadam disidentia, me-  
canica quæque per se tractare, & mi-  
nutis reculis, aut cupediis, culinæ po-  
tiûs, aut penui amandandis, in pro-  
pria Abbatiali cella, cum macellario  
nidore custodiendis, & dispensandis  
incumbere; & vel ad calceos erogan-  
dos insistere. Apage ista: Nã & si Præ-  
lacionis munus, nequeat omnino à tẽ-  
poralium cura arceri, & quandoque,  
& pro paucitate Monachorum, & pro  
qualitate, necessitati aliquid amplius  
fit concedendum, nec possumus etiam  
iuxta REGULAM, vt apparebit *capit.*  
*seq.* Abbatem ab hac immediata cura  
abstrahere, quantum videtur optare B.  
BERNARDVS infra expendendus: nihil-  
ominus est modus in rebus, neque  
cum supradictis aut similibus, decus  
Abbatiale confundendum est, de quo  
alias.

In primis ergò instituit, vt Cellerari-  
rius

III.  
In Abbates  
Cellerarios  
inuectio.

III.

Cellerarij  
electio.

rius monasterij eligatur de Congregatione, id est de Conuentu, sed non à Conuentu, nisi forte tantum consultuè, modo sup. cap. 3. generaliter disposito. Quamquam illud Regulæ, in his officialium electionibus, non ad omnes extendendum censeo, nec vrgendum ex REGVLÆ, plusquam vel consuetudo interpretata est, vel admittit aliqua diffinitio peculiaris. Semper autem ab Abbatis voluntate nutuque dependet, nō solum in operatione, quod toties vt videbimus, inculcat REGVLÆ: sed in institutione & in amotione, sicut de omnibus officialibus temporaliibus, statuit Concil. Tridentinum, sess. 25. de Regul. cap. 2. vbi dicitur: *Administratio autem bonorum Monasteriorū, seu Conuentuum, ad solos officiales eorūdem, ad nutum superioris amouibiles, pertineat, &c. & cauetur in capit. cum ad Monasterium, de statu Mon. ibi: cum oportuerit sine contradictione aliqua remoueat. Qui textus, de qualibet Obedientia loquitur, & compræhendit etiā quæ curam habet animarum, vt sunt beneficia manualia, de quibus eandem amobilitatem statuit, Clem. vnica, §. Premissa, de supplenda neglig. Prælat. ibi: Liberè possunt cum oportuerit ad claustrum reuocari, vbi verbum oportuerit, non exigit legitimam causam, ob quam, quæcumque beneficia perpetua possent auferri, sed conuenientiam, & opportunitatem reuocandi, libero gubernio, & voluntati Abbatis permittit: nulla relicta inde Monacho causa, ex qua ad restitutionem agere possit. Quod tenent quam plurimi, quos vno citato habes, apud Thomam Sanchez, lib. 7. summ. capit. 19. num. III. Quæ omnia consonant REGVLÆ præsentis dispositioni.*

V.  
Qualitas eligendi in Cellerarium.

Deinde de conditione eligendi in Cellerarium, exprimit, vt sit *Sapiens, maturis moribus, sobrius, non multum edax, & quæ sequuntur, quibus Abbas maximè debet attendere, vt proportionatus muneri, & quoad inueniri possit, instructus his moribus eliga-*

tur. Cum autem arbitraria deputatio sit, & pro vt decisiva electio, & constitutio talis ministri, in solidum ad Abbatem pertineat, non obligatur Abbas ad constituendum sufficientissimum & digniorem, satis enim erit sufficientem & dignum, in quo alie rationes etiam, iuxta occurrentes circumstantias, præponderare possunt. A quo si deficiat Abbas ex lege Dei tenebitur, quantum, propter scienter electum insufficientem & indignum, vel substantiæ Monasterij damnum intulerit, vel iniustæ molestiæ Monachis ingesserit, argumento eorum, quæ in simili trahit cum pluribus Thomas Sanchez, tom. 1. consil. lib. 2. capit. 1. dub. 36. num. 2. & 15. & dub. 39. num. 5. & dub. 45. num. 4. Hæc enim est obligatio quæ Abbatem tangit, & circumscribitur per REGVLAM, ea requisita in Cellerario exigentem, & proportionaliter in aliis similibus officijs domesticis, & à suo nutu dependentibus, sibi que in partem muneris sui, & administrationis, ascitis. Vt non extendas latitudinem omittendi digniorem, aliàs aliorum electiones diuersæ rationis, & à plurium suffragijs decisiuis pendentes, ne erres in re quæ longas & difficiles quæstiones inuoluit, attentius & distinctius inspicienda: tamen si ad praxim Monasticam in Monasterijs & Capitulis non nulla dicam, infra ad capit. 65. à num. 5. & seqq.

Præterea modum, quo ipse Cellerarius se debet habere, in administratione indicat: *Vt quod fratrem irrationabiliter postulantiem, non spernendo contristet, vel turbida ira, vel contumelioso ioco. Quod infirmorum, hospitem, & pauperum, curam gerat, quantum ad se pertinet. Quod vasa Monasterij, &c. conspiciat, nempe vt officiosè seruet, & nihil eius incuria perdat. Quod auaritiæ non studeat, neque prodigus sit, &c. Scilicet aut denegando nimium iuste eroganda; aut indebitè, quæ debent seruari, largiendo. Quod sermones responsionis porrigat bonos, &c. Non vt, sola*

Obligatio  
Abbatis eligentis.

VI.

Modus in officio exercendo.

vacua & inani loquella, prouideat e-  
genti: sed vt quando opere id præstare  
non potest, bona spe & charitatis ver-  
bis, leniat instantem. Quòd denique  
quidquid debet eis dare, *sine aliquo ty-  
po vel mora offerat*. Quæ & alia similia,  
omnia sunt obligatoria, diuina lege, ex  
ratione officij, in quo per REGVLAM cõ-  
stituitur, vt sciat inde, in recta & iusta  
eius administratione teneri. Quã obli-  
gationem, his omnibus admonitioni-  
bus proponit sanctissimus Legislatoꝝ, &  
prout fuerit transgressio naturalis, aut  
diuinæ legis, ita culpa est æstimanda,  
vt de prima CLASSI dictum est, in *in-  
troduct. art. 6.* & de modo constituendi  
personam in tali obligatione per Re-  
gulam, *ibid. ar. II. n. 12.* & infra ad c. 70.  
*num. 3.*

VII.  
Typi varia  
significatio-  
nes.

Verum circa illud: *Aliquo typo vel  
mora*, tantisper immoror. Et ibi: *mora*  
explicatio *typi* videbatur esse. Nam li-  
cet Cardin. Turre-cremata & Episco-  
pus Vrgell. in eius explicatione disen-  
tiat: atque Petrus Chiaconius in *annot.*  
*ad Cassian.* ex Iustiniiano in *Novellis*, &  
Ambrosio *Epist. 78.* varias *typi* asserat  
significationes: & post Rosuueidum  
in *Onomastico*, alias Ludouicus Cerda,  
in *Aduersarijs sacris capit. 96. num. 15.*  
de *typo* quartano, & tertiano, ex Isido-  
ro, *lib. 4. Æthim. capit. 7.* & *Ruphino, lib.*  
*2. capit. 1.* & de *typo* frigoritico, *capit.*  
*165. num. 19.* etli hæc eadem non sub  
voce *typi*, sed *typhi*, protulerit Gisle-  
bertus, *lib. 2. de miraculis S. Romani, ca-  
pit. 16.* apud Bibliothecam Floriac. ibi:  
*Laborioso febriũ astuans typho*, & aliàs  
*eodem lib.* tamen, re vera, hæc omnia ad  
rem presentem non sunt. Et commu-  
nis acceptio *typi*, quam ex Plinio &  
Cicerone adducit Robertus Stephan.  
est, vt sit forma, figura, adumbratio ve,  
& veluti imago vmbra alicuius rei.  
Ex quo videtur textus velle, vt non in-  
ani aliquo circumloquio, aut excusa-  
tionis vmbra, rem dandam protelet, sed  
incunetanter, citò & non morose præ-  
beat cellerarius. Quam molestiã iniu-  
stam, vocat *scandalum*, & quia offensio  
quædam est, qua significatione scanda-

Explicatio  
Typi in re x  
tu.

li, vtitur eleganter Rupertus, *lib. in Io-  
sue, capit. 14.* & quia inde, sæpe occa-  
sio ruinae, alicuius peccati, impatientie,  
&c.

Nisi malis, quod mihi non displicet,  
legendum esse *typho*, quod in simili,  
notauit Ioann. Pichardus in *notis ad  
Epist. S. Bernardi Epist. 246.* qui &  
*serm. 23. in Cant.* dixit. *Pectora lacte  
pinguescant, non typho turgeant*, ac pro-  
inde benè significare superbiam, arro-  
gantiam, præsumptionem, probat ex  
Augustino *Epist. 48. & 58.* & *lib. II. de  
Ciuit. Dei. capit. 33.* vbi etiam scholium  
Ludouici Viues. Nam & sic, fortè ap-  
tius ad textum, *sine aliquo typo vel  
mora*, vt diuersæ res sint, quod particula  
*vel* petere videtur. Illa autem interpre-  
tatio S. Hildegardis *sine typo*, id est, sine  
præsignata mensura determinatæ insti-  
tutionis, nescio quid sibi velit, aut quo-  
modo cohereat cum voce. Altera vero  
eiusdè Hildegardis, elementarius qui-  
dam ludus videtur & excogitatio vo-  
luntaria. Ait enim, quòd in *typo*, intel-  
ligitur, *ti*, quod est tibi, & *po*, quod est  
*potestas*. Scilicet ne cellerarius quasi  
dictum sibi censeat: *tibi potestas est da-  
re*, & *negare vbi vis*, ita vt cui velit,  
plures cibos det, seu cui velit pauciores  
& deteriores, &c. Sensus autem coin-  
cidit cum prædicta significatione *ty-  
phi*, qua elationem, in dispensatione  
rerum & abusum potestatis eliminat.  
Præfata autem, de Cellerarij discretio-  
ne, eruditè versat Card. Petr. Damia-  
nus, *opusc. 13. cap. 19.*

Vnum autem sæpius in hoc Cap.  
inculcat, ibi: *Sine iussione Abbatis, nihil  
faciat. Iterum. Sed omnia faciat secun-  
dum iussione Abbatis, Rursum: Om-  
nia quæ ei iniunxerit Abbas, ipse ha-  
beat sub cura, a quibus eum prohibuerit,  
non presumat.* Vt quid ergo toties re-  
petita præceptio? Non satis erat semel  
de re loquutum? Nihil sane redundat,  
etiam si fortè centies reiterasset. Om-  
nis ea voti paupertatis recommenda-  
tio necessaria. Ingeminat recordatio-  
nem, vbi grauioris, & frequentioris  
transgressionis periculũ imminere so-  
let.

VIII.  
Alia lectio  
Typi, &c.

Alia expli-  
cationes.

IX.  
Obligatio  
Cellerarij  
& aliorum,  
in admini-  
stratione.

let. Atque vt in vno cellerario, omnem substantiam monasterij administrante, sit constans; quidquid sine requisito consensu Abbatis, aut contra eius placitum distribuit contrectat ve, ipsum reum voti, apud Deum constituere. Cognoscat igitur serio Cellerarius, & quilibet alius temporalium Minister, imò & quilibet Monachus, quid intra suum ministerium & spheram possit, vel ex licentia expressa, aut saltem, suo debito modo, tacita, quæ verè & propriè talis sit; aut quam ipsa consuetudo ordinis non reuocata, ex consensu Prælati, interpretatur, vel re-cta aliqua ratione, quando expressior licentia haberi non potest, & tamquã habita præsumitur, ne secus, à nutu Abbatis, quidpiam independenter faciès, transgressor voti sacrilegus fiat, & se, inuito Prælato, iniustitiæ crimine oneret. De quo in terminis Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 8. capit. 15. num. 9. & quos infra ad cap. 33. num. 2. citabo, ne defectu autoritatis, doctrina necessaria læguescat:

X. Solatium, id est adiutor.  
Tandem, ibi: *Si Congregatio maior fuerit, solatia ei dentur, &c.* Eo nomi-

ne, vocat socios in officio, vt vel ex appellatione, condiscat adiutor, in solamen non in molestiam dari. Quod & generaliter statuit, infra capit. 53. *Vt in omnibus officijs Monasterij, ista sit consideratio, vt quando indigent, solatia accommodentur eis, &c.* Et cap. 66. idè de Oltiario reperit REGVLA, & etiam, capit. 35. pro hebdomadarijs coquing. Extra Monasterium de hoc nihil disponit: sed quod iura antiqua statuunt, ne singuli extra ponantur, nisi cum socio, vt cap. Monachi, & cap. Quod Dei, de statu Monach. Panormitanus, ibi, n. 3. & 8. solum tenere de Ecclesijs, seu beneficijs, resoluit, & in Clem. Ne in agro, §. Ad hæc. eoa. tit. ibi: *Administrationes, ad beneficiates curas referunt Authores.* In quibus etiam adhuc non omnino practicari videmus, de quo in meo tract. Monast. cap. 18. num. 14. Ceterum, tam in eis, quam in administrationibus temporalibus, satis fauet REGVLA, quæ intra Monasterium, de solatio seu socio prouida, illum & extra habere bene consentit, & adiunctis aliis, præter laborem, rationibus, non solū à paritate, sed a fortiori exoptat.

## De Ferramentis Monasterij.

## CAPIT. XXXII.

TEXTVS.



**S**UBSTANTIA Monasterij in ferramentis, vel vestibus, vel quibuslibet rebus, prouideat Abbas fratres, de quorum vita & moribus securus sit, & eis singula, vt utile iudicauerit, consignet custodienda, atque colligenda. Ex quibus Abbas breuem teneat, vt cum sibi, in ipsa assignata, fratres vicissim succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordidè, aut negligenter, res Monasterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, disciplina subiaceat.

NOTÆ.

I. Declaratio textus & obligatio.

**N**OMINE Ferramentorum, in titulo compræhendit, quidquid rerum, ad substantiam Monasterij pertinet, vt in ipso textu explicat, ac proinde continet, virtute, dispositionem omnium officiorum, quæ

intra Monasterium, pro diuersis rebus, earumque ministerijs constituuntur, in quibus certi Monachi Officiales, arbitrio Abbatis, deputantur. Nam & si Cellerarius, inter hos, *Maior domus* sit, in œconomia, at oportet  
in

in alios minores prouintiam partiri, vt pro hospitibus; pro infirmis; pro rebus Ecclesiæ; pro horreis; pro furno; pro apotheca, pro penu; pro hortis, & alijs in quibus etiam locum habet Bibliothecarius, & archiota, idest præfectus archiuuij, cartophilacij seu tablini, aut tabularij, his enim nominibus utitur Pamelius, in *Tertul. ad lib. Apolog. cap. 19.* reijcitque Zephyrum interpretantem, pro archiuuij, *armarium*; nam hoc est pro libris asseruandis, scilicet Bibliotheca: illud vero pro cartis, & scriptis instrumentis iurium, & possessionum Monasterij. Quamquam verò non de omnibus mentionem expressam faciat REGULA; sed de omnibus est eadem rationis proportio, in obligatione Abbatis ad constituendos ministros; & in constitutis, ad gerendam administrationem, sicut de Cellerario dictum est, *cap. precedente*, & sicut disponitur, *cap. cum ad monast. de statu mon. §. tales.*

II. *Breuis, quid* Addit autem textus, ibi: *Ex quibus Abbas breuem teneat*, & quæ sequuntur. Ecce Abbatem, haud omnino à cura temporalium exemptum, quorum iubet habere *breuem*, hoc est memoriale scriptum, quo instructus sit, vt sciat quid intransibis ministris committat, & de quo ab exeuntibus rationem petat. Quod si in his utensilibus, & rebus monasticarum officinarum, ad hanc curam habendum adstringitur, certum est, à maiorum rerum temporalium sollicitudine, non absolui. Igitur in his, actuatum & intelligentem, REGULA requirit Abbatem, non ab omni temporalitate alienum: sed potius probe cuncta cognoscentem, ita vt ab eis, cū quibus onus regiminis partitur, rationem officij & villicationis petere possit & cum effectu, quantum satis est suæ securitati, petat; & tam gubernationi intra domum intendat, quàm eorum quæ extra Monasterium sunt, ad ipsum pertinentia, ex quorum refultantibus prouentibus, obligationibus, & oneribus prouidendum est, ab eo cui totaliter commissæ est cura, tamquam pro-

*Obligatio Abbat. ad temporalia.*

prio & vnico Monasterij Capiti. Nominem autem *breuis*, in prædicta significatione, vsus est Vegetius, *lib. 2. de Remilit. cap. 19.* iuxta quod & Lampredius, in *Alexandro* ait, *Milites suos sic vbi que sciuit, vt in cubiculo haberet breues, & numerum, & tempora militantium, &c.*

Sed circa hoc punctum, non possū non hic aliquantulum pedem figere, vt irrationabiles aliquorum Monachorum querimonias, & Zelantium censure compescam; qui, cū Abbatum hæc cura & sollicitudo, & ex Regula, & ex iure, & ex ipsa officij obligatione, in conscientia sit, & in ea adimplenda, sæpe plurima temporis occupatio, & laboris impensio intercedant: si aliquid amplius à choro, aut alijs actibus conuentualibus abesse contingat, quasi transgressores Regulæ reputant, & vt peruersores muneris Abbatialis sugillant; veluti si hæc temporalis cura totaliter sit ab illis ableganda, cū tamen si ex ablegatione, & ignoratione aliqua prouenerit iactura, reum ipsum culpæ constituere non dubitarent. Quod lepidè sanè, & ad mores nostri, imo & omnis temporis, aptè declamat Card. B. Petrus Damianus *Opusc. (iuxta secundam editionem.) 21. de fuga dignitatum, cap. 2.*

Agunt autem qui sic cogitant, vel ex REGULA, quæ *opus Dei*, scilicet diuinum chori officium, ante omnia, commendat, vt ex pluribus locis constat. Vel ex autoritatibus sanctorum, qui Prælatū se curis temporalibus immergentem condemnant, & maxime D. BERNARDI, *lib. 4. de Consider. cap. 6.* Vbi ad Eugenium Papam III. atque ex Cisterciensi ordine primum Pontificem, suum in monachatu discipulum, omnino à tali cura videtur auertere; vt etiam sicut CHRISTVS Iudam, ita & economū infidelē sustineat, potius quàm se laberintho huius sollicitudinis immergat. Qua propter genuinus sensus REGULÆ mihi defendendus, & Abbatum sedulè officio suo fungentium patrocinaanda causa est.

III. *Abbatum sugillatores in cura temporalium.*

III. *Fundamentum ta sugillationis.*

V. *sensus Regulae de cura temporali.* Is autem sensus REGVLÆ, in primis omnino debet esse constans, quod Abbati totalis cura monasterii incumbit, tam in spiritualibus quam in temporalibus. Hoc ex iuribus, & priuilegiis, est manifestum, quæ longum esset recensere. Hoc iuramentum, quod in ipsa confirmatione dignitatis præstat de rebus temporalibus non alienandis, ostendit, &c. Neque in hoc quisquam potest dubitare, & REGVLÆ ipsa, vt primum & per se notum principium, id præsupponit. *Cap. 3. ait, si quæ agenda sunt, in utilitatibus monasterij, &c. Tam maiora quam minora, Abbas, tractet apud se, & quod utilius iudicauerit faciat. Cap. 31. ipse etiam cellerarius, rerum temporalium œconomus, sine iussione Abbatis, nihil facere semel iterum & tertio iubetur. Cap. 33. omnia ab Abbate speranda docet, vt quidquã habere nõ liceat, quod Abbas non dederit. Cap. 39. etiam maior mensura cibi ponitur, in arbitrio Abbatis, si expediat aliquid augere. Ca. 55 quod vestimentorum consideratio, penes Abbatem sit. Denique nihil non eius curæ peculiariter defertur, conformiter ad præsens caput, in quo iubet, breuem, aut memoriale rerum omnium habere, & ratiocinia, ab Officialibus exquirere vt & Cap. 36. num. 1.*

VI.  
Graduatio  
spiritualium  
& temporalium.

Hæc cum ita sint, atque pleno iure, in spiritualibus & temporalibus, genere superioritatis curam, concedendum est, hanc ordinatam esse debere, iuxta eandem rerum subordinationem. Nã spiritualia, primum locum obtinent, respectu temporalium, sicut & inter ipsa spiritualia, quædam quibusdam præferuntur. Aliud ergo est curare spiritualia, aliud est solum ea curare. Vtrûque igitur curare debet, sed prius quod principalis est, non solum. Ita *sup. cap. 2. dicitur Abbati, non plus gerat sollicitudinem de rebus transitorijs, &c. vbi sollicitudinem non adimit, sed quod plus illa sit, de salute animarum. In quod adducit illud *Matth. 6. Primum quærite regnum Dei, &c. de quo D. Thomas in Cant. ex Augustino deduxit sic: Cum autem dixit illud primum, significauit,**

*quia hoc posterius quærendum est, non tẽpore sed dignitate, illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium. Scrutaata igitur hac dignitate, vtumque iniungit REGVLÆ, tamquam præceptum, ex lege Dei constringens, & obligans Prælatum, in totali regimine institutum.*

Hic ergo modus est, qui inexcusabiliter præscribitur a Sanctis. Quis a marius deflet occupationum temporalium distractionem, quam B. Gregorius ad Pontificatum euectus: *li. 1. epist. 5. inter alia sic: sub colore Episcopatus, ad seculum sum reductus, in quo tantis terra curis in seruiuo, quantis me in hac vita laica, nunquam deseruisse reminiscor, &c. Et sæpius in alijs epistolis, de hoc conqueritur. Cur igitur non deponeret curam terrenorum & temporalium? Vtique quia ex officio, erat obligatorium & necessarium. Ita ipse, lib. 24. moral. cap. 22. ait: Potestas regiminis ministrari non potest, sine studio cura temporalis. Et rursus hoc idem pertinere ad principale, scilicet regnum Dei quærendum, ostendit. Nam ex hoc alij in Monasterio, rebus solum diuinis intenti esse possunt, quia Prælati ea sollicitudo temporalium defertur. Qui igitur (ait) magnis virtutibus in Ecclesia sancta sine proficiunt, Præpositorum suorum vitam despicere non debent, cum vacare eos rebus exterioribus vident, quia hoc quod ipsi securi, intima penetrant, ex illorum adiumento est, qui contra procellas huius seculi, exterius laborant. Et lib. 1. epist. 24. Sic, cuncti qui præsumunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, &c.*

Dè hoc Innocentius III. in cap. cum pridem de Renunt. ait: cum ipsa scientia circa spiritualium administrationem, sit potissimum necessaria, & circa temporalium opportuna, Præsul commissam sibi Ecclesiam debet regere in vtriusque. Et infra in integritate textus addit id cum quo repræhendentibus respondendum est, tanta Pontificis auctoritate: Illud autem quasi nephas respiciamus & damnamus, quod propter occupationes

VII.

D. Gregorij  
de hoc sententia.

VIII.

De eodem  
Innoc. III.

tionones mundanas, & sollicitudines seculares, non valeat sine crimine Pontificale officium exerceri, cum multos sanctos Ecclesia veneretur, qui spiritualia simul, & temporalia ministrarunt. &c.

## IX.

D. Bern. locus adducitur.

De diuo BERNARDO loco citato, num. 4. certum est, non loqui contra prædictum modum, qui obligatorius est. Nã & ipse in principio illius *Cap. 6.* postquam, antea actis capitibus & libris, maiores curas Curia & Pontificatus, etiam seculares, obeundas prædicauerat, ad domesticam deueniens, etiam ipsam dicit, non esse superuacaneam considerationem, sed necessariam, adducto ad id Paulo, *1. Thim. 3. si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesie Dei diligentiam habebit?* Monet autem, ne summis occupatus, intendat infimis, ita vt minutus fiat, & in minimis impendat, quod maximis debet. Quod in omni Prælato, maxime in Pontifice Maximo, æquissimum est. Atque vt id præstet, suadet domestica, per œconomum ad id quæsitum, tractare. Nam ait: *quædam per temetipsum facies, quædam per te & alios simul, quædam per alios absque te,* & hæc vltima dicit esse, agenda domus suæ, pro quibus administrandis, querat fidelem seruum ac prudentem, quem omni authoritate constituat super domum suam. Atque si non inueniatur, nisi aut tantum prudens sine fidelitate, aut tantum fidelis sine prudentia, & idoneitate, substinendum ait infidelem idoneum, potius, quàm te Pontifex summus immergat laberintho huic, domesticæ administrationis. Inuehiturque statim in Episcopos quosdam, scrutantes quotidie omnem substantiam suam, numerantes singula, de minutis & quadrantibus exigentes rationem, &c.

## X.

Explicatur B. Bernard.

Hoc igitur loco & similibus, non bene vtuntur aliqui, vt Abbas debeat omnem Monasterij curam temporalem omittere, quod neque Sanctiss. P. BERNARDVS somniauit. Loquitur enim cū Pontifice, totius mundi & Ecclesie curis distento, grauissimis & innumeris negotijs, omni minutæ domus, reique

familiaris sollicitudini præferendis: quid inde ad Abbatem cui B. BENEDICTVS, non aliud quam domesticum Monasterij gubernium committit? Nec aliã REGVLAM nisi œconomicam instituit? Verum est spiritualia præcipue commendari, ad quæ eorum studium, lectionem, & instructionem, quæ muneris necessaria sunt, redduco: sed temporalia etiam ipsius esse, & ab eo principaliter, respectu alterius cuiuscumque personæ, agenda iuberi, vbi patet, ex locis ad ductis, num. 5. & ex tota Regula, contra quam in omni ratione & iure fundatam, obseruantissimus ipsius BERNARDVS sententiam non profert. Ipse autem Pontificem, à minutis tantum, retrahit, & in eis adhuc loquens eod. cap. 6. de Capellanis ait, *necessaria de manu tua recipiant,* cū tamen Capellani de domesticis sint. Vtique sordidam & anxiam nimietatem exterminare satagit, & hanc etiam, sua proportionem seruata, cap. precedente, num. 3. etiam in Abbatibus ceperam infectari, sed longissimo interuallo. Ibi vt melius munus Pontificale exerceat, suadetur ab his domesticis, & quotidianis rei familiaris curis, abstinere: hic Monasterij Prælatus, ex Regula etiam, eisdem iubetur insistere, rerum graduatione seruata; vt pote quorum similiter, & apud Superiores, & maxime apud Deum, rationem est redditurus.

Cū igitur ista, ex officio Abbatis, obligatoria sint, & in quorum omissione, etiam REGVLÆ, quatenus talem obligationem insinuat, pariter transgressor constituitur: certum est secundum Deum, & secundum ipsam, excusari plurimum à choro, & alijs conuentualibus actibus, dummodo eius personalis absentia, in detrimentum regiminis animarum nõ vergat; quo sufficienter primòque prouiso, teneri etiam non deesse temporali regimini, quātum eius presentia & persona necessaria est. Atque quò magis, successione temporum, accessio huius rei temporalis, pro maiori Conuentus numere-

Exinde legitime excusatur saepe à choro.

ro, facta est, & quò difficultates necessitatesque vtriusque administrationis, creuere amplius, tanto magis excusari. Neque à REGVLÆ id detrectatur quæ Abbatē voluit adeo hospitibus, & externis esse intantum: vt Monachorum in omni regularitatem sectantium, quieti prospiciens, mensam Abbatis, & habitationem, & coquinam, voluerit esse distinctam pro vt infra, *Cap. 53. & 56.*

XII.  
Probatur  
& explicatur  
excusatio.

Si ergo prædictis interuenientibus, alię impossibiles regularitates concurrant, certum est nolle simul, eundem Abbatem diuersis locis replicari, aut pluribus non cõsentientibus occupationib<sup>9</sup> diuidi. In hoc Diana, *tract. de Horis Canonicis, Resolu. 38.* Bonacina *tom. 1. de Horis Canon. disp. 2. quest. 1. puncto 1. num. 9.* Raphael de la Torre, *in 2. 2. D. Thom. tom. 1. de Horis Canon. controu. 10. disp. 1. num. 8.* & licet vterq; Bonacina & Torre, & etiam Suarez, *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 10. num. 15.* non agnoscant, in omittendo assistentiam choro, respectu monachorum ad ipsũ destinatum, aliquod præceptum sub mortali, aut obligationem grauem, nisi iuxta REGVLAM, quæ in præsentia non est grauis, respectu singulorum, sed res-

III  
Obligatio  
chori.

pectu Communitatis, vt ipsi admittunt: tamen hæc grauitas transit ad Prælatus immediatus, non quia in absentia à choro vt sic, diuersa obligatione Regulari adstringatur, sed quatenus ei principaliter ex officio incumbit onus, vt in Communitate chorus non deficiat, aut eius debita disciplina notabiliter depereat, quod vel præsentia sua, vel aliter aliorum sedulitate, iuxta receptũ in Religione morem, & rerum exigentiam, & stilum Monasterij probatum, & cætera in re attendenda curare debet.

Addit textus: *si quis autem sordide ac negligenter res monasterij tractauerit, corripatur, scilicet verbo, quia non pro qualibet negligentia statim supplicium, si admonitione redducitur. At si non emendauerit: postquam verbo correptus est, disciplina regulari subiaceat, prout explicauimus sup. ad cap. 3. num. 8. & seqq.* De his autem officialibus, quicũque sint, negligens rerum sibi commissarum tractatio, aut dissipatio, sub culpa erit leuiore, vel grauiore, iuxta modum & nocumentum ex iustitię lege regulatum, proportionaliter sicut de Cellerario dictum est, *cap. preced. num. 6.*

XIII.  
Negligentia  
officialium.

*Si debeant Monachi proprium aliquid habere.*

## CAPIT. XXXIII.

TEXTVS.

**P**RÆCIPVE hoc vitium, radicitus, amputetur de Monasterio. Nec quis præsumat aliquid dare aut accipere, sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino; quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia vero necessaria à Patre Monasterij sperare, neque quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omnia omnibus sint communia vt scriptum est. Neque quisquam suum esse aliquid dicat, aut præsumat. Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterum, si non emendauerit, correctioni subiaceat.

\* Act. 4.

## NOTÆ.

I.  
Percurritur  
Textus.

**T**OTVM hoc Cap. materiam cōtinet voti paupertatis, ad secundam GLASSEM *introducēt. Art. 7.* pertinentem. Detestabile semper vitium in monachatu, quod primò, opere, interdicitur in quavis re, *vt nec dare, nec accipere, nec habere liceat, quod non dederit Abbas, aut permisserit,* & in minimis exemplificat, *neque codicem, neque tabulas, neque graphium,* quo ordine numerat Cassianus, *lib. 4. de instit. cap. 13.* & est idem ac si prout in præfens dicat, *librum, papyrus, calamum, de quibus & alijs, infra, Cap. 55. dicemus.*

II.  
Proprietas  
contra votū  
paupertatis.

Contra hoc autem vitium, ipse Cassianus agit toto *lib. 7. de instit. mon. & collat. 5. à cap. 8.* ipsumque vocat philargiriam, hoc est, amorem pecuniarum; quamuis & in alijs quibuscumque rebus, contra prædictum votum, proprietatis actu delinquatur. In quo certum est, paruitatem materiæ peccatum efficere veniale, de cætero, ex suo genere, lethale & sacrilegum est. Discussio tamen exacta, petenda est ab authoribus, quos hic citandos remissi, *sup. capit. 31. num. 9. vbi aliquid tetigi.* Ij autem sunt plurimi. Magister *in 4. sent. dist. 38.* & ibi Commentatores. Similiter alii cum D. Thom. 2. 2. *quæst. 186.* Lessius, *lib. 2. de iust. & iure, cap. 40. & 41.* Emanuel Rodriguez, 2. *tom. quæst. 29.* & eius Compēdiator Hieronymus, *Resol. 110.* Thomas Sanchez, *lib. 7. sūm.* & alii Sumistę. Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 8. per totum,* qui cordatę (sicut alia) modum paupertatis, iuxta cuiusque Religionis obseruatum, & consuetum vsum, pensandum remittit. Ad id etiã, *Cap. non dicatis, 12. quæst. 1. & capit. Monachi, & capit. cum ad Monasteriū, de statu Mon. & ibi Canonistę. Adiūctio Concilio Trident. Sess. 25. de Regul. capit. 2.* Nos etiam, *in tract. Monast. de iure & potestate nostrę Observantia, capit. 30.* plura, sed & Ascanius-Tamburinius, *de iure Abbat. tom. 2. disp. 22. & tom. 3. disp. 14.* & alii adhuc, *infra num. 4.*

III.  
Etiã à verbo  
absit proprie-  
tas.

Secundò: Etiam à verbo, proprietatem excludit textus, ibi: *Nec quisquam*

*suum esse aliquid dicat, atque etiam à cogitatione, ibi: vel præsumat.* Et quidem præsumptio, & animo admissa proprietas lethaliter fauciat, etiam si in opus non prodeat, nec in vocem, sicut alia peccata quæ interiori consensu committuntur. Si tamen voce sola, sine animi adhesionem, aut cōsensu paupertati cōtrario, *suum esse aliquid, pronuntiet Monachus, secluso notabili scandalo, à vero loquendi modo tantū aberrat, & ad summum venialiter tantum delinquet, nec amplius volet rationabiliter hic Turre-cremata.* Imò, nec venialiter, quãdo simpliciter profertur (prout solet) tantum in significatione, non dominij, sed determinatæ applicationis rei, ad particularem vsum. Vt in simili docet Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 8. capit. 5. num. 13. circa capit. non dicatis, 2. quæst. 1. desumptum ex Regula S. Augustini, cap. 2. & ex Actibus Apost. c. 4. prout in præfenti.*

Tandem, ibi: *Correptioni subiaceat,* non de Verbali intellige, de qua iam dixerat, *admoneatur semel & iterum.* Sed de castigatione & supplicio, quod etiam à verbo *corripio* significari constat, ex sacris, *Leuit. 26. corripiam vos septem plagis,* & ex prophanis Suetonius in *Augusto, capit. 53. grauissime corripuit edicta, &c.* In nostra autem quin & omni Congregatione Cisterciensī, solemniter, omni Dominica palmarum, in Capitulo, vbi singuli in scriptis exhibent integrum breuem omnium, quæ vt cumque habent, extincta candela, excommunicat Abbas principaliter omnes proprietarios, cū alijs, de quo in meo Tractatu *Monast. capit. 17. à num. 11. & habent alias pœnas, tum in iure, tum in Constitutionibus expressas.* Atque contra ipsum vitium, præter citatum, supra *numer. 1.* Cassianum, habes Basilium in *Ascecticis, de abdicatione rerum, & in Constit. Monast. capit. 35.* Ephrem-Syrum, *tom. 1. Ser. de recordatione mortis, & de virtute, ac de diuitijs, Chrysoftomum, tom. 4. hom. in illud salutate Priscam, &c.*

III.  
Corripio de  
verbo, & op-  
pere.

Excommu-  
nicatio sole-  
mnis proprie-  
tariorū vbi.

Sc. D. BERNARDVM ad Sororem ser. 64. & ad hoc caput etiam Commentatores. Turre-crematam, & Episcopum Vrgell. ex professo materiam hic late

tractantem, qui inter supra citatos, n. 2. omittendus non erat, cum aliis Commentatoribus, ad mores plura concinantes.

*Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.*

## CAPIT. XXXIII.

TEXTVS.

**S**ICVT scriptum est: *Diuidebatur singulis, prout cuique opus erat: Vbi non dicimus, vt personarum (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Vbi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristerur. Qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia, & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia, ne murmurationis malum, pro qualicumque causa, in aliquo qualicumque verbo, vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori discipline subdatur.*

Act. 4.

NOTÆ.

I.  
Explicatio  
textus de iu-  
sticia distri-  
butiua.

**H**OC idem Basilius in Constitutionibus Monachorum, cap. 33. & alibi. Et Augustinus, Epist. 109. in Regula sanctimonialium, & Monachorum: Vtrique vnde noster textus, ex c. 4. *Altissimi Apost.* Excludensque omnem personarum acceptionem, tota hic contenta iniunctio, ad præceptum iustitiæ distributiua deouoluitur. Vt attenda qualitate, conditione, indigentia, aliisque rationibus, in Republica Religiosa, iusta & prudenti proportione, fundatis, possit & debeat esse aliqua diuersitas, quam & ordo ipse deposcit, vt cum ipsa inæqualitate, stet distributionis proportionalis æqualitas, & eo modo omnia ordinatè fiant. Sic, non æqualiter omnibus, dixit Augustinus, quia non æqualiter valetis omnes. Nec enim pedes coequandi sunt capiti, aut debilibus fortiores, vel iuuenibus senes, seu attriti laboribus, aut confecti proficuis studiis, cum alias feriatas mere Monachis, &c. sed in suis temporibus, & in proportionatis rebus cuiusque decens habenda ratio, vt atenda tur iusta causa, & non solius nude personæ fiat acceptio.

II.  
Obligatio  
declaratur.

Obligatio igitur, ex ipsa lege iustitiæ distributiua, desumenda est, ea enim

tantum à REGVLA indicitur ijs, quorum officium, in distributione aliqua rerum Monasterij, versatur. Eaque frangi potest, vel in quantitate, puta ciborum, vestium, &c. quando ea determinata non est legitimè per constitutionem, aut mandatum, aut alias, vel in qualitate, quando licet determinata sit quantitas, eadem deterioris conditionis, aut in peiori materia, datur ei, qui aliis, iusta, necessitatis, aut alia causa, præferendus erat. Estque peccatum ex suo genere mortiferum, nisi res, sit minoris momenti, aut inter personas sit exigua distantia, de quo Lessius, lib. 2. de iust. & iure, cap. 1. dub. 4. & cap. 32. per totum, & cap. 34. dub. 13. &c. Thomas Sanchez, tom. 1. consil. lib. 2. per totum, iuxta D. Tho. 2. 2. q. 59. art. 4. & ex scripture locis, Deut. 1. Leuit. 16. Prouerb. 18. Ecclesiastici 24. Iacob. 2. & alias. excusabitque à mortali paruitas materiae, aut alia causa, que acceptionem efficiant leuem, aut nullam. Vt cum Soto, Aragon, Salonio, Gersone, Syluestro, &c. ostendit citatus Sanchez, cap. 1. dub. 1. num. 9. Vnde ista, cum præcepta sint iuris naturalis & diuini, pertinent ad primam CLASSEM, prout in introd. Art. 6.

II. *Murmura -  
tio rursus e -  
liminatur.*

Demū addit textus, contra id quod maximè ex distributione rerum, vel præposterè facta, vel (quod sæpissime contingit) perperam & inuide considerata, solet proficisci: *Ut ante omnia murmurationis malum, pro qualicumque causa, in aliquo qualicumque verbo, vel significatione, appareat: Obserua, quæ articulatione verborum, vel minimam murmuris umbram depellat, nec*

co contentus, in depræhensum murmurantem adiicit, *ut districtiori discipline subdatur. Ad quod recole quod sup. Capit. 5. num. 5. dictum est, amplius recolendum in sequentibus, ubique hoc malum extirpare cupiens, & non minus frequenter D. Basilius, in Regulis fusiior. 29. in Brevior. 39. & 63. & 133. & c. & B. BERNARDVS ad Sororè, Ser. 17. & 47. & alibi infraq; rursus, c. 40. n. 1.*

*De Septimanarijs Coquina.*

CAPIT. XXXV.

TEXTVS.

**R**ATRES sic sibi inuicem seruiant, ut nullus excusetur à Coquina officio, nisi aut aegritudine, aut in causa grauis utilitatis, quis occupatus fuerit, quia exinde maior merces & charitas acquiritur. Imbecilibus autem procurentur solatia, ut non cum strictitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundum modum Congregationis, aut positionem loci. Si maior Congregatio fuerit, Cellerarius excusetur à Coquina, vel si qui (ut diximus) maioribus utilitatibus occupantur. Cæteri vero sibi sub charitate inuicem seruiant. Egressurus de septimana, Sabato munditias faciat. Linteamina, cum quibus sibi fratres manus aut pedes terunt, lauet. Pedes verò tam ipse qui egreditur, quam ille qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerij sui, munda & sana Cellerario consignent. Qui Cellerarius, item intranti consignet, ut sciat quid dat, aut quid recipit. Septimanarij autem ante vnā horam refectionis, accipiant super statutam annonam singulos biberes & panem, ut hora refectionis sine murmuratione, & graui labore seruiant fratribus suis. In diebus autem solemnibus, usque ad Missas sustineant. Intrantes autem & exeuntes hebdomadarij, in oratorio, mox matutinis finitis Dominica, omnium genibus prouoluantur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana dicat hunc versum: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me: Quo dicto tertio, accipiat benedictionem egrediens. Subsequatur ingrediens, & dicat: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, & hoc idem tertio repetatur ab omnibus, & accepta benedictione ingrediatur.

NOTÆ.

I. *Seruire mē -  
sis ad omnes  
attinet.*

**T**otum hoc cap. Regulare est, & dispositio Monastica, circa fratres, qui per hebdomadā, & vices suas, Coquinae, & mēsis refectionis inseruiūt respectu Cōuentus. A quo officio nul-

lus excusatur, nisi Cellerarius propter occupationē sui muneris, & etiam qui aegrotant, ad quod nō est necesse, lecto decumbere, sed infirmitate aliqua sufficienter præpediri; multamque sene-

Et utem inter ægritudines computa: *Itē qui maioribus vtilitatibus occupantur.* Vnde non sine fundamēto in REGVLÆ, sunt de hoc aliqua exēptiones, vt nuper de multū senibus, quibus fauet ipsa, infra c. 37. atq; etiā de aliis, in rebus Monasterij agendis, vel negotio occupatis, aut qui propter studia, aut personę functionē publicam, aut dignitatē, ex fundato indulto Superioris auctoritatis excusantur, vbi charitatis, vel vtilitatis accretio fit.

II.  
Olim laboriosus hoc officium.

Deinde præuenit, vt imbecillibus procurentur solatia, id est socij adiutores, de quibus dictum est ad cap. 31. n. 10. Quod argumentū est, olim hoc officium laboriosum fuisse, & satis occupatum: hodie tamē solum habet proprium, inferuire mensis Cōuentus, dum reficitur ad prandium vel cœnā. Nam refectorij, seu triclinij Monastici cura, & utensilium, quę ad ipsum pertinet, peculiari Monacho, ex more antiquo, demandatur, nec dissentit a REGVLÆ, vt notauit, c. 32. n. 1. Quę vero Coquinę sūt in ferramentis & eius suppellectili, & ministerio, Dispensatori, aut Subcellerario cōmittuntur, aut qui illi officinæ, & sibi cognatę penui præficitur. Cumq; ciborū preparandorum ministerium, iā semper fere interuentu Coquorum secularium, & fulliginosorum culinę satellitum exerceatur: nihil magis in Cōgregatione Religiosa satagitur, quā vt Monachis nullū, cum ea profana gulę officina, sit cōmertium, & vt ab eius frequentatione generaliter, etiam pœnis impositis, arceantur. Itaq; iam hoc longissima consuetudine admissum, non transgressio REGVLÆ, sed obseruantia subrogata loco primę dispositionis credatur, sicut excusatio ab aliis, quę consequenter tunc fiebat ab illis septimanariis, & nunc, ex introducta ritē cōsuetudine, aliter fiunt, & tāquam cōmunis Monasterij Regula, ex ea subsistunt, ex cap. 7. grad. 8. & doctrina B. Bernardi, ibi, & in introd. Art. II.

III.  
Humiliora exercicia, haud indeco vasa & instrumenta officii emundet. De his sunt: Vt egressurus de septimana, Sabbaro munditias faciat, id est, va Monacho.

Quod ad ollas, & cacabos, aliāq; culinaria & denigrata gramēta, extendūt Cōmentatores, licet in textu expressū non sit. Nec extensio est, quando tūc, omnia labore Monachorum agebantur, nec agnoscebatur minister nō cucullatus in cœnobio. Et quando semper Monacho, humiliora sunt amplius amplectenda, non sine certo humilitatis fenore, vt etiam, si dormiat inter medios clericos, aut (quod Psal. 67. ex Hebreo vertunt) inter lebetes & ollas, pœnna columbæ de argentata, &c. Scilicet (vt Genebrardi verba accōmodē) si tam atriti & sordidi sint, quā iacent inter nigras ollas, erunt posthac tam candidi, quā ale colūba argenteæ, & instar auri fulgentes. Nēpē non maculat humilitas, sed illustrat Religiosū. Monachū Aphtoniū, etiam post Episcopi dignitatē, Eugeniā Monachā adhuc post Prælaturę eius institutionem, humilima quęque, & viliora exercentes, leges, in Vitis-Patrum Rosuueidi, de Aphtonio, lib. 9. c. 5. de Eugenia, lib. 1. in eius Vita, c. 10. vt vtriusq; sexus exemplum geminatum, vice innumerabiliū Monasticę professionis, hac indeclinabili humilitatis via gradiētium, in memoriam adducam: & ad rem redeam.

De iisdē etiam sunt. Vt linteamina, cum quibus fratres manus, aut pedes tergunt, lauent, & quod, pedes tam ipse qui egreditur, quā ille qui intraturus est, omnibus lauent. Atque hæc prorsus ad veterem morem monachorū Ægypti, quem exprimit Cassianus, lib. 4. instit. c. 19. Cuius vestigium quodam tantū superesse, alicubi video, dū in Capitulo, die Dominica, is qui ab hebdomada egreditur, & qui in ea subintrat, pro prædicto Coquinę officio, designantur suis nominibus, ad mandatum, hoc est ad dictam pedum lotionem faciendum, non vt re ipsa illam exerceant, sed vt iuxta REGVLAM constet, quibus ea lotio incumbat. Quę num excusatio, an accusatio Regulę sit, aliorum sit iudicium, quod suppressa ceremonia in re, exprimat in voce. Verū tamen ea lotio pedum, cum

III.  
Lotio pedum

Quid de illa apud nostros

ex vno capite, tamquam solatium & delectabile obsequium lauandis, videatur instituta; & ex alio apud Hispanos, ea consuetudo, quæ priscis seculis, & maximè in Orientalibus vigeat, parùm fuerit vsitata; quasi per renuntiationem proprii commodi, & moris, secundum regionem, extranei, abrogata videtur, ita vt hodie nos (de nostris & similibus alijs loquor) non obliget. De quo quia adhuc aliquid dicendum restat, ad *capit. 53.* vsque ibi superse-  
deo, vbi à *num. 12.* & *præcipue, num. 16.* dicam.

V.  
Mistum, &  
miscere,  
quid sint?

Ptetera adiungit textus: *Septimanary autem, ante vnam horam, &c.* Vbi concedit ipsis, ante communem refecti-  
tionem, accipere *singulos biberes & panem*, quod infra *cap. 38.* appellat *mix-  
tum*, indeque verbum retentum *mixta-  
re*, pro eo quod est, hanc anticipatam  
refectiunculã sumere. Et quidem *mi-  
scere*, idem est, ac dare seu præparare  
potum, vt est illud, *Quidij Metam. 10.*  
*Arripit Iliadem, qui nunc quoque po-  
cula miscet.* Quod tamen tractum est,  
ex more seruato in legibus conuiuia-  
libus, de quibus *Atheneus, lib. 10.* vbi  
*mistum*, vitandę temulentię causa pa-  
rabatur, scilicet aqua dilutum. Ex quo  
habetur vox solemnis, *miscere puer.* Ad  
quod forte, *Iuuenalis, Sat. 5. nescit tot  
millibus emptus, Pauperibus miscere  
puer.* Atque ad nos, sensus hic aptior, vt  
voce ipsa *misti*, admoneatur Monachus  
sobrietatis, quam etiam non satis so-  
brius *Tibullus* expressit, dum ait: *Mi-  
staque securo est sobria lymphæ mero.* Ad  
quod *sacratius* inuitat sapiens, *Pro-  
uerb. 9.* inquit: *Bibite vinum, quod  
miscui vobis.* Vt si sapit Monachus, *mi-  
stum*, & probe dilutum, in sinuatione  
vocabuli, Religiosis moribus aptius  
intelligat. De quo *misto*, amplius, in-  
fra ad dictum, *capit. 38.* exhibebo, pro  
eo loco.

VI.  
Misti licetia  
& modera-  
tio in ieiun-  
ijs.

Igitur cum hoc in leuamen sit, & in-  
dulgento, quod omittatur, sine culpa  
est, imo potius supererogatio merito-  
ria abstinere. Atque, vt in plurimum,  
ferè ab omnibus omittitur, licet iuxta

Regulam, concedatur prædicta indul-  
gentia volentibus, etiam signo paulo  
ante refectiõis horam facto; sed ex-  
ceptis omnibus Ecclesiæ ieiunijs. De  
quo scio, in Declaratorio Regulę Cõ-  
gregationis *Cassinensis*, etiam in illis  
permitti, cum licentia Prælati, & idem  
cum *Gilberto*, & *Petro de Palude* sen-  
tire videtur *Turre-cremata* hic: at vtro-  
bique intelligo, quamuis de modico  
panis, quod REGVLA concedit, non  
nisi magna vrgente debilitate ad ser-  
uendum. Neque in hoc aliquid exten-  
dendum est, tùm quia REGVLA in legē  
Ecclesiasticam ieiunij nihil potest; tũ  
quia dispositio eius fuit, quando horę  
prandij tardiùs protrahebantur, vt in-  
fra *cap. 41.* constabit, qua ratione, pote-  
rat magis de debilitate timeri, & po-  
tiori causa succurri; secùs hoc tempo-  
re. Tamen si seruituris lecturisque ad-  
mensam, etiam sine necessitate, *Tho-  
mas Sanchez, tom. 2. Consil. lib. 5. du-  
bit. 24.* Cum *Caiet.* & *Siluest.* dicat li-  
cere sumere aliquid, quasi incipien-  
do tunc comestionem, eam, finito ser-  
uitio, aut lectione, perfecturis, neque  
eo temporis interstitio ieiunium fran-  
gi. Tamen hoc cuiuslibet delitioso, ne-  
dũ Monacho, sine necessitate super-  
fluus & interstitium vnus horę, que  
solet in refectiõne meridiana alicuius  
bonę communitatis infumi, nimium  
videtur, nec admittendum absque ne-  
cessitate.

Sequitur: *In diebus autem solem-  
nibus, vsque ad Missas sustineant.* Sci-  
licet *Dominicis* diebus, aut alijs festi-  
uis, in quibus nec laboratur, nec ieiu-  
natur Ecclesiæ præcepto. De his enim  
videtur intelligendum, quia in talibus  
hora prandij erat in meridie, nempe  
hora sexta, ante quam horam celebra-  
bantur *Missę*. Vult ergo vt his diebus,  
*mistum* non anticipetur vna hora, an-  
te refectiõnem, sicut de alijs diebus di-  
xerat, sed post *Missarum* celebrationē  
Conuētualem, sumatur illa refectio. Et  
ita antiquissimus liber vsuum *Cister-  
ciens.* *cap. 73. de Mistis*, ait non esse su-  
mendum in *Quadragesima*, exceptis  
Do-

VII.  
Exceptio su-  
mendi misti.

Dominicis, neque in tribus diebus Rogationum, & quatuor temporum, neque in Vigilijs Domini & sanctorum, de quo vsus diuersarum Congregationum attendendus est.

VIII.  
Dubitatio ex  
ceptionis de  
misto.

Hic autem *Missas*, in significatione propria pro sacrosancto altaris sacrificio, accipio, & vsque ad eas sustinendum illis *diebus solemnibus*, statuit. Sed quare non idem disponit in illis priuatis diebus, in quibus etiam hora sexta prandium erat? Numquid & in illis *Missæ* non celebrabantur? Celebrabantur certe. Quare igitur illud discrimen? Forte quia minus solemniter, aut citius dicebantur *Missæ*; aut (quod verius est & ad *capit. 38. notabo*) quia in solemnibus diebus, Dominicis scilicet & festiuioribus, communio Conuentualis fiebat. Nā *Missarum Conuentualium* horam esse post Tertiam & ante Sextam, receptiori stilo, à priscis temporibus constat ex pluribus quæ adducit Stephanus Durantus *de Ritibus Eccles. lib. 2. capit. 7. & lib. 3. capit. 8.* inde enim hora Tertia, dicitur *Sacra, Capit. final. dist. 44.* Quare vsque ad illud tempus, ieiunium naturale sustinuisse, necesse erat communicaturis, in *diebus solemnibus*. Vt expectarent horam communis, & solemnis *Missæ* illi, qui Sacerdotes non erant, quorum potior, maior, & fere totalis numerus tunc habebatur, pro quibus sine distinctione, disponit textus Regule.

IX.

Tandem illud: *Intrantes & exeuntes hebdomadarij*, & quæ sequuntur, vsque ad finem, ita in praxi video obseruari, & finitis Laudibus, quæ in *REGVLA* semper Marutini vocantur, profunde inclinati ante gradū chori, ver-

fus ter, iterante Conuentu, decantant, & oratione seu collecta adiecta, absolunt hebdomadam & incipiunt. In quo illud, *omnium genibus obuoluantur*, non significat, quod singulos percurrat, eorum se genibus prosternendo: sed vt exhibeant eam supplicem humilitatem, quæ circumseribitur illa verborum formula, desumpta ab antiquo ritu gestuque precantium. De quo plura, ex sacris & prophanis, Martinus Roa, *lib. 4. singularium locorum, capit. 1. 2. & 3.* & Seruius in illud Virgil. 3. *Aeneid. Dixerat & genua amplexus, genibusque voluans Hærebat.* vbi & Ludouicus Cerda aliqua iterat, adducit tamen intactum ab eisdem locū Plinij, *lib. 11. capit. 45. Genua supplices attingunt, ad hæc manus tendunt.* Nempe sicut osculatio manuum, non semper osculo realiter fixo, sed verbo, aut gestu, signo ve fit: Ita genibus obuolui, idem est ac supplicare: idque præstant, & verbo, & inclinatione humili, expectantes benedictionem, quæ omnium nomine præstat, qui orationem recolligendo pronuntiat, eaque oratio appellatur *benedictio*.

Genibus obuolui, quid?

Vnde illud de egrediente hebdomadario, accipiat *benedictionem*, & de intrante, accepta *benedictione*, vtrumque intelligitur de oratione competente quam super alterutrum profert, qui orationes, seu collectas in officio decantat. Neque hic alia *benedictio* interuenit, sed ipsam *Collectam*, benedictionis nomine, intelligi, ait expresse S. Hildegardis. Quo amplius firmetur, quod de hoc dictum est sup. *capit. 11. num. 13.* Quæ autem ex his obseruantijs adhuc in vigore perdurant, ex *REGVLA*, vt sic ad tertiam *CLASSEM* pertinet, vt in *introduc. artic. 8.*

X.  
Benedictio  
idem quod  
oratio.



De infirmis Fratribus.

## CAPIT. XXXVI.

TEXTVS.

a Matth. 25.

**I**NFIRMORVM cura, ante omnia & super omnia, adhibenda est, vt sicut re vera Christo, ita eis seruiatur, quia ipse dixit, a infirmus fui & visitastis me; & quod fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis. Sed & ipsi infirmi considerent, in honorē Dei sibi seruire, & non superfluitate sua, contristent fratres suos seruientes sibi. Qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiatur. Quibus fratribus infirmis, sit cella super se deputata, & seruitor timēs Deum, & diligens ac sollicitus. Balneorum vsus infirmis, quotiens expedit offeratur, sanis autem & maxime iuuenibus, tardius concedatur. Sed & carniū esus infirmis, debilibusque, pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus, more solito, omnes abstineant. Cura autē maxima sit Abbati, ne à Cellerarijs aut seruatoribus, negligantur infirmi, quia ad ipsum respicit, quidquid à discipulis delinquitur.

NOTÆ.

I.

Exponitur in  
firmerū cura  
iniuncta hic.

**P**RIMA & præcipua pars huius Cap. tota versatur in commendanda cura infirmorum, ante omnia & super omnia, atque, quod illa maxima sit Abbati, semel & iterum instat, ita vt quidquid in hoc, à Cellerarijs vel seruatoribus negligatur, in eius culpā conuertat. Vbi obiter nota ad id quod supra Cap. 32. num. 5. &c. dicebamus, nō satis esse Abbati officiales instituisse, vt ipse excusetur à superintendentia gubernationis proxima & immediata, cū negligentias illorum, ipsum respicere dicat. Itaque Abbati præcipuē hæc maxima cura incumbit ex officio, respectu infirmorum, quoad vtramque salutem, animæ scilicet & corporis, hic tamen de subuentione corporeæ sanitatis agit. Qua propter licet de hac dicat illud: ante omnia & super omnia, non destruit graduationem, vt non ante salutem corporis, stet animæ salus; quam toties, quasi vnicum suæ curæ pastoralis scopum, sup. capit. 2. inculcauit semel, sciat quod difficilem, & arduam rem suscipit regere animas. Iterum, sem-

per cogitet, quod animas suscipit regendas, Rursus. Sciatque quia suscepit animas regendas, &c. Nonne etiam corpora? Vtique: vt ex hoc cap. constat, sed ita ante omnia & super omnia, vt animæ referuetur sua principalitas, & de corpore, in suo gradu, curando, nihil prætermittatur, sicut de temporalibus, sup. cap. 32. à num. 5.

Sic de Tabennienfium cœnobiorū Monachis, tamen si austerissimis, ait D. Hieronymus, in præfat. ad Regul. S. Pachomij. Egrotantes minis sustentantur obsequijs, ad omnem copiam paratis cibis, &c. Sed vbi non, misericors erga infirmos charitas, commendatur? Totā ergo ad præfatam exhibendam curam obligatio, ex lege Dei, & charitatis ad proximum & fratrem, cunctos in Monasterio cōprehendit, pro cuiusq; portiones sed amplius in super, exigēte officio, Abbatē, & eos, quibus è proximo demandatur ministratio, & iuxta modum negligētiae, grauitas culpæ, aut leuitas æstimanda est. Atq; cōsideratio in hac parte, reciprocè est adhibenda:

II.

Obligatio  
qualis!

vt infirmarij ægrotis condoleant & cō-  
descendant ; & ægroti superflui nimie,  
aut morosi, sibi ministrantibus nō sint.  
Ita prædicta ad primam CLASSEM  
redduco, de qua in *introduc. art. 6.*

Quæ in residuo Cap. sequuntur, or-  
dinationes Regulæ sunt, & præcepta,  
de quibus, & sensus & obligatio vidē-  
da sunt. In primis ibi: *Quibus fratribus  
infirmis sit cella, super se deputata.* In  
quo, examine eget, an transgressio Re-  
gulæ sit, Monachos in cellis, quas dum  
valent habitant, etiam dolentes curari?  
Et in hoc censeo, nullam hodie esse  
transgressionem ; vbi sufficienter aut  
consuetudine, aut dispensatione inua-  
luit, aperta & patentia dormitoria in  
cellas distinctas commutari: vt dixi sup.  
*ad cap. 22. à num. 4. & seqq.* & quoad  
hunc articulum, sic declaro, quoad nos-  
tram & alias, in simili, Congregatio-  
nes.

Et suppono ex sententia Card. Tur-  
recrem. hanc cellam, *quæ per se depu-  
ta infirmis*, ordinatur à REGVLÀ hic,  
non intelligi de loco cōmuni, & patē-  
te, cum pluribus grauatis infirmorum:  
nam ex quo, eorum curationi, valetu-  
tadini, & indulgentiæ, tã impense pro-  
uidet REGVLÀ, non satis esset prospectū  
eo modo, propter incommoda pluri-  
ma, quæ bene ponderat prædictus Car-  
dinalis. Ibi enim vice leuaminis & cu-  
rationis, molestia & nocumentum pa-  
raretur infirmis, cum variæ eorum in-  
firmitates, & earum accidentia, & dor-  
miendi & vigilandi, & remedia adhi-  
bendi, nudis quandoque corporibus,  
diuersa exigant tempora, nec omnis,  
cibi aut potus, eadem possit esse hora.  
Alius etiam miseris ciuiatibus alium  
contristet, alius rursi inquietat, vt cæ-  
tera, quæ verecundiora sunt, & inexcusa-  
bilia mortalibus ægris, præteream.  
Quapropter intelligitur *cella per se*,  
quod dicimus. *Quarto a parte*, vt sit ita-  
rio aut infirmitorium, peculiaribus cel-  
lis distinctum, in quarum qualibet seor-  
sum, quilibet infirmus, iuxta exigen-  
tiam mali, sine aliorum communi aut  
reciproca molestia, remedijs & tem-

poribus sibi proportionatis, subueniri  
queat.

Rursum suppono, eam deductionē  
infirmorum, ad talem deputatum lo-  
cū, fuisse tūc necessariā, propter multa.  
Primo, quia in dormitorio cōmuni,  
& aperto, vbi pausabant Monachi, non  
poterat curari infirmus, nisi cum mag-  
no grauamine eorum, qui ordinē Cō-  
uentus tenentes, certas quiescendi ho-  
ras habere debebant, & propter alias  
molestias, ex vicinitate infirmantium.  
Quæ ratio confirmat superius dictum.  
Nam si, vt ista propulserentur à valenti-  
bus & sanis, separatur ab illis infirmus:  
vt eadem non ingerantur alijs infirmā-  
tibus, & ipsos oportebit separare. Se-  
cundo, quia silentium religiosum, adeo  
in dormitorio seruatum, & seruandum,  
omnino erat soluendum & relaxan-  
dum. Tertio, quia & ibi alijs ad vigi-  
lias & chorum surgentibus, & alijs ho-  
ris, plurimum noceret ægroti. Quarto,  
quia non licebat alibi parari carnes,  
quā in infirmitorio, seu eius coquina, neq;  
eis vesci nisi in *refectorio infirmitorii*, vt  
conformiter ad REGVLAM, statuisse cō-  
stat Benedictum Papam XII. in Bulla  
quæ incipit, *Fulgens sicut stella*, quam  
citauit sup. *cap. 21. num. 4.* Qua propter  
destinabatur infirmitorium, vt infirmi  
debiles, & dispensati, ibi carnes edere  
possent. Vnde translatio infirmi erat  
necessaria.

Igitur cum omnia ista cesauerint, ob  
quæ, à proprio lecto communis dormi-  
torii, fecernebatur ægrotus; liceat que-  
iam cellas inhabitare distinctas, abla-  
taque sit multitudo coquinarum, quas  
REGVLÀ, pro Conuentu, & pro Abba-  
te, & pro infirmis, distinguit, vt ad *cap.*  
*53.* notabo: dispensatum que sit, intra  
refectorium commune, carnes edi ad-  
huc à sanis, certis diebus, prout constat  
ex priuilegijs nostris Sixti III. *rom. 1.*  
*priuileg. 99.* Alexand. 6. *tom. 2. priuileg. 16.*  
Iulij III. *tom. 3. priuileg. 5.* Accedente iam  
diuturna consuetudine, vt non sit ne-  
cesse, noua receptacula ad id consigna-  
re: nulla videtur remanere ratio, quare  
in propria scilicet quam sanus inhabi-  
tat

III.  
*An liceat  
infirmum cu-  
rari propria  
cella?*

III.  
*Suppositio  
I. ad questio-  
nem.*

V.  
*Suppositio,  
2. ad idem.*

VI.  
*Pars affir-  
matina resol-  
uitur.*

tar Monachus, cella, non possit eger curari. Vbi quidquid in fauorem infirmorum REGVLA intendit, commodius & honestius præstari possunt. Quapropter mihi hæc pars est omnino certa, & vsu firmata in dictis Congregationibus; nihil pronuntiando de alijs, aliter retinentibus hanc obseruatiam, & conformius ad literam ipsam Regulæ iudicantibus.

## VII.

Balneorum nomina & significatio.

Procedit inde textus: Vt deputetur *seruitor timens Deum, & diligens ac sollicitus*. Quod, in designando infirmario fratre, obseruari debet, & intelligi vt generaliter de alijs officialibus sup. cap. 32. num. 1. adhibitis etiam solatijs, seu adiutoribus, prout capit. 53. Addit autem: *Balneorum vsus infirmis quoties expedit, offeratur, sanis autem & maxime iuuenibus tardius concedatur*. Aliquæ Regulæ legunt *Balnearum*, nihil interest. Sed nec ea differentia obseruatur, quam trahit Robertus Stephanus, vt *balneum*, sit priuatum, *balnea* vero seu *balnea*, publicas; indifferenter enim accipi certum est. Sicut & *balineum* cuius, ipse in *Thesauro* non meminit, in vsu est apud Plinium Iuniorum, pro priuato balneo, lib. 1. *Epist. ad Caninium, & ad Pompeian.* & pro publico, lib. 10. *Epist. ad Trajan. de Theatro Nicensium, & de loco balinei*. Færeque computata inter ea, quæ amplitudinem ciuitatum, & earum ornamentum augebant, vt testantur loca Plinij, & Marcial. lib. 1. qui vtens voce Græca, & quæ determinat commune nomen balneorum ad calida, dixit: *Hic vbi miramur velocia munera thermas, &c.*

## VIII.

In illis concedendis indulgens Regula.

Horum autem balneorum, frequentior apud Italiã vsus; forte & inde indulgentior REGVLA, quæ quandoque sanis, & iuuenibus, non denegat. Hispania verò hæc publica labacra, magnificis extructa fabricis, nõ nouit, quin & priuata artificialia, nisi medicinæ causa, ignorat. Atque hæc tantum, grauitate ægritudinis exigente, cõceduntur Monachis, intra domum, & nonnumquam alia, quæ naturaliter calidis

aquis, sulphureis aluminosis ve venis, scaturiunt, certis infirmitatibus, saluberrimo effectu, quæ apud Hispaniam nostram frequentia sunt. Similiter permittitur balneatio, quæ fluminum decurrentium refrigeratione perficitur, quantum saluti consulendæ sat est. Ab eis autem, aliisque natationibus, communiter renocantur sani, tùm ne indulgeatur seculari luxui licetioso, tùm ad euitandum in aquis suffocationis periculum, quod interdum incautis accidisse videmus. Hinc. B. Isidorus, qui Regulam attemperasse dicitur Hispanis, capit. 21. ait: *Lauacra nulli Monacho adeunda, nisi tantummodo propter necessitatem languoris*. Vbi tamen Regulæ permissio, aut indulgentia, pro sanis moderate admittitur, vt de Congregatione Burfeldensi inuenio dispositum in eius ceremoniali, dist. 3. capit. 3. de *Balneis*, nihil contra REGVLAM delinquitur, licet indulgenti permissio renuntiare, potius probe mus vt omnino recedatur aluxu veterum in balneis, de quo latissime Ioãnes Guilielmus Stukius, de *antiquitatibus conuualibus*, lib. 2. capit. 25. Nec omittam balnei vsum, vt labaretur, de B. Andrea Apostolo memorari, ab Abdia Babylonio, *hist. Apost. lib. 3.* sed taliter, quod etiam tunc docebat & Euangelizabat, sicut in cruce.

Rursus in textu ad illud: *Quoties expedit, offeratur*, nota remedia pro egrotis, tam prompte offerri a sanctiss. BENEDICTO, vt non solum exposcentibus danda, sed cognito quod expediat, etiam non petentibus ingerenda velit. Consonatque Basilio in *Reg. Breuior.* 135. Hinc elicio Medicos adhibere, & medicinis vt, in infirmitatibus curandis, contra Regulam non esse, quæ nihil restringit; & cæca esset sollicitudo & diligentia quas in infirmario & alijs requirit, si non medici, Minorisque, accedat pericia, & omnium conatus irritus, si quæ præuiderint potiones, vel vntiones, aut cataplasmata pro futura, non applicarent. In quo enim alio, potest esse maxima curâ Abbatis, vt nõ negli-

## IX.

Medicis & medicinis vt, iuxta Regulam est.

'negligantur infirmi, nisi vt eorum indigentia, opportunis remedijs succurratur? Nam de ciborum qualitate, carniū elus ( de quo statim ) omnino conceditur, & sup. num. 2. ex Hieronymo, inter austerissimum Monachatum, practi- cari vidimus, & confirmat, epist. 22. ad Eustochium, tom. I.

X. Neque contra hoc est, quod D. BERNARDVS, ser. 30. in Cant. ait, Puta te Monachum esse, non medicum: nec de com- plexione indicandum, sed de professione, &c. Hæc enim profert, postquam depinxit Monachum, deliciose delicatum singulos cibos, frequenter monachis apponi solitos, in communi refectorio respicientem. Aliud namque est, sanum Monachum, de quolibet cibo, delicatè causari, & nimium de qualibet qualitate sibi non proficua querulum, dispensatorem œconomum ve, indiscreta molestia, & importunitate torquere: aliud autem, ægrotum verà periculosi morbi indigentia implicatum, commodis remedijs suscipere. Qua propter Medici congrua promerentis salaria, eius adstantia, & pharmacopolij intra ipsa cœnobia apparatus, non admittuntur in Religione, vt ipsa valetudo remedijs obruatur frequentibus, magisque medicinis quàm morbis laboret; aut regularis districtio- nis excusationibus, præsto sit patronus: sed vt in verè exigente necessitate, opportuno medicamine, ingruens depellatur morbus, inualescentique malo non desit præsentanea curatio; atque ea non nimium exquisita, & quæ extraordinario medicorum concursu, aut medicinis præciosis vtatur, sed monasticæ potius paupertati, humilitati & mortificationi, iustâ moderatione, proportio- netur. Nam sic de medicina, tamquam laudabili frugalitate proficua, loquitur B. Basilius, in Regul. fustior. 55. Mihi vero etiam ad colendam continentiam haud mediocri momentum pars hæc ( scilicet Medicinæ ) videtur asferre, siquidem animaduerto, ab ea & delicias amputari, & crapulam damnari, epularum prætereâ varietatem, & exquisitam nimis co-

dimentorum excogitaram solertiam improbari, in summa demque, indigentiam, ab ea, sanitatis matrem appellari. Huc vsque Basilius.

Videbatur ex dictis satisfactum B. BERNARDO, maximè cum ipsum, Epist. 346. ad G. Abbatem, non abhorre- re me dicinam appareat, dum ait illi: Scito fra- trem G. ex quo venit de Crista, vbi me- dicamentum sumpsit, conuentum per omnia, tamquam vnum de validioribus, firmissimè tenuisse, &c. Sed facessit nobis negotium seuerior, & expressa ipsius authoritas, epist. 321. ad fratres de S. Anastasio, vbi post alia, ait: Propterea mi- nimè competit Religioni vestræ medicina- nas quærere corporales, sed neque expedit saluti. Nam de vilibus quidem herbis, & quæ pauperes deceant, interdum aliquid sumere tolerabile est, & hoc aliquando solet fieri. At vero species emere quærere medicos, accipere potiones, Religi- oni indecens est, & contrarium puritati, maximeque ordinis nostri, nec honestati congruit nec puritati, hæc enim omnia gentes inquirunt, &c. Quod quantum ipse imbecillis & lægvidus, opere, & exemplo docuerit, testatur Guilielmus Abbas, in eius vita, lib. I. cap. 8. vbi inter alia subdit, videbant eum, & con- uersationem eius homines medici, & admirabantur, scilicet suæ infirmitatis nõ curantem, & ad novos semper labores adnitentem.

Tantæ auctoritati, quæ mihi maxi- ma est, etiam aliæ adstipulantur. Primo Hieronymus epist. ad eustoch. de Paula, cui timebatur de hydropisi, & quæ medicis ob id persuadentibus tenui vti vino, nullatenus acqueiuit. Secundo, Sæctus Ephrem, tom. I. ser. de fide, ait: Nosce te ipsum, discutiens ne forte carnales morbi, te ad medicos terre nos abripiant, &c. à quibus & eorum medicinis deterret Monachum Anachoretam. Vbi Scholiastes eius Gerardus Vossius, ex- plis patrocinator doctrinam. Tertio, ex Prato Spirituali cap. 8. & 10. de Abba- te Myrogine, hydropisi, & de Barnaba Anachoreta; pede festuca arundinea confixo, laborantibus; nullamque ad-

XI.

D. Bernar- dus pro & contra me- dicinam.

XII.

Plura exem- pla contra eamdem.

Approbatio  
medicinæ  
ex D. Basilio

mitten-

mittentibus medicinam corporalem, spirituali salutem semper intentis. Quarto, ex histor. tripart. lib. 8. cap. 1. de Beniamin Eremita, aquæ intercutis morbo, vehementer affecto, eodem modo se habente. Quinto, ex S. Gregorio, lib. 4. dialog. cap. 13. de Galla Symmachi filia viduata, & periculose ægrotante, quæ Medicis affirmantibus eo morbo morituram, nisi matrimonium iteraret, non consensit. Sexto, ex Gallorum hist. de Siluana Rufini Alexandria præfecti sorore, Medicorum consilia balnea cõsulentium, respuente. Septimo, verba S. Agathæ dicentis: *Medicinam corporalem corpori meo nunquam exhibui, &c.* Octauo, quæ ex Ambrosio, serm. 22 in psal. 118. adducuntur à Gratiano, de consecr. dist. 5. cap. *Contraria studiosæ sunt diuinæ cogitationi præcepta medicina, à ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, &c.*

XIII.  
Responsio  
prima.

Adquæ tamen, sub humilima reuerentia, ac veneratione prædictarum auctoritatum, præcipuæ Patris Nostri BERNARDI, credo earum aliquas procedere de illis, qui principaliter, in adipiscenda salute, attendere videntur Medicis, & eorum remedijs, cum ea speranda sit principaliter à Deo. Et in id addit S. Ephrem, vbi sup. ad illa verba inquit: *Quasi Christus, cui credidisti, te curare non possit. Quæ etiam est aduertentia, quam facit Basilius, loco citato sup. num. 10. vbi interrogauerat. Num quid, ex verè pietatis proposito sit, uti medicina? Et cum ea primaria spe in Deo affirmatiuam partem amplectitur. ¶ Vel aliquas procedere de nimio, & delicatioribus abusu medicina. Quomodo loquutus est Ambrosius ultimo citatus. Ad cuius verba opponi possunt ea verba optima ad rem D. Basilij, quæ dedi nuper, dicto num. 10. Qui etiam damnat, ut aberrantem & vanam, opinionem eorum; qui ita de hoc censent, quasi, ægrotatio omnis petitis à medicina remedijs, curanda sit. Sicut etiam S. Petrus, Dam. epist. 114. ad Maurinum. Inuehitur in eos, qui in monasterijs, sine necessitate, medicinalis industria, ea super-*

XIX.  
Secunda.

flué vtuntur. Quod luculente & lepide describit, cum tamen usum fuisse medicis, clare constet, ex lib. 6. epist. 19. quæ aliàs, in priorè editiõne, est 107. ad Rodolphum, & Aripandum. ¶ Vel etiam procedere de maiori, & absoluta perfectione, ob quam, quis in frequentibus, quas patitur, infirmitatibus habitualibus, patientiæ sacrificium vult offerre Deo; quod maxime eos decet, qui se per Monachatum, mortificationibus deuouerunt, ut pote ad maiorem sanctimoniam & puritatem status conducent. Quo pacto loquutus videtur D. BERNARDVS, & plura ex adductis exemplis eorum, qui attentè maiori vitæ merito, medicamentorum leuamen voluntarij non admitterunt. Quod & cum cautione, quam infra dicam, accipiendum est.

Cum eo tamen stat, quod ex præcepto REGVLÆ, (quod est meum propositum,) non sit tanta perfectio. Nam etiã abstinere à vino, ait S. Pater Cap. 40. esse proprium Monachorum, scilicet maiori perfectioni & austeritati addictorum; & tamen vinum eis concedit. Similiter, cap. 49. ait: *Monachi vitam, omni tempore, quadragesimæ obseruatione debere habere.* Ad maiorem scilicet puritatem & perfectionem, nihilominus, quia paucorum est ista virtus, distinctio nem illam non iniungit. Sic in presenti, quamquam seueritas illa, & puritas, quam consuluit, & obseruauit D. BERNARDVS, alijque, de quibus adducta sũt exempla, maior virtus sit, maiorque perfectio, cum virtus in infirmitate perficiatur, sitque amplior promerendi occasio, at REGVLA, id non præcipit, etiam si voluntarium obsequium, & sacrificiũ cuiusque admittat; sed condescendens, medicamenta, adiumenta que medicorum salutem corporali necessaria, infirmis permittit; & quantum ad superiores præcipit, ut quoties expedierit, offerantur, hoc est promptè, & libenter dentur.

In quo vtrumque Santiss. Patrem ve Pro Regula neror, & Bernardum de tam eximia per confirmatio perfectione laudo, & Benedictum de tam ne prima ratio.

Tertia.

XIII.  
Resolutio  
iuxta Reg.  
pro medici-  
na.

XV.

discreta ordinatione defendo, & apologiam sequentibus adiumentis sustulcio. Primo: Quia condebat legem pluribus, quorum non omnium ea virtus animi, illud corporis robur, vt ab omni curationis, per applicatas medicinas, leuamine prohiberentur: & oportuit, quantum fas erat, omnibus attemperrari, vt & imbeciliores communem vitæ cursum mitius transigerent; & validioribus, ad illud sublimius perfectionis, per patientiæ culmen, maiori corporis & salutis, intra iustos terminos, laudabili abnegatione, aspirare liceret. Sic enim mediocritas, in omni re humana, beator & amplectibilior, & quæ ipsam semper comitatur discretionem, quam, *Aurigam virtutum, ordinatricem affectuum, & morum doctricem* appellat D. Bernard. ser. 49. in Cant.

XVI.  
Confirmatio  
secunda ex  
S. Script.

Secundo: Quia sacra pagina plurimum fauet huic parti, præcipue Ecclesiastici, capit. 38. vbi ait: *Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creauit Altissimus, a Deo enim est omnis medicina, &c.* Quia scilicet ait Cornel. Iansenius, ibi: *Deus voluit esse Medicos, quos ordinauit ad communem hominum utilitatem, & indicat medicam scientiam esse, ex Dei voluntate, institutione, & cooperatione, & rursus, eod. c. Altissimus creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam: vbi pro, medicina Græce, ponitur Pharmaca.* Vnde tam ars, quam portiones & medicamenta approbantur, sub Dei, scilicet, præcipua confidentia & auxilio. Et postquam iubet, prius & principaliter orare Deum, & auerti a delicto, & mundare cor, & Deo facere oblationes, quando quis infirmitate corripitur; protinus subdit, tamquam non omittendum in morbo saltè graui & periculoso (vt bene notat Iansenius, & da locum Medico, etenim illum Dominus creauit, & non discedat a te, quia opera eius sunt necessaria, &c.

XVII.  
Confirmatio  
tertia ex au  
thoritate.

Tertio: Quia hoc BENEDICTI propositum & institutum, tuetur autoritas D. Augustini in Regula, ibi expresse: *Medicus consulatur, & amplius disputando*

pluribus, D. Basilius in Reg. *susior. 55.* vbi inter alia, post appositas congruentes, & necessariò admittendas similitudines, in Coquinaria arte, aut panificio, aut textura, quibus aliqui ad luxum abutuntur, infert: *Sic igitur in medicina, haud quaquam rectè fieri ratio docet, si prætere a quòd sint, qui illa viuunt vitiose, eius datum munus diuinitus, nobis in crimen vocetur.* Quod cõfirmat moderationem tenendam, sup. nu. 10. insinuatam, & cum ipsa admissam est cõmuniter & omnino conformiter ad REGVLAM.

Quarto: Quia superiorum explorum doctrina, adducta n. 12. adhuc ita est temperanda, vt in grauioribus, & periculosis morbis, non sit integrum contemnere remedia & medicamenta, quasi sperando, vt solù a Deo sibi sanitas cõferatur. Nam si quis destinaret cibum non sumere, humana diligentia procuratum, sed solù a Deo oblatum sibi, in illam temeritatè iret, quæ damnatur, cù aliis indiscretionis exēplis, in *Vitis-parru, 3. par. c. 41. 42. & 43.* essetq; Deum tentare, iuxta doctrinam D. Tho. 2. 2. q. 97. ar. 1. vbi, ad 3. ad verba S. Agathæ respondet, vt liberet eam ab hac nota, ex experimento diuinæ beneuolentiæ esse loquitur. Vbi Card. Caietanus etiam si dicat, licere respuere medicinam, ratione spiritalis profectus, idque intra limites rationalis obsequii, nõ esse tentare Deum, sed semetipsum offerre hostiam viuentem: tamen exempla, non in lethaliibus morbis, sed in habitualibus indispositionibus, aut vlceribus, ponit, quibus, veluti instrumentis vtuntur, ad subiectionem carnis. Quare licet non teneatur quis, prologare vitam, vtendo optimis & delicatissimis alimentis, vt resoluit Thom. Sanchez, tom. 2. consil. lib. 5. c. 1. dub. 3. n. 6. cum pluribus, quos citat: tamen si quis ea intentione ieiunet, vel abstineat nimium, (quod idem est, si deneget sibi requisita remedia) vt vitam breuiet, cum suæ vitæ Dominus non sit, peccaret mortaliter. Vt cum Victoria, Ledesma, Caietano & alijs, censet idẽ, ibidem, num. 9. referens ad hoc adductum

XVIII.  
Ancidorum  
ad adducta  
in contrarii  
Medicine.

Etum Hieronymum à D. Thoma, 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 1. ad 2. dicentem: *Non differt, utrum paruo, vel magno tempore te interimas.* Et ita respuere medicinã, solum licitum & meritorium iudicat in aliquibus morbis, & doloribus non afferentibus periculum mortis, iuxta doctrinam Caietani citati, & Nauarri in summa, *cap.* 1. *num.* 41.

## XIX.

*Carnium esus, infirmis*  
*es.*

Proceditur in Regulæ textu sic: *Sed & carniuum esus, infirmis omnino, debilibusque, pro reparatione, concedatur.* Id est infirmis absolutè, debilibus, quantum eorum reparatio exposcit. Atque statim addit: *At ubi meliorati fuerint, scilicet à morbo & debilitate, à carnibus more solito abstineant.* Morem solitum iterat *cap.* 39. dicens. *Carnium vero quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & agrotos.* Nota, ut ex REGULA liceat esus carniuum, satis esse, ut vel morbo detentus sit, vel sola debilitate affectus, nec esse opus, concurrat utrumque, sic teneo cum Card. Turrecremata. Nota etiam quadrupedum prohibitione, omne genus carniuum intelligi, de quo satis ibi esse, pro commentario, posset lectio, quam insinuat Declaratio Camaldulensis, scilicet: *Carnium vero etiã quadrupedum: &c.* Sed adhuc aliã lectione (quæ communis est) retenta, pro comentario esse possunt ea, quæ adducit Antonius Yepes, *tom.* 3. *chronica ad annum 777.* & Episcopus Vrgel. ad *cap.* 39. ut ex Regula, volatilia abigi, & prohiberi, dubium non sit, non obstãte S. Hildegardis dicto, quod *quia ea retinuit, non satis interdixit,* reuincetur enim ratione statim subiungenda: & reuincitur, tum ab Authoribus qui contrarium docent, tum à consuetudine abstinenti pariter ab illis, quæ legem efficaciter interpretata est, & vim legis habet & præcepti, sicut de carnibus animalium: & absolute, ex Fructuoso, profert decretum, *Cap. Carn. 32. de Consec. dist.* 5.

## XX.

*Confirmatur de illis.*

Hanc prohibitionem carniuum, comprehendentem volatilia, etiam quadrupedum nomine, ante S. BENEDICTVM,

tuetur Iacobus Breul circa *lib.* 5. *chron. Cassinensis c.* 10. in scholijs ad priuilegium Ludouici & Lotharij, ad ea verba *volatilia cum omis, &c.* Et probat ex Hieronymo, *Epist.* 9. ad *Saluinam,* ubi tandem de carnibus loquens, ait: *Non hæc pedum numero, sed suauitate gustus iudicantur.* Et ex Prospero Aquitanico, qui obiit anno 446. in eius vita apud Surium, *tom.* 3. *die 25. Iulij.* Sed tamen dum prædictus Breul contendit ex REGULA, non solum volatilia, sed etiam oua ablegari, excedit. Sicut pariter Fr. Bernardus Gutierrez in Compendio priuilegiorum nostræ Observantiæ, verbo *Carnium esus,* vult ex prohibitione carnis per REGULAM, etiam quæ sementinam originem trahunt à carne, ut oua & lacticia, prohibita esse, iuxta, *Cap. denique 4. dist. & cap. Presbiter, 83. dist. & alia,* quæ doctè & obseruanter adiungit. Tamen uterque, licet à fortiori, probent, quoad volatilia, in prohibitione carniuum comprehendendi, ut probabimus; at quoad oua & lacticia, nullatenus admittendum est.

Et quantum ad hoc suffragatur omnino consuetudo, quæ omnibus circũstantijs & immemorialitate viget. Itè autoritas plurium, quibus accedit S. Hildegardis, ad *c.* 39. dicens: *de piscibus, caseo & ouis, hæc pius Pater non nominauit, quia præsciuit, quod monachi ab his se non abstinerent, ideo hæc nõ interdixit, &c.* Et generaliter probatur contra supradictos. Quia oua & lacticia, carnes non sunt, neque nomine carniuum prohibentur in iure, quod probat Stephanus Fagundez, *tract. de 5. præcept. Eccl. 4. par. lib. 2. num.* 10. cum plurimis quos ipse citat, & non solum ipse, qui in concessione Ouorum largus fuit, in *1. præcept. lib. 1. cap. 2. num.* 12. Sed alij plures, qui intra strictiores metas se continent, in quibus, post eum, est Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ cruciatæ, *disp.* 1. *ca.* 5. *dub.* 14. ubi prædictum Fagundez, in eo quod excessit, benè impugnat, & similiter impugnatur à Diana, *3. p. tract. 6. Miscell. resol.* 80. Atque ad supra adductos Canones dicen-

*Non comprehendit oua aut lacticia.*

*XXI. Probatur de illis auctoritate.*

*HVX*

dicendum est, idè ex illis, tempore. Quadragesimæ, (de quo primus loquitur) & in casu poenitentia inuncte cuidam Presbitero, de ieiunio propter peccatum (de quo loquitur secundus) cœseri oua & lacticia prohibita, quia ita expresse declaratur, & id necessariū fuisse, quia aliās, lacte & ouis nō expresse positus, nō intelligerētur vetari, obseruat cum Azor prædictus Fagundez.

XXII.  
Probat 2.  
ratione ge-  
nerali.

Quod si nec iure communi, nomine carnis, illa intelligatur absolute, quāto minus in REGVLÆ, nomine quadrupedū? Sed adiungo rationem quæ ad lac & oua admitenda, & ad volatilia excludenda, deseruiat. Nā in odiosis, maioribus negatis, in quibus maior negandi ratio est, nō censentur negata minora; sic autē se habent carnes respectu ouorum & lacticiniorū, ergo ex negatione illarum, non infertur negatio horum; nisi expresse negetur. Nunc ē cōtrario sume rationem, ad volatilia. Nam hæc reputantur quid maius, quā caro quadrupedum; igitur sicut in materia abstinentiæ, cui non licent oua, aut lacticia, ex rei natura, nec carnes licent, quia minori negato in his, a fortiori & maiora negata esse cœsentur, ita cui nō licent quadrupeda, nec volatilia libebunt. Perperam enim negaretur arietina, aut bobina caro, cui gallinæ & phasides essent concedendæ libere.

XXIII.  
Difficultas  
de cibis Sab-  
batinis.

Maior autem difficultas est, ut omnia vsque ad vltimum expendam, de vsu apud Congregationem nostram Hispaniæ, in Regnis Castellæ, &c. comedendi intestina, & extremitates animalium, lardumque, quæ omnia appellamus vulgo, *Grossura*, in illis diebus in quibus caro non comeditur, quam ex privilegio, ter in hebdomada, edimus, ad prandium tantum. Cum autem hæc limitatio comedendi, ter in hebdomada & semel in die, sit extensio & dispensatio REGVLÆ, neque ex illa, neque ex privilegio apparet, vnde possit defendi comestio illorum ciborum, reluctante Regula, & non concedente Pontifice. Quod si dicat aliquis, eas escas non esse proprie carnes; certe

dictum non est nouum, sed quod non est passus D. Petrus Damianus, qui *Epist. 107. ad Rodolphum & Aripandum*, exemplam refert Monachi, ea opinione decepti, inter alia inquit: *Verrinus interea callus apponitur, & hoc non esse carnem, ac per hoc irreprehensibiliter comedi posse, vecors Monachus fallaciter, adhortantium lenocinio, suadetur.* Sicubi tamen, ea loquutio vsurpari posset, in Castellæ Regnis locum haberet; in quibus ita distinguitur à carnibus illud ciborum genus, ut cum carnes prohibita sint Sabbatis, in eis tamen licitum est illud genus escarum, *Grossura* vocatum, ita ut quid distinctum censeatur à carnibus, quibus aliis diebus, excepta sexta feria, vescitur populus. Quod quoad diem Sabbati, in populo vniuersaliter introductum, & licitum nulli dubium esse potest, & ab omnibus Authoribus admisum in Regnis prædictis.

Agetur ex  
Petr. Dam.

Mos Castellæ, &c.

VXX  
as rursus  
de cibus  
rursus

XXIII.  
ij cibi non  
sunt iuxta  
Regulam.

Mihi autem in hac re, duo certa videntur. Vnū est, huiusmodi cibos quos Sabbatinos vocamus, nequaquam esse secundum REGVLAM, quia reuera caro sunt, quæ in illa, ut visum est, sanis & valentibus prohibetur, Capitis enim arietis, suis ve ossa, eiusdem rationis est proprie; ac reliquarum partium, sola differentia ad rem valde accidentalī. Atque ita intellectum ab alijs Congregationibus aliarum Prouintiarum, etiā intra Hispaniam, ut Nauarræ, &c. & ita obseruatum, cum quibus in hoc conformari optabilius, & pro REGVLÆ puritate aptius, semper pronuntiabo. Neque sola consuetudo populi aut secularium laicorum transit ad Clericum, aut Cleri excusat Religiosum. Nam diuersi status hominum, diuersis statutis & consuetudinibus tenentur. Vnde introducta consuetudo, v.g. ieiunij, aut alterius rei, inter seculares populi, vbi residet Monasterium, non censetur introducta inter Religiosos illius, ut in simili cum alijs, docet Thomas Sanchez, tom. 2. consil. lib. 5. capit. 1. dub. 3. & Diana, 5. par. tract. 14. Resol. 13. (licet de diebus festis

Quæ consue-  
tudo non in-  
uat.

alia sit ratio propter dispositionē Concilij Trid. *sess. 25. de reformat. cap. 12. vt Sanchez, ipse notat*) & de ieiunijs & abstinentiis, iam generali omnium cōsuetudine acceptis, excipit cum Azorio Fagundez, *in 4. Eccl. præc. capit. 7. n. 3.* Tamē illud præcipuē dicendū est, in his quæ contra propriam REGVLAM sunt, aut circa proprium statutū Regulare, ad quod nulla laicorū cōsuetudo trahenda est in argumentum; sed requiritur adhuc propria, per ipsos Religiosos admissa in Conuentu & introducta legitimē, cui standum est.

## XXV.

*Saluatur ea  
comestio, ob  
cōsuetudinē.*

Alterum certū est; prout hodie est in vsu nostræ Castellæ ea ciborū comestio, eā peccati damnari nō debere, sed tuta cōscientia fieri, ita vt vlcens illis escis, transgressor REGVLÆ, carnes prohibentis sub culpa nō habeatur. Quod tamen, si quis in principio secus fuisse affirmet, eū certō reuincere non audebo, cum ignorē quo pacto incepta sit cōsuetudo, quæ iā licita prorsus est. Fortē generalissima illa cōsuetudo Castellæ, Sabbathis comedēdi eos cibos, iuuit multū, vt quod contra Ecclesiasticā dispositionē ea cōsuetudo inuexerat, eādē in Monachis eiusdē Regni induceret; siue penuria piscationum, & difficultas piscium maris, in partibus ab eo adeo distantibus, siue alia fuerit causa. Fortē etiā in eo aliqua interpretatio ad fuit, aut cōcessa cōfirmatio pro populo, Clero, & Religioso statu: nā rationalē considerationē defuisse, credendū non est, vbi & obseruatiæ desiderium, & obseruantium studium adfuisse, negari non debet. Et quidē a consensu Pōtificis incepisse eam Sabbatinā comestionem ad annū Christi 762. indicat Claudius Clemens, *in Tabula Cronologica, de rebus Ecclesiast. Hispaniæ.* Quo tempore sedebat Paulus I. & in eadē, anno 1207. rursus a tempore belli Nauas de Tolosa, cōsuetudinis ipsius Hispaniæ principium trahi ab aliquibus notat ipse Author. Quæ varietas ignorantia incerte confirmat. Quomodocumque autem res sit, ea cōsuetudinis vis est, vt talē effectum habere queat, sicut

in laicis, contra legem Ecclesiæ; ita in Religiosis, contra legem REGVLÆ. Si tempus legitimum & aliæ circumstantiæ, ad efficaciam cōsuetudinis interfint, vt in præsentī casu. Confirmarique potest ex ijs, quæ de vsu licito lardi, aut sagiminis, in quadagesima, apud Siciliam & alias prouincias, ob cōsuetudinem, adducit Diana, *1. par. tract. de ieiunio, Resol. 22. &c.*

Restat nunc disquirere, qualiter peccet Monachus transgrediendo præceptum quod remanet, seclusa dispensatione, aut indulto, de non comedendis carnibus? Et sentio solum esse veniale peccatum, vt sic. Ita quidem semper accepimus, & estimamus hanc abstinentiam à Monacho rigide custodiendam, & transgressionem asperè reprimendam: sed non sub maiore cōscientiæ onere obligare illum, vt tenet D. Thom. *quod lib. 1. q. 20.* & cum eo resoluit Card. Turre-crem. Episcopus Vrgell. Syluester, & generaliter omnes, qui de hoc agunt.

At Bartholomeus à Sancto Fausto, Fulliensis, *in Thesaurō Religiosorū, lib. 6. q. 149.* licet in eadem sit sententia, addit, peccare mortaliter Monachum sine causa comedentem carnes, quarum commestione fratres scandalizantur, quia solet esse causa, vt regularis disciplina tepescat. Sic ille. Sed ex generali doctrina, ingerit peculiarem scrupulum sine necessitate. Nam cuiuscumq; obseruantia transgressio, in Religione, si à tali persona, & talibus circumstantijs fiat, vt notabile nocumentum inducat in Regulæ obseruatione, alios suæ professionis ad relaxationem, suo scādalo, faciles reddendo; utiq; ad gravitatē culpæ peruenire posse, certum est. Itaque non est hoc peculiare in carniū esu, neque ad id est necesse, vt talis, suo exēplo scādalicet, sed satis erit, si quāuis ipse abstinens sit, videns alios, qui sibi curæ sunt, passim talia libito infringere, non cohibeat; nam & ruina illius notabilis, in regulari obseruantia, grauitè tenebitur reus. De quo tetigi, & obseruaui quod oportet,

## XXVI.

*Esus carniū  
vt sic ex Re-  
gul. venialis  
est.*

## XXVIII.

*Scrupulum  
ingerit Fas-  
tus Author.*

*Sed eximi-  
tur & decla-  
ratur.*

*sup.*

*sup. in Introd. art. II. num. I. cum seqq.*  
 At in resoluendo nostro casu, sine necessitate recurritur ad prædictum. Nā Monachus priuatus, qui alium similem videt comedentem carnes, sua solum gula oblectatione ductum, scitq; non nisi venialiter illum delinquere, cur tantopere scandalizetur, vt reddat mortalem eam comestionem? Nec enim si ad eam inuitet, plusquam veniali noxā inuitet. Nec ad conscientiam, doceri oportet aliud, quam quod vera præcisa obligatio vrget. Quod si ab vtroque lethalis culpa reputatur, neuter carnes māducaret in æternum; talis tamen à nullo reputatur ex se, etiā si & à veniali, debeat vir Religiosus abhorrere omninò.

bandum locum D. BERNARDI, lib. de interiori domo, capit. 56. vbi ait: *Suadent mihi sanguinem minuere, vt possim pau- sare, & lautiores cibos sumere, &c.* Quare apud nostros ea antiqua dispositio, circa minutionē & minutos, ab- olita est omnino. Sed & moderata fuit aliquando apud Floriacensis Monaste- rij Monachos, vt ex eius Bibliotheca, lib. de veteribus consuetudinibus, capit. 1. constat, vbi inter alia sic: *Nullus san- guine minuetur in Quadragesima, vs- que Pascha, nisi cui in capitulo petita ve- nia concedatur.* Prohiberi autem eo tempore, non ob aliud est, nisi quia tē- pus pœnitentiale, minus ijs delicatio- ribus curationibus vacare debeat, imò & ad id, Monacho, omne tempus pœ- nitentiale debet esse. Atque de prædi- cta minutione apud antiquos, sed B. BENEDICTO recentiores, & diuersi insti- tuti Regulares, frequēs mentio est. His autem etiam adiungenda sunt, quæ de *Balneis*, diximus, sup. num. 8. & similia ad intentum.

XXVIII.  
 Moderatio  
 tenenda in  
 permissioni-  
 bus Regulæ,  
 ac alijs vsu-  
 bus.

Esse autem vtendum moderatè ipsis indulgentijs, & dispensationibus, quas admittit REGVLÆ, siue in esu car- nium, siue in curatione infirmorū, ani- maduertunt tacitè duo canones Con- cilij Aquisgran. Nam cum cap. sequen- ti, cum pueris relaxet distinctionem ipsa Regula, tamen Can. 37. statuit, vt *infantes oblatis, carnem non, nisi causa infirmitatis, manducant.* Atque de cura- tione, Can. II. *vt certum phlebotomia tēpus non obseruent, sed vnicuique secū- dum quod necessitas postulat, cōcedatur.* Quæ videtur taxatio moris, cuius, mul- to post tempore, inuenitur memoria, in antiquissimo lib. Vsum Cisterciēs. cap. 90. de minutione, & alibi vbi, qui- bus anni temporibus, minui debeant Monachi disponit, & quod regimen, circa minutos, habendum esset. Datur- que intelligi, licet initio ad mortifica- tionem essent (vt in Exord. Cist. lib. 2. c. 30.) hæ phlebotomiæ seu minutionis curationes, tamē postea etiam sine nec- cessitate actuali fieri, & solum ad præ- seruationem. Quam adeo prouidam & anticipatam medelam, delicatiorem reputat præfata Synodus, quæ tota fe- re Monachalis fuit, vt licet non inde præceptum, saltem documētum capia- mus, non abutendum permissionibus misericordibus, eas ad superuacuos, & non necessarios casus extendendo. In- uenioque, ad illud de minutione pro-

Minutionis  
 vsus.

XXIX.  
 Addam tamen pro nostris, quibus *Amplius de*  
 iuxta morem Regnorum Castellæ a- *serui licitum vsum earū escarū, quæ modo in Reli-*  
 Grossura dicuntur & Sabbatis come- *giosa Obser-*  
 dit populus, vt recolant, quæ de con- *uatiā tenēdo*  
 suetudine laicorū, vt sic, nō iuante Re *ATOM*  
 ligiosos dixi, nu. 24. nisi quid noui abu- *licet*  
 sus & licentia seculariū perperā extē- *quæ*  
 dit, existiment statim licere Religiosis, *quæ*  
 quādiu per ipsos in Religione non est *quæ*  
 rite introducta consuetudo. Ob id nus- *quæ*  
 quā in delatis mihi illius Regni Præla- *quæ*  
 turis, permiffi practicari vsū seculariū, *quæ*  
 qui extremitates animalium nouiter & *quæ*  
 licentiosè videntur extendisse in ci- *quæ*  
 bos Sabbati, post caput etiā ad collū, & *quæ*  
 vsq; ad armos, quo iā armorū confinio *quæ*  
 haud prorsus illeffo, toti arieti timen- *quæ*  
 dum sit. In quo tamen iam ipsum po- *quæ*  
 pulum excedentem, Superiori autho- *quæ*  
 ritate coercitum audio. Sed adhuc so- *quæ*  
 lū in populo prævalente cōsuetudine, *quæ*  
 quādiu peculiariter in ipsa Religione *quæ*  
 non præualet, neque Regulæ præceptū *quæ*  
 neque subinde Ecclesiæ id patitur. De- *quæ*  
 inde ipsa decencia reclamatur, ex qua re- *quæ*  
 laxatio secularium etiam licita, non

statim expedit communicari Religio-  
fis.

XXX

Hoc fanè expressè docuit Apосто-  
lus, 1. Corint. 6. & D. BERNARDVS, lib. 3.  
de Consid. cap. 4. dicens: *Et si constet in  
Christiana vtrique Philosophia, nō decere  
nisi quod licet, nō expedire, nisi quod de-  
cet & licet, nō cōtinuo tamē omne quod  
licet, decere, aut expedire, consequens  
erit, &c.* Quapropter similiter non  
sum passus, Dominicis Quadragesimæ  
vesci ouis, aut lacticijs, neque in Cō-  
uentu, neque in mensa priuata mea,  
dum Abbas essem, quidquid sit de pro-  
babilitate opinionis. Quæ tamen non

Nō satis est  
licere.

adeo firma est, quin, inter contrarium  
sentientes non paucos, numerentur  
Ioannes Sancius, in *select. disputat.* 55.  
num. 25. & Diana, 3. par. tract. 6. Resol.  
80. etiam si benignissimam resolutio-  
nem casuum profiteantur. Ob id etiam  
aliquando repuli instantē in Cōuentu  
Monachū, vt ei in ieiunijs cænandi co-  
piam facerē, allegata opinione eorum,  
qui sexagenarium ab obligatione ieiun-  
nandi excusant. Nempe id solum, eo  
admisso, restabat; vt sic in Monaste-  
rio viueretur ex opinionibus, sicut  
generaliter expendo in LACINIA,  
*Segmento 8. num. 9.*

De Senibus vel Infantibus.

CAPIT. XXXVII.

TEXTVS.



**I** CET ipsa natura humana trahatur ad misericordiam, in  
his ætatibus, senum videlicet & infantum; tamen & Re-  
gula authoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis  
imbecillitas, & nullatenus eis districtio Regula teneatur in  
alimentis, sed sit in eis pia consideratio, & præueniant Horas Canonicas.

NOTÆ.

I.  
Lustratur  
& explicatur  
textus.

**H**IC Sanctiss. PATER discretum  
REGULÆ suæ moderamen inter-  
ponit, vt ipsa, cum prædictis ætati-  
bus, pietas naturalis, humanaque con-  
sideratio non desit. Atque non solum  
intelligatur, rationabilem istam con-  
descensionem non esse Regulæ laxa-  
mentum, transgressionem ve; sed po-  
tius eius etiam authoritate caueri. Et  
ita expressè exprimit. *Vt nullatenus  
districtio Regulæ teneatur in alimentis.*  
Quod exponendum videtur de quali-  
tate, vt sicut in capit. præcedenti de-  
bilibus concessit esum carniū, ex-  
hinc computanda sit inter eos imbe-  
cillitas senum & infantum. Nam de  
quantitate potius minuendam esse pue-  
ris, iubet infra capit. 37. inquit: *Pue-  
ris vero minori ætate, non eadem serue-  
tur quantitas, sed minor quam maiori-  
bus, &c.* Insuper de hora refectionis

ait, quod præueniant Horas Canonicas,  
scilicet, vt non expectent solitum tem-  
pus Conuentualis prandij; quod tunc,  
vel ad Nonam, vel etiam ad vesperam,  
dilatatum (vt cap. 41. dicitur) molestum  
illis ætatibus & importabile esset. Pro-  
uidet autem hic indulgentiam pueris,  
quibus sup. cap. 30. correptionem pari-  
ter parauit; nempe vtrumque necessa-  
rium in educatione infantia & pueri-  
tia, de qua digressionē adornauit eru-  
ditam. Claudius Espencæus in *Epist.* 2.  
ad *Timoth.* digress. 18.

Nunc autem nostra ætate femora  
iam infantum receptione, horaque  
prandij ad mitiores terminos redu-  
cta, atque esu carniū aliquantulum dis-  
pensato, quod superest ex hoc Cap.  
est, vt proportionem seruata, seniorum  
ætati, debeat per prudentiam, REGV-  
LÆ authoritate firmatam, decenter

II.  
Quæ hinc  
obligatio.

Senum im-  
munitas.

confuli; quæ non inducit aliud præcep-  
tum, quam quod ex humanæ commi-  
serationis, charitatis, vel iustitiæ erga  
senes, naturali vel diuina lege procedit,  
prout in prima CLASSI explicatur in  
*intrad. art. 6.* Videtur vero in hoc  
cap. esse fundamentum ad constituendum  
senibus multa ætate prouectis, post  
plures annos in Religione exactos,  
aliquas immunitates vel exemptiones;  
quibus, tametsi ab actuali militia  
Religionis, numquam emeritus esse  
possit Religiosus, sit tamen ab aliquibus  
rigoribus feriatas, similitudine qua

dam antiquæ & emeritæ Militiæ. De  
quo plura tibi dabit Iustus Lipsius ad  
*Tacitum*, Alexander ab Alex. *dierum*  
*gen. lib. 6. capit. 22.* & ibi Tiraquellus,  
Godescalcus, Steuuechius in *Com-  
ment. Vegetij de re Milit. lib. 2. capit. 23.*  
Tamen saniozem exhortationem, pro  
senibus, exhibet Card. Petr. Damianus,  
*opusc. 13. capit. 23.* nedum magis  
ad vitæ consummationem appropiant,  
longius à virtutis perfectione rece-  
dant. Tamen districtiorem Regulæ cū  
ipsis non seruari, REGVLAM seruare est.

De Hebdomadario Lectore.

CAPIT. XXXVIII.

TEXTVS.

**M**ENSÆ Fratrum edentium, lectio deesse non debet. Nec for-  
tuito casu, qui arripuerit codicem, legere audeat ibi, sed lecturus  
tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens, post  
Missas, & communionem, petat ab omnibus pro se orari, ut auertat ab eo  
Deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus in Oratorio tertio ab omni-  
bus, ipso tamen incipiente: Domine labia mea aperies, & os meum an-  
nuntiabit laudem tuam. Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad le-  
gendum. Summumque fiat silentium ad mensam, ut nullius musitatio,  
vel vox, nisi solius legentis ibi audiatur. Quæ vero necessaria sunt co-  
medentibus & bibentibus, sic sibi inuicem ministrent Fratres, ut nullus  
indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscumque sig-  
ni potius petatur, quam voce. Nec præsumat ibi aliquis, de ipsa lectione,  
aut aliunde quidquam requirere, ne detur occasio; nisi forte Prior, pro ædi-  
ficatione voluerit aliquid breuiter dicere. Frater autem hebdomadarius  
accipiat mixtum, priusquam incipiat legere, propter communionem san-  
ctam, & ne forte graue sit ei, ieiunium sustinere. Postea autem, cum Co-  
quina hebdomadarijs, & seruatoribus reficiat. Fratres autem non per or-  
dinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes.

NOTÆ.

I.  
Lectio ad  
mensam I.

**P**LVRA sunt in hoc Cap. omnino  
ad formam expressam à Cassiano,  
*lib. 4. instit. cap. 17.* & *lib. 5. cap. 20.* qui  
ea ab antiquioribus Cappadocibus, &  
etiam Tabennensiotis, accepta refert;  
& ferè semper obseruata, de quibus si-  
gillatim est dicendū. In primis statuit,

quod mensis fratrum edentium lectio de-  
esse non debet, &c. & ita reor vbique  
seruari ad primam mensam, nec de  
alia loquitur REGVLA, cum vnum tan-  
tum lectorem designet, ipsumq; ad se-  
cundam mensam, cū Coquina hebdoma-  
darijs & seruatoribus refici iubeat hic.

Benedictio  
Lectoris.

Licet Concilium Aquisgranense, *Can.* 28. disposuerit: *vt seruitoribus eadem lectio quæ fratribus recitata est, recitetur.* Quod laudabile, sed ad Regulam additam ex proprio, vt alia illius Prouincialis Concilij. Aliqua vero de mensē lectore, monet Card. Petr. Damianus, *opus. 13. capit. 18.* & in illis, vt nō curet vanē, *quid de lectore dici, sed quid de lectione possit intelligi, &c.* Atque ob id ait, *opus. 11. capit. 2.* peti benedictionem illis verbis: *Iube Domne benedicere,* scilicet, quia *lecturus magnæ humilitatis gratia, non a sacerdote, sed ab eo cui sacerdos iusserit, se postulat benedici:* & iterum idem, *capit. 18.* ex quo notauit locum Aloisius Nouarinus, *lib. 1. Electorum sacror. num. 362.* Sed & textus præfens, benedictionem, quam in Ecclesia accipiendā, pro tota hebdomada, præscribit, etiam vt *auferat ab eo spiritum elationis,* indicit. Tantus ne vanegloriæ, in legente timor? Ab hoc se liberant plures, qui sic legunt, vt rubori potius timeri possit. Quare non abs re, addere hic Camaldulenses, & *spiritum ignorantia.*

II.  
Notabilia  
ad vtrūque.

1. Itaque sic sequitur: *Lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur, &c.* In quibus nota. Primò: Hanc benedictionem die Dominica in Ecclesia accipiendam, non tollere eam, quæ quolibet die, in refectorio petitur, sub *Domne iube benedicere.* Secundò: Quod sicut hæc benedictio, non perficitur alio quàm deprecatione, quæ adiungitur à Præsidente, illa de qua dicit, *accepta benedictione ingrediatur.* Solūm est oratio ipsa deprecatoria, quæ profertur sicut de seruitoribus dictum est, *c. 35. num. 10.* Tertio: Quod etiam si hic tantūm dicat, *petat ab omnibus pro se orari.* Nec adijciat quod ibi: *Omnium genibus obuoluantur,* vtroque eadem supplicatio præscribitur, humili inclinatione, & repetitione versiculi peragenda. Quarto: Quod (inter aliquos) hæc benedictio non sumitur post *Missas, & communionem,* quæ in Dominica est ad Missam maiorem, sed ad Matutinalem, quæ dicitur post Primam. For-

tē tunc duplex Missa Conuentualis nō erat, & ita de solita determinauit, & parum refert vtra Missa id fiat, vnde ad Matutinalem est translata in nostris vsibus, cum sufficienti autoritate ad id & similia, ex priuilegijs Eugenij III. *tom. 2. priuil. 7. 8. & 10.* Alibi ad Missam maiorem retinetur, & benè expressiusque in Regula. Quintò: Quod etiam illud, *fratres non per ordinem legant aut cantent, sed qui adificent audientes.* Similiter alteratum est ex parte, cum omnes per suum ordinem & feriem graduum legant. Sed in hoc nō disceditur à REGVLA, quæ tunc pro tāta puerorum, adolescentium, senum, artificumque varietate, necesse habuit animaduerti, vt excluderentur inepti, quorum hodie fere nullus est, qui instructus & præparatus, non queat Lectoris munus obire. Si quis tamen est, excluditur, cum quo REGVLÆ fati fit, ordinante id Abbate, vt *capit. 47. num. 9.*

Ex dictis colligitur aliquid de frequentatione Sacræ communionis inter Monachos. Nam dum Lector sumere debebat benedictionem, post *Missam, & communionem, Dominica,* in dicatur saltem Dominicis communicare. Sed & adiicit inferius de illo: *Accipiat mixtum, prius quàm incipiat legere, propter communionem sanctam, &c.* Ex quo infert Episcopus Vrgell. quotidianam communionem. Quia si propter eam, iubet sumi mixtum à Lectore, cum omnibus diebus hebdomadæ mixtet, videtur consequens, quod omnibus etiam communicaret. Et quidem si ea solūm ratio assignaretur, illatio erat conuincens. Sed addit incunctanter aliam, & quæ totalis etiam est, & adæquata pro simili mixto, in septimanarijs Coquinæ; & quæ in alijs diebus melius verificatur, scilicet, *ne forte graue sit ei ieiunium sustinere.* Nam ieiunium de Dominica die non dicitur, sicut de alijs: & quomodocūque hæc ratio adæquata est, propterquam solam id ordinauit, *cap. 35. dicens: Vt sine murmuratione & labore graui ser-*

5.

III.  
Cōmunio ex  
Regula non  
quotidiana.

A TOM

I  
la oisbo  
I ma

ser-

seruiant, &c. Quare hinc minus solide firmatur cotidiana communio fratrum qui Sacerdotes non sunt.

III.  
saltem Do-  
minicis die-  
bus.

Vnde generaliter, quantum ad communionem die Dominica, est indubitatum. Nec ad amplius extendit S. Hildegardis. *Ad mensam lecturus die Dominica communicabat.* Idemque intelligit, ex hoc Cap. Declaratorium Regulæ, pro Congregatione Camaldulensi, hoc cap. & Cassinensi cap. 46. idem nos Cistercienses, ex vetusta obseruatione retinemus, antiquissimo libro vsuum referente, vbi cap. 57. habetur. *Diebus Dominicis & festis, solent ire fratres ad communionem.* Et eodem modo apud monachos D. BENEDICTO antiquiores, fieri constat, ex Cassiano, lib. 3. instit. cap. 2. *exceptis Vesperinis, nocturnisque congregationibus, (ait) nulla apud eos per diem publica solemnitas, absque die Sabbati, vel Dominica celebratur, in quibus, hora tertia, sacrae communionis obtentu, conueniunt.* & collat. 23. cap. vltim. inquit: *Illam sacrosanctam mysteria, singulis Dominicis, ob remedium nostrarum agritudinum presumamus.* Idemque confirmatur, ex Collat. 7. cap. 29. & collat. 9. cap. 20. Neque ex REGVLÆ amplius, vel præceptum, vel determinatum habemus.

V.  
Quid de fre-  
quentiori?

De alia verò maiori vel minori frequentia communicandi, pro non-Sacerdotibus, à principio Ecclesiæ, & alijs seculis, olim quando etiam ad domos priuatas licebat deferre Eucharistiam, nitidis linteolis, etiam à foeminis sumendam opportunè, vt ex Dionisio Alex. Eusebio, Tertull. August. & alijs adducit Suarez, tom. contra Regem Angliæ, lib. 2. cap. 5. & de iudicio item quotidianæ communionis laicorum, his temporibus: à meo instituto alienum est, perquirere. Videat qui volet plura, & erudita. apud Stephanum Durant. lib. 2. de Ritibus Eccl. cap. 55. Suarez, tomo 3. in 3. p. disp. 69. sect. 4. Henrriquez, lib. 8. cap. 53. nouissime Paulum Sherlogum Hibernum, in Anteloquijs in Câr. Antel. 4. sect. 10. & II. Atque in fauorem maioris frequentiæ, quam rarita-

tis, in Sacrosancto, ac Deifico cibo sumendo, ipsum Concilium Trid. inclinatur, sess. 13. cap. 8. & sess. 22. cap. 6. post Ambrosium, lib. 4. de Sacram. cap. 5. & August. serm. 28, de verb. Dom. aliosque, quibus adstipulatur citatus Cassianus, lib. 6. cap. 8. & collat. 9. cap. 10. explicans illud orationis Dominicæ, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, & collat. 6. cap. 8.

Cum autem ex REGVLÆ, nullum sit de hoc expressum præceptum, sed solum coniectura dicta, aut traditio, stant dum est consuetudini, aut maximè constitutionibus cuiuscumque Congregationis; ex quibus pensanda est obligatio, de quibus dixi in *introduc. Art. 4. num. 3.* Sed insuper, ex iure consideranda est obligatio, propter Concilium Viennense, & inde *Clementinam*, *Ne in agro. S. sane, de statu monach.* Vbi mentis confessio, & communicatio, præcipitur Monachis. In quo M. Llamas, 2. part. summ. cap. 5. ad fin. ait obligare ad mortale, si ad sit culpæ lethalis conscientia, & cum Clementina loquatur de *sacra monachorum Nigrorum religione*, ipse Cisterciensis, eandem canonis obligationem ad Cistercienses extendit. Atque idem affirmat de Monialibus generaliter, propter Concilium Tridentinum, *Sess. 25. de Regul. cap. 10.* quod ordinat, vt saltem singulis mensibus confiteantur & communicent. At in utroque laudandus Zelus, sed excedit imponendo grauamen voluntarium, sub tanto onere sicut aliqui alij, quibus in eo non assentior.

Qua propter de *Clement.* quoscumque illa comprehendat Monachos, generaliter receptum esse, non obligare vllomodo ad mortale ex vi illius canonis, aio. Hoc tenet Nauarrus in Manuali latino, cap. 2. num. 9. quem contra se, & solum, citat prædictus Llamas, dicens scire se, illum pium virum, solum piam hanc existimare congruentiam, non præscripti necessitatem; sed sciat etiam idem tenere quam plures, vt Henrriquez, lib. 4. de Pœnit. cap. 4. num. 10. cum Soto, Caietano, Cano. & alijs.

VI.  
Qua obligatio ex iure monachis & monialibus?

VII.  
Clement. nõ ad mortale.

Emanuel Rodr. *tom. 1. quest. 62. art. 1.*  
 Suarez, *tom. 4. in 3. par. disp. 36. sect. 5.*  
*num. 7.* Reginald. *lib. 6. num. 107.* citato  
 Iacobo à Graphijs Benedictino, *lib. 1.*  
*decission. Aurearum, capit. 9. nu. 11.* &  
 nunc etiam citatis Villalobos, Grana-  
 dos, &c. Leander, *de Sacram. 1. par.*  
*tract. 5. disp. 3. quest. 48. & 50.* Quorum  
 nullus ultra venialem culpam exten-  
 dit; aliqui & citra illam, secluso con-  
 temptu. Quare in hoc minus benè re-  
 futatur Canus à Vazquez, cui, ut solet,  
 adheret Gaspar Hurtado, *tom. 1. disp. 7.*  
*de Pœnitentia difficul. 8.* nam & in hoc  
 praxis ipsius Religionis attendenda est.  
 Nec Concil. Trident.

Nec Concil.  
Trident.

## VIII.

In Clement.  
nō cōprehē-  
di Cisterciē-  
ses.

Adde autem prædictum nostrum  
 Authorem Mag. Llamas, etiam exce-  
 dere, in eo quod vellit, Cistercienses  
 ligari Constitutionibus Apostolicis, e-  
 ditis pro Monachis Nigris Benedicti-  
 nis; nisi ubi expresse constiterit exten-  
 sio ad eos, vel ad alios. Est enim sine  
 hoc addito, doctrina illa non sustinen-  
 da propter plura, quæ inde sequeren-  
 tur absurda in confusione iurium; sed  
 nec in nostro casu. Nam licet nomine  
*Benedictinorum* ut sic, veniant, adhuc  
 tantum in favorabilibus, intelligendi  
 Cistercienses, ut notavit Flavius Cher-  
 rubinus, *in Compēd. Bullar. tom. 1. con-*  
*stit. 7. Alexand. 6. Schol. 1.* At nomine  
*Monachorum Nigrorum*, cum quibus  
 expresse ea constitutio Clement. lo-  
 quitur, numquam Cistercienses intel-  
 liguntur, potius enim cēsentur exclu-  
 si; cum è contrario appellentur *Monachi*  
*Albi*, ea que nota Religionis Ni-

grorum, extensionem excludit, ut ait  
 Syluester, verbo *Lex. n. 20.* eodē vtes  
 exemplo. Sic ergo que de Dominica-  
 nis, Minoribus, Canonicis Regulari-  
 bus & alijs inferuntur in iure, siue sint  
 specialia indulta, siue peculiare ob-  
 servantiæ, quæ illis ut sic propriæ sunt,  
 ea Cisterciensibus non sunt adaptan-  
 da, aut è contra: adhuc enim, quantum  
 ad vim & effectum, retinent rationem  
 propriæ & peculiaris constitutionis,  
 etiam si ex incorporatione in iure, ma-  
 iorem firmitatem nanciscantur. Ut cū  
 Alphonso de Castro & Archidiac. ad-  
 ducit Ludouicus à Cruce super Bullā  
 Cruciatæ, *disp. 1. cap. 2. dub. 19.* Atque id  
 maximè in his quæ onerosa sunt; non  
 enim inde diuersæ Religioni sunt ne-  
 cessario imponenda; qua re observan-  
 tias specialiter iniunctas Monachis Ni-  
 gris, velle ad quoscumque alios ordi-  
 nes transferre, & eodē rigore obligare,  
 admittendum non est, cum odiosa re-  
 stringenda potius sint. Vnde ita non  
 extendi ad alios, tenet, citatis Soto, &  
 Nauarro, Manuel Rodr. *tom. 1. quest.*  
*62. ar. 1.* atque in nostro casu fauet Sua-  
 rez, *tom. 4. de Relig. lib. 1. capit. 11. num.*  
*3. & tract. 9. lib. 2. capit. 2. num. 12.* Quia  
 licet dicat, legem cōnuam pro Mo-  
 nachis factam, solum nominatis Ni-  
 gris, quia tunc non erant alij Monachi,  
 comprehendere alios, qui postmodum  
 cepere, quia id est proprium legis per-  
 petuæ; propter quam quod hoc etiam  
 suam patitur difficultatem, nam ex ap-  
 positione *Nigrorum*, constat alios di-  
 uersos esse Monachos, à quibus per il-  
 lam particulam, certos & proprios, de  
 quibus agebat separavit: adhuc salua  
 res est, in nostro casu; cū ante illam  
 Clement. iam Cistercienses essent. Ex  
 quo distinctè nominatis *Nigris*, speci-  
 ficam rationem illius Religionis res-  
 pexisse constat, non genericam. Qui-  
 bus superque consentit citatus P. Leā-  
 der, *ubi sup. q. 48.*

Id generali-  
ter declara-  
tur in iure.

Sicut ergo de Cōmunionē REGULA  
 non exprimit aliquod determinatum  
 præceptum, ita nec de Confessione Sa-  
 cramentali; licet eam similiter insinuet.

IX.  
Quid quo ad  
Confessionē  
ex Regula?

Et

Et ad minus frequentia illius, non solum intelligitur tempore communionis, quando conscientia criminis lethalis inficitur, quam probationem ex necessitate iniungit, & ostendit Paulus, 1. Cor. II. & Ecclesiis; sed alijs etiam temporibus; & in illis adhuc graui noxa non premente, suadet Religiosa disciplina, & Monastica puritas, non solum illius seculi primitiui tantæ religionis, sed & quæ ad nostra secula, etiam in vsu & exercitio Obseruantium Conuentuum, deducta est. Tamen quoad obligationem præcisam, dum ex REGVLÆ non extat, sicut de Communione dictum est, *num. præcedentibus 6. &c.* ita & de confessione eliciendum est, constitutionibus proprijs, & Apostolicis consultis; ex quibus suis cuique Congregationis modus.

Omittere autem non possum, vt hic rationem reddam eiusdem obligationis, quæ passim in Authoribus refertur, & eam in hac materia habere Cistercienses, scilicet quod singulis annis semel confitentur Abbati omnia peccata alias alijs confessa, ab vltima confessione, cum Prælati suis facta. Ita habetur inter Bullas Cistercij ex Sixto III. anno 1475. quæ incipit *Cura nostra*, & ab eodem, anno 1481. *licet Romanus*, & excussa sunt nostro, 1. *rom. priuil. 97. & 103.* inde Nauarrus accepit, in *cap. placuit, num. 118. de penit. d. 6.* & ex Nauarro, Reginaldus in *praxi penit. lib. 6. num. 109.* Ioannes Sanchez, in *selectis quest. disp. 3. num. 3. & disp. 12. num. 3.* & Suarez, & alij. Nouissimè que Ascarnius Tamburinius, de *iure Abbatum to. 2. disp. 6. quest. 19.* Qui, si statutum fuerit factum, ex consensu & voluntate penitentium, admittit obligationem: non declarans, an venialem, an mortalem. Et Vazquez, *tom. 4. in 3. p. quest. 91. art. 3. dub. 7.* ad terminos potestatis reseruativæ id reducit. Suarez autem, *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 17. num. 10.* Sic eam intelligit, non quasi peccata semel absoluta, nisi alias reseruata sint, ab absolutione deficient, & sit obligatio orta ex modo potestatis concessæ ad absoluen-

dum; sed solum sicut aliæ Constitutiones ordinis, aut Regulæ Obligant. Nec apud Cistercienses amplius, quam diffinitio ordinis est, vt in eisdem Bullis refertur, nullo alio inde robore adiecto. In quo omnino displicent, quæ Stephanus Fagundez *Tract. de 5. præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 2. num. 6.* in hoc puncto tradidit, dum in hac obligatione Cistercienses inuoluit ( nisi æquiuocatio verborum est ) alias Benedictinos, quia prædictis omnino seclusi sunt. Et dum resoluit esse obligationem ad mortale, ex vi voti & professionis, comprehendens tacite omnia Religionis statuta. Quod ( pace viri ) sustineri nequit vt late constat ex dictis in *introd. art. 6. cum seqq.* Nec satis instructus de hac aliena sibi obligatione loquitur. ¶ Sed tamen amplius. In his omnibus discutiendis non immoror, quoad nostram Congregationem, quæ erecta à Martino V. anno 1426. iâ extra obligationem constitutionum Cistercij facta, nihil participare potuit de statutis, plus quam 50. annis postea ad Cistercium directis. Insuper & nullo vestigio inter nos extante, vel scripto, vel vsu, vel alio quouis modo, nec memoria; ac tandem tota hac materia confessionis ad nouos terminos redacta, Motu proprio Clement. 8. citato pro nostra Congregatione à qua omnino aliena est ea obligatio. Similiter de alijs Hispaniæ Congregationibus credo, atque itante dicta desuetudine, id consequenter est dicendum, quas absolute liberas pronuntiat citatus Leander *vbi sup. quest. 51.* & hodie ita eas inuenio in Nauarra, &c. Obseruo tamen, ex hoc statuto Cistercij, arguere Mag. San-Vitores, *tom. 1. prel. 1. cap. 13. num. 14.* pro sacerdotio S. BENEDICTI, mediante REGVLÆ, in quinto gradu humilitatis. Sed debilis vis, adeo longè petita, in itinere deficit. Quæ enim conuentio diffinitionis adeo posterioris, cum tempore REGVLÆ, ad inducendam tunc confessionem Sacramentalem necessario delatâ Abbatibus.

Sed iam reuertentes ad textum ait.

Quæ illius obligatio?

X.  
Iteratio confessionum  
Cisterci.

Silentium re-  
fectoriij.

*Summum fiat silentium ad mensam, &c. Sic Cassianus, lib. 4. institut. capit. 17. Tantum silentium ab omnibus exhibetur, ut cum in unum tanta numerositas fratrum, refectiois obtentu, cōsederit, nullus ne mutire quidē audeat, &c. Et ita in iure, tanquam iuxta Regulā, S. BENEDICTI ad suum Monasterium Sublaci, stabilitum est ab Innocencio III. In cap. cum ad monasterium, de statu Monach. ibi: In Oratorio verō & refectorio, & dormitorio, continuum semper silentium obseruetur. Esseque culpam venialem illud frangere, non est dubium, nisi aliqua necessitas aut occasio moderate loquutionis excuset. Nam etiam aliquod verbum submisisse, ex occurrente aliqua ratione loquutum, culpæ damnari non debet, etiam venialis. Nec enim oportet vbiq; culparum venialium semina spargere, vbi excusari possunt; cum alias vbertim earum seges proueniat. Necessitas autem aut ratio modo dicto etiam à REGVLA excusatur, ut infra cap. 42. notabo, n. 3.*

XIII.  
Loquutio  
per signa &  
nutus.

Prosequitur inde: *Quæ vero necessaria sunt comedentibus, &c. Atque ferè similiter, ut Cassianus, sup. citatus sic ibi: Si quid mensæ super in ferri necessarium esse peruiderit sonitu potius quàm voce significet. Et Hieronymus in Regula S. Pachomij, num. 13. Ad mensam nemo audebit loqui, sed administrantibus signi sonitum dabit. Et Fructuosus, in sua Regula. Dato signo, vel nutibus, silenter petat. Et pro quocumque tempore silentij, Ioannes Monachus, in vita S. Odonis, ait: Si sine officio lingue essent, ad omnia significanda, sufficere possent signa ipsa. Nam iam olim ad hoc, pro maiore obseruatione silentij, etiam in communiter necessarijs, excogitata sunt signa, quæ manuum gestificatione, digitorum ve motione conficiuntur, quibus & si à longè inspectis, quid opus sit, feruentibus innotescat prout in nostra OBSERVANTIA extant in vsu plurima. Quorum ferè modum in numeratione Arithmetica, expressit Pierius Valerianus, lib. 37.*

*Hieroglyph. Mos quidem inuentus nō solum pro Religiosis triclinijs, in quibus Religio sacrum dedicauit silentiū; sed etiam in prophanis vsitatum. Ut Seruius, de Romanis traddit, ad illud Virg. Æneid. 1. Tum facta silētia te tēis. & ibidem, pluribus eruditè Ludouicus Cerda, Atheneus, lib. 4. de Laconum conuiujs ait: Cum canassent, tacebant omnes, & lib. 5. idem de conuiujs, ab Homero descriptis. De Persis verò, Amianus, lib. 23. & in idem Seneca, Epist. 47. & alij. Sed & nutibus loqui in cœna conuiuio vè, exprimit locus Athenei, lib. 4. vbi ait: Poculum annuēti afferebatur, nihil autem audiebatur. In quod adiungo Quintilianum, lib. 11. dicentem: Gestus poculum poscentis, aut verbera minantes, &c. Et Xenophon. lib. 4. de cōuiuio Persarum clarè: Pueris tanquam surdis, quid factō opus esset indicabant.*

Ad hunc ergo modum, ut religiosa taciturnitas seruetur, & in Refectorio, & in Oratorio seu Ecclesia, vbi pariter indicitur perpetuum silentium infra, cap. 52. vbi signa suppetūt, illis sine voce agitur, & eo moderamine feruari debet, sicut dictum est. Quod vero addit textus, ut nullus præsumat ibi, de ipsa lectione, aut aliud quidquam referre: noua iniunctio silentij est, etiam ipsius lectionis vel alterius rei causa, denegata licentiā faciendi sermonem, nisi fortè Prior, pro ædificatione, voluerit aliquid breuiter dicere. Quæ licentia aliquando, grauem & doctum Abbatē vsuum meminiseaque raro, & ædificationis occasione urgente, reor esse vtēdū; ne potius Sāctissimæ lectionis, quæ semper mensis, ex sacris literis, vel orthodoxis Patribus insonat, fructus minuatur. Quis autem ibi Prioris nomine intelligatur, dixi ad cap. 6. num. 4. & 5. Quod simul cum textu, declarauit hic S. Hildegardis dicens: *Eo tempore, is qui ceteris presentibus Prælati erat, de eadem lectione monita salutaria faciebat, antequam abinuicem discederent, &c. Quod & cessasse postmodum ait, & ita est, & ut cumque in volūtate Superioris*

XIII.  
Quæ loquutio  
liceat  
Abbati.

ris relinquatur, si voluerit, & ita nihil habet præcepti.

XV.  
Mixti quan-  
titas & mo-  
dus.

Addit deinde de *mixto*, accipiēdo à Lectore, de quo dixi sup. cap. 35. n. 5. & 6. Quibus etiam, pro hoc loco, adducit à Ludouico Cerda in *Aduersar. sacris* cap. 67. nu. 14. interpretationem Camaldulensium, aientium mixtum esse: *Circiter duas vntias panis, excludentes omne obsonium. Quæ obsonij exclusio, non in vniuersum stare, videtur ex libro veterum consuetudinum Monasterij Floriacensis, vbi cap. 2. habetur: Post Tertiam, pueri mixtum accipiunt, & debent habere à Cellarario caseum.* Tamen hoc potius ientaculum prouissum videtur pueris, iuxta Regulam, c. 37. Nomen autem *mixti*, non à cibo tantum dicitur, sic enim panis sine obsonio, *buccella sicca* appellatur, *Prover. 17.* vulgo, *pan à secas*. Sed à potu, vnde pari vocabulo *bibere*, appelli vidimus citato cap. 35. Interpretatio verò Camaldulensium, non significationis est, sed declaratio quantitatis panis, quæ bibentibus tunc, seu sumentibus mixtum, apponēda erat: à qua variat Cisterciensium antiquus liber vsuum c. 73. licet & quoad potum mixti, taxatam fuisse mensuram, indicat Epistola Theodemarij Abbatis Cassinens. excussa post Chronicon Cassinense Leonis Ostiensis, opera Iacobi Breul, à quo circa lib. 1. dicti Chronici, capit. 14. notatur, fuisse ad annum 774. tamen à Baronio ponatur anno 787. Ibi ergo scribens ad Carolum Regem Franciæ, inter alia ait: *Direximus etiam mensuram vnius calicis, quam obsequuturi fratres, iuxta Regulæ textum, solent accipere, vt obiter notes, etiam minutiora quæque in numero pondere & mensura debere esse, in domo Dei, sicut ipse omnia disposuit. Sapiens. 11.* Attamen *mixtum* haud ineptè ab utroque, vino scilicet & pane, qui vino imergitur, appellatum voluit Hildegardis dicens: *Mixtum, panem videlicet potui intinctum, quod offa sunt, quoniam ibi panis potui*

*commiscetur. Vt vulgò Hispanè Sopa en vino.*

Quòd verò ait textus: *Propter communionem sanctam, &c.* est vna ex rationibus, propter quam etiam hic disponit Lectori dictam formam *mixti*, & prælibationem cibi & potus præfatam; scilicet vt perceptæ Eucharistiæ reuerentia, decorque seruetur; ne recenter cõmunicatus Lector, expuens, ac flegmas saliuas ve, sicut cantaturis mos est excreans, sine periculo præcepti sacri cibi, id faciat. Quam rationem adducit Ioannes Seletus, in *Rationali diuin. offic.* cap. 19. citatus ab Antonio de Leon Pinelo, in quæstione cultissima, accerrimèque tractata, contra ingredientes opinionem (corruptellam melius dices) quod ex sorbitionibus *chocolate*, vocatis, ieiunium Ecclesiæ non frangatur. Quam, cum rationibus, nemo benè sanus fundare queat, eam stabiliant autoritate Pontificis, sed somniata bulla, quæ Ecclesiæ Capiti numquam in caput venit, & assertiue ab illo decissum esse, sine nomine Papæ, sine tempore, sine aliquo rei testimonio auffsus est proferre, in libro inscripto *Phœnix. D.* Ioseph Pellicer, *diatribe* 7. Qui sua eruditione critica alijs non parcens, sibi in hoc parcere debuisset, & qui de ieiunio argutus diserebat, ab eiusmodi dicto ieiunare. Retundit autem serio prædictus Pinellus illam sententiã: sicut & grassantem pestem, eorum, qui puluere fumo ve Tabaci nullo iudicio, sed communis vitii pruritu, & nares fordibus, & cerebrum fuligine complent, & omni conuictui inferunt feditatem. Ille autem rationem, quam diximus pro *mixto* REGVLÆ hic, citat *par. 2. fundam. 3. §. 4. num. 18.* Addit etiam aliquis, ne stomachus, ieiunio protracto, simul & labore laescat, irriterque vomitum. Hoc tamen impransum minùs vrget illud frequentis, sed simul his, cibi de gustatione prouissum.

(.?.)

XVI.  
Quædam sumendi mixtū ratio.

Opinio chocolatei inepta.

Abusus Tabaci.

## De Mensura Ciborum.

## CAPIT. XXXIX.

TEXTVS.

**S**UFFICERE credimus ad refectioem quotidianam, tam sexta, quam Nonæ omnibus mensis, cocta duo pulmentaria, propter diuersorum infirmitates, ut forte qui ex uno non poterit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus sufficiant, & si fuerint inde poma, aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra una, pro pensa sufficiat in die, siue una sit refectio, siue prandij & cœnæ. Quod si cenaturi sunt, de eadem libra, tertia pars à Cellerario reseruetur, reddenda cenaturis. Quod si labor forte factus fuerit maior, in arbitrio & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere; remota præ omnibus crapula, ut numquam subrepat Monacho indigeries. Quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: *⁹* Videte ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Pueris verò minori ætate, non eadem seruetur quantitas, sed minor quàm maioribus, seruata in omnibus parcitate. Carnium verò quadrupedum, omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & agrotos.

⁹ Luce 21.

NOTÆ.

**I.** DESIGNAT in primis, ad refectioem quotidianam, scilicet prædij, tam sexta quàm Nonæ, & idem dicendū de prandio in Quadragesima ( fiebat Vespera ) de quo infra ca. 41. designat in quam, cocta duo pulmentaria &c. vbi pulmentum, cum Isidoro, li. 20. Æthym. cap. 2. à Pulte deductum accipit Card. Turrecremata, quæ victus erat antiquis ex farina, aqua, melle que seu caseo, aut ouo, confectus. Possentque iuuari ex illo 2. Reg. 13. vbi Tamar factura pulmentū, tollens farinam, commiscuit, &c. Atque sic credit ille Author: ut inde Monachos ad non expetenda pretiosa cibaria, conuincat. Sed licet hoc monitum, ita sit incunctanter suscipiendum, ut omnis monastica conuersatio antiquorum clamat: quod tibi, per longissimam seriē indicis, verbo Abstinencia, digessit Heribertus Rosneidus, ad Vitas-Patrum, utque ipsa vitæ pœnitentis professio petit, quod omnes eiusdem professionis sancti, exemplo & scriptis, vbi que

docent: at ea pulmenti acceptio, à mente REGVLÆ est aliena.

Idque declaro. Nam Pulte illa, ut ex Plinio, lib. 18. cap. 8. constat, utebantur antiqui pro pane, sed B. BENEDICTVS, hic panē adijcit, post pulmenta. Præterea siue pisces pro sanis, siue carnes pro debilibus & agrotis, intelligi nomine pulmenti, communis & verus sensus est. Sic Genes. 17. Isaac de Venatione filij petiit sibi fieri pulmentum ab Esau. Sic à matre instructus Iacob, tamquam de Venatione, ex optimis adis, intulit confectum pulmentum & panes, ex quo constat quam distinctum à Pulte, quæ locum panis gerebat. Item Exod. 12. post præparatos panes, nec pulmenti quidquam ( ait ) occurrerat præparari: Atque Ierem. 37. dabatur ei, torta panis quotidie, excepto pulmento. Et denique, Ioan. 21. requirente Christo Domino à discipulis, numquid habetis pulmentarium? de esca piscationis requisisse constat, ostenditque quod sequitur, inuenisse pr-

II.

Vera acceptio pulmenti

*prunas positas, & piscem superpositum & panem.* Qua propter dum etiam co-  
ceta dicit REGVLÆ, de talibus escis intel-  
lexisse *pulmentaria*, certum est. Quid-  
quid aliàs velit Guillelmus Stukius, de  
*antiquitat, Conuiu, lib. I. cap. 21.* qui loca  
sacræ pagine non satis perpendit, nec  
ea, quæ circa nostrum REGVLÆ textum  
communiter authores admittunt, &  
consuetudo probauit.

III. *Pomorum le-*  
*guminū que*  
*nomina.*  
Addit: *Si fuerint inde poma, aut nas-*  
*centia leguminum, addatur & tertium,*  
vtique nō coctum, sicut dixerat de duobus,  
nec necessario dandum, sed condi-  
tionaliter, *si fuerint.* Et per nomina  
satis generica comprehendit quidquid  
initiet vel finiat prandium. Per *poma*  
omnes fructus arborum esui apti, cui-  
uscumque generis sint, comprehendū-  
tur, siue mollis, siue durioris putaminis.  
Sic Plinius, *lib. 15. cap. 10.* Pineas nuces,  
& *cap. 22.* cæteras, nedum *ingentem*, vt  
ipse appellat, *cap. 13. turbam prunorum,*  
malorum, pirorum, & aliorum, quæ per  
alia capita describit. De leguminibus  
autem D. Isidorus, *lib. 17. Æthym. cap. 4.*  
plura eorum genera enumerat. Et dum  
*nascentia leguminum*, ait REGVLÆ, reor  
nec olera exclusisse, de quibus ipse Isi-  
dorus ibidem, *cap. 10.* estque frequen-  
tior hortorum, intra Monasterium, sa-  
riua seges; & proprior ex qua fiat, quod  
hic intelligit Episcopus Vrgell. & His-  
pani dicimus *ensalada*, eius tamen in  
prandio nobis nullus vsus, alibi forte  
(vt ipse ait) receptus. Ex eo vero quod  
in assignandis duobus coctis pulmenta-  
rijs, adiungit esse, vt *si quis forte ex vno*  
*non possit edere, ex alio reficiatur*, colli-  
gitur, intentionem esse, vt sint diuer-  
sa; alias enim auersanti primam ef-  
cam, vt prorsus inuisam, si secundò in-  
geras eandem, nihil commodi præ-  
stas. At saluatur regulariter diuersitas,  
in modo, & superque satis, si D. BER-  
NARDVM legas, qui aliàs, in *Apologia*  
ad Guillel. vel de solis ouis, ait: *Nunc*  
*quidem friza, nunc assa, nunc farfa,*  
*nunc commixtim, nunc sigillatim ap-*  
*ponuntur, vt soli fastidio consulatur,*  
*&c.*

*Pulmenti di-*  
*uersitas.*

Procedit textus ad panem, & ait:  
*Panis vero libra vna, pro Pensa suf-*  
*ficit in die, &c.* De libræ huius pon-  
dere, Declaratorium Regulæ Con-  
gregationis Cassinensis, seu Sanctæ  
Iustine habet, quod iuxta pondus  
Monasterij Cassini, vbi REGVLÆ di-  
ctata est, constat triginta tribus vn-  
ciis cum dimidia: Quod, Andreas  
Quercetanus, in *Notis ad Bibliotheca*  
*Cluniac. in vitam S. Hugonis Abba-*  
*tis, 6.* ex Iacobo Braulio & alijs, ait ef-  
se *pondus verè Benedictinum.* Sunt ta-  
men plura quæ hanc determinatio-  
nem, cum ex Regula non constet, sa-  
tis difficilem reddunt. De illa enim  
libra Concilium Aquisgran. *Canone*  
*57.* sic ait: *Vt libra panis, triginta soli-*  
*dis, per duodecim denarios, metiatur.*  
Quorum verborum sensus mihi clau-  
sus, nec laboro, alius aperiat; in quo  
iam conati sunt prædictus Querce-  
tanus vbi supra, & Antonius Yepes,  
*tom. 3. in Appendice,* ne quisquam, la-  
borantes, cum alijs; supra quos, nihil  
maius præsumo, ne cum ipsis diuinan-  
do, laborem in vanum. Præterea in  
Epistola Teodemarij Abbatis Cassin.  
quam citauit præcedent. *capit. numer.*  
*15.* sic habetur: *Direximus pondus qua-*  
*tuor librarum, ad cuius equalitatem*  
*ponderis, panis debet fieri, qui in qua-*  
*ternos quadros singularum librarum,*  
*iuxta sacrum textum Regula possunt di-*  
*uidi, quando pondus, sicut ab ipso Pa-*  
*tre est institutum, in hoc est loco reper-*  
*tum.* Ex quo difficultas est; nam si pa-  
nis ille conficiendus erat, ita vt con-  
staret quatuor libris assignatis in De-  
claratorio dicto, debet habere plus-  
quam octo libras ex nostris Regni  
Castellæ, quarum singule continēt sex-  
decim vncias. Vnde aut panis adeo  
ingens 134. vntiarum est admitten-  
dus, præter communem vsum con-  
ficiendi panes; aut libra illa ad mi-  
nus pondus erit reducenda. Ad hæc  
in libro veterum consuetudinum Mo-  
nasterij Floriacensis, apud Bibliothe-  
cam eius, editam à Ioanne Bosco, *ca-*  
*pit. 1.* legitur sic: *In quadragesima libra*

III.  
Libra panis  
Regula.

Difficultas  
prima.

Secunda.

Tertia.

panis maior solito, & delitior, & vinum melius quam alio tempore deber esse. Vbi sane illud maior, & illud delitior, & illud melius, an satis consonent cum textu REGULÆ capit. 49. illi viderint. Nos ad punctam perpendimus, quia si libra maior & minor potest esse; præter quam quod aberrat, ab eo Dei præcepto, suo modo, Deut. 25. *Non habebis in saculo diuersa pondera, maius & minus, &c.* & suo etiam modo accedit ad illud Proverb. 20. *Pondus & pondus, mensura & mensura, &c.* nulla sanè illius libræ constantia, aut certitudo, poterit assignari.

V. *Mensura panis. P. Dam. obscurissima* Ut verò aduertat, non esse singularem obscuritatem prædictam, in designanda mensura panis in nostro casu: velim accipias verba, quæ Cardin. Petrus Damianus, *Opusc. de sua Congregationis institutis, capit. 8.* apponit, licet inde nihil elicendum sit, ad S. BENEDICTI Regulam, quam ipse fortè per professionem non agnouit, vt suo loco indicabo. Sed designans, pro sui instituti Eremitis, panis mensuram, postquam eadem esse præmissit, qualibet die, siue refectiois singula, siue binæ, addit: *Mensura autem hunc habet modum: vt superaddito quadra dimidio, dimidium buccella totius appendat; quadra videlicet remanente integra semis.* Quorum verborum requisitum sensum non capio, & obscuritatem sensere non pauci, qui consulti herbam dedere. Et ego constructionem tentabo, sed cum ignoretur pondus integri panis, de quo loquitur, adhuc per constructionem Grammaticalem explicatis verbis, certum pondus, aut mensura non constat. Et ob id ipse author, in maiorem declarationem, subiunxit dicens: *Et vt nulla dubietas, super huiusmodi mensura remaneat, nouem ornicum (lego cornicum) vel tria anserum oua, libratis lancibus, tamtumdem pensant.* Quod proprius accedit ad Paxamatia, seu panes quos, ex Cassiano adduco infra num. 8.

Seriem verò prioris loci, vt declarationem, præmitto, apud Romanos, panes appellari *quadratos*, siue propter figuram eorum, siue verius quia etiam si in orbem formarentur, decusato furculo, massæ impresso, signabantur, quo scinderentur, in quatuor æquales partes, quas vocabant *quadræ*. Cuius specimē offert locus adductus, *supr. num. 4.* ex Epistola Theodemarij. In quo Passerarius, & Robertus Stephanus, eo verbo conueniunt, & Rodiginus, *lib. 9. capit. 16.* ex Atheneo, & vberius Cerda ad illud Virg. 7. *Æned. -- Patulis nec parcere quadræ.* Sic Martial, *lib. 19.* pro huiusmodi panis fragmento, ait: *Cum mittis turdumque mihi, quadramque placentæ, &c.* & pro ipso etiam pane accipi videtur, ex illo Iuuenal. *Satyr. 5. -- Aliena viuere quadra*, quamuis pro mensa ibi a Ioanne Britanico accipitur: si hoc metonymicos; si illud, Synedochicos: Quo pacto etiam *buccella*, quæ in pane, quantum morsus capit, est *vn bocado*, totum etiam panem significat, *Iob. 31. si comedi buccellam meam solus, &c.* & Abraham *Gen. 18. Ponæque buccellæ panis, &c.* cum essent tres hospites pransuri meridie, in ipso feruore diei. ¶ Nunc ergo ad verba Petr. Damiani, sic: *Mensura hunc habet modum. Qualè? Scilicet, vt appendat dimidium buccellæ totius, id est, habeat pōdus dimidij panis integri, quem vocat buccellam totam, cuius dimidiū est, duas quartas partes, seu duas quadras integras designare, superaddito quadra dimidio, id est ad iuncta, ad dimidium panem seu ad duplicem quadram, medietate alterius quadre: Quo separato ad portionem quotidianam, ex tota buccella seu pane totali: quod residuum est vsque ad quatuor quadras, est vna cum dimidia, de quo residuo subdit: *quadra videlicet remanente integra semis.* Id est, vt remaneat ex pane, vna quadra, & semis, quod est dimidia. Sed cū illius panis, de quo loquitur ignoretur pondus: æque ignoratur pondus illius partitionis, nisi accedat subiuncta ab eodē explicatio ouorum, iam dicta & consentiens cum pōde-*

VI.  
Expositio lo-  
ci illius.

Quadra  
quid?

Buccella  
quid?

Constructio  
Verborum.

IIIV

de.

dere Paxamatij *infra nu. 8.* declarato.

VII.  
Pensa, &  
eius lectio  
&  
explicatio.

Rediens ergo ad domesticam nostri textus difficultatem, vltra confusionē librę panis assignatę, etiam non caret illa, quod *libra*, dicitur, vna *Propensa*: Dictionem hanc omittunt plures indifcufam: alij, *Propensam*, vnā efficiunt dictionem, vt significant libram, quasi lance inclinata pendentem, vt bene pensa fit. Hæsi, Lexicis multis euolutis, neq; inuenta voce, quę omnem etiā solertia Adriani Turnebi, & Ludouici Cerdę in suis *Aduersarijs*, aliorumque fugit: donec incumbens lectioni operum Card. S. Petri Damiani, ab initio vsque ad vmbilicum perducendę, incidi in *Vitam SS. Rodulphi & Dominici Loricati*, de quo hæc ibi reperio: *Aliquādo conquestus est, quod nouem diarias panis Pensas in ventre simul haberet.* Notauit locum, vt singularissimum, & in opinato inuētum, & textui REGVLÆ aptissimum, vt libra illa sit, *diaria Pensa panis*, quod vulgo dicimus, *la racion de pã de vn dia*, quod significatur duplici dictione *pro Pensai Pensa, e*, in auferendi casu cum præpositione *pro*, qua etiam dictione vsus est Ludouicus Pius in quodam priuilegio Monast. S. Germani Paris. relata ab Aymon. *lib. 5. c. 10.* & vtrumque locum miror fugisse accuratissimam de hac re disquisitionē Hæfteni, *lib. 10. tract. 3.* qui pro more cuncta corradit. Atque de quantitate aut pondere, non dissentio à Declaratorio Cassinensi, adducto *num. 4.* cuius pondus accedit ad communem panem, in Hispania in Regnis Castellæ, duabus libris sexdecim vnciarum cōstantem. Nam licet citra eam quantitatem, plurimum se contineant Monachi, sic tamen prouidet REGVLA, vt non desit necessitati, in robustioribus aliquādo cōtingenti, & communiter supersint, quę colligantur fragmenta, haud quaquam peritura, vt cumque semper pauperum refectioni, intra, & extra Monasterium destinata.

VIII. Fortē aliquis hanc in pane & pulmentarijs præfinitam annonam, largam suggillet, si eam cum antiquo-

rum abstinentijs & in conditis cibis contulerit. Nam vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis iugiter vitam exigentes, commemorat Cassianus, *Collat. 2. capit. 19.* & *lib. 4. instit. capit. 11.* Sepeque illis aridis & incoctis cibis, victitasse constat, quę *xerophagia* vocari explicat, ex Tertuliano, *lib. de ieiunio*, & ex Concil. Laodicensi *Can. 5.* Petrus Chiaconius, in *Annotat. ad Cassianum*, qui *lib. 4. capit. 21.* id ipsum manifeste tradidit. Atque citata *collat. 2. capit. 19.* & *collat. 12. capit. 15.* ait: *Cunctis illis præposuisse refectionem sicci panis, cuius æquissimum modum, in duobus Paxamatij statuerunt, quos paruulos panes, vix vnus librę pondus habere certissimum est pro quotidiana refectione.* Pondus autem cuiusque paxamatij, (quod panem siccum, seu bis coctū interpretatur citatus Chiaconius: & Gerardus Vessius, in *Scolijs S. Ephrem*) solum sex vncijs constare, adstruxit Palladius, in *Vita Pauli simplicis*. A quibus alijsque, quę passim ab Authoribus (quorum aliquos retuli sup. ad *Prolog. numer. 12.*) de districtissima Monachorum & Anachoretarum abstinentia, vel potius inedia, afferuntur, quantum distet prænotata indulgentia cibi, ex Regula facile apparet.

Verumtamen, qui REGVLAM vniuersaliter amplectendam parabat, quantā opus erat discretionem, & temperamentum adhibere, notauit citato loco *Prologi num. 13.* & in præsentī inuinit ipsa REGVLA, quę sic disponit *propter diuersorum infirmitates*. Et quia pro perseveranti & diuturno viuendi tenore, ijs, quibus pro maiori anni parte non nisi semel in die prandium erat; nec aliās, aut aliunde refici datum est; vigilijs & laboribus semper intentis, oportebat, sufficienti moderamine alimentum prouideri, iuxta communem & ordinariam exigentiam temporum, & personarum; non iniunctis extraordinarijs parsimonijs. Nam & Basilius *lib. de vera Virg.*

Paxamatij,  
quid?

IX.  
Discreta &  
apta cōmunis indulgentia Reg.

taxat quandoque, vt immoderatam continentiam, eorum qui pulmenta omnia repudiantes, sales solo cum pane, vice cōdimentorum omnium sumunt. Atque in *constit. Monast. c. 26.* pulmentis, quibus vescerantur, quæcūq; illa fuissent, fuit oleū, siue leguminum, cōstat additum fuisse a veteribus sanctis Patribus, *salsamentum iure incoctum*, scilicet minimū salicæ carnis frustū, vt innuitur, suillu. Nec carnē omnino respuisse veterem Monachatū, adstruit August. *de moribus Eccles. c. 33.* licet bene valentes, ab illa, vt in nostra REGVLA, abstinerent. Et cibi modū, pro impari corporum statu & ætate, artemperandum, docet, adductus in oppositum Cassianus, *lib. 5. c. 5.* Vnde, vt maiori ex parte, toti cōmunitati, & omni tempore congrueret, discreta hæc condescensio, seu benigna distributio, haud redundante moderamine, constituitur in REGVLA nostra. Atq; ea, quæ Isidori est, *c. 9.* duo pulmenta oleū, & leguminū designat, & tertiū pomorum atque diebus sanctis etiam leuissimarum carniū alimenta concedit.

X.  
Moderatio  
intenta ostēditur.

Quodque intra limites moderatæ mensuræ, se REGVLA contineat, ipsa demonstrat, quæ sufficientia solum conatur statuere, & sic ait: *Sufficere credimus ad refectionem, &c. & minor quantitas minoribus conceditur, & seruata in omnibus parcitate, vult alimenta præberi.* Atque ita seruatam, ostendit testimonium Card. Petri Dam. *Opusc. 10. de Horis Canon. capit. 7.* vbi inquit: *Apud Gallias, vt specialis viri relatione didicimus, Religiosi Cœnohiorum Patres videntes plerosque fratrum, traditam à B. Benedicto mensuram refectionis excedere, nec posse, intra præscriptum regularis diarij limitem, se cohibere: cautum duxerunt, vt constitutis quibusque horarum officijs, alios adhuc psalmos. apponerent, quatenus victus remissionis excessum augmento valerent recompensare psalmodum.* Et quidem de additione Psalmorū, testatur Theodemarius Abbas, in eius Epist. quam citavi sup. nu. 4. De additione aliqua refectionis colligo, ex pluribus locis, maximè in ve-

teribus Consuetudinibus Monasterij Floriacensis, alias citatis. Quæ additio, propter parcitatem mensuræ descripta in REGVLA, fuisse, testatur P. Damianus. Si autem vltra necessitatem, cui sufficienter esse consultum satagit Regula, libito irrationabili ab aliquo extendatur, & dapibus luxurient mensas culpa non erit prudentissimæ REGVLÆ, sed eorum, quos, ob id, seuerè reprehendit D. Bernard. in *Apologia ad Guilielm. Abbat. & ipse B. Petrus Damian. lib. 1. Epist. 15. ad Alex. II. & lib. 6. Epist. 32. ad suos Eremitas.* Et quod reformare satagit etiam in Episcopis, nedū alijs Prælati, Concilium Trid. *Sess. 25. de refor. cap. I. vt modesta mensa, & frugali victu contenti sint, &c.*

At deinceps in textu additur: *Quod si labor forte factus fuerit maior, &c. vbi arbitrium relinquitur Abbati, vt extraordinarium aliquid, propter maiorem laborē, aut iustā considerationem, superaddat refectioni, sēper intra sobrietatis, & temperantiæ limitates.* Quod etiā in potu intelligi, constat, ex *c. seq. indiscriminatim enim, his capitibus quoad hoc loquitur. Nā hic agendo de cibis augendis remouet crapulam, quæ nimio potu insurgit, & ibi de potu sub scrupulositate (ait) se, mēsuram victus aliorum constituere; cū victus ad esculenta etiā pertineat. Quia scilicet promiscue de vtroque agit, & quantum ad determinandā in indiuiduo, & iuxta circumstantias integrā alimoniam, potius prudentis Prælati arbitrio permittit, vt nec necessitati, nec labori desit, nec ætatis & pueris (de quib' sup. c. 37.) minus quam maioribus detur. Quod quāuis ea paruulorū admissio præmatura desierit, locum habere debet, etiā in huius temporis nouitijs, qui sæpe vix pubertatis annum excedunt, & in tanta iuuenture cōpetenter esset eis tēperandum alimentum, & vinum nullatenus præbendum, quod, plures apud mēsam Parentum, nec olfecisse permittebātur satis interdum, putei, seu fontis oppidani aqua benè poti. Et licet in Monasterio careant ientaculis & merendis, qui-*

XI.  
Permissio in  
Abbatis cōsideratione.

Moderatio  
victus in re  
neris nouitijs

quibus minor ætas frequentiori edulio egens, communiter educatur, dum datur ludere *par impar*, &c. Sed iam his valedicto, *nucibusque relictis*: quamquam od id in vna vel altera refectio-  
ne Monastica, sufficiens & apta sit apponenda esca: sed eadem omnino quãtitas ephebo, quæ viro, quæ seni, non vsquequaque Regula consentire videtur: tamen de pueris propria loquutio fit.

XII.  
Arbitrium  
Abbatis &  
obligatio in  
his.

Vltimū textus est illud: *Carniū quadrupedum*, &c. quod explicatum manet, sup. capit. 36. à num. 19. &c. Generaliter vero de obligatione tam huius, quàm sequentis capituli, imò & aliorū, in quibus idem exprimitur, *vt in Abbatibus consideratione relinquatur*, sententia Petri Venerabilis Abbat. Cluniac. lib. 1. Epist. 28. est, quod S. Benedictus: *Nihil de talibus diffinire, nihil præcipere voluit, sed pro qualitate locorum, temporum, morum, infirmitatum, & diuersorū accidentium cibos, potus, vestes, &c.*

*subditis à Patribus dari sanciuit*. Atque in præfenti ita insinuât verba, in vtroque Cap. repetita in arbitrio, & potestate Abbatis erit: & quia non loquitur præceptiuo rigore, sed sub verbo *Credimus sufficere*, vtrouique. Licet hic iteret verbum: *Ergo duo pulmentaria sufficiant*, modum habens præcepti: quod teneatur Prælati implere, quãtūm ad duplex pulmentum determinatum. De cetero, additionem in Abbatibus rationabili voluntate relinquit. Imo & quod, in illa duplicitate pulmenti, aliquando deficiat, si causa sufficiens subsit, aut aliter rationabiliter sit introductum nullius culpæ damna-  
bo. Aliàs ex se, seclusa murmurationis data occasione, aut molestia male subueñtę necessitatis ingesta, quas iuxta legem Dei tenetur in conscientia vitare, quantum est ex REGVLÆ, in ijs, quę  
tertiæ CLASSIS sunt, includuntur,  
vt in *Introd. Et.*

Art. 8.

De mensura potus.

## CAPIT. XXXX.

TEXTVS.



Nusquisque proprium habet donum, ex Deo, & alius quidē a I. Cor. 7. sic, alius vero sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate, à nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum con-  
tinentes imbecillitatem, credimus eminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tollerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Quod si aut loci necessitas, aut labor, aut ar-  
dor æstatis, amplius poposcerit, in arbitrio Prioris consistat, considerando in omnibus ne subrepat sacietas vel ebrietas. Licet legamus vinum omni-  
no Monachorum non esse, sed quia nostris temporibus, id Monachis per-  
suaderi non potest; saltem vel hoc consentiamus, vt non vsque ad sati-  
etatem bibamus, sed partius, quia, vinum b apostatate facit etiam sapien-  
tes. Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec suprascripta mensura in-  
ueniri possit, sed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi  
habitant, & non murmurent. Hoc ante omnia admonemus, vt absque  
murmurationibus sint.

b Eccli. 19.

## NOTÆ

I.  
Percurritur  
textus.

**T**OTVM ferè cap. Versatur in exhortatione, ad abstinendum a vino, tamquam ad maius bonum, Monachatuque decentius; quia tamen persuaderi posse, suis temporibus disfidit, sobrietatem imponit, tam in præced. o. quam in præfenti, ne grauentur crapula & ebrietate, quod præceptum naturale est & diuinum, a Regula in exhortatione propositum. Designat autè vini mensuram, *hemina* vnicuique, per diem, quod REGVLÆ præceptum est, non vt bibatur, cum Monachum desideret abstemium: sed vt in ea tantum mensura apponatur, vbi ea possibilis fuerit; vel si ad eam augendam aliquando rationes occurrant, Abbatis sit, modum disponere. Còcluditque cum admonitione, iam in Superioribus, cap. 34. num. 3. repetita, de abigenda ante omnia murmuratione, & in materia, circa quam versantur hæc duo Capita, aptissimè; ne Monachis aptetur illud, Psal. 68. *Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum.* Aut illud expressius ex S. Bonauentura, tom. 2. opusc. de Processu Relig. 6. cap. 34. dicente: *Qui, cum non potest haberi cibus, & potus delectabilis, & nõ habent in mensa, quæ desiderant, indignantur & murmurant, verecundiam abijciunt, & non cogitant professionem suam.* Qui aliàs, vt omnem murmurationem præcludat, in speculo discipl. par. 3. cap. 3. doctrinam suam atretè autoritate REGVLÆ S. BENEDICTI tuetur, semper contra murmuracionem interpellantis, & exturbantis eam à Monasterio.

Murmuratio  
vilis de cibo,  
&c.

II.  
Vini portio  
dubia.

Sed quantum ad mēsuram vini designatam, Card. Turre-cremata ait, adhuc suo tempore, in Cassinensi Monasterio asseruari. At Episcopus Vrgell. *Heminam*, dicit esse quod Hispanice Vulgo. *Quartillo*, quartam scilicet partem vnius minutæ mensuræ, quæ dicitur *Azumbre*. Nescio tamen vnde didicerit. Non vtique ab illo Cassinensi Cœnobio, cuius Congregationis Declaratorium aliàs amocitatum, concedit suis de vino, quantum expedit, ita

vt iuxta Regulam non subrepat *societas vel ebrietas*, inquiens: mensuram REGVLÆ esse multo plus, quam ad necessitatem communem vnius Monachi opus sit. At Theodemarius Abbas Cassin. in Epist. citata, sup. cap. 39. num. 4. ad Carolum Regem, ait: *Missimus mēsuram porus, quæ prandio, & aliam, quæ cenæ tempore, debeat fratribus præberis quas duas mensuras aestimauerunt maiores nostri, hemina mensuram esse.* Vnde nihil colligitur certum, nisi, nõ eandem esse mensuram vini in prandio, ac in cenâ; prout seruata in pane proportionem, consequens erat. Demum Brusfeldensis congregatio, in suo Ceremoniali Benedictino, dist. 3. cap. 28. fatetur, non constare, qualis hæc mensura sit, in quo (sicut de mensura panis dixi) magis consentio, sub dubio esses & ita prudenti & sobrio cuiusque Congregationis mori, locus est.

Mihi tamen integrum non est, affirmare de mensuris, quas etiam eodem nomine dictas, diuersis prouintijs, scimus sæpe nõ esse easdē, vti etiã in pōderibus contingit, inde enim modiorū, librarum, talentorumque, &c. varietas. Habemus vero ex Authoribus, Congium, capere sex Sextarios, quorum quilibet continet duas *Heminas*, vnde *Hemina*, erit dimidium sextarij, aut duodecima pars congij; sed eadem dubitatio perseuerat. Quintilianus, lib. 6. cap. 3. de Congiarijs Augustis, quæ dabantur amicis, *Heminaria* appellauit ea, id est exigua. Cato vero de Re rustica, cap. 57. minimum vini, quod pro famulis designare videtur, est *hemina* in die; licet obscure loquatur. Rodiginus autem, lib. 28. cap. 30. sic ait: *Hemina libræ appendit vnā, quæ geminata sextarium reddit.* Quod ad verbū mutuatus est ex D. Isidoro, lib. 16. æthym. c. 26. & eodem dubio heremus. Quod si hæc ad vncias reducamus: Alexander ab Alex. lib. 2. dier. gen. c. 20. cum sextario tribuat viginti vncias, confert decem *hemina*, & sic ibi Tiraquell<sup>o</sup> expressè, ex Atheneo, lib. II. cap. 9. *Hemina, quæ & Coryla dicitur, vncias decem habet.*

III.  
Hemina dis  
cussio.

Has autem non vncias ponderum, sed mensurarum, declarat Ioannes Britannicus, ad illud Iuuenal. *Saty. 6. De quo serarius alter, Ducitur ante cibum.* Tamen & de mensuris liquidorum, & de ponderibus, dicitur libra & vncia. Accedit ex citato Alexandro, mensuras Italicas vt minores notari, ibi: *Amphorarum alia minoris mensura, vt Italice.* Postremo cum prædictis, moderatissimam portionem fuisse heminam, probat locus apud Flauium Vopiscum, in *Vita Tacitri imperat.* De quo ait: *Ipsè fuit vitæ parcissima, ita vt sextarium vini, tota die nunquam potauerit saepe intra heminam.* Quod vtpote etiam in Italia, maiorē facit fidem ad REGVLAM.

III. Ex quibus mihi persuadeo, designatam mensuram vini, a REGVLA concessam, non esse adeo amplam, vt aliqui autumant; neque in hoc cum Declaratorio illo Congregationis Cassinensis, seu S. Iustinæ, conuenio; propiusque ad rem accedere existimationem Episcopi Vrgell. reor, etiam si omni adminiculo nudam protulerit. Est autem id consonantius illis verbis Santiss. Patris licet legamus *vinum omnino monachorū non esse;* quod Cassianus traddit, *libr. 5. instit. cap. 6. ablegans vinum illud, si probè teneo, nunquam in monachorum victu comemoratis.* Et D. Basilius, *hom. de exercitatione Monast. & Epist. 1. ad Greg. ibi: Aquæ potus sedauerit sitim homini integræ valetudinis, &c. & serm. de instit. monach. idem traddit, saltem seclusâ ratione infirmitatis.* Quo pacto, idem refert Augustinus, *lib. 1. de moribus Eccl. cap. 33.* Imo & de Romualdinis monachis, apud Sytriam ait in *Vita S. Romualdi, cap. 64.* Petrus Dam. *Vinum ibi nemo nouerat, nec si etiam grauissimam quis ægritudinem pateretur.*

V. Probatio illius. Ad probationem autem vtor, potissimum, prioribus duobus Authoribus, quos ipsa REGVLA laudat; ex qua & illis, elicio, non esse consequens, vt à negatione totali vini, ad copiam concedendam transiret; sed in parca & moderata permetteret mensura. Qua propter in nostra Cisterciensi OBSERVANTIÆ

Congregatione, non sicut in pane se res habet: de hoc enim in mensa ministratur eis quantum opus est refecturis, quia nullus est qui citra pōdus, quod creditur ex REGVLA, non se plurimum in comestione panis contineat; & quia panis communis & generalis cibi, largior est faciēda copia, quo etiā cuiusuis edulit minus grati suppletur defectus, nec amplius quid abiuuere panis, indecorum est. At de vino alia habetur ratio: nam si *aquam in mensura bibes* dictum est Prophetæ, *Ex ch. 4.* de vino, quid diceretur Monacho? Vtique ad summum, quod Apostolus Timotheo, *1. Tim. 5. Vtere modico.* Itaque panem appositum si quis forte cōsumpsit, signo petit & recipit: vinū si quod, pro quolibet parce infusum est in viceolo vinario, hausit, parcat; nec enim petere permittitur, nec recipit. Et quidem licet ea minutę mensuræ quarta pars, seu *quantillo*, nec integra, & interdum alicubi pro qualitate vini, & pro conditione Religiosorum, paululum apponatur diluta, exinde adhuc finitis mensis, recolligit Præfectus triclinij, etiam quæ superauere pocula, ne pereant. Atque cū debite parcitatis moderamine, honestum vsum, ipse Sanctiss. Pater suo approbavit exemplo, vtens aliquo vino, vt in eius *vita, lib. 2. dial. cap. 3.* ostendit Gregorius miraculum enarrans, quando *inuito consilio venenum vino miscuerunt, &c.* Et nos sobrietatis prædictæ admonet, ipsum nomen, quo antiqui appellabant vascula vinaria, quas nos vulgò *Pichetas.* Ex antiquissimo enim lib. Vsum Cisterc. constat appellari *Iustitias*, quod nomen cognouit, & me docuit Petrus Venerab. *lib. 1. Epist. 20.* Vbi inter alios labores manuum, ponit: *Vascula vinaria, quæ iustitias vocant, concanare, &c.* & inuenio in *Consuetud. Monasterij Floriac. cap. 1. ibi: Potus in iustitijs, &c.* atque eadem *iusta* dici; ex chartulario Vindocinensi, *charta 28.* autumat Andreas Quercetanus, ad dictum locum Petri venerab. in *not. ad Bibliot. Cluniac.* Scilicet vt iusta omnino, & mensu-

Diversitas in pane & vino.

Iustitia, vas vinarium.

surata Religioſæ ſobrietati, ſit potio: iuxta exigentiam REGVLÆ, facietatem & ebrietatis ſpeciem eliminantis: cuius transgreſſor gulæ reus, ex Dei lege, & rationis rectitudine conſtituetur, prout in prima CLASSÆ, in *introduc.* Art. 6.

VI.  
Vina pigmentata à Monasterio aliena.

Quod ſi hæc, de vſuali vino, iuxta Regulę mentem dicta ſunt, etiam per eam ableganda videntur à Monasterio exquisitiora vina, & maximè confecta, & pigmentata. Quod benè vidit Petrus Venerabilis, in ſtatutis Cluniacensibus, *ſtatuto II.* quod ſic habet: *Ut ab omni mellis ac ſpecierum cum vino confectione, omnes ordinis fratres abſtineant, & quę ſequuntur, apud Bibliothecam Cluniac.* Damnavitque eiufmodi abuſum & corruptelam D. BERNARDVS in *Apolog.* ad Guillel. illis verbis. *Quale iſtud? quod nonnulla Monasteria ex more obſervare dicuntur, in magnis vi-*

*delicet feſtis, delibata melle, pigmentorū reſperſa pulueribus, in conuentu bibere!* Quod aliquando B. Petr. Damianus, *lib. 6. epiſt. 32.* Vel ſub ipſa Natiuitate Dominica parari, ait ſe percuſum prodigij nouitate, & exhorruiffe tanto magis, quanto id in *Eremito factum, ne audiſſe quidem, eatenus contigiffet, &c.* Et ego fateor, tametiſi monachorum omnium imperfectiſſimus, ſciens de quodam Monastico Cœnobio aliàs graui, & religioſo, cum generoſo fertilis glabæ vino gaudeat, adhuc aliud arte neſcio qua aromatariâ conditum, hyberno maximè tempore, menſis in ferre, initio prandij propinandum reſecturis, nullatenus approbare potuiſſe morem; nec in occasione tale vinum mihi aliquando illius Monasterij hoſpiti, etiam vt alijs oblatū, vllatenus libaſſe. Quod à religioſo conuictu arcendum, triplex productum teſtimonium ſatis vrget.

*Quibus horis oporteat reficere fratres.*

### CAPIT. XXXXI.

TEXTVS.



*Santo Paſcha vſque ad Pentecoſtem, ad Sextam reficiant Fratres, & ad ſeram cœnent. A Pentecoſte autem, tota æſtate, ſi labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æſtatis non perturbat, quarta & ſexta feria ieiunent vſque ad Nonam, reliquis vero diebus ad ſextam prandeant. Quæ prandij ſexta, ſi opera in agris habuerint, aut æſtatis feruor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis ſit providentia. Et ſic omnia temperet atque diſponat, qualiter anime ſaluentur, & quod faciunt fratres, abſque vlla murmuratione faciant. Ab Idibus autem ſeptembris, vſque ad caput Quadrageſſimæ, ad Nonam ſemper reficiant. In Quadrageſſima verò vſque ad Paſcha, ad Veſperam reficiant. Ipſa tamen Veſpera ſic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, ſed luce adhuc diei omnia conſumentur. Sed & omni tempore, ſiue cœnæ, ſiue reſectionis, hora ſic temperetur, vt cum luce diei ſiant omnia.*

NOTÆ.

I.

Percurritur  
textus.

PRO huius Cap. elucidatione, omnino recolenda ſunt quę de ratione computandi horas dixi ſup. cap. 8. &

num. 3. illiſque præmiſſis, ſic diſponit: *A Sancto Paſcha, ſcilicet Reſurrectionis Domini, vſque ad Pentecoſtem, ad ſex-*

*sextam reficiant, id est, hora prandij sit meridie, & ad seram exent. videlicet ferotino diei tempore. Nam inde eorū appellatam Vesperā, habet Plautus, cum quo Festus eo verbo, & Isidorus, lib. 20. Æthym. c. 2. Atque Alexand. lib. 5. Genial. cap. 21. ex eo quod nocte plerumque fieret. Vespera enim vltima pars diei est, vt sup. citato cap. 8. & ita hic ad seram, extremam partem diei significat, intra diem tamen, iuxta id quod inferius subiicit, quod, Vespera sic agatur, vt lumine lucerna non indigeant reficientes.*

II.  
Pentecostes,  
& quinquagesima.

In quo nota, hoc tempus à Pascha, in pascha, nullo intercepto ieiunio, vocatum fuisse, *Quinquagesimam* ab antiquis Patribus, in eoque cessantes ab omni poenitentiali Ceremonia, nec ieiunabant, nec genua flectebant. Quod expressè Cassianus, Collat. 21. cap. 19. & 20. inquit: *Vnde etiam, per omnia, eadem in illis, (scilicet quinquaginta diebus,) solemnitatem, quam die Dominica custodimus, in qua maiores nostri, nec ieiunium agendum, nec genua esse flectendum, ob reuerentiam Resurrectionis Dominica, traddiderunt. Ex quo & à refectorio ieiunium, (vt præfert textus) & ab Oratorio prostrationis ceremoniā abesse dimanauit. Confirmatque id amplius, eadem Collat. à cap. 11. & ante Cassianum, eadem omnino Ambrosius serm. 61. Atque in idem, quoad cessationem à ieiunio, Tertullianus, lib. de Corona militis, & Hieronymus aduersus Montanum, & in præfat. ad Regul. S. Pachomy, vbi ait: *Bis in hebdomada, die quarta & sexta ab omnibus ieiunatur, excepto Pentecoste, & tunc prandium hora sexta esse solitum traddit, vbi sup. cap. 23. Cassianus, & B. Frustruosus apud Smaragdum hic. Quoad genuflexiones non habendas eo tempore, intelligitur de illis prostrationibus, alijs temporibus ferialibus diebus, vñtatis in choro, ad officium diuinum, horasque canonicas peragendas. Nam quod aliqui fortè inde, & ex quibusdam iuris canonibus, extendere solent, vt dum pulsatur signum Orationis Angelicæ,**

Genuflexio  
nis cessatio  
qua & quā  
do?

post Completorium, non sint genuflectenda, eo tempore paschali, quod idem volebant alij, in illa solita & debita prostratione genuum, dum in symbolo canitur, & homo factus est: refutat plurib<sup>9</sup>, Nauarrus, in enchiridio de horis canonicis, cap. 4. à num. 6. Atque ita inter nos semper, vtraque conuentualis geniculatio profunda, pro eodem etiā tempore, perseverat in choro.

Procedit textus: *A Pentecoste autē tota æstate, nempe vsque ad Idus Septembris inclusiue, quarta & sexta ieiunent, vsque ad nonam, quæ est ferè tertia hora post meridiem, reliquis diebus ad sextam prandeant, &c. In vtroque vero casu expresso, & simili causa subsistente, permittit, vt in Abbatis sit prouidentia, illis diebus ieiunii, sicut in alijs, ad meridiem prandere, addens, vt sic omnia temperet, atque disponat, qualiter animæ saluentur, & quod faciūt fratres, absque vlla murmuratione faciāt. Hoc de murmuratione saepe ante dictum & notatum, & in sequentibus repetendum, & cauendum ex vtraque parte, vt nec subditus, quæcumque sit causa, murmuret, nec Prælati culpabiliter causam murmurationi præbeat. Ob quod nota hic, vbi legimus, absque vlla murmuratione. Smaragdum Abbate, & Card. Turrecrematam legere, absque iusta murmuratione, sed ex correctionibus exemplaribus, reponendum est, vt nos legimus, absque vlla, &c. Tametsi deffensio alterius lectionis, aptè fiat ab Smaragdo ex verbis D. Gregorii, hom. 17. Euang. dicentis: *Terra contra possessorem suum clamat, quando contra Pastorem suum iuste Ecclesia murmurat: Vt possit sano sensu dici, iusta murmuratione: Nec enim detrahentium murmuratione, quæ culpabilis est, iusta esse potest: sed tum, comparatione causæ datæ, iusta dicitur, sicut Gen. 38. Iudas de Thamar, iustior me est. Tum, quia murmuratione perinde ponitur, ac querimonia, vt in hymno. *Non murmur resonat non querimonia, & hæc iusta quādoque est, vt in alio hymno S. Andreæ, iustisque querimonijs, & appellari murmuratione trans-***

III.

Murmuratione  
tio an dici  
possit iusta.

IV

trāslatiuè potest sicut de aliis vbi culpa esse nequit, vt de Aquila Plinius, *lib. 10. cap. 3. sola sine clangore, sine murmuratio ne.* Vtinā Aquilæ in hoc omnes esse- mus, renouaretur, vt illarum, iuuentus nostra.

## IV.

Permissio Re-  
gulæ Abbati  
qualis?

Ex eodem textu, aliisque similibus colligitur, quantum authoritatis à REGVLA superioribus conferatur, vt in plu- ribus, seruata eius intentione, aliter pos- sit quando que disponere; imò cum di- xerit de Abbate hic. *Sic omnia tempe- ret, &c.* commentatus est Petrus Vene- rabilis, citata *epist. 28. lib. 2.* extendens ad omnia, vt qui *omnia dixit, nihil ex- clussit.* Sed tamen (cum veneratione Venerabilis) non ita ad omnia vt euer- tat Regulæ magisterium, quod vidimus *cap. 3. à num. 11.* non ita ad omnia vt to- ta Regula deuoluatur ad nutum Præla- ti, cui eam *in omnibus conseruare. &c.* iubet *cap. 64.* vt ibi, *num. 3.* Sed omnia illius scilicet generis, in quo talem per- missionem facit. Atque ita in eo iuxta modum facultatis arbitrandi, aut dispo- nendi, non epicheiā est opus, aut alia interpretatione legis, quæ se ipsam de- clarat; vt tamquam ex lege operetur Abbas. Salua tamen hoc tempore, om- ni superiori limitatione, si extet, quam indicaui in *introduc. Art. II. à nume- ro 7.*

## V.

Ieiunia re-  
gularia &  
ab illis ex-  
ceptio.

Prosequitur textus: *Ab Idibus septē- bris, vsque ad caput Quadragesimæ, ad Nonam semper reficiant.* Est enim id tempus totum ieiuniorum, ex REGVLA, si Dominicos dies demas, qui semper à ieiunio intelliguntur excepti autori- tate Ecclesiæ; an vero à tempore S. BE- NEDICTI, stante authoritate dicta, nihil refert, sed constabit *ad cap. 49.* insuper in nostra Congregatione excipiuntur quedam solemnes festiuitates, quas fe- re easdem Congregatio Cassinensis, ex indulto Apostolico habet exceptas, & apud Concilium Aquisgran, *Can. 46.* vt tales declaratas, inter nos autem, non solum excipiuntur, pro tempore isto, ab Idibus septēbris vsque ad Qua- dragesimam: Sed etiam aliæ, pro tem- pore à Pentecoste vsque ad prædictos

Idus septembris. Ad quod habere fa- cultatem, ex priuilegiis, ipsis productis, discuffi latius in meo tractatu monasti- co, *cap. 6.*

Potestas ad  
id ex priuil.

Imo addo, semel erecta & constitu- ta aliqua Congregatione autoritate Apostolica approbata Religionis etiā si prædictis expressis priuilegiis munita & instructa non sit, habere potestatem ad prædicta, per sua Capitula saltem ge- neralia, aut quibus summa Congrega- tionis potestas absolute delata est. Nā quoad leges condendas, ex sola institu- tione aut confirmatione Sedis Aposto- licæ talis Religionis, aut Congregatio- nis religiosæ, potestatem consurgere, admittit expressè Petrus à Lorca, *in 1. 2. sectione de legibus disp. 12.* Deinde etiam in talia capitula transfundi, cum ipsa subiectione & obediētia; potesta- tem in omnem Congregationem, suo proportionato modo, indubitatum est. Cū hæc ita sint, posse Abbatem iuxta REGVLAM, rationabili arbitrio suo dispensare, & temperare & dispo- nere plura, ipsa REGVLA concedit, & in præsentī materia, ita sensit supra citatus Petrus Venerabilis, quasi ex Regulæ potestate agens, inquit: *Si vero in ho- nore Domini, Dominicis diebus ieiunia sol- uentes, iuste agitur: & nos Domini & seruorum eius bis in eorum solemnij co- medentes, nihilominus iuste agimus,* ad- mittens, sicut in Dominicis diebus, quī in REGVLA non excipiuntur, & non iei- unari in illis, non habetur vt transgres- sio REGVLÆ; ita in aliis, propter simi- lem rationem exceptis; sed vtrumque propter arbitrium commissum Abba- ti, iuste fieri. Ergo hac vtens potestate Capitulum, potuit ea ieiunia relaxare absq; aliis priuilegiis, quæ potius quoad hoc videntur limitationes, aut ordina- tiones modorum tenendorum, in vsu suæ perpetuæ, & ob id ordinariæ potes- tatis, quibus tamen standum est, modo statim declarando.

## VI.

Potestas ad  
id aliunde.

Nam prædictam potestatem com- petere Abbati, ad dispensandum, ac proinde Generali, aut Capitulo; cui- libet, respectu suorum in eo subditorum

## VII.

Eadem po-  
testas ex in-

ex re,

ex ipso iure communi, communiter probatur, ex Cap. cum ad m. masterium, de statu Monach. Vbi a dispensatione Abbatis, excipit quod ad votum essentialia pertinet, & cum exceptio firmet regulam in contrarium, cap. Quoniam de coniugio leproforum, &c. restat, quod in alijs dispenset. Et ex Concilio Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 1. vbi solum negat Superioribus potestatem relaxandi ea, quæ ad substantiam vitæ regularis pertinent, quæ scilicet sunt tria vota, & ita in reliquis concessa censetur potestas ex iure, vt iam tetigi in *Introduct. art. 9. num. 9.* ex citatis etiam ibi authoribus, quibus adde, Manuel Roder. tom. 1. q. 26. artic. 1. Syluester verbo *Dispensatio, quæst. 14.* Sotam, 1. de iust. & iur. q. 7. ar. 3. Ergo stante iure communi, non opus est privilegijs. Quod vero ea imperentur aliquando, ad aliquid agendum, non inde infertur aliter non posse fieri. Interdum enim peti, cõcedique, quod iure communi licet, est textus expressus, in cap. quia in causis 7. de Procurator. & semper aliquid amplius in circumstantijs firmitate, aut modo operari, nota est doctrina, ex c. in ijs, de Privilegijs, de quo etiã in meo *Tract. Monast. capit. 7. num. 8.* Quæ ad saluandas prædictas relaxationes ieiuniorum, sine REGVLÆ noxa, & alia similia deseruiant.

Impetratio  
supernacua  
primil.

VIII. *Refectio ad Nonam.* Itaque his diebus ieiunii regularis, quod (vt semel dictum sit) solum sub veniali culpa obligat Monachum, iuxta dicta de 3. Classe, in *Introduct. Artic. 8.* hora nona erat prandium. Eamque fuisse communem comedendi horam, antiquis Siriæ, Ægyptique Monachis, in diebus ieiunii, constat ex Cassiano, *Collat. 2. capit. 25.* & *collat. 19. in fine*, ibi: *Cum hora nona refectioem imminere sensisset, &c.* Hinc annonam, quam de annuo victu, dicunt plures, ab hora ista qua veteres Romani comedebant, deducit Franciscus Patricius, *lib. 3. de Republ. tit. 11.* ex Varrone, & alijs, & licet dicat ibi, *Cœnabant*, sed prandebant intellige, sic enim Põpcius Festus, de verb. signific. ait: Cœ-

na apud antiquos dicebatur, quæ nunc est prandium. Ad nonam autem in vsu fuisse, tradidit etiam Alexand. ab Alex. *lib. 21. Gen. capit. 21.* Atque de antiquo more manducandi, quoties in die, & quo potissimum diei ac noctis tempore, habes ingenti eruditionis copia, apud Ioann. Guillelmum Stuckyum de *Antiquit. Coniualibus*, *lib. 1. capit. 11.* & Conformiter Lilius Giraldus, *lib. de annis & mensibus, &c.*

Præterea tertium distinguens tempus ait: *In quadragesima, vsque ad Pascha, ad vesperam reficiant, ipsa ramen vespera ita agatur, vt lumine lucerna non indigeant reficientes.* Hinc colliges hanc horam verè ferotinam, & prope solis occasum esse, id quæ constat, ex pluribus quæ congerit Stephanus Durantus, *lib. 3. de Ritibus Eccles. capit. 11.* Ad quod Cassianus, *Collat. 22. capit. 1.* ibi: *cum ipso noctis initio, id est post Synaxim vespertinam.* Ad est quæ in id B. BERNARDVS, *ser. 3. de Quadrages.* Nam & proinde Vespera appellabatur *Lucernaria*, ex adductis à citato Duranto. Augustinus vero, indistincte de omni ieiunio Monachorum, *lib. 1. de Moribus Eccles. capit. 33.* ait: *Quotidie semel, sub nocte, reficiendo corpus, est vltimatissimum.* Et ex Petro Diacono, Constantinus, Caietanus, in *Isidoro*, ideo (ait) *ad nonam vniuersis diebus constituta sunt solui ieiunia, vt sit aliquid prolixius, quod Quadragesime diebus addant, id est vsque ad vesperam.* At quæ ita *Lucernariam* horam vndecimam, quæ extenditur ad solis occasum, dicit Chiaconius, in *Annotat. ad Cassianum*, & ex ijs quæ adducit, & ex rigore iuxta dicta, *capit. 8.* duodecimam, & diei vltimam deberet dicere. De quibus adhuc plura Rosuueidus, in *Onomastico*, verbo: *Nona hora.* Nobis ista satis.

IX.  
*Refectio ad vesperam.*

X  
*Lucernaria hora quæ?*

X.  
*Substitutio de reficiuncula ieiunij.*

bus

bus ieiunij, nulla mentio fit ientaculi ferotini, seu refectiuncule, quam vulgò vocamus *Colacione*. Et ratio est in promptu; quia eo tempore hora prandij, adeò in serum protrahebatur, vt nullum superesse posset spaciũ, congrua ratione admittens ientaculũ, quod antiquitus omnino in cognitum fuit. Basilius enim in *Epist. 1. ad Greg. Theol.* absolute, vnicam tantum innuit refectiorem illis verbis: *Cibi sumendi hora sit vnica, & constituta, vna sit hæc e quatuor & viginti, quam temporis intercapedinem complectitur diei noctisque vicissitudo*, & Hieronymus *Epist. ad Paulin. de instit. Monach.* ait: *Sit vltis & vespertinus cibus, olera & legumina, &c.* Vtrumque tamen intelligo, non in vniuersum de omnibus annidiebus, sed de Regularibus ieiuniis; à quibus *REGVLA* distinguit alios, in quibus vinam refectiõne, scilicet, prandium & coenam dearticulate concedit.

XI. De Cætero, quoad ieiunia, prius biberes tantum introductos fuisse, ita vt solus potus sumeretur, existimari potest ex antiquissimo libro *Vsuum Cisterciens. capit. 80.* quod inscribitur *de bibere post Vesperas*, sed in corpore describens ceremonias, ad cõueniendum conuentualiter ad hos biberes post vespervas, ordinat idem de illis, qui fiebant *in æstate post nonam*. Quod confussionem parit, an sit de potu, loco refectiuncule. Nec maior lux habetur ex *Can. 12. Concilij Aquisgran.* vbi ait: *Vt si necessitas poposcerit, ob operis laborem, post refectiorem Vespertinã, & in Quadragesima pari modo, & quando officium mortuorum celebratur, priusquam lectio completoriũ legatur, bibant.* Maximè si stemus explicationi *Fr. Antonij Yepes, ibi, tom. 3. ad finem:* Qui nullatenus, ad subsidium illud ieiuniorum, verba trahit. Et ego, non aliter habere locum meam coniecturam, censeo, nisi postquam horẽ refectiõnis reducta sunt ad terminos magis similes, consuetudini huius temporis: alias si in ieiunijs Quadragesimæ, re-

fectio fiebat post vespervas, ad solis occasum, coincidebat hora prandij cũ hora illius potus. At quidem, mutatis horis, & anticipato prandio, bibere post vespervas, & immediate sequi lectiõne Completorii, vt disponit liber vsuum citatus (quæ est hora coenæ, in diebus, qui ieiunii non sunt) omnino competit refectiuncule, quam ieiunantibus dicitur *colacion* Hispanæ, sicut & ab aliis extra Hispaniam Prouintiis, vulgario omnium secularium vocabulo, & ob id, meo iudicio, neutiquam participato, vt censent aliqui à lectiõne claustri seu completorii, quæ immediate subsequabatur, & quam alias *collationem*, prædictus liber, *cap. 81.* & alii vocant, vtique hoc ex similitudine *collationum* Patrum, quæ materia lectiõnis designatur in *Regula*, &c. quæ pro Monastica disciplina habebatur, prout à *Cassiano*, etiam post prandium, describuntur. Et forte sub nomine *bibere*, frustulum etiam panis intelligitur; nã in *REGVLA*, *bibere & mixtum*, idem reputatur; & non ex solo potu constare *mixtum*, vidimus sup. *capit. 38. & num. 15.* & ita in *Collatione* introductum.

Vt cumque tamen sit, iam immemorialis consuetudinis vniuersaliter approbatæ firmitate, etiam in Religione licita est hæc minuta refectiuncula in diebus ieiunii Ecclesiasticis, ne dũ Regularibus; prout absolute & sine distinctione licere omnibus, tradunt Authores, quos citat & sequitur *Bonacina, tom. 2. de præcep. Eccl. disp. vlt. q. 1. punct. 3.* & *Latus Stephanus Fagundes, de quinque præcep. Eccl. præcep. 4. lib. 1. cap. 4. num. 12.* Atque in Vigiliis Natiuitatis Domini, duplo aut triplo maior in quantitate solito, excepto in pane concedit etiam Religiosis, cum doctis iunioribus *Thomas Sanchez, tom. 2. consil. lib. 5. cap. 1. dub. 26.* de quantitate tamen Ordinarie ultra sex vncias cibi posse sumere, dum citra octo se contineat quis, licere censeo Religiosis: de qualitate vero, non omnem cibum licere, tenendum omnino: in quo largius loquutus est *Bonacina*, vbi supra, vt

Et nomen colacion.

XII. Et quatenus licita.

In quantitate & qualitate

vt merito taxandus veniat, etiam à benigno & largo Diana, qui tam de quantitate, quam de qualitate studiosius differuit *l. par. tract. de ieiunio Resol. 1.* Quare modo dicto, seu alias recepta consuetudine in Religione, transgressio nulla est REGVLÆ, huiusmodi refectiunculam in diebus ieiunij fumere. Nam sicut sufficiens autoritas & consuetudo, inuexit diuersas temporis horas officij diuini, vt vidimus *capit. 8. cum seqq.* ita & horas prandendi, & modum ieiuniorum immutauit, & iuxta nouas constitutiones, habentur tamquam obseruantia subrogatæ ipsi REGVLÆ.

XIII.  
Ieiuniorum  
diuersa ratio  
& modus.

Ideoque addam, non vna lege consideranda esse omnia ieiunia, non solum quoad obligationem, sed & quoad modum. Nam licet ieiunium Ecclesiasticum, quibus requisitis constat, sciant omnes, & apud omnes eadem sit eorum ratio; non sic in REGVLARIIBUS, quæ quandoque strictioribus, quandoque laxioribus continentur limitibus; prout austerior vel mitior abstinencia constituitur, per talem Regulam, aut secundum institutum practicatur. Sic inuenies, apud Cardin Petrum Dam. *Opusc. 15. de sua Congregationis institut. capit. 6.* talem ieiunii acceptionem: *Ieiunare autem dicimus illos, qui panem cum sale & aqua percipiunt, vbi præter hæc, aliud accipitur, in eremo ieiunium non vocatur.* Et in vita S. Romoaldi, *cap. 9.* de eo, & eius discipulis inquit: *Duabus anni Quadragesimis, non solum ipse, sed & plerique sui discipuli, totius hebdomadæ soliti erant continuare ieiunium: & addens modum ait: ieiunare autem omnino est, diem absque vlllo cibo transigere.* Sic ieiunia, quæ solum xerophagiis, sine vlllo coctionis pulmento, agebantur, de quo Tertullianus, *lib. de ieiunio,* & Cassian. *lib. 4. instit. capit. 21.* & similia, quæ porro vltra Ecclesiastici ieiunii metas progrediuntur. Etenim alia mitiora sunt, quæ citra illas, multum se continent, nec horæ meridiana prandii rigoro adstricta; nec esum carnis excludentia, qualia sunt quæ, REGVLÆ quoad carnes partim

dispensata, etiam in diebus quibus concessa est dispensatio, abstinencia ieiunii regularis perficitur; dum semel in die comeditur, scilicet ad prandium, sublata cœna, & ad minorem refectiunculam in quantitate & qualitate reducta. Quo pacto mitigata aliqua ieiunia regularia, subrogata sunt in loco eorum, quæ & in hora reficiendi, & in qualitate cibi, aliter constituta sunt in REGVLÆ, & sub eadē obligatione. Licet erubescenda sit tepiditas nostri temporis, in quo, eo pacto, in pluribus ieiuniis, Congregationes aliquæ, sic vel sic, nescio copulatim segniter cadente renore, ad eodē à priori institutione deferuent. Et tamen non vt supra, fiat affectanda illa extraordinaria ieiunia; cum moderata, aptiora & meliora communiter censeant Sancti Patres: Sed ista sine diminutione retinere, ne ex indulgentia, in quam frequenter nititur Monasterii vulgus, relaxatio augeatur, studium debet esse maximè Superiorum, sub obligatione iam declarata, in *introduc. art. II. n. 4, & 5.*

Denique ad illud textus: *Omni tempore siue cœna, siue refectiois, hora sic temperetur, vt cum luce diei fiant omnia.* Aliquid iam dictum est demutatione horarum, supra *capit. 7. num. 30.* & aliquid adhuc mutari necesse fuit, de hora cœnæ, vt videmus in nostra, & alijs Congregationibus. Hæc autem dispositio, contra verba huius textus, partim consequitur ad variationem horarum, tam in diuinis officiis, quam in alijs, vt loco citato dictum est. Partim nascitur ex augmento celebrationis diuini officij, in Choro, vt dicam ad *capit. 48. num. 9. &c.* & denique ob incommoda salutis, & angustiam temporis, diebus hybernis. Ex quibus, Capitulum autoritate iam supra insinuata potuit illud disponere & non difformiter à REGVLÆ, quæ tanta attentione corporeæ salutis, *capit. 8.* horam surgendi ad vigiliam temperat, vt iam *digesti surgant:* & hic, etiam prandendi horam, ob laborem aut calorem præuenire permittit; & similia arbitrio Superiorum concedit, ipse que

Mitiora ieiunia.

XIII.  
Cœna horæ  
Variatæ.

Quibus variationibus.

Regule Author rationabili interdum alterationi, locum non esse preclusum, subindicauit exemplo suo, quod refert D. Gregorius, lib. 2. dialog. capit. 20. ubi: *Vespertina hora; cum corporis alimēta perciperet, Monachus ante mesam lucernam teneret, &c.* Nisi velis &

hinc Abbatē excusare peculiariter ab hora cœnandi cum diei luce, quam præscriuit Conuentui, qui tamen ex insinuatis aliisque similibus accidētibus excusatur, autoritate dicta dispensante, ita vt in his, & quę huiusmodi sunt, nulla REGVLÆ transgressio fit.

*Vt post Completorium nemo loquatur.*

### CAPIT. XXXXII.

TEXTVS.



**O**MNI tempore silentio debent studere Monachi, maximè tamē nocturnis horis, & ideò omni tempore siue ieiunij, siue prandij, si tempus fuerit prandij, mox vt surrexerint à cœna, sedeāt omnes in vnū, & legat vnus collationes, vel vitas Patrum, aut certe aliud quod edificet audientes, non autem Heptateuchum, aut Regum, quia infirmis intellectibus non erit vtile, illa hora hanc lectionem audire: alijs verò horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerit, dicta vespera, paruo interuallo, mox accedant ad lectionē Collationum, vt diximus: & lectis quatuor, aut quinque folijs, vel quantum hora permitit, omnibus in vnū concurrentibus, per hanc moram lectionis, si quis fortè in assignato sibi commissio fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in vnū congregati compleant. Et exeuntes à Completorio, nulla sit licentia denuò cuiquam loqui aliquid. Quod si inuentus fuerit quisquam, præuaricari hanc taciturnitatis regulam grauiori vindiçtæ subiaceat: excepto si necessitas hospitum superuenerit, aut forte Abbas alicui aliquid iusserit. Quod tamen & ipsum cum summa grauitate & moderamine, honestissime fiat.

NOTÆ.

I.  
Illustratur  
pars textus.

**O**Mni tempore, ait: silentio debent studere Monachi. Quorum in tacendo obseruatio mira, refertur à Cassiano, lib. 2. instit. cap. 15. & quenam sit tenenda à Nouitijs, præscribitur à B. Basilio, in Regul. fusior. 13. & quæ ab alijs, in institut. Monach. capit. 12. Sed non omni tēpore debere id æqualiter sustineri, ostendit quod subdit, *maximè tamen nocturnis horis*, de quo strictius inuenitur cautum, apud Basilium, cuius locum dedi supr. capit. 23. num. 4. Et vt redeat ad silentiū nocturnis temporis, transit statim ad statuendā quotidianam lectionem, ante Completorium, quam nos dicimus *lectionem*

*claustrum*, quia in claustro, omnibus confedentibus, habetur. Vbi distinguit tempora scilicet, *siue ieiunij, siue prandij*. Et tempus prandij contraponitur tempori ieiunij, quasi dicto prandio, adducat secum, quod *hom. 36. in Euangel.* dixit Gregorius, *post prandium cœna restat*. Licet Robertus Steph. in The fauro ex Plinij, & Celsi locis, prandiū non fuisse præcipuā diei comestionem antiquis, autumet: sed sensum REGVLÆ Gregorius expressit, & probabo infra n. 4. Itaq; diebus prandij *post cœnam*, & diebus ieiunii, *dicta vespera*, paruo interuallo, vtroq; vero tempore, ante cōpletoriū immediate sequendum, lectionē ha-

haberi iubet. Lectionem autem adornat dicens: *Sedeant omnes in vnum*, & habita lectione, adiicit consequenter, *Omnes ergo in vnu congregati cōpleant, &c.* hoc est *Completorium* dicant. Atq; ita fit, cum lectio ista substituatur loco illius, quam *prefationem Completorii*, vocat Stephanus Durantus, *lib. 3. de Ritib. Eccl. cap. 12. num. 9.* scilicet, *Fratres sobrii estote*, &c. ad quod sequitur hora.

II. *Lectionis claustrinaria.* Etenim de materia lectionis, ait: *Legat vnus collationes*, scilicet quas edidit Ioannes Cassianus, sapius in hoc opere citatus, & laudatus ad *cap. 1. n. 1.* vel *Vitas-Patrum*, nempè quæ præcipuè, eo nomine circumferuntur, ex D. Hieronymo alijsque, vt eruditè enucleauit Hiribertus Rosuueidus: *aut certe aliud, quod adificet audientes*, ex quo factus est locus, aptandi lectionem alicuius deuoti libri, atque vulgari lingua conscripti, Catholici & spiritualis. Quod vbique iam consuetum est & recte fieri, vt etiam imperitioribus, & fratribus laicis Latinum sermonem ignorantibus, in edificationem profit iuxta REGVLAM; quæ omnes ad hanc conuocat lectionem: à qua, sine causa aliqua, aut ratione omnino, abesse: culpa licet leui non caret, prout dictum est in tertia CLASSI, in *introd. art. 8.* Excipit verò à lectione huius tēporis *Hepateuchum* (sic correctius, quam vt aliqui codices habent, *Epitaricum*) per quod intelligit septem libros sacros. Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Iosue, & Iudices. Adiungitque libros *Regum*, quos minus proportionatos, ea hora, reputat. Nam vt ait D. BERNARDVS, *Ad Fratr. de Mōre Dei. Lectionis modum similis meditatio sequi solet.* Aliàs de vtilitatibus lectionis Sacræ Scripturæ, vndiq; personant sancti, & ipsa vbique REGVLA, inde omnino instructa, concinit: congestitque tibi, de hoc argumento plura Franciscus Mendoza, *tom. 1. in lib. Regum, Annotatione 1. proæmiali*, & Cornelius à Lapide, *tom. in Pentath. in cœnomico S. Scripturæ*, & alij moderni,

& ante eos D. Bonauent. *tom. 1. opusc. 1. Sec.* Quod vero de Eptateucho, aut libris Regum, interdicit, illa hora, ad alios similes Historiales, & Canticum Canticorum extendunt aliqui, nec abnuo, militante ipsissima ratione eorum qui exempli gratia, sub particula *aut*, expresse remouentur.

Deinde ad id, quod in titulo capituli proponit, iubet: *Vt exeuntes à Completorio, nulla sit licentia cuiquam loquendi aliquid*: Additque, *preuaricantē hanc taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ subiacere*: Sed dum grauiori dicit, cum quam alia vindicta comparat? Vtique cum infligenda, pro alia fractione silentij per diē, quod ob id cōmendat, *maximè nocturnis horis*: Itaque minor noxa, diurna fractio silentij horis & locis Regularibus, sed vtraq; intra limites venialis culpe, ad tertiam CLASSEM pertinentis, ex sua ratione. Adhibet autem exceptionem *Hospitum superuenientium*, aut etiam, *si Abbas alicui aliquid inusserit*, quod idem intellige de quolibet Præfidente Conuentus, cuius iussio, in rebus officij, tamquam Abbatis æstimatur, ad hoc. Atque dum necessitas hospitum excipitur, quæcumque alia similiter rationabilis, à culpa excusabit. Neque in hoc est requirenda summa necessitas, sed iuxta materiam, ratione alicuius indigentia, vel charitatis, vel vrbauitatis iuste, &c. si tamē cum omni grauitate & moderatione fiat, quo pacto, ex ipsa REGVLA, excusatur ab omni culpa, silentium illius soluere, sicut in aliqua modica & occasionali loquutione dixi sup. *ad cap. 38. num. 11* de silentio Refectorij, & proportionally de aliis locis dicendum,

Illud verò: *Mox vt surrexerint à cœna*, & infra. *Dicta vespera, paruo interuallo, mox accedant ad lectionem, &c.* Vtrumque *mox*, pro, *postea*, aut *deinde*, sumitur vt ordinem & consequentiam rerum faciendarum indicet. Interiectū verò *interuallum*, considerandum est iuxta dies maiores, vel minores, & dixit ibi, *paruo*, quia vt in plurimum ieiunia tempore hyemis continuantur,

III. *Silentium nocturnum.*

*Exceptio silentij.*

III. *Mox quid?*

distinctio ie  
iuniorum ab  
alijs.

quando exigui dies magnum spatium lucis, post Vesperas celebratas, non poterant admittere; at ieiunijs æstiu temporis, longior poterat esse inter capedo, ubi cœna non est. Prædictis enim verbis (vt capi notare, n. r.) solum distinguit dies ieiunii; à diebus quibus non ieiunatur, quocumque anni tempore accidant, & cum priores, vocauerit absolute ieiunij, & posteriores prædij, nunc designat hos, dū ait: surrexerint à cœna, & illos dum ait: Vespera dicta. Vbi omnis refectionis, vel refectionis mentio abest, quia tunc temporis, nulla erat, vt notavi, Cap. preced. n. 10. &c. Quare ad horum distinctionem alios vocauit prædij, quia cõmunis & ordinaria refectionis non ieiunantium, duplici refectione

ne constabat: ita vt prædium quod prima erat, respiceret cœnam, quæ est secunda. Quæ loquutio innotuit sup. n. 1. ex D. Gregorio, receptior est, vt cõtra Seruium probat Philippus Beroaldus, ex Cicer. 5. Tuscul. & Lampridio, in Alexandro severo, & Plauto, Terentioque, & plurima antiquorum lectione, concludens ait: Apud prædicos non minus in usu fuisse prædij quam cœnas, & homines indies bis, saturos fieri solitos, adduciturque à Tiraquello, in semestria Alex. ab Alex. lib. 5. diu. genial. capit. 21. Quod & cum Monachis loquens S. Ephrem-Syrus, tom. 2. de virtute ad Nouit. adhorrat. r. tradidit, ibi: licetque bis in die ad comedendum tradiditur. &c.

loquutio D.  
Gregor. Con  
firmatur.

De his qui ad Opus Dei, vel ad mensam tarde occurrunt.

### CAPIT. XXXXIII.

TEXTVS

S. I.

**A**D horam diuini Officij, mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur, cum grauitate tamen, vt non scurrilitas inueniat fomite. Ergo nihil operi Dei preponatur. Quod si quis, ad nocturnas vigilijs, post Gloriam Psalmi nonagesimi quarti (quem propter hoc omnino protrahendo, & morose, volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed ultimus omnium stet; aut in loco, quem talibus negligentibus seorsum, constituerit Abbas: vt videatur ab ipso, vel ab omnibus, usque dū completo Opere Dei, publica satisfactione pœniteat. Ideo autem eos in ultimo, aut seorsum iudicauimus stare; vt visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua, emendantur. Nam si foras Oratorium remaneant, erit forte talis, qui se aut collocet & dormiat: aut sedeat certè foris, & fabulis vacet, & detur occasio maligno. Sed ingrediatur intro vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis, qui post versum & gloriam primi Psalmi (qui post versum dicitur) occurrerit, lege qua supra diximus in ultimo loco stet, nec præsumat sociari Choro psallentium, usque ad satisfactionem, nisi forte Abbas licentiam dederit permissione sua, ita tamen vt satisfaciat reus ex hoc.

S. II.

Ad horam verò refectionis, qui ante versum non occurrerit, vt simul omnes dicant versum & orent, & sub uno simul omnes accedant ad mensam, qui per negligentiam suam aut vitium, non occurrerit, usque ad secundam vicem pro hoc corripiatur. Si vero non emendauerit, non admit-

tatur

tatur ad mensæ communis participationem, sed sequestratus à cōsortio omnium, reficiat solus, sublata ei portione sua vini, vsque ad satisfactionem & emendationem. Similiter autem patiatur, qui & ad illum versum nō fuerit præsens, qui post cibum dicitur. Nec quisquā præsumat ante statutā horā, vel postea, quidquā cibi vel potus percipere. Sed & si cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit, hora qua desiderauerit hoc, quod prius recusauit, aut aliud omninō nō percipiat, vsq; ad emendationē congruam.

NOTÆ.

I.  
Multa tarditas in Choro.

**S**EMPER in REGVLA, diuinum Officiū vocatur OPVS DEI, & proprie eius, in quo nulli alii nisi Deo atēditur, nec aliud in effectu manet, nisi quod digni obsequij in eius acceptatione remanserit. In hoc autem opere, tardis multam indicit omninō ex antiquo more, quem expressit Cassianus, lib. 3. de instit. cap. 7. & ante eum S. Pachomius in Regula, quam latinitati dedit Hieronymus, vbi ait: *Per diem, qui vna oratione tardus, & noctu per duas orationes, in collecta, & in vespendi loco venerit, ordine corripitur.* Magis autem S. BENEDICTVS ad Cassianum, (vt solet) accedit. Constatque hæc satisfactio in quibusdam ceremonijs, quæ fiunt insignum externum humilis recognitionis, harum leuium negligentiarum, scilicet tali, vel tali modo inclinari, vel postrari, &c. quod apud nos vocatur, *Veniā petere, aut sumere*, prout etiam cum aliis poenitentis regulariibus, cap. seq. describitur, pro aliis culpis diuersis.

II.  
Punctualitas Chori.

Igitur textus sic ait: *Ad horam diuini officij, mox vt vt auditum fuerit signum &c.* Vbi, mox, id est statim & sine mora: Hanc enim propriam significationē illius particulæ, cum aliis, in quibus explicata est, cap. preced. num. 4. probat Robert. Steph. in *Thef. ling. Lar.* Addit vero textus, *relictis omnibus*, & de iis quæ sine periculo & damno relinquī possunt, intelligitur, à Cardin. Turrecremata. Et eodē modo est illud quod sequitur: *Ergo nihil operi Dei præponatur*, accipitur enim de voluntariis occupationibus, non de iis, quibus ex obedientia præpeditur, si ea forma à Superiore sint iniuncta, vt in eis, etiā orationis hora, occupetur. Opera enim

Monachalia, ex obedientia graduanda sunt, & quæ prius legitime præcipiuntur, anteponenda. Alias sine ratione aut causa illius, sponte moram trahere, quàm damnatum, veterum celeritate & promptitudine, docet Cassianus, lib. 4. instit. cap. 12. inquit talem fuisse, *Vt is qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non audeat, &c.* Quod tamen reor dictum de literis maioribus, duo aut plura consumentibus spatia: nō de iis quæ vnico simplici tractu calami velociter scribentis, incapaces sunt moræ. Vnde D. Bernardus, ser. 47. in Cant. rationem reddit non protrahendi sermonem inceptum: *quia hora non patitur*, scilicet, OPERIS DEI. Quo quidem nomine (inquit) *laudam solemnia quæ Deo in Oratorio quotidie persoluntur*, Pater Benedictus ideo voluit appellari, vt ex hoc clarius aperiret, quàm nos operi illi vellet esse intentos, & cetera, quæ de studiosa Officij diuini adimplerone prosequitur, oraturis proficua.

III.

Multa tarditatis in Vigilijs.

Procedit inde: *Si quis ad nocturnas Vigilijs, &c.* vbi præscribit formam satisfaciendi in noctibus ad horā officij, quā vulgo vocamus *Maitines*, Nocturnos Vigiliarum continentē. Atq; hinc constat ratio, propter quā Psalmus, *venite exultemus*, qui est, 94. dicatur, omnino protrahendo morose, scilicet, vt detur spatium venientibus, ne eo elapso, finitoq; Psalmo, subire debeāt tarditatis poenā. Quæ ratio, aliquatenus cessasse videbatur, postquam in choro sēper ad vigilijs Maioris officij, prærecitantur, quæ B. Mariæ sunt, ex quo satis protrahitur mora, vt venientes ad chorū, illam multam & poenam à Regula impositam, deuitare possint, nec opus sit

nimia Penſa, & vtcumque nimietas vitanda. Atque in communi, illud videtur opportunum, quod pro ſingulis monet D. Bonaventura, *tom. 2. opuse. inſpectulo diſcip. part. 2. cap. 9. de diſciplina officij in choro*, vbi & authoritatē Regule S. BENEDICTI, non ſemel ſuam doctrinam exornat, & ad rem ait: *Debitus legendi & cantandi modus eſt, vt nec nimium feſtinet, nec nimia fiat aut inæqualis protrahatio*. Danda tamen diei vel horę ſua competens ſolemnitas & modus.

III.  
Longe eſt à  
cenſura.

Nota autem, iſtam formam ſatisfaciendi, pertinere ad illas pœnas, quas alias excommunicationis nomine propoſuit, *ſup. cap. 23*. Conſiſtunt enim in quadam ſegregatione à cæteris, & ſunt pro his leuioribus tarde occurrendi ad choram, vel reſectorium, quibus affecti, *ſequenti cap.* etiam vocantur excommunicati. Atque ex tenore verborum hic expende, nullo pacto cum cenſura debere confundi, qualis eſt Eccleſiaſtica excommunicatio, ſiue maior, ſiue minor. Nam ſolum intendit, *vt viſi ab omnibus, vel pro verecundia ſua, emendentur*, quæ erat pœna de qua memini *ſup. cap. 23. num. 15.* & ad id temperat, vt ſeparatio non ſit, remanendo extra choram, propter rationes in textu contentas: talisque pœnitentia, non niſi in ipſo tempore, dum Vigilię aguntur, ſit: & ad ſummum extendebatur, *uſque dum compleretur opus Dei*, nam & antea, poſſe liberari à pœnitentia, ſi Pręſidenti videatur, (vt ſit) conſtat Paulo inferius, ibi: *niſi forte Abbas licentiam dederit, permiſſione ſua*, quam vel ſigno aliquo, vt percuffione ictus in ſella, ſignificat, itaque in eadem hora officij imponitur, & auferitur, & ſæpe iterari contingit in aliis horis diei, nihilque habet cęſurę Eccleſiaſticę, nec talis acceptio aut praxis (meo iudicio) vnuquam exitit.

V.  
Multa in ho-  
ris diei.

Progreditur vlteriùs: *Diurnis autem horis, &c.* Statuens ſimilem legem ſatisfaciendi de horis officij per diem, in quibus includuntur *Laudes*, quæ in Regula vocantur *Maturini*, & eas ad ho-

ras diei pertinere, conſtat ſupra, *cap. 8.* ibi: *incipiente luce, agendi ſunt, & expreſſe cap. 16.* Atque modus vite ſumendi veniam ſeu ſatisfaciendi, innuitur *cap. 13.* dum eadem ratione, qua dictum eſt de *Venire exultemus*, dicitur ibi de *Psalm*: *Deus miſereatur noſtri, &c.* iubetq; vt *modice protrahendo, dicatur*. Quod adhuc minus hodie neceſſarium eſt, vt *num. 3.* notabam, cum *Laudes incunctanter & immediatè Nocturnis ſuccedant*, eiſdem in choro adſtantibus, quibus expectandis, non ſit opus moram fabricare hac ratione, bene aliã, ibi inſinuata.

Accedit vero de eadem ſatisfactione in reſectorio, pro negligenter tardantibus ibi: *Ad horam verò reſectionis, &c.* In quibus præſupponit REGVLAS orationem benedictionis ante ſumptionem cibi, & poſt eam, gratiarum actionem eſſe habendam. Quod inter alia expreſſit B. Baſilius, *epiſt. 1. ad Greg. Theol.* atque S. Ephrem Syrus, Baſilio Synchronos, *tom. 2. de virtute ad nouit. mon. adhortat.*, 1. ibi: *ſemper cibum cum gratiarum actione ſumito*. Vbi, Scholiaſtes Gerardus Voſſius plura de hoc adducit. Sed id ſuperfluum eſt recenſere, in conuentali Monachorum reſectione, cum in omni etiam priuata menſa bene inſtituti Chriſtiani, de eſſe non debeat; nec ſingulariter reſiciendus omittebat, in ſui monachatus rudimentis, B. BENEDICTVS, de quo Gregorius, *lib. 2. dial. cap. 1.* quando ipſi ſolitario, Præbiter à cœlo admonitus, eſcas detulit, *benedicentes (ait) Dominum, ſumpſerunt cibum*. Imò & de potu ſeorſum, ipſe ibidem, *cap. 3.* ait *cum vas vitreum, in quo ille peſtiſer porus habebatur, recumbenti Patri, ex more Monafterij, ad benedicendum fuiſſet oblatũ, &c.* Nunc tamen vtrumque vnica benedictione complectimur.

VI.  
Eadem in re-  
ſectorio.

Benedictio  
cibi, &c.

Igitur multa, quæ imponitur tarde occurrentibus ad Verſum Orationis, ante cibum dicendum; aut diſcedentibus ante verſum ſeu psalmum, poſt cibum recitandum; ea eſt, vt non habeant *menſe comunis participationem*, ſed

VII.  
Quis mo-  
dus multa.

sed post secundam correptionem, utique verbum, delinquens *sequest.atus a consortio omnium, reficiat solus, ablata ei portione sua vini, &c.* En tibi semper ob oculos modus excommunicationis Monasticæ. Atque tales inuenies de hac materia animaduersiones multatitias, in cœnobitas delinquentes, apud Basilium immediate ante librum de Vera Virginitate, vbi: *pœna. 10. sic: si quis non acceperit benedictionem, & idem comedit, non seruata ordinis disciplina, excommunicator. & pœna 23. in hunc modum. Siquis absit à mensis, non dicta causa, maneat ieiunus. Item pœna. 30. Siquis surgit à mensa, præter voluntatem Archimandritæ, sistatur in Orationem, vsque ad tempus lucernarum. Id est vsq; ad horam Vesperæ, iuxta notata supr. cap. 41. num. 9. Similiter regula S. Pachomij, num. 12. ait: Si quis ad comedendum tardius aduenerit, excepto maioris Imperio, aget pœnitentiam. Atque iuxta dicta intelligitur textus, nam cum licentia absens, siue ante, siue post, pœnæ non subiacer, sicut nec delinquit.*

VIII.  
Obligatio & culpa tarditatis.

Delinquere autem monachum, in tarditate occurrendi siue choro, siue refectorio, nulla qualiqua causa existente, & iuxta defectus assignatos in REGVLA, quibus satisfactio, aut pœna indicitur, culpam esse, certum est. Ipsæ que pœnæ impositæ ex se, confirmant factum, cui imponuntur, culpabile esse, vt ad rem aduertit Thomas Sanchez, *lib. 6. summ. cap. 4. num. 60. & 66. maxime vbi non constat de contraria voluntate legislatoris, semper lex retinet virtutem obligandi ad sibi parendum, prout materia verbaque ostendunt, aut consuetudine communiter accepta est obligatio, vt latius tradidi in Introductione ab Art. 4. cum seqq.* Verumtamen culpa vt sic solum venialis erit: Imo & sepe in his ex modo nulla, & similiter omittere satisfactiones, quas, ex REGVLA, ipse tardus facere iubetur, secluso contemptu, aut prauo exempli scandalo grauiori; pertinebuntque exinde ad tertiam CLASSEM, & prout noto infra cap. 45. num. 1. Aliæ namque pœnæ,

que impositionem superioris expectare solent, etiam si à REGVLA præscribantur, non nisi mediante mandato aut voluntate superioris, obligationem inducunt; quia eo ordine institutæ sunt. De his vero qui sine causa absunt à choro, alia ratio est, ea que communis, quam in Canonicis tradidit Thomas Sanchez *tom. 1. Consil. lib. 2. cap. 2. dub. 112.* Vt si ob id omitteretur officium, publicè, & conuentualiter agendum; aut inde notabiliter cultus officij læderetur, teneantur sub mortali adesse choro. Atq; idē tenendum est in eo casu de monachis, licet alias obligatio ipsa Venialis, ex suo genere sit, iuxta dicta ad ca. 32. numer. 12.

Obligatio chori.

Restat illud textus: *Nec quisquā ante statutam horam aut postea, &c.* Videturque tractum ex antiqua monastica abstinentia, de qua Cassianus, *lib. 4. inst. cap. 18.* ait enim: *Annequam vel postquam legitimam communemque refectio nem percipiant, summa cautione seruiantur, ne extra mensam, quidquam cibi, penitus ori suo quisquam iudulgere præsumat, &c.* Potum etiam expressit hic REGVLA. Atque in id S. Ephrem. *tom. 2. de Virtut. ad Nouit. adhort. 1.* monachū instruit in cœnobia omnino, *communem cum alijs mensam, extra corporis infirmitates, frequenter, &c.* Consimiliter que ab hoc præcepto excipiuntur infirmi, senes, & infantes, prout in superioribus dictum est, & causa hospitum aut alijs, prout in sequentibus est dicendum. Aliter sine licentia, nec potus nec cibis licent extraordinariè, absque culpa, tametsi vt sic leui, nisi aliquid etiam a leui, rationabiliter excusset. Ad quod apud aliquas Congregationes, vsus firmatus obtinuit, vt in quibusdam generalibus licentijs, quæ Dominica in Ramis, solemnitate quadam, in scriptis pertuntur, etiam sit ad potum saltem aquæ extra refectory, & ad aliquid cibi, puta pomorum aut similibus, aliqua exigente causa, & iuxta modum ab Abbate præscribendum; qui illum attentis personis & circumstantijs, sicut in alijs rebus, moderatur & taxat.

IX.

Cibus ac potus extra horas, vt licet

TEXTVS

X. *Disposizioni* Postremo, ibi: *Sed si cui offeratur ali-*  
*Regula an* quid à Priore, &c. Vbi nomine Prioris,  
*repugnet Cle* & Abbatem, & Prepositum, aut quem  
*ment. VIII.* libet pro tempore rectorii Præsiden-  
*Motus pro --* tem intellige, iuxta dicta ad capit. 6.  
*num. 6. & 7.* Elicio autem ex hoc textu  
*prius pro Ci-* licere ex Regula Abbati, iubere ali-  
*sterc. Hisp.* quod extraordinarium ferculum sibi,  
 vel alteri, qui in absentia eius præsideat,  
 in rectorio apponi, ut quibus videbitur  
 sibi, opportune diuidat, quod etiam  
 ex c. 39. colligitur, quoad cibum, & ex  
 capit. 40. quoad potum, & ex hoc. cap.  
 quoad utrūque. Hoc dixerim pro mea  
 CONGREGATIONE, propter Motum pro-  
 prium Clement. VIII. expeditum pe-  
 culiariter ad eam, anno 1604. ne quis  
 hæres illius verbis, trepidet aliquid ef-  
 se detractum prædictis, aut similibus,  
 quæ continentur in REGULA, quibus ni-  
 hil derogari, intelligitur, per dictum  
 Motum proprium, nisi ubi contrarium,  
 & reuocatorium Regulæ, expressum  
 fuerit & clarum. Quod primo colli-  
 go. Ex reuocationibus & non obstanti-

bus, &c. positis in fine, quorum clausu-  
 la nullam REGULÆ, de qua ipsi est ser-  
 mo mentionem facit. Deinde nec in-  
 tendere talem reuocationem, colligitur  
 ex illius initio, nam animus & in-  
 tentio Legislatoris, ex ipsius legis Pro-  
 cæmio elici pluribus allegatis, docet  
 Thomas Sanchez, lib. 2. de Matrimon.  
 disp. 37. num. 3. Initium autem præfert  
 ea verba: *Cupiens ut ad antiquam regu-*  
*larem obseruantiam reducatur, & rursus,*  
*& ad Regulæ quam omnes dicti Ordini*  
*Religiosi profitentur præscriptum, vi-*  
*tam ducere.* Vnde REGULAM saluam esse  
 vult, quia constitutio, quæ fit ad corro-  
 borandum, & in suo esse & rigore tuen-  
 dum aliquid, solum iuxta illud intelli-  
 genda est, & terminis illius conclu-  
 denda, ita ut ad alia, quæ per eam non  
 prohibentur, nullatenus extendatur, ut  
 est recepta doctrina, cum Card. & Na-  
 uarro & aliis, quos sequitur prædictus  
 Sanchez, tom. 2. consil. lib. 7. capit. 1. dub.  
 53. nu. 9. & proderit alijs similibus bul-  
 lis intelligendis.

*De his qui Excommunicantur, quomodo satisfaciant.*

### CAPIT. XXXIII.

TEXTVS.



VI pro grauioribus culpis, ab Oratorio & à mensa excommu-  
 nicantur, hora qua Opus Dei in Oratorio celebratur, ante fo-  
 res Oratorij prostratus iaceat, nihil dicens, nisi tantum posito  
 in terram capite, & prostratus pronus, omnium de Oratorio  
 exeuntium pedibus se proijciat, & hoc tamdiu faciat, vsque dum Abbas  
 iudicauerit, satisfactum esse. Qui dum iussus ab Abbate venerit, prouoluet  
 se ipse Abbatis pedibus, deinde omnium vestigijs fratrum, ut orent pro  
 eo. Et tunc si iusserit Abbas, recipiatur in choro, vel in ordine quo Abbas  
 decreuerit: ita sanè ut Psalmum aut lectionem, vel aliud quidpiam non  
 præsumat in Oratorio imponere, nisi iterum Abbas iubeat. Et in omnibus  
 horis, dum completur Opus Dei, proijciat se in terram in loco in quo stat, &  
 sic satisfaciat, vsque dum ei iubeat iterum Abbas, ut quiescat iam ab hac  
 satisfactione. Qui vero pro leuibus culpis excommunicantur tantum à  
 mensa, in Oratorio satisfaciant, vsque ad iussionem Abbatis. Et hoc sem-  
 per faciant, vsque dum benedicat, & dicat, sufficit.

QVOD

NOTÆ.

I.  
Percurritur  
textus.

**Q**VOD non de excommunicatione, quæ Ecclesiastica censura est, sed de illa quæ regularis & monastica pœna est, intelligendum caput istud cum inscriptione sua, sit, sæpius supra inculcatum est à cap. 23. cum seqq. & in præsentī, ipse modus disponendi satisfactionem, tã pro grauioribus quã pro leuioribus culpis, consequenter ad dicta, manifestat. Igitur hic, ad dicta in superioribus, solum addit, distinctius traddere modum in prostrationibus, humiliationibus, alijsque pœnitentiæ ceremonijs, quibus Monachus pœnitens exercendus est, dum in ea separatione & segregatione versatur. Aqua paululum, & per certos gradus minuendo pœnam, liberetur, nec subito, ad totam communicationem & honorem à quibus fuerat depositus, redeat, sed gradatim. Quod quidem largius pro grauioribus culpis prosequitur, & in fine etiam de leuibus. De vtrisque vero iam alia expressit Santiss. Pater, cap. 24. & 25. & ego ad cap. 24. num. 4. de modo nunc ex conformitate REGVLÆ retento, dixi; & quo pacto varietatem accipiât istę pœnę. Nã & in sequētibus duobus cap. adiungit alias satisfactiones quæ ad leues culpas redducuntur: & omnes sunt tamquam formulæ modi generales, vnde ad particulares actiones, fiat applicatio iusta.

II.  
Pœna multiplex  
in militia.

Nec videri debet superuacanea, aut multiplex nimium, ista pœnarum distinctio, in REGVLA, quæ veluti medicamentum salutarium apotheca generalis ad varias infirmitates, antidotis instructa est. Nam in omni Republica, ita oportet esse: & in militari gubernatione videas etiam inter alias pœnas, fuisse quandam excommunicationis politicæ effigiem. Flavius Vegetius, lib. 3. de Re milit. cap. 4. quosdam milites compescit, prudētiorē cōsilio, segregatos à castris. Ad quæ verba Godescalcus Steuuechius, in Comment. adducit animaduersiones leuiiores, & acerbiores, quibus plecti solent milites, iuxta antiqua scriptorum testimonia, quæ citat. Et leuiiores, quæ ignominiosæ, tantum erant:

enumerat vsque ad sexdecim de grauioribus autem, quas præter ignominiam, detrimentum notabile corporis comitabatur, vsque ad viginti quatuor describit.

Sed si Monasticè, iuxta Religiosam militiam, iuuat, in maiorem lucem pœnarum, quæ iuxta REGVLAM extant, videre aliquas antiquiores, eas subiungo excerptas maximè ex Regula S. Pachomij, & aliorum Regulis, & ex animaduersionibus quæ inter opera D. Basilij circumferuntur. Et ex Cassiano lib. 2. e. 16. & lib. 3. cap. 7. & c. Et ex D. Isidoro cap. 18. Reg. & alijs auctoribus. Ex quibus istæ colliguntur. Primo, generaliter *Coorrectio*, aut *Increpatio*. Quas & verbo, & opere etiam perfici constat, vt iam probaui supra ca. 33. num. 4. & pessimè in REGVLA occurrit, licet modus non explicetur, nisi solum quod fit, aut iuxta ordinē constitutū, aut iuxta mensuram opusque peccati, aut corruptione seuerissima, & c. De hac autem maxime verbali, quam necessaria in Monasterio, & quam æquanimitè ferenda correptis optimum opusculum edidit B. Petr. Damian. ad Arripendum opus. 46. & de modo tenendo in increpationibus, totam tertiam partem Pastoralis, in summit D. Gregorius.

III.  
Pœna Monastica.

Correptio.

Secundo, pœna est: *Soluere Cingulum* quod solemnem partem habitus pluribus fuisse, vidimus, sup. ad cap. 22. num. 15. & 16. Quæ pœna contonat militari de qua Suetonius, in Augusto, vbi ait: Pro extero delictorum genere, varijs ignominijs affecit, vt stare per totum diem inberet, ante prætorium, interdū tunicatoros distinctosque & c. & Titus Lilius, lib. 27. de centurionibus manipulorum, quorum signa amissa fuerant, quos fecerunt, *distincti gladijs, distinctos destitui*. Atque sic de Monachis, ait Pachomius seu Theodorus, *distincti sint qui corripiuntur, demissis manibus, humiliato capite, & c.* & Isidorus citatus in sua Reg. cap. 18. *Soluet cingulum, humique extra chorum prostratus iacebat*. Vbi humi iacere, quod vilitatissimum hodie inter Monachos, semper etiã fuisse mōs-

III.  
Cingulum  
soluere.

IV

tratur. Rurfusque Pachomius, *præcept. 1.* loquenti tempore pfallendi, aut orandi, &c. imponit, *ut soluat cingulum*, & inclinatus sistatur ante altare.

V.  
Stare.

Tertia, enumeratur: *Stare*, videlicet donec Præsidenti videatur; ut sedeat, vel etiam *stare in loco conuiuij, seu vescendi*, ut dum alij sedentes comedunt, ipse stet rectus, & impransus, *vel inclinata ceruice, manibus ad inferiora de pressis, stare ante altare, &c.* Quæ poena non nihil consonat cum illa adducta nuper ex Suetonio, & cum ea, quam adduxi sup. *cap. 43. num. 7.* ex Basilio poena 30. Atque mortificationis exemplū tenuere antiquitus, Zebinas & Polichronius, obseruantes, *per totam noctem, vigiliam & stationem*, Ut in *Vitis-Patrum Rosuueidi. lib. 9. cap. 24.* Nec inusitata his temporibus, dum alij sedent, *stare.*

VI.  
Ieiunare.

Quarta, & frequentissima. *Ieiunare*, scilicet præter morem aliorum, ita ut poena affectus, à refectorio, *reuerteretur ieiunus*, aut *per hebdomadam ieiunaret*, nempe insolita, præ alijs, abstinentia. Quæ quatenus additur *superpositio*, dicitur, ut ad Cōcilium Eliberitan. *Loaisa* inuenitur tamen cum adiectione, *ieiunij, aut silentij*, vnde de quauis poenaltate adiecta forte intelligitur, quando absolute dicitur, *superpositione puniatur*, ut apud S. Columban. &c. At intellecta de *ieiunio, aut dieta*. Idem est ac si Milites stipendio, vel consuetæ annonæ subsidio priuentur. Ob quod Festus *resignatum es* vocat, *cum ob aliquod delictum, ne stipendium militi detur, in tabulas refertur*. Ad hanc reducitur detractio portionis vini, prout in nostra Regula habetur quandoque, *cap. 43.* Vel etiam alicuius edulij. Hęc enim est promptior substantia monachi, vnde vel voluntarius, vel compulsus satisfaciat delictis; imò & cuius freno vtatur semper, ut in nullo delinquat. Et de multa vini Petr. Dam. *in Vita S. Rodulphi, cap. 1.*

VII.  
Panis & a-  
qua.

Quinta, proxima est præcedenti, *Panis & a-  
qua*, quæ hodie quoad impositionem, latis in vsu, licet in effe-

ctu, quamuis, *comer pan y agua*, imponatur, & ad id, *in terra sedeant*, vtrumque dependenter est ab indulgentia & misericordia, quæ suppliciter postulata ab Abbate, aut ab iniungente poenitentiam, eam moderatur, prout viderit. Ea vero antiquissima est. Sic enim ex Regula S. Columbanus est illud: *Siquis frater dicit, non faciam, tres dies, vno Paximacio, & aqua, &c.* quod adducitur à Rosuueido in *Onomastico*. Et quandoque pane hordeaceo, de quo S. Fruustus, apud Smaragdum, *cap. 22. de vespere in vespere ex hordeacei panis sex vncijs & aqua mensura paruula sustentandus, &c.* Quod etiam in militia haud aliter, ut ex Liuius, *lib. 37. ibi: cohortibus, quæ signum amiserant, hordeaceum dari iussit & Apianus, de Bellis illiricis, Cesar. (ait) reliquos, ea estate, hordeo frumenti vice, cibari iussit.*

Sexta, sicut vesci tantum pane & aqua, absque alia statione, aut sessione, inuenitur, ut apud Pachomium, *præcept. 87.* Ita sine differentia cibi, *seorsum à mensa in terra comedere, & etiam solum seorsum cibum sumere*, ut apud Basilium &c. & in nostra REGULA, frequens ea separatio & solitudo, in cibo capiendo, cuius & modus & mensura semper subordinata Prælato. Inter milites verò, stantes comedere, poena fuit, ut apud Liuium, *lib. 34.* qui refert, milites detrectantes pugnam, multatos, *ut non aliter quam stantes cibum & potum, quoad stipendia facerent, capturi essent*. Sic itē D. Basilius in *Regul. fustior. 15.* De sumente cibum alieno tempore, ait: *Ad multam diem, ieiunus permanero*. De immodesto inter vescendum, pronuntiat: *Ieiunus ipse, accumbentes ceteros spectare cogitor*. De proferente verbum ociosum aut contumeliosum: *In odia ventris ac silentio plectitor.*

Septima, computatur, *degradari in vltimum gradum*, ut apud S. Pachomium *præcept. 92.* & alias, & in nostra REGULA statuitur *cap. 29.* Talisque depositio de maiori loco aut dignitate, communis est, & in Episcopis & Præbiteris, realis degradatio, grauissima poena est, &

VIII.  
In terra aut  
singulariter  
edere.

IX.  
Depositio  
gradus.

pecu-

peculiari solemnitate celebratur iuxta statutum motem, de quo nouissime Concilium Trid. *Sess. 13. de ref. cap. 4.* Atque in militia, erat multa, qua equites, qui equo meruerant, *pedicum numero militauerunt*, ut ait Valerius Max. *lib. 2. cap. 7.* Monastica vero degradatio solū est, a gradu seu ordine loci remoueri.

X.

Flagellatio.

Octaua, antiqua etiam Monastica poena inuenitur, *verberari ante fores triginta nouem*, & hodie similiter virgis flagellantur Monachi, sed in Capitulo: quæ etiam illorum pecuniæ, quibus lūunt in corpore. Eaque verberatio conformiter ad illas Pauli, *2. Cor. 11. non solum quatenus ait: ter virgis cæssus sum*, sed & quatenus ait: *à Iudeis quinquies quadragenas vna minus accepi*, scilicet præ textu illius taxe, quæ in plagis, adhibita est. *Deuter. 25. vt quadragenarium numerum non excederent*, & sic intra numerum, infictis triginta nouem, se continebant. Et quoad militiam, Valerius loco citato de C. Aurelio, quem *virgis cæssum, militiæ munere, inter pedites fungi coegit*, C. Cotta consul. Multam præsentem ostendit, vna cum superiore. Fuit autem hæc flagellationis poena antiquis, vna ex acerbioribus; nam & in morte plectendis, præmittebatur à Romanis. Quare, cum non erat præambula ad mortem, mitior sine dubio erat, indeque appellabatur talis verberatio, *correptio, coercitio, castigatio, admonitio, obiurgatio, &c.* De quibus Ioa. Lorinus distincte, in *Act. Apost. ad cap. 16. vers. 22.* Quo sensu poterit quædamque sumi apud REGVLAM nostrā, cum sine explicatione, aliquo termino simili iniungitur satisfactio; atque sub nomine generico, *discipline regularis*, contineri, dixi *sup. cap. 3. nu. 8. cum seqq.* Nam ipsam poenitentiam flagellorū, inter Monachos, S. BENEDICTO antiquiorem esse non est dubium.

XI.

Pasci inter otiosos.

Nona, inuenio etiam: *Pasci inter otiosos*, seu, *haberi vt egrotum, ponique in loco infirmorum, vbi alatur otiosus.* Notabilis hæc poena, quæ non semel in Regula S. Pachomij ponitur. Quid igitur hæc inferebat mali? Numquid

quod ad aliud intentum, ait Apostolus, *Rom. 14. qui infirmus est olus manducat?* Sed tunc, pulmentum fanis, erat olus, infirmis vero forte appetibilius dabatur cibus. Numquid, quod idem, *2. Tesal. 3. ait: si quis non vult operari, non manducet?* Sed pasci & ali iubetur. Fortitā poena est ipsa *ignominia otiositatis & inertia*, qua maior nulla debet esse homini ad laborem nato, & ex professione, ad communiter cum alijs incumbendum operi Monastico. Atque ita videtur iuxta dicta *sup. cap. 43. num. 4.* de verecundia: & quænam maior erubescenda confusio, quam titulo otii & desidii, alimenta inter sanctos & laborantes Dei seruos absumere. Hæc diuinando de poena ista, dixerim, nam vera illius ratio, propriusque modus ignoratur, aut saltem me latet. Aliæ etiam diuersæ sunt, quæ rubori potius quam molestiæ deputantur, quarum modos persequi non est meum, nec omnia in quauis materia vndique corrogare.

Dezima, vt alias etiam redducam est: *Ab oratorio suspendi*, poena iam nota ex Cassiano, coinciditque cum aliis ex Basilio, scilicet, *excommunicari, separari, segregari.* Quæ omnes priuationes quædam sunt, & prout à pluribus, vel paucioribus actionibus seu rebus secernuntur, maiores aut minores multæ reputantur; vt ex hoc cap. REGVLÆ, & aliis in præcedentibus explicatis & explicandis satis constat. Ad has reduco ex eodem Basilio, *Cavere benedictione*, quod est, vt quamuis delinquenti, *eden di potestas facta sit*, comedat sine benedictione impendenda cibo, vt colligitur, ex *Regulis breuior, interrog. 122.* itē illa quæ maxima omnium est, à *Conuētu exterminari*, quæ etiam in nostra Regula disponitur, *cap. 28. & 29.* item illa quæ à Cassiano, *lib. 3. cap. 7.* describitur, *stare pro foribus oratorij*, quæ ipsius oratorii quædam priuatio est.

Denique sunt & aliæ satisfactiones quasi ceremoniales, quæ fere solum in aliqua ceremonia statuta consistunt, vt quam hic, pro leuibus culpis, exposuit S. Hildegardis §. 14. dicens fieri; aut

XII.

Suspendi &amp; alia.

XIII.

Ceremoniales.

super terram se prosternendo, aut in terram per corporis defectionem veniam petendo, de quo genere satisfactionis, dicam cap. sequenti. In fine autem huius, illud, usque dum benedicat, & dicat sufficit, nihil aliud continet, quam finem

pœnitentiæ imponi, per voluntatem Abbatis dicentis sufficere; & iubentis illum ire cum Deo aut in pace, quod est benedicere, ut vulgo dicimus, *embiarle con la bendicion de Dios.*

De his qui falluntur in oratorio.

CAPIT. XXXV.

TEXTVS.

**S**I quis dum pronuntiat Psalmum, responsorium, aut Antiphonam, vel lectionem fallitur, nisi cum satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ subiaceat, quippè qui noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes vero pro tali culpa vapulent.

NOTÆ.

I.  
Illustratio  
textus, &  
obligatio.

**I**Niungit in presenti Sanctiss. Pater humilem satisfactionem, pro quocumque errato diuini Officij, facta scilicet aliqua cœremonia visibili, & exteriore, qua præsentibus constet, lapsum recognoscere, quod veniam petere dicimus. Pariterque de satisfactione, negligentia, vel defectu, exprimit Cassianus & alij, sed ille, lib. 4. institut. capit. 16. inquit: *si decantans Psalmum, aliquid turbauerit, &c. prostratus in terram veniam postulabit.* Tamen nostra REGVLA hic non plectit nisi lapsum linguæ, aut erratum eius, quæ nõ satis prouisse aut aduertenter, quomodocumque dum pronuntiat fallitur. Quod licet sepe sine culpa contingat, tamen quia ut cumque alios turbat, & à recta lectione aberrat, humilitatis signo, vel ipsam naturæ imperfectionem recognoscere iubetur; atque vindicta, non tam imponitur lapsui linguæ, quàm defectui huius petitionis veniæ, sua cœremonia. Quod omitti culpa non vacat, maximè si aduertens errasse, omitat videntibus, & noscentibus alijs, quorum adificationi & satisfactioni obnoxius redditur Monachus, ex REGVLE præcepto, ad cœremoniam statutam; & ex virtute humilitatis, ad congruam etiam minorum defectuū cognitionem.

In quo autem gestu, aut modo externo, consistat ea veniæ petitio, & satisfactio; varium est, iuxta diuersos Cōgregationum excogitados modos. At frequens, quæ pro huiusmodi erratis in officio petitur venia, sine geniculatione fit, inclinatione quadam, usque ad fimbriam vestis, articulis manuum apprehensam, & ad terram modice allissam. Pro alijs iuxta dies, & loca, etiã geniculatione, aut etiam prostratione integra corporis, venia petitur, quarum & apud Authores memoria, & antiquus Monachorum vsus. Sic in veteribus consuetudinibus Monasterij Floriacensis, apud Bibliothecam editam à Ioanne Bosco, vbi, cap. 1. ait: *Ex quo, O, incipitur, nullus sanguine minuatur, nisi in Capitulo, petita venia, conceditur.* Vbi petita venia, idem est, ac prostrato in terram corpore.

Atque huiusmodi modos veniæ, & maximè per genuum flexionem petita **III.** Metanœa Veniæ petitio qualiter. vocari Metanœas, apud Authores constat. Ita Card. Petr. Damianus, *Epist. 119. ad Teuzonem* seu iuxta aliam editionem, opusc. 51. ait: *A depresso homine mille metanœas, in vno Psalterio fieri, ad miratus expani, vbi, metanœas intelligit genuflexiones, & idē protulit, Epist. 19. in cuius Scholio Constantinus Caietanus, probat eam vocem, nunc prostratio-*

tionem, nunc genuflexionem, significare, imo & salutationem, quæ aliquando eo gesta fiat. Tamen si apud dictum Card. citatis locis & opusc. 15. cap. 12. & aliis, in significatione genuflexionis accipiatur. Atque expositionem habes ex Ioanne Tilio Meldensi citato à Frōtione Duceo, in notis ad Concil. Nicen. II. post to. 3. conciliorum, editionis Binianæ, ubi hæc: METANÆA, pœnitentia interpretatur, hoc tamen loco pro genuflexione ponitur, unde cum dicit miserunt pœnitentiam, nihil aliud intelligit, nisi posuerunt in terra genua. Quia enim pœnitentium est, maxime flectere genua, sæpe Græci genuflexionem, metanæam id est

pœnitentiam vocant, &c. sic in Vita S. Basilij, ab Amphilochio Iconio conscripta cap. II. ibi: Glorificans Deum, & faciens metanæam, id est, genuflectens, ut habet alia versio, quam in Notationibus ad eundem locum comprobatur Hiribertus Rosuueidus. Vltus est etiam ea voce Petrus Venerab. lib. I. Epist. 28. ibi: Tam in metanæis, quam in ablutione pedum, &c. Atque in eadem significatione interpretatur ille locus Andreas Quercetanus, in Notis ad Bibliothecam Cluniac. ex Nicolao Fabro, Anastasio Bibliothec. & aliis. Rursumque infra cap. 50. num. 3. de hoc.

De his qui in aliquibus rebus leuibus delinquant.

## CAPIT. XXXXVI.

TEXTVS.



**S**I quis dum in labore quouis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit, vel aliud quid excefferit ubi ubi, & non veniens continuo ante Abbatem, vel Congregationem, ipse vltro satisfecerit, & prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi. Si anima verò peccati causa latens fuerit, tantum Abbati, aut spiritualibus Senioribus patefaciat, qui sciant curare sua vulnera, & aliena non detegere aut publicare.

NOTÆ.

I.

Satisfactio  
lenium &  
obligatio huius  
textus.

**C**omplectitur hoc cap. Varias negligentias leuiculas, & quæ etiã sæpe sine aliqua culpa accidunt: ut quod aliquid frangatur, vel deperdatur, & quæcumque illa sit, quæ vel ex detrimento rei, vel ex actionis modo & euentu redargui solet, vbi cumque contingat casus, ad humilem satisfactionem obligat, ante Abbatem, vel Congregationem, id est Conuentum. Sufficit verò vnã partem, tamquam in alternatiuis, adimplere ex cap. 70. de Regul. iuris in 6. & regulariter fit ante Abbatem, cui competit negligentie correctio & condonatio; coram quo delinquens prosternitur, & suam dicit accidentis culpam, & euentum. Morem ipsum ex

pressit Cassianus loco ipso citato cap. anteced. num. 1. qui in verba similia inquit: Si quis igitur gilonem fictilem, quæ baucalem nuncupant, aut huiusmodi aliud, casu fregerit, aut perdiderit aliquid, &c. enumerans alias plures leues culpas, in dicta prostrationis satisfactione coram tota Congregatione. Eas verò cum quis spontaneus prodiderit, facilius ei condonandum, statuit textus Regule, si per alium fuerit cognitum delictum, maiori subiaceat emendationi, supplicio scilicet corruptionis. Quamquam autem nulla intercesserit culpa moralis, subiiciuntur tamen ut dictum est huic satisfactioni. Atque humilis ceremonie ommissio, nisi ad omittendum aliquid ut cumque excus-

cuffiet, venialis, ex REGULA transgressio est, & cū similibus in tertia CLASSE reponenda prout in *Introduct. Art. 8.*

## II.

*Explicatio  
Vocum.*

*Coquina.*

*Cellarium.*

*Ministerium*

*Pristinum.*

Occasione prædictæ Observatiæ Monastica, fit enumeratio officinarū Monasterij; & eas percurrendo illustremus. Coquina, quam Culinam dixerūt antiqui; locus, vbi, coquuntur & parantur cibi, est. Cellarium, idem est quod penuarium, vbi, quæ ad victū pertinent aliaque necessaria communis sumptus reconduntur. Ministerium, potius, operam & officium ministri significat, quā locum, quem hic videtur significare, in solita acceptione; sed tunc forte aptatum nomen determinato loco, vbi aliquod ministerium, puta annonæ, exercebatur, vt in seruiretur mensis. Pistrinum, locus est vbi panis pinfitur, aut subigitur, coquendus in furno. Non enim confundi debet cum *molendino*, quæ duo, distincta ponuntur, infra *cap. 66.* Explicationi autem dictæ, fauet Festus, verb. *Pistum*, cum notatis à Iosepho Scaligero ibi. Indeq; inter alia officia Monastica ponitur *Pistrinarius*, apud Bibliotecam Floriacensem, *lib. de Veteribus Consuet. cap. 3.* Facitque Cedrenus, in *Compend. Hist.* qui ad rem ait: *Pistor panes, per ordinem singulis proponit*, & vtrumque nomen parificauit Guillelmus Stukius, *lib. 2. de Antiquit. Coniual. cap. 12.* inquit: *Pistores dicebantur qui frumenta pinsebant, & panem faciebant, nunc Pistrinarij*, adducto ad id inter alios loco Plinij, *lib. 18. cap. 11.*

## III.

*Horti signi-  
ficationes.*

Præterea, *Hortum* nominat. Ad quod Laurentius Valla, *lib. 3. capit. 9.* dum in singulari protulit, Olitorium diceret, vbi herbæ Satiuæ, in edulium seruntur, nam in plurali *Horti*, ad amenitatem & voluptatem pertinent, iuxta ipsum. Tamen ea restrictio minime subsistit;

quia & si *Horti* pluraliter eo modo effertantur, vt *Isai. 1. Erubescant super hortis suis, quos concupierant*, & *Eccles. 2. feci hortos & pomaria*, & alias passim: nihilominus etiam *hortus* in singulari numero hæc admittit. Sic ad locū *Isaiæ* Basilius, iuxta Aquilam, legit, *hortum in Edem*, de paradiso voluptatis, & *Esther. 7. Intrauit in hortum arboribus consitum*, & plura in vtramque partem elicies ex Plinio, *lib. 19. cap. 4.* & aliis citatis à Ludou. Cerda in *4. Georg. vers. 118.* Sed & Honorius in *Cant. capit. 8. vers. 13.* distinguit, *hortum conclusum, hortum pomorum, hortum aromatum, & hortum nucum*, quorum nullum olerū, aut caulium dixeris. Quapropter, in REGULA *hortum*, ad quemcumque extendo, non solum olerum, leguminum & arborum fructiferarum, vt datur intelligi ex *cap. 39.* & ibi dictis, *nu. 3.* Sed etiam hortum aromatum, hoc est herbis odoriferis, floribusque tessellatum, prout à Virgilio omissum, supplementi vice, cecinit Collumela, *lib. 10. de Rustica.* Qui certa & accurata proportione, in area Religiosi Claustrī dispositus, decus est Monasterij, in quo laborasse Monachis laudabile, & sacris altaribus, & imaginibus, inde florilegio, multi iugique fasciculo, ornandis, honestissime destinatus & aptus.

Addit insuper textus: *In arte aliqua*, in quo denotat, officinas diuersas, secundum distinctionem Artificum, qui operabantur in Monasterio, simul cū Monachatu. De quibus, quia aliqua scitu digna, producā, infra ad *c. 57. & 66.* hic leuo manum. Aduertens, quod super est huius capituli, ab illis verbis: *Si animæ vero peccati causa, &c.* iam ad vnguem expensum & adnotatum esse, supra ad *cap. 7. circa 5. gradum humil. à num. 11.*

## III.

*Explicatio  
remissiuæ.*



## De significanda hora operis Dei.

## CAPIT. XXXVII.

TEXTVS.

**N**untianda hora Operis Dei, die noctuque sit cura Abbati, aut ipse nuntiare, aut tali sollicito fratri iniungat hanc curā, ut omnia horis cōpetentibus compleantur. Psalmos autē vel Antiphonas post Abbate ordine suo, quibus iussum fuerit, imponant. Cantare autē, aut legere nō presumat, nisi qui potest ipsum officiū implere, ut adificentur audientes. Quod cū humilitate & grauitate, ac tremore faciat, & cui iusserit Abbas.

NOTÆ.

I.  
Signū ad ho-  
ras chori.

**S**ignificatio Operis Dei, seu officij diuini, aliquo signo à longe auditu perceptibili, danda constat, vel ex eo, quod sup. c. 43. dixit: *Mox ut auditum fuerit signū*, Sed quo instrumēto daretur, non declarat. Ita & S. Ephrem Syrus, to. 2. *Parinesi* 23. ait: *Signo ad Synaxim & officiū dato*, &c. nulla alia expressione; nec ea tunc necessaria illis, quibus notus erat modus; nobis tamē, ut varietatis & antiquitatis non omitamus notitiam, peculiariter inquirendus. Et licet nomine *signi*, absolute ipsas campanas, signum dantes, significari: *Ex cap. solent de Cōsecr. dist. 1. c. 1. & 2. de officio custodis*, adducatur, tamē in primo & ultimo canone citato, nihil de instrumēto exprimitur; in alio autē, *signa tintinabulorū*, *pulsanda* dicuntur, in horis Canonicis. Constat vero antiquitus, in Cœnobijs, factum signum tubā, ex Hieronymo, in *Regula S. Pachomij*, n. 2. ibi: *Quando ad Collectā, tuba insonauerit per diē*, &c. Quo pacto institutum fuit à Deo. *Numer. 10* de tubis argenteis, *quarum vsus erat ad vocandum cœtum*, & quarum formam describit Iosephus, *lib. 3. Antiquit. c. 11.*

II.  
Per ligna.

Ligneis autem instrumentis, fieri etiam solitam hanc significationem, ostendit locus, ex Synodo 7. quod est secundum Concilium Nicenum, ad annum 790. vbi act. 4. *ligna que sacra pulsantes*, &c. ait. Et licet ex eo, Stephan. Durantus, *lib. 1. de Ritibus Eccl. c. 22. n. 3.* contendat, vsus campanarum, non

dum incepisse seculo Anastasij Papæ Martyris, de quo ibi mētio fuit; & quem passum fuisse, ad annum 627. constat ex Baronio, in *Annot. Martyrolog. die 22. Ianuar.* tamen ea signa lignaria, ad singa tantum pro conuocatione Religiosorum Monasterij, redducit Suarez verfans Concilij locum, *lib. 2. contra Regem Angliæ, cap. 16.* Præterea fores cellæ singulorum Monachorum, malleolis pulsari solitas, docet Palladius in *Lausiaca, sect. 89.* vbi de Abbate Adolio, ait: *Excitatorio malleo, pulsabat cellas omnium, eos congregans ad oratoria.* Nec distat multum ab hoc, apud Cistercienses instrumentum, quo ad labores Conuentuales, conuocantur Monachi laboraturi, signo ferrei aut lignei mallei, iuxta loquatorium Capitulo immediatum, pendentis, qui appellatur, *La Posta* inter nos Hispanæ, Regulari vocabulo: & de quo antiquissimus liber vsuum, *Cap. 75. de labore*, ait: *A priore pulsetur tabula, ad cuius sonitum conueniant omnes.* Tametsi iam aliter signum detur, in pluribus Monasterijs.

Per malleū.

Circa quæ, nō possum omittere, quin aduertam, Ludouicum à Cerda in *Aduersarijs sacris, c. 44.* tenentem, significari antiquitus horas officij diuini, ad modum dictum, dicere, quod, *tabulis olim in monasterijs crepitus fiebat loco cāpanæ*, & ut id probet, adducit duplex testimoniū ex Cesario, *lib. 1. cap. 40. & lib. 6. cap. 36.* Vtrumque veró ad rem non est. Atque vir alias eruditissimus, non semel im-

III.  
Cerda cor-  
rectus.

Signum moribundi.

pingit in his, defectu notitię Monasticorum vsuum. Nam Cęsarius ibi, loquitur de more, qui vsque hodie, etiam si campanatum inopia non sit, perseuerat, ad conuocandos Monachos, tēpore instantis articuli mortis alicuius infirmi; vt iam iam morienti cuncti adfiliant; quod significatur *tabula percussa*, ad id, & ad exercitandos a somno dormientes, manuali & aptas ferreis anfulis, sic fabrefacta, vt motu leui, haud leui strepitu, dormitoria compleantur.

III.   
Alia signa ad Chorum.

Magis autem ad rem est, quod præfatus Author adiungit, ex Vualfrido Strabone c. 5. vbi ait: *Apud quosdam tabulis, apud nonnullos cornibus horæ prodebantur, &c.* Atque hoc vltimum, affine est cum illo, quod de *tuba* diximus n. 1. Nā sic 2. Reg. cap. 15. & 18. Septuaginta Interpretes, dixisse *Cornuam*, pro *buccina* Vulgatę, notauit Cerd a in *Aduers. Sacris*, c. 65. n. 158. & cornua in sonitum primum admissa, post etiam ex ære formata, retinuisse nomen, testatur Varro, lib. 4. de ling. Lat. Nec extra cōsiderationem, est locus ille, Petr. Dam. *Epist. 92. ad Hugonē Abb. Cluniac.* Vbi loquens, de Aniuersario sui obitus, celebrando in Cluniaco, ait: *Decreuistis, vt & vos & posteri vestri, sēper in anniuersario mei obitus, insigne aliquid ageritis, quatenus & tubæ omnes, festiuus clangerent, & fratres pro fratre solemnes orationum, atque sacrificiorum exequias celebrarēt, &c.* Vbi notare est, tubarum clangorem in officijs, fortē quia funeralibus, aliquis ritus erat, præsertim tempore quo iam campanæ & campanilia erant introductæ, vt iam, pro nostræ REGVLÆ tempore, subiungo.

V.   
Campanarū principium.

Et quidē licet principium cōsecrandi, seu benedicendi cāpanas, tribuatur Ioanni Papæ XIII. ad annum 968. qui primus sacris ritibus, quādā mirę magnitudinis, in Ecclesia Lateranensi collocandā, cōsecrauit; vt refert Baronius eo anno: tamen ex eiusdem coniectura, iā introductas fuisse, ad annū 614. constat, cum adhuc cōsuetudo pulsandi ligna Oriente vigeret, apud Gręcos; quibus introductas, ad annum 865. ex Venetis

authoribus, ipse testatur. Atque de earum principio in Latina Ecclesia, quāuis vulgariter referatur in Paulinū Episcopum Nolanum; sed vt vulgarem & non certam opinionem haberi video, iuxta ea quæ notari possunt, tum ex Baronio, tum ex citato Steph. Durant, lib. 1. c. 22. vbi plurima breuiter & exacte cōgessit, quamuis coniecturę illius, aut fundamento adducto sup. n. 2. non omnino standum videatur. Et forte differentia sentiendi, tota nascitur, secundū magis & minus eorundem Vasorum, seu instrumentorum: quia tintinabula, & pelues sonitum reddentia, aliaque similia minora, inter campanas non cōputantur. Nam & sic Baronius, loco secundo citato, coniecturam facit, ex eo quod in actis. S. Lupi Episcopi Senonēsis, mentio fiat, prægrādis *tintinabuli, siue cāpanæ*, quæ erat in Ecclesia Senonensi, ad conuocandum populum; ita vt campana a tintinabulo, penes magnitudinem, differre videantur.

Differentia a tintinabulis.

VI.   
Qua propter cāpanarū magnę molis tardior fuerit inuentio & vsus, tempore S. Benedicti; tamen tintinabulorum vsus, præantiquus veteribus seculis, nō solum Exodi 28. de tintinabulis aureis in vestimento Pontificis: Sed in sacris edibus gentilium, vt refert Suetonius, in Augusto, c. 91. & ad aliquas cōuocationes populi, testimonia adducit Celi Rodiginus, lib. 19. c. 11. & alii. Denique ipse S. BENEDICTVS, vt narrat D. Greg. lib. 2. Dialog. c. 1. eo vsus fuit, cū in specu Sublaci posset, resti parū tintinabulū inferuit vt ad sonū, cognosceret aduētū Romani, & dum parū, dicit cōstat etiā grandiora esse cōsuetā, quibus, in Monasteriis, vsos fuisse tūc tēporis, Monachos censeo, in significandis horis Canonicis, sine necessitate, eo seculo, recurrendi ad alios modos, vel tubę, vel ligni sonātis, vel etiā *Alleluia* altius decāratī, quomodo in Monasterio S. Paulæ, vocari solitas Moniales, tradidit D. Hier. epist. 27. sed prædictis tintinabulis, iā tunc forte in turriculis, vel eminētijs Cęnobij, aut Oratorio collocatis: Quod nō bene limitari ad tēpus, aut inuentū Pauli-

Signum per tintinabula in Regala.

Per Alleluia

Pauli-

Paulini, à Francisco Biuario, in *Flauii Dextr.* anno 300. n. t. conuincitur, ex citato loco Suetonij, dicentis Augustum tintinabulis fastigium edis Iobis Capitolini redimisse. Neque ad illud videtur ob stare, *Cap. Patentibus de Priuileg.* cuius dispositio est Celestini 3. ad annum fere 1200. tot seculis posterioris.

VII.  
Significatio  
ris horarum  
officium.

Quanti verò momenti sit hoc Monasticum officium, significandi horas diuini officij, vel ex eo constat, quod Abbati ea cura ita iniungatur, vt non nisi cum *sollicito fratre*, excusetur. Et momentum expressit Card. Pet. Dam. qui hunc ministrum vocat, *significatorem horarum*, & agens de eo, *Opusc.* 13. cap. 17. inter alia, id etiam aduertit: *nulli magis in Monasterio obliuionem fugiendam esse, quam sibi, si enim articulum suum cuiuslibet Synaxis, hora, vel præuenta, vel dilata, non teneat, omnium proculdubio horarum succedentium ordinem turbat.* Atque illum cum tubicine Clasicū sonante comparat ex diuinis literis similitudine mutuata: Quod si & ex humanis idem velis, suppeditabunt plura Steuuechius, in *Notis ad Vegetium*, & Commentatores *Virg.* ad illud, *Æneid.* 6. *areciere viros, & Martem accendere cantu*, & alij. Nec est omittenda ista horarum significatio, nam & ipsa sonitu cāpanæ facta, quasi quædam vocalis Dei laudatio haberi debet, vt cōtra Hæreticorum errorem, Catholicè expendit Stephanus Durāt. citatus *sup. n. 5.*

VIII.  
Factum ab  
Abbatibus  
haud cōpati  
tur cum Cā-  
panis.

Cum autem de huiusmodi munere, textus dicat: *Sit cura Abbati, aut ipse nuntiare, aut sollicito fratri iniungat hanc curam*, & constat vt iam alias dictum est, de alternatiuis, adimpleri cum alterutro, quod regulariter fit, prouidendo Vigilem, & diligentem substitutum huius curæ. Atque ex hinc licet elicere, haud magnas tunc, campanarum moles, vsitatas fuisse, etiam si inuentum, cum vulgo, demus Paulino, S. BENEDICTO anteriori, non enim Abbatibus, sæpe senioribus, ac viribus confractis, satis aptæ, cum per semetipsos, ad horas chori conuocabant: Quem morem

suo tēpore expressit D. Chrysostomus, in *1. Thim. cap. 5. hom. 14.* inquit: *Omnes cum reuerentia, discusso seropore, consurgunt, à Præfecto suo excitati, &c.* Itaque leuiora tintinabula, & pauciora credo fuisse, nec curasse multum Sanctiss. PATREM, vasis enormibus, æreque Dodoneo vocalioribus, excelsas onerare turres, non pari modo secularibus Ecclesijs, ac Monasticis datum; nisi vbi aliqua peculiaris ratio, sicut in maioribus ciuitatum templis, id exigere videtur. Ob quod forte, regium illud S. Benedicti Vallisolerani Cœnobium, in suorum priuilegiorum Compendio, excusso Salmanticæ anno 1559. illud primo refert, ex Clemente VII. vt possit extruere Cymbalarium seu campanile, ad modum monasterij S. Facundi. Fuitque concessum priuilegium ad annum circiter 1380. cum Decretalis illa Celestini, forsitam vigeat, quam iam, generali consuetudine, desijisse, innuit Stephanus Durant. *lib. 1. de Ritibus Eccl. cap. 22. num. 9.* & aliquatenus experientia docet.

Extractio  
carru cym-  
balarum.

Denique ad illud: *Psalmos vero vel antiphonas, post Abbatē, ordine suo, &c.* IX. *Abbas chorum munia subit.* Card. Turre-cremata eximit Abbatē, à necessitate cātandi, & quod tabula officiorū Chori, quam hic describi cēset, cum non cōpræhendat. Sed tamen in eo quod dicit, post *Abbatē*, nō intelligitur ipse exclusus. potest enim esse sēsus, vt ipse primus sit, vt inde cæteri sequantur suo ordine; sicuti de facto in antiphonis, pro vigilijs nocturnis, imponendis practicatur: & responsoriū duo decimū & alia cantātur ab Abbate, ipse que in tabulis à Cantore ordinatis, nominatim designatur. *Domnus Abbas antiphonā*, exprimendo qualē, & *Responsoriū Domnus Abbas*, iuxta modum pro huiusmodi rebus, præscriptū in peculiaribus libro V suum & ceremoniarū Cisterciensium, ab antiquissimis tēporibus reor & ab ipso tēpore P. N. BENEDICTI de-Tabula officiorum. riuatum, & à maioribus nostris inde acceptum. Eius autē specimen, non in cōgrue hinc colligit, citatus Cardin. ad iuncto etiam, *cap. 38.* vbi de hoc aliquid

disponit, vt vidimus ibi *num. 2.* Nam quamuis hæc Prouincia iam demandata fit Cantori, ex officio suo, iuxta præscriptum consuetudinis & ordinis, interuenit tamen consensus Abbatis, cum quo consultatio fit, vt nihil fiat, nisi ab eo, cui iusserit Abbas, aut quibus, ipso ordinante, iussum fuerit. Modi vero prædicti, non est mirum, ignarum fuisse præfatum Authorem Cardinalem, professione alienum; quando &

idē inter ipsos, re & nomine, BENEDICTINOS, inuenies vt a pluribus & mos, & ( quod est magis ) moris memoria, prorsus absit: Vt opportunius notabo, *Ad Chorum ad cap. 63. nu. 5.* Atque ex prædictis de *pertinet. Ab-* significandis horis, & imponendis antiphonis, &c. elicies, Abbatem non abstractum a regulari Chori adfistencia, sed bené ad dictum; nisi rationabili causa & more excusetur, vt *sup. capit. 32. num. II. & 12.*

*De opere manuum quotidiano.*

C A P I T U L U M XXXVIII.

TEXTVS.

§. I.

**Q**UOSITAS inimica est anima, & ideo certis temporibus occupari debent Fratres in labore manuum, certis autem temporibus in lectione diuina. Ideoque hac dispositione credimus, vtraque tempora ordinari. Id est vt à Pascha vsque ad kalendas octobris, manè exeuntes à Prima, vsque ad horam ferè quartam, laborent quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta vsque ad horam quasi sextam lectioni vacent. Post sextam autem surgentes à mensa, pausent in lectis suis cum omni silentio, aut fortè qui voluerit legere, sic sibi legat, vt alium non inquietet. Et agatur Nona temperius mediante octaua hora, & iterum quod faciendum est operentur vsque ad vesperam. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc verè Monachi sunt, si de labore manuum suarum viuunt, sicut & Patres nostri & Apostoli. Omnia tamen mensurate fiant, propter pusillanimes.

§. II.

A Kalendis autem Octobris vsque ad caput Quadragesimæ, vsque ad horam secundam plenam lectioni vacent, hora secunda agatur tertia, & vsque ad Nonam, omnes in opus suum laborent quod eis iniungitur. Facto autem primo signo hora nona disjungant se ab opere suo singuli, & sint parati dum secundum signum pulsauerit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis, aut Psalmis. In Quadragesimæ verò diebus, à manè vsque ad tertiam plenam, vacent lectionibus suis, & vsque ad decimam horam plenam, operentur quod eis iniungitur. In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant, qui Codices in capite Quadragesimæ dandi sunt.

§. III.

Ante omnia sanè deputentur vnus, aut duo seniores, qui circumeant Monasterium, horis quibus vacant fratres lectioni, & videant ne fortè inueniatur frater accidiosus, qui vacat otio, aut fabulis & non est intentus le-

lectioni, & non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis si (quod ablit) repertus fuerit, corripatur semel, & secundò: si non emenda- uerit correctioni regulari subiaceat, taliter ut ceteri metum habeant. Ne- que frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die lectio- ni vacent omnes, exceptis his, qui varijs officijs deputati sunt. Si quis ve- rò ita negligens & desidiosus fuerit, ut non velit, aut non possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, ut non vacet. Fratibus infir- mis, vel delicatis, talis opera aut ars iniungatur, ut nec otiosi sint, nec violē- tia laboris opprimantur, ut effugentur. Quorum imbecilitas ab Abbate cō- sideranda est.

## NOTÆ.

I.  
Triplex tem-  
poris distri-  
butio.

**T**Ota distributio temporis, in hoc Cap. pro occupatione lectionis, operis, &c. Versatur circa horas diei, quæ à primo manè vsque ad noctis ini- tium, præsupponuntur esse duodecim, iuxta supputationem traditam supr. cap. 8. quæ ad huius illustrationem om- ninò refricanda, & mente tenenda est. Procedit autem, iuxta trinam totius anni diuisionem: Prima. Est ibi: *A Pas- cha, vsque ad Kalendas Octobris*: Secū- da, ibi: *A Kalendis Octobris, vsque ad caput Quadragesimæ*: Tertia vero, ibi: *In Quadragesimæ diebus*. Videtur ta- men hic discrepare à simili diuisione facta, cap. 41. vbi ait: *Ab idibus Septem- bris vsque ad caput Quadragesimæ*. Sed concordandum est sic: Quia hic, à Ka- lendis Octobris, non sumitur, pro primo die Octobris, sed pro die in quo inci- pit numeratio Kalendarum pertinen- tium ad Octobrem, scilicet, decimo octauo Kalendas Octobris, quæ est dies quarta decima Septembris, altera nē- pe post idus: & ita idem est ac dicere, ab idibus Septembris exclusiuè. Quo pacto consonat supputatio & diuisio, in vtroque Capite adhibitæ: eoque mo- do supputauit B. Fructuosus apud Sma- ragdum, cap. 41.

II.  
Dispositio pri-  
mi temporis.

Igitur de primo tempore anni assignato, procedit sic: *Mane exeuntes, à Pri- ma vsque ad horam penè quartam*, id est (iuxta nostram computationē His- panicam) vsque ad penè decimam, la- borent quod necessarium fuerit. Rursus: *ab illa hora quarta, vsque ad horam qua-*

*si sextam*, hoc est vsque ad quasi duo- decimam nostram, nempe prope me- ridiem, lectioni vacent. Rursus: *Post sextam surgant à mensa*, vbi supponit prandium esse ipso meridie, & à pran- dio surgentes, ait, *pausent in lectis suis, cum omni silentio*. Videlicet per spaciū illud, quod vocamus haberi *meridianā*. Ad quod addit: *Agatur Nona tempe- rius, mediante octaua hora*, id est hora Canonica Nona dicatur, hora, quæ no- bis dicitur secunda post meridiem, nō plenā sed dimidiatā, quod est à *la vna y media del dia*, ita ut finis cantādi No- nam impleat secundā horam, & tunc, iterum quod faciendum est, operentur vsque ad *vesperam*, redeant scilicet ad occupationes sibi iniunctas, vsque ad tempus *Vesperarum*, prope finem diei: Ita tamen ut post *vesperas decantatas*, cæna esset, & lectio Claustrii, seu colla- tionum Patrum, & Completorium, cū luce diei, ut in Cap. præcedentibus no- tatum est.

III.  
Dispositio se-  
cundi.

Subsequitur, de secundo tempore indicato, in hunc modum: *vsque ad ho- ram secundam plenam*, id est (iuxta His- panicæ modum) vsque ad octauā, vulgo *las ocho de la mañana*. *Lectioni vacent*. Tunc verò *hora secunda*, hoc est ipsa octaua completa, *agatur Tertia*, id est decantetur hora Canonica Tertiæ, & ea finita vsque ad *horam nonam omnes in opus suum laborent*, quod eis iniungi- tur. Quod est dicere, vsque ad tertiam horam post meridiem, & forte nō plenam, ut dicendæ horæ Canonice spa- cium

cium daretur. Nam dicitur: *Facto autem primo signo horæ Nona disjungant se ab opere suo singuli, & sint parati dum secundum signum pulsauerit.* Itaque tunc agebatur Nona, & ea dicta, statim sequēbatur prandium seu refectio ieiunij. Vnde subdit, *Post refectioem autem, vacent lectionibus suis, aut psalmis, & nihil aliud exprimit, quasi, excepta cœna totum reliquum tempus, similiter vt supra, Vesperis, & communi lectioni Claustrij, & Completorio dandum.*

Iam de tertio tempore scilicet Quadragesimali, hoc pacto disponit: *A mane, nempe exeuntes à Prima, vt superius dixerat, vsque ad Tertiam plenam, idest vsque ad horam Hispanis nonam vulgo, Las nueue de la mañana, lectioni vacent.* Et inde, *vsque ad decimam plenam:* hoc est, quartam post meridiem, operentur quod eis iniungitur. Neque amplius exprimit, præsupponens ex alias dictis, tunc esse agendas Vesperas in choro, inde sequendam refectioem ieiunij, & postmodum, quod in alijs diebus solitum erat vsque ad Completorium. Pro quibus tamen distributionibus temporum & occupationum, vt ad propriam & veram rei notitiam deueniamus, aliqua obseruanda sunt.

Primo, obserua in dictis distributionibus *laborum, & lectionum*, non ita omne tempus dandum prædictis occupationib<sup>9</sup>, tamen generice designatis, quin plura intelligenda sint, quæ iam in REGVLA, statuta, certum est, omitti non posse, neque vllatenus excludi. Nempe totum Diuinum Officium, cuius horas tam solerter distinxit, de quibus etiam, *cap. precedente* dixit, *vt omnia horis competentibus compleantur.* Item de Missæ Sacrificio, idem dicendum, vt supponitur *sup. cap. 38. & infra cap. 60. & hoc de conuentali celebratione:* nam & priuatas Missas fuisse, constat, *cap. 60. & 61.* cum Sacerdotes essent in Monasterio, quibus ad celebrandum, & alijs ad ministrandum, tempus opportunum erat concedendū & inter prædictas occupationes computandum, & similiter aliam. Qua prop

ter, in prædictis spacijs horarum, intelligi non potest continuatio non interrupta laborum, aut lectionum, per designata spacia; sed solum alternationē, operandi, aut legendi, ad quas occupationes redirent, in interuallis debitis, resultantibus ex horis Canonicis, suis temporibus in choro peractis, alijsque similiter, in Ecclesia aut alibi faciendis.

Secundo, obserua has operationes manuum, seu lectiones non statui, nec habitas esse conuentaliter; nec indico modo, quo nunc, quando certis diebus, a Choris, scopanda est domus, aut fariendi hortuli, vbi omnes simul in eodem laborant. Sed in definité statui, in REGVLA, eo præhabito & intento fine, vt ab omnibus remoueatur *omnis otiositas, quæ inimica est animæ.* Atque Ob id, *certis temporibus occupari debere fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione diuina,* De cætero autem talia, diuersimodè fiebant, prout tempus requirebat, aut ipsa, quæ se offerebat occasio, & opus faciendum postulabat, ex iniuncto Abbatis aut Præpositi; vel simul omnes, vel per Decanias, aut alio modo plures, vel etiam seorsum singuli operabantur, vel lectioni insistebant, aut alia occupatione, qua constaret Monachum non otari, etiam extra actum conuentualē & communem. Hæc enim fuit semper maxima disciplina monastica, in antiquis Orientis monachorum cateruis. De quo Cassianus, *lib. 10. de inst. à cap. 8. cuius cap. 24. extat illud religiosorum Patrum proloquium. Operans monachus vno demone pulsatur, otiosus innumeris spiritibus deuastatur, & Basilius, in Reg. fustior. 31. & in breuior, 61. & alias alij antiqui Patres.*

Sed prædictum Notabile, aut obseruatio, quæ maximè ad rem pertinet, ex ipsius REGVLE coniecturis & argumentis firmanda est. Et in primis *cap. 42.* constat lectionem claustrij, ante Completorium institui, ita vt *sedent omnes in vnum, & rursus de eodem, omnibus in vnum occurrentibus.* Quem modum

VI.  
Obseruatio  
secunda.

ATQ

I

cap. 42.

cap. 42.

cap. 42.

III.  
Dispositio  
terij.

V.  
Obseruatio  
prima.

VII.  
Probatur ex  
Regula.

in alijs lectionibus non præscribit, sed solim, vel quod lectioni vacent, vel lectionibus, suis aut psalmis: quod indicat occupationem circa proprias lectiones quas vel ex officio, aut iniunctione, per tabulam deberent præuenire, aut circa psalmos, vel addiscendos vel decantandos, meditando tonos, & similia. Deinde in hoc cap. iubet: *ut deputetur vnus aut duo seniores, qui circumeant monasterium, horis quibus vacant fratres lectioni, & videant, ne forte inueniatur frater accediosus, qui vacet otio, &c.* Quod manifeste monstrat, lectionem non in vnum conuentualiter haberi; nec enim ad id opus erat circuire Monasterium, & circumitores deputare. Præterea infra, cap. 52. admittit etiam priuatim in Oratorio, *quod si aliquis vult forte secretius orare, simpliciter intret & oret, &c.* Et cum loquatur de tempore extra horas Canonicas, quod laboribus seu operibus manuum ac lectionibus hic assignat; certum apparet, non sic fuisse in communi loco, vt quasi actus conuentualis esset deferendus: sed quod tempore destinato ad legendum, & operandum seorsum, liceret quandoque ad Ecclesiam ire, & orare deuotè.

VIII.  
Probatum  
amplius.

Ad hæc, quia si conuentuali labori manuum, aut lectioni, impendendum esset totum tempus in hoc cap. assignatum, cum totū integre assignetur, nullus superesset locus, proprijs cuiusque indigentijs. Non laceram vestem confuere; non aliquid scribere, & ex tam assidua lectione, scripto quidpiam adnotare; non propria mundare stragula, aut indumeta in munda labare, aliaque similia. Quæ tamen monachis licere, ex REGVLÆ, clarum est. Ad quid enim, cap. 33. tabulas & graphium concedit, si nunquam scribendi tempus? Ad quid cap. 55. prouidentur cultellus & acus, ac subinde filum &c. Si nihil consuendum? Vt quid eodem cap. memorat duplex indumentum dari, propter labandas ipsas res? Quare ista & similia pariter subintelligenda sunt, suo modo, sicut de horis Canonicis diximus, atque tenendum, non omnem le-

ctionem, aut opera manuum, quæ assignantur hic fuisse conuentualiter. Ob id. non dicitur nisi; *Omnes in opus suū laborent, & inferius, operentur quod eis iniungitur*, scilicet pro varietate operū, & artium singulorum, aut iniunctionis occurrentis rei, arbitrio Præsidentium. Nunquam vero constringit, vt in vnū sit lectio, aut labor huius generalis distributionis temporum. Vnde cum supra dixit. *Facto signo horæ nonæ, disjungant se ab opere suo singuli*, non dixit ab alijs laborantibus, aut laborantium confessu, sed ab opere suo, scilicet quod in sua officina, vel obedientiæ loco, cōtingeret operari.

Proinde adhuc tertio obserua; REGVLÆ solum disposuisse, quoad Opus Dei, seu officium diuinum, modo in superioribus viso, atque post reliquum tempus, labori & lectioni designatum, succreuisse plurimum ipsum Opus Dei pluribus accessionibus insuper adiacentis. Accessit enim Officium pro Defunctis, in choro suo modo per soluendū accessit & officium paruum B. Virginis Mariæ de quibus sup. cap. 18. item Misarum solemnior celebratio, eaque sæpe conuentualiter duplicata, iuxta festa exigentiâ Matutinalem Missam. Itē Capitulum, & Prætiosa, &c. pronuntiatio, cum Martyrologio Sanctorum: quem morem fere, *omnium Monasteriorum, tam Religiosorum, quam Sanctimonialium*, testatur Ioan. Molan. tract. de Martyrolog. cap. 14. testimoniisque antiquis confirmat, item Stationes ad altaria Ecclesiæ, pro indulgentijs lucrādis, quotidie regulariter vergente Vespere. Item Antiphonæ solemnissimæ *Salve, &c.* celebris de cantatio; cuius vltima verba, *O clemens, O pia, Odulcis Maria*, à B. Bernardo, primò Ecclesia Spirensis audiuit. Adde ordinariam lectionem sacram, à Concilio Trident. iniunctam, & pro instructione Conscientiæ in pluribus Cœnobiis practicātam. Similiter orationis mentalis horam, principio finique dei æqualiter alicubi partitam, scilicet ante Primam, & post Completorium, & *salve*. Quandoque per

IX.  
Obseruatio  
tertia.

per

per Claustra processiones, saltem per habdomadam, semel sexta feria cum psalmis poenitentialibus & litanias prostratione, & iterum Sabbatis, cum *Aue maris stella*, &c. & B. Virg. MARIE humili deprecatione, quæ & alia, secundum cognitæ mihi Congregationis morē enūmero, & fere in Nauarra video, & de Aragonia audiui, &c. haud dubium, quin & alia Congregationes similiter obseruationibus auctæ, & forsitam pluribus sint addictæ. Vt vel ex hinc, obiter, prompta sit defensio, contra Card. Turrecrematam, carpentem, in aliquibus Monasterijs, diuinum officium adeo prolongasse, vt fere totum diem in eo occupent, & esse contra mētem & Regulam S. BENEDICTI, neglecta lectione, dimissoque manuum labore, aliter disposuisse temporum distributionem; quod à vera existimatione abesse, tanti viri veniā; in nostræ resolutionis probatione, monstrabo.

*Censura Card.  
Turrecrem.  
repellitur.*

X.  
*Modus obligationis explicatur.*

Censeo enim diuersam dispositionē hodie vigentem, in distributione horarum, pro opere manuum & lectione, nullatenus esse contra REGVLAM, si Monachus, postquam conuentualibus occupationibus, siue ex Regula, siue ad Regulam additis, modo dicto; siue in choro, siue extra chorum, quomodo-cumque illæ sint, adstiterit; de cætero peculiariter insilat lectioni, aut scriptioni, aut alteri honesto operi & exercicio, vel spiritali, vel corporali. Ita (ó Monache) vt inutilis confabulationis aut otiositatis pestem fugias. Nā quas tibi feriatas horas, excepto somno, alijsque corporis necessitatibus, videtur præstare Religio, non est quia te ab occupatione liberet, & otiositatem concedat, quam REGVLA, vel cum Communitate, vel seorsum, & singulariter, horis ad plenum numeratis, excludit. Ad quod ex REGVLÆ dispositione teneris, saltem sub veniali, quando aliud præceptum non vrgeat. Quod si ex lege Dei, aut aliqua subinde obligationis ratio instet, ex alijs principijs pensanda est otiositatis culpa & grauitas illius.

XI.

Probationem vero huius resolutio-

nis, ex indicatis, adiungo. Primo, quia seruato sine excludendi otiositatem, ipsa REGVLA, aditum relinquit, ad disponendum aliter, siquid exigens nouam dispositionem eueniret. Qua ratione abstinuit ab alijs verbis, & dixit sub verbo: *Credimus hac dispositione tempora ordinari*, quasi, pro maiori, formam præbēs, & genericè occupationes describens. Sic ca. 18. de dispositione psal-morum, similiter permisit: & in præ-senti promptior & aptior materia, ad alterandam dispositionem, quam haud dubium ipse legislator alteraret. Quod quam exploratum fuerit Sanctissimo pariter & doctissimo Petro Venerabili Abbati Cluniac. tum *lib. 1. epist. 20.* ipse prodit; tum *ibid. epist. 28.* inquit: *Quocumque bono exercitio, otiositate fugata, Regula custoditur, &c.* Atque inferius: *si orando legendo, psallendo, iniuncta religiose implendo, vel alia qualibet huiusmodi bona agendo, animus occupatur, Regula perfecte seruat.* &c. Aduocatque S. Maurum Abbatem, & discipulum S. BENEDICTI in testem, & authorem huius intelligentiæ, suo in Gallijs exemplo & dispositione. Ad quæ etiam opportunè aliqua Mag. Fr. Alphonsus à Leone, *Aduertentia 102. sup. Regul.* Et in eo discurret & disponit aptè, Declaratorium Camaldulensium, *ad hæc cap. 47. & 48.* consentitque D. Bernar. *in Apolog. ad Guilliel. & epist. ad frat. de Monte Dei*, ibi: *exercitia corporalia, sunt propter spiritalia, &c.* Quæ probatio satis erat, si Cardinali præfato innotesceret, vt non rigidus censor existeret alijs laudi locum dantibus.

Secundo, probatur: quia mutatio orta, ex diuersa dispositione recitandi, seu agendi diuini Officii, & reficiendi, alijs horis ac fiebat antiquitus, tempore REGVLÆ negari non potest, quin ritè facta & licite admissa sit, ex dictis *cap. 8 & cap. 41.* Insuper ex illis quæ memorauimus, *num. 9. sup.* constat, plura, quāta authoritate sunt iniuncta, vel Conciliorum, vel Pōtificum, vel Ecclesiæ more, quæ & per se fugillatione carent, & cum pertineant ad ipsum diuinum Officium

1. Probatio.

XII.  
2. Probatio.

ficiūm

feium, cultumque Dei immediatè, & proxime, optima commutatio erat cuiusque operis manuum, in ipsum, quod S. BENEDICTVS, vocat *opus Dei*: cui cum nihil preferendum doceat, certū est, quidquid in illud subrogetur oportune amplius sibi placere, atque ex REGVLÆ inrentione esse has occupationes, ad vitandam otiositatem indutas, in illas adeo sanctas, & proficuas commutari. Atque ita sensit quoad hæc etiam Declaratorium Regulæ, pro Cōgregatione Cassinensis; seu S. Iustinæ de Padua, & recte pro qualibet religione in simili, & absolute amplectitur hoc D. Bonauent. *Opusc. de paupert. chri. q. 2.*

Tertio, probatur. Quia opus manuum & lectio hic statuta, neque conuentualitati in vnum, neque omnimodæ continuationi adstricta sunt, vt constat ex dictis *nu. 7. & 8.* Vnde admittit REGVLÆ quamcumque aptam dispositionē, excludentem otiositatem circa singulos. Hanc autem perfectius excludi per occupationes huius temporis, ex eo apparet; quia labor antiquorum, in cistis texendis, alijsque artibus fere mechanicis exercendis, totus fere consistebat, vt videre est, in Vitis-Patrum, in Basilio, Cassiano, & alijs, & plura refert aptè Petrus Venerab. *lib. 1. epist. 20. ad Gis-leber.* & infra ad *cap. 57.* latè monstrabo atque exercitatio illa, sæculo antiquieri, & monachatu, Laicis magna ex parte constanti, aptior erat. Quæ ergo cōparatio, cum illis sup. *num. 9.* numeratis? Quanto dignior, circa altaris ministeria, successit occupatio, & magis præferenda? & si cetera (vt expedit) sint paria obedientiæ humilitatis, charitatis affectus; quanto potiora haberi habent studia, quibus nunc monachi Sacerdotes addicti sunt circa chorum, circa prædicationem circa confessiones, tam ad discenda, quam edocenda? Vt hæc pro illis, magno fenore, compentanda veniant, & præferatur spiritus corpori, & Marthæ Maria, aut vtraque in eadē domo consocietur.

Quarto, explicatur magis probatio:

Quia labor manuum monachorum antiquitus institutus, licet primitus propter virtutem exerceretur, sed insuperfuit aliunde necessarius. Tum quia tot Laicis monachis, non poterat aliud studium commodius esse, semel Synaxi in oratorio breuius peracta, tum quia labor manuum, erat illis tūc pro dotatione, & sustentatione celebrium Cœnobiotorum, tantam multitudinem continentium, vt per myriadas numerarentur, quæ (vt ait Cassianus) operum suorum facultatibus fulciebantur, quibus potuerunt iugiter perdurare. Quod prosequitur, *lib. 10. instit. à cap. 8. vsque ad finem,* & constat ex Augustino, *lib. 1. de moribus Eccl. cap. 32.* atque in id S. BERNARDVS, *serm. 1. in Cant.* vbi ait, *sed præterit hora, qua nos exire vrget ad opus manuum, & paupertas, & institutio regularis, quæ scilicet, necessitas, quando vrgeret, eo modo prouidit, deficiente dotationis, fructuum, aut eleemosynarum subsidio.* Et his igitur, manifestū est, sublimius & immediatius, virtutis religionisque cultum, quam per alias memoratas actiones, exerceri. Deinde patet, ex plaribus capitibus, cessasse necessitatem illam insistendi operibus, pretio venummandis. Primo, quia numerositas illa monachorum, à nostris monasterijs abest. Secundo, quia ipsa Monasteria dotationibus competentibus fundata sunt. Tertio, quia etiam in illis quæ dotationibus carēt, eleemosynis fidelium sustentantur, & missarum atque aliorum munerum congruis stipendijs, absque obligatione ad operandum manibus, pro sui sustentatione. Quod late, contra Hæreticorum morsus, defendit Card. Bellarminus, *lib. de Monach. cap. 42.* & Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 8.* Atque vt, vndique conspiraret autoritas, etiam Ioannes Lepaige Præmonstratensis in sua Bibliotheca, *1 part. cap. 11. de labore manuum,* abūde satisfacere eum, qui spiritualibus rebus aliàs occupatur, etiam pro suo instituto regulari, conformiter ad dicta tenet, & probat nō incōgrue, & *infra. n. 16.* ex altera parte huius cap. adhuc cōstabit.

4. Probatio.

XIII.  
3. Probatio

Diuersitas in monachatu huius temporis.

XIII.

Pro-

XV. *Lectionis li- Cap. ait: In diebus Quadragesima acci- bri Quadra- gess. obligatio* Procedendo iam ad alteram partē dit assidua lectio, ex REGVLA iniuncta hic & c.42. & alias. Suadetque exigentia peritiæ & doctrinæ, quam requirit in Abbate, c.2. & 64. vbi expresse petit eum: *doctū in lege diuina, vt sciat vnde proferat noua & vetera*, qui vtique, ex Monasterii Monachis, ea literatura ritus assumendus erat. Manifestantque doctæ illæ Collationes Patrum, aliq; antiqua monumenta eruditionis, quibus veteres Bibliothecæ refertæ sunt, M.S. Nam & scriptores librorū de quibus inter alios artifices Monasterij, videbimus, c.57. non tandem pertinentibus ad cantum reor, sed ad lectionē, vt instructa esset Bibliotheca codicib<sup>9</sup>, quando præli artificium nondum erat inuentum. Quibus manuscriptis cōstabant antiquæ & memorabiles Bibliothecæ, quarum meminit Aulus Gellius lib.6. noct. Att. c. vlt. & lib.11. cap.12. & Isidor<sup>9</sup>, lib.6. etymol. c.3. & alii, vt apud Pinedam, in Ecclesiast. cap.12. vers.12. & circa Apolog. Tertul. cap.18. eius illustratores.

XVI. *Bibliotheca in Monasterio.* Interim ad verbum de Bibliotheca nota, quam antiqua Monachorum suppellex, librorum apparatus, quam Monastica officina Bibliotheca, cuius Præfectum seu Bibliothecariū, inter alios Monasticos officiales, iuxta Regulam numeravi sup. Cap. 32. num.1. & hinc, expressa officina, cōsequenter infertur præfectus illius. Quod officium constituisse D. Augustinum constat ex eius Regula cap.34. ibi: *Qui codicibus præponuntur, &c.* & ita inter proprios Benedictinos, lib. de Veteribus Consuetud. Floraci, cap.1. inter alios ministros vt est Cellerarius, Thesaurarius, &c. refertur etiam Armarius, quem constat esse Præfectum armarij, quod est repositorium librorum, vt ex Pamelio notauimus vbi sup. Idem in Ceremoniali Cōgregationis Bursfeldensis, dist.2. cap.8. de Armario. De quo etiam in libro antiquissimo vsuum Cister. c.74. & alias frequens mentio. Atq; frequens & aptum studium, intelligentia & notitia sacrarum scripturarum, Monasticæ professionis & disciplinæ etiā fuisse, simul cum aliis manuum operibus satis ostē-

Rursus in textu: *Ante omnia deputentur, vnus aut duo Seniores, &c.* Hoc autem obseruari Video inter nostros designatis, qui eo tempore diligentius curent, vt Monachi intra cellas se contineāt, lectioni & aliis exercitiis vacando. Quos Seniores, communiter appellant Decanos, cum tamen neque hic, huiusmodi zelatores appeller, eo nomine REGVLA; neque ipsa expresse admittat Decanos, semel admissio gubernio Monasterij, per Præpositum ab Abbate ordinatum, seu constitutum vt vidimus, c.21. n.3. & iterum infra c.65. neque Decanorum officium extēdatur iuxta Regulā, nisi ad suas Decanias isti vero ad omnes, & totum Monasterium. Tamē adhuc Præposito in Monasterio cōstituto, cuius munus in Decanos aliās partiendum erat, quia in partem muneris inducuntur isti, inde forte Decanorum nomen obrepit, & venit in vsum vt loquendam sit cum multis.

Et sequentibus in textu, constat amplius resolutio, n.10. explicata. Nam ea deputatio Seniorum, vt videant ne quis

XVII. *Non hic Decanos appellat.*

*Hinc patet resolutio operum manuum &c.*

tempore lectionis, *vacet otio, aut fabulis*, monstrat, nō coherere cum lectione conuentaliter habenda, vbi ea otiosa confabulatio esse non poterat, vt iam tetigi, num. 7. Deinde ait: *Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus*. Ergo sequitur esse alias horas competentes, quibus loqui & communicari inter se liceret, sed non nocte, quod strictè cauetur, capit. 42. at in terdiu, de quo tempore hic agit, si textum intuearis, nullum est spacium, à custodia matutina vsque ad noctem, quod non aut *labori manuum*, aut *lectioni assignetur*: Igitur dicendum est, quod licet certi quidam essent labores & opera, ad quæ simul conuentaliter, conuenirent: tamen totalis hæc distributio operum & lectionum, non cadit supra Conuentum in vnum collectum, sed supra singulos Monachos, iuxta varia eorum officia & artes, & modos occupationum. In quibus intelligitur; & legenda in choro prouideres; & antiphonas Psalmosque decantandos recognoscere, vt ipse textus indicat, ibi: *Vacet lectionibus, aut Psalmis*, & me docet antiquissimus liber Vsuū Cisterc. Capit. 71. vbi ait: *Ad orationem vero ire possunt in Ecclesiam, omni tempore lectionis*: Quo tempore etiam admittit, vt: *Alijs legentibus sigillatim alij in Antiphonarijs & Hymnarijs & gradalibus cantent, & lectiones suas prouideant, quas ausculter Cantor, vel alius frater idoneus, & querere inter se possint, de productis & correptis accentibus, & de dictione, quam legere ignorauerit, &c.* Sic & alia, quæ sæpè ab vno, sæpe ab aliquibus simul concurrentibus socijs, fieri solent. Vultque nō omni hora liceres; nō horis silentij, siue noctis, siue diei, nec alijs, in quibus Conuentalis est lectio, vt cap. 42. aut alia similis actio Conuentalis refectio nis, aut Chori, & ita necessario sunt admittenda, & intelligenda, his temporibus lectioni & operibus, prædicta latitudine, & modo destinatis.

XVII.

Progreditur textus, ibi: *Dominico die*

*lectioni vacent omnes, exceptis ijs, qui varijs officijs deputati sunt.* Nempe ij semper excusantur, ratione alterius necessariæ occupationis, quod intellige circa Conuentum, in rebus cum die festo compossibilibus; non de exercitio laboriosarum & feruiliū operationū, à quibus abstinere vult omnes, die Dominica, cum qua, sicut cap. 14. parificat alia festa, in quibus non laboratur; & hic similiter, prout exposcit Ecclesiæ præceptum, parificanda sunt. Atque ijs diebus, vult omnes lectioni vacare. Sed numquid, vt Conuentaliter in vnum, tota die legant? Nequaquam. Sed vt quod residuum est temporis, ab alijs actibus Conuentalibus, omittentes opera laboriosa aliorum dierū, sanctis lectionibus incumberent. Sed adhuc, nunquid ad sicā lectionē adstringuntur? Minime. Tū quia toto fere integro die, à codice nō leuare caput, nō omne caput ferat; & humano modo intelligendum est. Tū quia sub lectione, intelliguntur ea, ad quæ lectio ipsa ordinatur, scilicet, *Quid facere, quid cauere, quo tendere debeamus*, vt D. Bernard. ad sororem, capit. 50. dixit, & meditatio oratioque, fructus sunt lectionis, qui potiores sunt, id enim est, vere legere, cū fructu bonæ operationis. Sic S. Ephrē Syrus, tom. 1. hom. de Patientia docuit. *Cum legis studiose & accurate legas, magna cum tranquillitate atque industria, & non studeas dumtaxat libri folia euoluere, &c.* Quare pulchrè, lib. de vita solit. D. Bernard. *In omni scriptura tantum distat studium à lectione, quantum amicitia ab hospicio, &c.* Volens maximè in lectione studium, siue fiat scribendo, siue notando, siue ad meditationem assurgas, siue ad orationem inuiteris, siue ad colloquium proficuum & honestum diuertas, siue calculos orarios admisceas, siue ad piam operationem diei competentem transeas; modo Monachus otiosus non vacet, REGVLA contenta est.

Lectio Domini  
nicis diebus.Lectio nis  
fructus &  
modus.Denique addit: *Si quis vero ita negligens, &c. & rursus Fratibus otiosus.*

XVIII.

Nec infirmus

Z

in


*infirmis & delicatis. &c.* Ita nullum vult otio, ignavia ve torpere, vt neque ineptitudine, neque infirmitatis imbecillitate, quisquam otiositati indulgeat, proportionato cuique suo exer-

citamento. Cuius verò artis o peribus exerceantur, & ex antiquioribus ad Regulam, & ex nouioribus, infra ad proprium cap. 57. declarabo.

*De Quadragesima obseruatione.*

CAPIT. II.

TEXTVS.



**I**CET omni tempore vita Monachi Quadragesime debeat obseruationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus Quadragesime, omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter negligentias aliorum temporum, his diebus sanctis diluere. Quod tunc digne fit, si ab omnibus vitijs nos temperemus, orationi cum flectibus, lectioni & compunctioni cordis, atque abstinentie operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ, orationes peculiare, ciborum & potus abstinentiam, vt nusquisque super mensuram sibi indictam, aliquid propria voluntate cum gaudio Sancti Spiritus offerat Deo. Id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderij gaudio Sanctum Pascha expectet. Hoc ipsum tamen, quod vnusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate. Quia quod sine permissione patris spiritualis fit, presumptioni deputabitur, & vana gloria, non mercedi. Ergo cū voluntate Abbatis omnia agenda sunt.

NOTÆ.

L.

Quadrages. obseruatio, perpetua esse deberet.

**C**APVT præfens exhortationem continet, tanto tempore scilicet Quadragesimali dignam, & quam omni vitæ curriculum Monachum amplectari, fas esset, si non ciborum tanta differentia ad meliorum morum perfecta diuersitate. Doletque Sanctiss. PATER. quod paucorum est ista virtus, quæ omnium deberet esse. Ad quod D. BERNARDVS, *serm. 3. de Quadrages. consequenter ait: Continuada nobis est Quadragesima, cunctis diebus misera huius vitæ, quod infert, cum præmississet, ita ieiunandum & abstinendum tempore Quadragesime, vt nonerimus Quadragesimam nostram, non solos quadraginta dies habere, & subiungit inferius, dixisse Prophetam, Quærite Dominum, non solum quadra-*

*ginta diebus, sed dum inueniri potest, &c. Et serm. 7. proposita puritate huius obseruationis, concludit, id sequi debere: Vt omni de incepto tempore, in conuersatione nostra, sanctæ huius quadragesimæ vestigia resplandeant. Atque rursum ser. prius citato, ad mysterium nos adigit, dicens: quadragesima non solum pars, sed & sacramentum est totius temporis huius, &c. Ita ad Quadragesimam, quæ præcedit Passionem Christi, & Pascha, sequitur alia, de qua Act. 1. ait Lucas: Post passionem suam, per dies quadraginta apparens eis: Vt vni Quadragesimæ altera succedat, nec ab ea desistendum putemus. In quod Chrysostomus, hom. 1. in Act. loquitur: Nec quis arbitretur, in tempestiuum esse, his diebus, sermonem, eo quod non est dies, Qua-*

*Quadragesimus* ( id est *Quadragesima* ) Nam hoc ipsum est quod *Viri animarum meum*, in huiusmodi rebus obseruari tempus, & paulo inferius: *Tempus expectas Quadragesima?* Numquid amplius habet illud tempus? Non quia non consideretur amplius habere, sed quia desideretur illi reliquum tempus, in salutis eternæ rebus, parificari. Docetque id Augustinus, *serm. 56. de temp.* inquit: *Dies sanctæ Quadragesimæ vitam seculi presentis significant, & addens rationem significati, ait: Quia in hoc seculo, quandiu viuimus pœnitentiam agere debemus, &c.* Atque *Epist. ad Ianuar.* idem Sacramentum, quod BERNARDVS, insinuans repetit: *In Quadragesima significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, ut ab ipsius mundi amicitia ieiunetur, &c.* obseruatque, *lib. 2. de consensu Euang. capit. 4. ex capit. 1. Math.* Excepto Christo, *Quadragesima homines, in generationum serie numerasse, quod ad vitam Christiani, ne dum Monachi Quadragesimali obseruatione tenendam, latius expendit. Nec abs re Moysis vita, ut aduertit Lippemanus, in Cæcena Exod. capit. 3. in tres æquales numeros diuisa est, cum Quadragesima annorum esses, fratres inuisit, & persecutionem est passus: Quadragesima annos natus pastor efficitur, & oues pascit. Quadragesima annis populo præsidet.* Fuisse autem Contemplatiuorum figuram Moysen vocatum in montem, tradunt Gregorius Nisenus in eius *uita & Glossa ordin. ad capit. 18. Exodi*, ut Monachus inde numquam a sacro Quadragesimæ caractere discedendum esse, tota vita, sciat: Ad quod etiã Leo Papa, *serm. 5. de Quadrages. Nazianzenus, Orat. in sanct. Baptisma*, in illud *Eccles. 3. Omnia tempus habent.* Damascenus, *lib. 2. Paralel. & alij.* At quoniam ego, qui præter morem, ad morales ( ut verbo BERNARDI loquar ) delitias, deuoluor? Sed parcendum, ( si deliqui ) semel erranti. Nam & textus ipse, perpetuam puritatis Quadragesimalis vitam exoptans, tan-

quam in literæ probationem, me allexit.

Si tamen quis nimium literalis, rogasset an titulus, ac textus huius capituli, de vna tantum in anno Quadragesima intelligantur? Superuacaneum forte accusabitur quæsitum. Sed sustine, dum tibi profero testimonia plurimum. Nam Petrus Damianus, *Epist. 120. ad suos Eremit.* sic ait: *Vinum utroque Quadragesimali tempore, non bibatur, & alium locum ipsius de duabus anni Quadragesimis dedi sup. ad capit. 41. num. 13.* Rursum D. Bonauentura, *tom. 2. opusc. in Regula nouitior. capit. 6.* inquit: *Quadragesimam Epiphaniæ, & aliam Apostolorum, quæ incipit ab Ascensione usque ad Pentecostes semper ieiunare procures, &c.* Harum verò supputationem & modum, ipsi Bonauenturæ, aut suis relinquo. De illis Petri Damiani, ipse se explicat, *Epist. 122. vbi ait: In duabus autem Quadragesimis, quæ videlicet Natalem Domini, vel Sacrosanctum Pascha præcedunt, &c.* idemque non semel, in *opusc. de sue Congregationis institut. capit. 6.* intelligens aperte tempus *ADVENTVS DOMINI*, nomine alterius Quadragesimæ. Quo etiam sensu idem inuenio in quibusdam literis Capituli Generali Cistercij, pro Calatrauensi militia expeditis anno 1187. quas protulit Reuerendissimus Mag. Angelus Manrique in Memoriali, quod pro iure Monasterij Morimundi, ad instituendum in Priorem Calatrauæ, Monachum Cisterciensem, Catholico Hispaniæ Regi Philippo III. præsentauit, vbi inter alia habent: *Duas Quadragesimas ieiunabis, scilicet Adventus ieiunia, etiã Quadragesime nomine intelligendo.* Et nos aliquando, inter alia quæ Hispaniæ edidimus opera, Tomum vnum Concionum Quadragesimalium, prælodatum Salmanticiæ, haud dissimili schemate, inscripsimus. *Vigiliam magnam Christi, ut sic, Quadragesima principalis, & propria diceretur: respectu cuius, Adventus, minor, aut parua Vigilia*

II.

An vna tantum Quadr.

Aduentu etiam nomine Quadrages.

dici potest. Verum cum *Quadragesima* sit nomen numerale, *Aduentus* que longe ab illo dierum numero discrepet, solum ad ieiuniorum & obseruantie similitudinem videtur attendisse, Petrus Damianus, sicut & alii loquendi modum tenentes, vt infra *num. 4.*

III. Nunc ad interrogationem quoad *Sola Quadra REGVLAM*, in promptu est: Ex ea solum de *vnica Quadragesima*, quæ proprie talis accipiendum esse præfens caput; nec aliam cognouisse, aut tradidisse nobis, quam quæ ab Apostolis ad nos, in Ecclesia, eius præcepto, fidelibus firmata est. Nam licet Montanus tres ieiuniorum *Quadragesimas* inuehere, sua autoritate conatus est, quarum meminit Hieronymus *Epist. 54.* eas tamē reiecit Ecclesia; tūc detestata Authorem; tūc aliis rationibus de quibus Baronijs *ad annos 173.* Nec tamen ob id damnauit alias, quas ex feruore deuotionis, & in maiorem carnis mortificationem, variis ieiuniorum & abstinentiæ modis agebant quādoque Monachi sancti; prout ibidem idē Car. Baronijs à calumnia impostorum Monachatum nequiter infestantium defendit, & prout citatus Petrus Damianus, *Opusc. 32. de Quadragesima* refert de quodam Monacho, qui præter illas *Quadragesimas*, quæ scilicet à Patribus instituta suis que limitibus per anni circulū sunt præfixa (scilicet *Quadragesima & Aduentus*) alias occulte celebrabat, &c. & profequitur modum abstinentiæ, quem tenebat in illis. Sic in vita Seraphici P. Francisci, eius Author D. Bonauentura narrat illū solitū fuisse, vnā *Quadragesimā* ieiunare in honorem S. Michaelis, sic & de alijs.

III. De secunda vero *Quadragesima*, hoc est de Ieiunio *Aduentus*, nihil peculiare disponit *REGVLA*, sed solum generaliter cōprehensum est ieiunium illius tēporis, in eo quod designatum est, ab Idibus Septēbris vsq; ad caput *Quadragesimæ c. 41. & 48.* Et prout ex *REGVLA*, nulla alia est obligatio, nisi quæ cōmunis est cū alijs ieiunijs Regularibus, quæ pertinent ad tertiā *CLASSEM*, *ar. 8.*

*Introducet.* Inducta autē est, post Regulam, maior obseruatio ieiuniorum *Aduentus*; & fere par cum *Quadragesima*, non tamen alia quoad conscientiam & culpam obligatione, quā quæ ex *Regula*, declarata est, respectu singulorum, nam communitatis alia est ratio, traddita loco citato, *Art. 11.* Hanc autem peculiarem *Aduentus* obseruatiam, iam in principio Cisterciensium introductam solemniter, sermones P. N. BERNARDI de eo tempore manifestant. Principium autem refert Baronijs, habuisse à quodā ieiunio, quod vocabatur *Quadragesima S. Martini*, quia ab eius festo, vsque ad natalem Christi Domini ieiunabatur ab aliquibus, secunda, quarta, & sexta feria, per hebdomadā, ex institutione S. Perpetui Turonensis Episcopi, in Gallijs, cuius ieiunij mentionem facit Conciliū, seu prima Synodus Masticonensis, anno 581. ad quem ea traddit Baronijs; atque inde fluxisse, vt nonnulli continuato ieiunio, illud tempus, vsque ad Natiuitatis diem transigerent. Ac tandem licet Guillelmus Durand. *Mimatensis, lib. 6. Ration. diuin. cap. 2.* tribuat B. Petro institutionem *Aduentus*, per tres hebdomadas, & quartā nō integrā, ante Natalem Dominis; nec testem profert, nec modum dicit; sed distinctum officium pro eo tempore tam ipse, quā Rupertus Tuiciensis, & alij qui de eo agunt, tradditū à vetustate inuenerunt, an cōpositū à D. Gregorio iuxta Amalarium, *lib. 3. de diu. offic. cap. 40.* non disputo. At nostrum Cisterciense à Romano diuersum, & nos vltra omnem memoriam cum ieiunio, modo dicto, celebratum accepimus. De quo, alię Congregationes suum institutum & morem viderint.

V. Habet autem textus, circa *Quadragesimæ* obseruationē, illud: *Hoc ipsum autem quod vnusquisque offert, &c.* In quo præceptum est *REGVLE*, vt maiifestetur Abbati peculiaris abstinentia, & pœnitentia, quam sibi quisque voluntariē velit indicere, *supra mensuram regularem*, Quod præceptum, non ad

Eius principium.

V. Ad extradiuinarā pœnitentiam, licentia petenda.

ad solum tempus Quadragesimale est restringendum; ratio enim quæ subiungitur quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, &c. omni tempori quadrat. Illud etiam intelligo de differentia aliqua notabili, & per aliquos certos dies assumpta. Imo si ista in solita aut particularior non sit, crederem in nostra, simili ve Congregatione, sufficere eam generalem licentiam, quæ inter alias, peti, & concedi solet Dominica in Ramis, in scriptis, de quo more dixi, cap. 43. num. 9. vel si Prælatus exhortans ad obseruationem Quadragesimæ, eam parsimoniam in cibo, & mortificationem in alijs, commendat, atque sic Abbates absolute voluntarios se præbere, generali manifestatione voluntatis, approbarem, his temporibus quibus magis impelli, quam requisitis detineri, egemus, in seueriori vita sectanda. Vel si fiat cum consilio Senioris confessorij, qui Patris spiritualis, rationem subit. Salua nihilominus, in re maioris momenti, communicatione cum Abbate, iuxta stilum cuiusque Monasterij, in quo discedere, si aliunde præsumptionis, aut alterius vitii culpa grauior non appareat, veniale tantum erit ex REGVLÆ. Et ab hoc, aliqua rationabili consideratione mouente, quæ vel timeat sibi de manifestatione virtutis, ne vanitatem vitandam incurrat; aut semel manifestata, timeat de prosecutione, ne solo respectu humano faciat, &c. excusari, facile concederem.

Supereft autem explicandum quod Cap. præced. num. 15. in hunc locum remissi, propter libros, quos ibi dandos, in Caput Quadragesimæ disposuit, vt sciremus quo die dandi sint. Et quidem de facto, ita vsu semper comparatum est, vt prima Dominica Quadragesimæ datur in Capitulo, post Primam, vbi legitur hoc cap. REGVLÆ, cum vltima parte præcedentis, atque ita in libro vsu Cist. etiam vetustissimo c. 15. ordinatur. Sed cur eo die, cum Caput Quadragesimæ sit feria quarta cinerum hebdomadæ antecedentis? Fuisseque ita etiam tempore D. BERNARDI constat, ex eius ser-

monibus, ser. 1. in cap. ieiunij, vbi Evangelium illius ferie declarat, & serm. 2. vbi verba Capitulæ illius dici explicat. Atque idem caput, aut principium agnouit, lib. 4. cap. 9. de diuinis offic. Rupertus, tamquam iam olim adiectum, ad Dominicam Quadragesimæ.

Dicendum ergo est, illud caput ieiunij in prima Dominica ita remansisse, à tempore S. Benedicti, cuius seculo, Quadragesima, in Occidentali Ecclesia vniuersalius, sex tantum hebdomadis constabat. Nam licet eius obseruatio antiquissima sit, vt pote in Canonibus Apostolorum contenta, Can. 68. & in Constitutionibus Clementis I. lib. 5. cap. 13. tamen varietatem maximam in numero dierum extitisse, est notum: sicut & de tempore, in quo, intra annum, illud ieiunium celebrabatur; quia & in celebratione Paschæ, ad quam præmittebatur, vt ostendit locus ex Clemente citatus, ibi: *Celebretur hoc ieiunium ante ieiunium Paschæ, &c.* & videri poterit ex innumeris, quæ adducit Petrus Crespetius, in summ. cath. verit. verb. *Quadragesima, & verb. Pascha*, notabile etiam fuit discriminis, & non leue disidium, ne cum Iudæis, in celebratione Paschæ conueniret Ecclesia. Quod vel ex Epistolis Victoris Papæ I. ad Desiderium & Paracodam Episcop. Viennenses, elici potest, quas in Bibliotheca Floriacensi, adducit Boscius in Antiquitatibus Viennæ, & ex Eusebio, lib. 5. Hist. Eccl. cap. 22. & 23. & momentum desidij aperit Bellarm. tom. 1. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 19. resultante etiã inde nomine heresis Quarto-decimanorum, cuius meminere Epiphanius & Augustinus, hic. cap. 29. ille 50. de heres.

In eo autem principio Quadragesimæ designando, certum credo S. BENEDICTVM, nullatenus sequutum esse Casilianum, etiã si nonnulla alia ab eo, eius ve libris, fuerit mutuatus. Nam apud Ægypti, Orientisque prouintias Quadragesimæ adscribebantur septem hebdomadæ; tamen ob id non essent plures ieiunii dies, quia eo tempore,

## VII.

Varietas  
Quadragesimæ  
&  
Paschæ.

IX  
Magister  
Hic est  
manuscriptus.

## VIII.

Regula pro-  
cedit iuxta  
Latinam Ec-  
clesiam.

VI.  
Caput Qua-  
dragesimæ ad  
Codices.

& illis partibus, Sabbato sicut & Dominica die, non ieiunabant, vt docet prædictus Cassianus, *lib. 3. instit. c. 9. & 10. & collat. 21. cap. 27. & 28.* At in Latina & occidentali Ecclesia, præualuisse patet, vt Quadragesima, sex hebdomadis integraretur, & non nisi dies Dominica (idque non apud omnes) absolueretur à ieiunio, prout ex iisdem locis supra citatis est constans, & ita in REGVLA, Dominicam primam fuisse caput Quadragesimæ.

XI.  
Quadragesima iuxta  
Ambrosium

Quod quidem in Italia, vel ex sermonibus D. Ambrosij Mediolanensis, apparet, *ser. 23. ibi: Cur eadem Quadragesima quadraginta & duos dies habere audire gestimus.* Scilicet sex hæbdomadæ eos dies efficiunt, rationesque ipse subiungit *eod. & sequentibus serm.* Imò & *ser. 34.* Sugillat eos, qui à Dominica Quinquagesimæ, id est à septimana antecedente ad Quadragesimam, incipiebant obseruationem, inquit: *Melius esse Quadragesimam obseruare cum Christo.* Quam quidem incipi à Dominica, & continuato ieiunio sine intermissione alicuius diei tunc, ex eodẽ deducitur, *serm. 25. ibi: Quadraginta dierum ieiunia sine intermissione curemus,* & *serm. 33. Non prætereant nos dies absque ieiunio, &c.* Contra quod non videtur obstare, *Cap. Quadragesima, dist. 4.* Nã illud desumptum, ait Gratianus, ex libro sermonum M. S. qui non extant, nec bene cohæret cum sermonibus, quos ex ipso habemus, & quibus standum est. Neque obstat, *Cap. ieiunium, dist. 3.* vbi excipitur à ieiunio dies Dominica, nam pariter ibi excipitur quinta feria. Quod, in neutro, in totum receptum, pro tunc, reor, cum Ambrosius, qui eodẽ seculo incidit, quo Malchias Papa, cuius ille Canon fuisse dicitur, nullius diei exceptionẽ faciat. Vel etiam forte illud, non pro ieiunijs Quadragesimalibus, sed pro annuis, extra Quadragesimam, interdictum est, ne more gentilium, feria quinta ieiunaretur, sed sexta, in memoriã Christi Passionis. Licet postmodum, Dominicos dies etiam à Quadragesima extractos,

Defenditur  
ab obstantijs

manifestum sit, ex *Cap. Quadragesima de Cõsecrat. dist. 5.* desumptio ex D. Gregorio, *hom. 16. in Euang.* Et licet ab eodem, ad dictum esse diem cinerum Quadragesimæ traddat Onuphrius Panuinus, in *Epitome Pontif. num. 70. anno 595.* sed additionem illam quatuor dierum ieiuniorum, loco subtractarũ Dominicarum, ad complementum quadragenarij ieiunij, recentiorẽ esse profert Baronius, *tom. 1. anno Christi 57.* & conuincitur ex citata eius homilia. Quod vero inter sermones S. Augustini inueniantur, *tom. 10. de tempore,* aliqui, quarta feria in capite ieiunij. In scriptio quidem est, non ipsius Augustini, sed coordinantis in vnum volumen, & feriem, sermones ad tẽpus congruos; nec est aliquid quod cogat illi diei, eos adscribere. Et idem censeo de alijs Petri Chrysogi, & similibus.

Postremo & hic habere locum debet id, cum quo, multa huius materię testimonia, verbis pugnantis, ad concordiam redducuntur, videlicet varios, secundum varias Ecclesias Occidentales, fuisse de hac re vsus permittos, & licite seruatos, iuxta cuiusque consuetudinem; donec vniuersaliter, & in numero dierum, & in tempore celebrationis, ad vnum & eundem, quem habemus, modum, præcepto Ecclesię determinatum, diuersitas illa reducta est. Quam solutionem, vt necessario admittendam ex Hieronymo, Ambrosio, & Augustino, acceptat Baronius *vbi supra.* Inter illam tamen varietatem id, quod in D. Ambrosio, habemus expressum, & vsque ad sequentia tempora ante Gregorium, transmissum & obseruatum vniuersaliter estimo fuisse receptum, quo ad inceptionem Quadragesimæ; & iuxta illud, obseruationem REGVLÆ ab initio applicatam, & in posterum retentam. Hęc igitur est causa, quare Dominica prima Quadragesimæ, ex iniuncto REGVLÆ, dentur libri legendi: Tamen semel mutato Capite ieiunij, & in Quartam feriam cineris translato, etiam translatio Cæremonię librorũ, videbatur consequens, &

X.  
Concordia  
plurimum.

Obligatio ob  
seruationis  
librorum.

& id conformius REGVLÆ, licet iam, in semper in praxi seruatur, transgressio  
retentione consuetudinis inde ortæ, & nulla sit.

De Fratibus qui longe ab Oratorio laborant, aut in via sunt.

## CAPIT. L.

TEXTVS. **F**RATRES qui omnino longè sunt in labore, & non possunt concurrere hora competenti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore diuino flectentes genua, similiter qui in itinere directi sunt, non eos præteant horæ constitutæ, sed ut possunt agant sibi, & seruitutis pensum non negligent reddere.

NOTÆ.

I. **I**nter alios laborandi mores, aut operandi modos, antiquitus Monachis familiares, fuisse aliquos in agrorum cultura, & maximè in metendis & colligendis frugibus monasterij, ex ca. 48. constat, Quamquam id non fuisse prorsus vniuersale, innuunt ea verba ibi: si necessitas loci, aut paupertas exegerit, & rursus: non contristentur, quia tunc vere Monachi sunt, si labore manuum suarum viuunt. Nam si id semper in vsu & praxi esset, non erat opus ad necessitatem & paupertatem cogentem confugere; nec de tristitia solari laborantes, tanquam de re non generaliter, & non semper eueniente. Tamen de frequentia & vsu talis laboris, plurima extant monumenta, & tempore D. BERNARDI, in lib. I. vitæ eius, cap. 4. extat etiam ipsius mirificum exemplum, & post eum aliorum, etiam miraculosa visione, adiecta, quam enarrat exordium magnum Cisterc. lib. 3. cap. II. Cesarius, lib. I. cap. 17. Vincentius, lib. 27. cap. 107. & alij, Consequenterque liber peruectus vsuum Cisterc. cap. 84. de tempore secationis & messionis, morem continuat, & modum tradit, cum dispositione officij dicendi, conformiter ad hoc REGVLÆ caput. Nam eo casu, & similibus, conuentu extra monasterium laborante, agebantur horæ Canonice ab illo, in ipso agro, ut constat illis verbis: *Vesperis ibi cantatis, eant ad monasterium*

Et officium  
in agro.

Et c. Quod est conforme huic textui, ibi: agant ibidem opus Dei, ubi operantur, Et c. & consonat locus Petri Venerab. infra nu 3. & alii.

Et quamquam hodie, si non messio tamen collectio frugum fructuumque, Monachis interdum demandetur, ex parte etiam ipsis collaborantibus, a quibus nullus labor respuendus est, nec contemnendus, proportionatus viribus, & sacre Regule conformis; tamen modus istorum laborum conuentualium messionum, & similibus, iam immemoriali desuetudine cessasse, siue cessante necessitate & paupertate, cuius causam præ se fert REGVLÆ, & testimonium D. BERNARDI adductum cap. 48. num. 14. siue aliis incommodis non minoribus cogentibus, certum est; loquor que de cognitis mihi Congregationibus, & ubi eadem fuerit ratio. Nec tamen ob huius defectum viuendi suis manibus, desinent esse, *Vere monachi*, tum propter dicta, loco citato, ex Belarmino & aliis, tum quia verba ista S. BENEDICTI, intelliguntur, quod taliter, labore proprio, victum operantes, erunt Monachi vere, scilicet in imitatione priscorum, prout in Ægypto & Oriente alibique, antiquioribus retro temporibus, esse solebant. Quibus alias verior & perfectior Monachatus successit, in maiori & solemniori expressione votorum, in maiori authoritate approbationis

II.  
Cessatio ab  
illis.

Veritas monachatus explicatur.

nis religiosi status in maiori stabilitate & clausura, in maiori additione ad sacra frequentius atque indefinenter tractanda, in studiis potioribus sectandis, & in aliis, quibus decor & disciplina Monastica, si rite teneatur, præfulget, & quibus laborem illum instauret, & melius reponat.

III. Igitur quoad hoc Cap. totum intentum eius est, diuini Officij, pro absentibus à Choro, optima & religiosa adimpletio. Ad id iubet, ut Cōuentus, eo modo, laborans in agro, ibi: *agant opus Dei, cum tremore diuino flectentes genua.* Ex quo aliqui deducunt obligationem recitandi Officium, extra chorum, à singulis, flexis genibus: de quo REGVLA non loquitur, sed de Cōuentu, nec de eo petit, ut totum officium faciant, flexis genibus. Tantum enim ordinat, ut licet extra chorum sint, se habeant tamquam si in choro essent, adhibentes eandem genuflexiones & inclinationes. Nam horam canonicam tunc incipi ab aliqua oratione, cum genuflexione facta, colligitur ex dictis ad cap. 20. num. 4. & fidem facit Petrus Venerabilis, lib. 1. epist. 28. qui ait: *Antequam horam decantare incipiamus, ubicumque simus, cum timore Dei genua flectimus, & excusans interdum id omitti, dum in agro agitur officium, addit Prohibet hoc aliquando nimius imber, condensanix, lutulenta tellus, & tunc loco Metanæ, psalmum Miserere mei, decantamus.* Vbi rursus obiter notabis ad ea quæ sup. cap. 45. num. 2. diximus de Metanæ, hic etiam pro genu-

flexione patenter accipi. Licet enim Metanæ Grecis, sit Latinis Poenitentia, ut docet Ausonij epigramma de Occasionis effigie ubi ait: *Nempe ut peniteat, sic Metanæ Vocor,* tamen inde (ut notauit citato loco) ad geniculationem, & modum petendæ aut faciendi veniã deducta est vox. Quod & inter statuta Congregationis Cluniac. docet Statutum 4. ubi ait: *exceptis illis Metanæ, quæ quotidiano vsu, in capitulo fiunt, & vulgo Veniæ nominantur.*

Itaque à Cōuentu solum, dicto modo, petitur genuflexio illa in officio quod iam extra chorum, seu similem locum agere, Cōuentualiter nescimus. Singulis vere Monachis seorsum recitantibus horas, hinc nulla ad id obligatio. De quibus peculiariter disponit subiungens, *similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ, sed ut possunt agant sibi, &c.* In quo nihil peculiare exigitur, nisi quod ipsum opus Dei exigit, ut non fraudulenter nec negligenter fiat, ne maledictum Ieremiæ cap. 28. incurramus, sed prout præcipit Innocentius III. in cap. Dolentes, de Celebrat. Missar. ut studiose & deuote adimpleatur, nec amplius obligat REGVLA, aduertens & petens, *agant sibi, ut possunt.* Alias autem reuerentiæ ceremonias adhibere, laudabile consilium erit, & obsequium beneplacitum Deo: cæterum obligatio ex Regula, solum quæ præsupponitur in soluendo officio, iuxta notata, de prima CLASSI, in introduct. Art. 6.

III.  
Recitanti  
seorsum quæ  
obligatio.

De Fratibus qui non satis longe proficiuntur.

CAPIT. LI.

TEXTVS.

**F**RATRES qui, pro quolibet responso, proficiuntur, & ea die sperant reuenti ad Monasterium, nō præsumāt foris manducare etiam si à quouis rogentur, nisi forte eis ab Abbate suo præcipiatur. Quod si aliter fecerint excommunicentur.

NOTÆ.

BREVIS huius Cap. litera, nec aliud continet, nisi vnicum man-

datum, ut dum quis extra Monasterium, de licentiâ Abbatis, progreditur, non explicatur obligatio. præ

presumat manducare, &c. excepto, nisi ab Abbate præcipiatur, id est, licentia detur, sic intelligitur hic præceptio, sicut cap. 26. iusio, sine qua iungi excommunicat, non licet. Atque licentiam istã, si sufficiens necessitas occurrat, præsumptam sufficere, certum videtur, aut tacitam, ut in aliis, vbi ad manum nõ est Prælatus, cū taciti & expressi idẽ sit iudiciũ, ex l. cum quid, ff. de Rebus cred. si certum petatur: & ibi Gothofredus. Seclusa vero licetia, si aliud strictius Prælati præceptum non sit, aut alia deformitas interueniat ex REGVLA, veniale erit, ad tertiam pertinens CLASSEM, vel etiam nulla culpa, vbi iam consuetata permissio Prælati, tamquam licentia reputatur. Transgressionis autem huius mandati seriam increpationem, factã à S. Abbone martyre, refert in eius vita, cap. 20. Aymonius apud Bibliothecam Floriac. Ioannis à Bosco. Caput autem hoc, in Regula secunda Augustini expressum habetur, vbi capit. 3. ait: *Nemo extra Monasterium manducet, neque bibat, & rationem in generali assignat: non enim hoc ad disciplinam pertinet Monasterij, quam specialiter profesequi, non mei propositi est, licet multiplex occurrat, in REGVLA nostra, quæ Monasticè & rationabiliter id ca-*

uit, quod satis est, obseruatam scire.

Adiungit pœnam transgressori, ut qui aliter fecerit, excommunicetur, & semper eodem modo id intelligo, non de censura Ecclesiastica sed de multa Monastica: ut explicui, cap. 23. cum sequentibus. Ut idem sit, quod separaretur a mensa, ut comedat seorsum, aut quid simile. Nam in re & transgressione, tum leui, tum præterita, vbi nec proterbia est, nec alia resultans obligatio, sed solum superfit in debiti facti pœnam subire; quæ utilitas fulminandi censuras etiam minores? Maiori autẽ in re leui non est locus, de minori verò excommunicatione, non est, nec scimus fuisse in vsu, ab homine ferri, nec in iure inuenitur casus, in quo contrahatur propriè, ut notat Card. Toletus in summ. lib. I. capit. 17. nisi communicando cum excommunicato, ex Capit. Nuper de sent. excommunic. cum limitatione nota, ex Extrauagante Martini V. ut intelligatur de denunciatis, & publicis percussoribus Clericorum. Itaque etiam si ista recentiora sint, non est cur aliter de antiquioribus sentiamus, in hac materia, solo nomine excommunicationis æquiuoco ducti, tot alijs in contrarium reclamantibus.

II.  
Pœna exco-  
munic. longe  
à censura.

### De Oratorio Monasterij.

## CAPIT. LII,

TEXTVS.



**ORATORIVM** hoc sit, quod dicitur, neque ibi quidquam aliud geratur, aut condatur. Expleto Opere Dei omnes cum summo silentio exeant, & agatur reuerentia Deo, ut frater qui sibi peculiariter vult orare non impediatur alterius improbitate. Sed si alter vult sibi fortè secretius orare, simpliciter intret, & oret, non in clamorosa voce, sed in lachrymis, & in intètionem cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur, explicito Opere Dei, remorari in Oratorio, sicut dictũ est, ne alius impedimentum patiatur.

ORA-

I.  
Oratorij ac  
ceptio  
cheri.

**O**ratorium dicit S. BENEDICTVS, (vt alias monuimus) quod nūc chorū Ecclesiam vē vocamus. Et quamquam vox *Chorus*, antiquior sit *REGVLA*, tamen non pro loco pfallendi, vt iam metonimicos sumitur, sed pro ipsa pfallentium, aut etiam saltantium corona & cætu, accepta innentur generaliter, apud sacras literas ac prophanas, atque omnibus conformis, ita docuit D. Isidorus, *lib. 6. Etymolog. cap. 12*. Hic autē *Oratorium* dicit, quod locus orandi est proprie, eodemque nomine, ad idem, vtitur D. Augustinus in *3. Regul. cap. 8*. a quo forte istud videtur de iumptum. Reor autem tunc temporis, nondum ex ædificatis in Monasterijs, amplioribus Ecclesijs templis ve: quæ parua siebant, Oratoria vocaris vt colligitur ex Nicephoro Calixto, *lib. 7. hist. cap. 2*. aliisque, quos citat Stephanus Durantus, *lib. 1. de Ritibus Eccl. cap. 1. num. 13*. Atque sic sumitur in præfenti, ideoque semper in *REGVLA*, de Oratorio, nunquam de Ecclesia fit mētio.

II.  
Declaratur  
dispositio.

Tamen accipi non solum pro Ecclesia principali & communi, sed pro minori aliquo sacello, in maiori oratorio contento, colligitur ex D. Gregorio, *lib. 2. dialog. cap. 41*. dum refert S. BENEDICTVM, morti proximum, fecisses portare se in oratorium a discipulis, id est ad Ecclesiam Cassini, quam D. Martino dedicasse constat, *cap. 10*. atque sepultus est in Oratorio B. Ioannis Baptistæ, scilicet adiacente sacello. Atque in præfenti, *Oratorium* sumit, pro principali Ecclesia, & loco in quo Officium Diuinum fit; sic enim ait: *expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant*. Sicut nunc conuenimus in choro inferiori, qui in ipso corpore Ecclesiæ erat (chori enim superiores, & in alto Ecclesiæ, recentiores sunt) coram principali altari, vbi sacra EVCHARISTIA asseruabatur, ex perpetuo more Ecclesiæ, cuius meminit Clemens, *epist. 2. ad Iacobum frat. Dom. & lib. 8. Constit. Apost. cap. 13*. Vnde de exeuntibus à Choro, adiungit textus: & a-

Eucharistia  
in altari as-  
seruata.

gant reuerentiam Deo, id est, SANC-  
TISSIMO SACRAMENTO Altaris  
inclinent se profundè. Nihilominus,  
cum fere tota Ecclesiæ dispositio, pro  
Monachis Oratoris, sacraque facturis  
aptaretur, & in paruis Ecclesijs, quasi  
totum spacium collectio fratrum oc-  
cuparet, totumque ad orationem, tan-  
quam domum Dei, quæ domus ora-  
tionis vocatur, destinatum sit, totum  
ex proprio numere *Oratorium* nuncu-  
patum, comprehendit, & ad nihil aliud  
deseruire statuit. Vnde Gratianus, duos  
similes canones transtulit, in decreto  
*dist. 42*. vnum ex B. BENEDICTO, *cap. 6*.  
alterum ex Regula S. Augustini, *cap. 7*.  
atque in priori, ad illa verba textus,  
*nec ibi quidquam aliud geratur vel con-  
datur*: addit Gratianus, *quam quod di-  
uinis ministerij, vel laudibus conue-  
niat*.

Quod vero hic in primis iniungitur  
silentium est: ibi, *cum summo silentio  
exeant*, & ita statutum est in iure, *Cap.  
cum ad Monasterium, de statu monach.*  
ibi: *in Oratorio continuum semper silen-  
tium obseruetur*, Vbi de Ecclesia loquitur.  
Et accipiendum est de obligatione  
sicut in simili dictum est sup. *cap. 38. nu-  
mer. 11. & cap. 42. num. 3*. Quæ vero re-  
uerentia, quod silentium Ecclesiam de-  
ceat, maxime diuinorum tempore:  
quæ exercitia indignè ibi fieri aut tra-  
ctari, quæ ad religionem & pietatem  
spectantia permilla, late tradidit Ste-  
phanus Durant. quem libentius addu-  
co, quia in eo vno, plures tibi authores  
erudita congerie, ad rem exhibeo, *lib. 1.  
de Ritibus Eccl. cap. 26. per totum*. Sed  
addam pro silentio Monastico in Ora-  
torio egregium testimonium ex Cassia-  
no, *lib. 2. instit. cap. 10*. vbi ait. *Tantum  
silentium præbetur, vt cum in vnum nu-  
merosa fratrum multitudo cõueniat, præ-  
ter illum, qui consurgens, psalmum decan-  
tat in medio, nullus hominū penitus ad-  
esse credatur &c.* & statim. *Non excre-  
tio obstrepit, non tussis intersonat, non  
oscitatio sommolenta diffuris malis &  
hiantibus trahitur, & quæ latius profe-  
quitur*. Item alterum ex August. *lib. 1.*

III.  
Silentium  
in Ecclesia,

Eius exem-  
pla insignia.

de moribus Eccl. cap. 32. ubi ait: In con-  
tione aut Capitulo conueniunt, ad singu-  
los Patres, terna vel ut minimum homi-  
num millia, audiunt incredibili studio,  
summo silentio affectiones animorum,  
suorum, prout eos pepulerit discretis ora-  
tio, vel gemitu, vel fletu, sed modesto &  
clamore vacuo, gaudium significan-  
tes.

III.

Oratio qua-  
lis.

Deinde textus ait: si alter vult ibi  
forte secretius orare, simpliciter intret,  
&c. Hinc patet quod supra cap. 48. nu-  
mer. 16. dicebant, licere singulis ad Ec-  
clesiam oratum ire, non obstante de-  
signatione illa horarum lectiois & o-  
perum, ut similiter intelligendum es-  
set de aliis peculiaribus occupationi-  
bus. Addit autem sic: Oret, non in cla-  
mossa voce, sed in lachrymis, &c. Simile  
habet Cassianus Collat. 9. cap. 34. dicens  
summo est orandum silentio, ne fratres

adstantes, nostris susurys vel clamoribus  
auocemus, & orationum sensibus obstre-  
pamus, &c. Et hoc quidem etiam, se-  
clusa REGVLÆ, obligationem ex se  
habent, ne alteri oraturo, molestiam  
aut impedimentum afferamus. Illud  
vero de lachrimosa oratione & similia  
documenta tantum sunt virtutum &  
perfectionum, ad quas enitendum est,  
ex admonitione doctrinali, non ex præ-  
cepto: ita ut si quis oret sine lachrymis,  
minori ve affectu, haud quidpiam in Re-  
gulam delinquat. Nam & plures affe-  
ctus, & circumstantes modi similes, in  
nostra potestate non sunt, ut aduertit  
idem Cassianus ubi sup. cap. 27. Bene  
autem quod oratio sit cum intentione  
cordis, ne sine corde, animo voluntarie  
alio abstracto, vecors, & vox sola mus-  
tans sit, cimbalum scilicet sine mente  
tinniens.

## De Hospitibus suscipiendis.

## CAPIT. LIII.

TEXTVS

S. i.

a Matth. 25



**O**MNES superuenientes hospites tanquã Christus suscipiantur  
quia ipse dicturus est. a Hospes fui, & suscepistis me. Et om-  
nibus congruus honor exhibeatur, maxime domesticis fidei & pe-  
regrinis. Ut ergo nunciatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore, vel à fra-  
tribus, cum omni officio charitatis, & primitus orent pariter, & sic sibi so-  
cientur in pace, quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione præ-  
missa propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis exhi-  
beatur humilitas, omnibus venientibus, siue discedentibus hospitibus, incli-  
nato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur,  
qui & suscipitur. b Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, &  
postea sedeat cum eis. Prior, aut cui iusserit ipse. Legatur coram hospite lex  
diuina, ut edificetur, & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiu-  
nium à Priore frangatur propter hospitem, nisi fortè præcipuus sit dies ieiu-  
nij, qui non possit violari. Fratres autem consuetudinem ieiuniorum pro-  
sequantur. Aquam in manibus Abbas hospitibus det, pedes verò hospitibus  
omnibus, tam Abbas quam cuncta Congregatio lauet, quibus lotis hunc  
versum dicant. c Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio  
templi tui. Pauperum & peregrinorum maxime susceptio omni cura so-  
llicite exhibeatur, quia in ipsis Christus magis suscipitur: nam diuitem ter-  
ror ipse sibi exigit honorem.

b Matth. 18.

c Psal. 47.

Co-

§. II.

*Coquina Abbatis & Hospitum per se fit, ut incertis horis superuenientes hospites, qui nunquam desunt Monasterio, non inquietent fratres. In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium bene impleant. Quibus ut indigent solatia administrentur, ut absque murmuratione seruiant, & iterum quando occupationem minorem habent, exeat ubi eis imperatur in opera. Et non solum in ipsis, sed in omnibus officijs Monasterij, ista sit consideratio, ut quando indigent solatia accommodentur eis, & iterum quando vacant, obediant imperanti. Item & cellam hospitum habeat assignatam frater, cuius animam timor Dei possideat, ubi sint lectistrati sufficienter, & domus Dei à sapientibus sapienter administretur. Hospitibus autem, cui non precipitur, nullatenus societur, neque colloquatur. Sed si obuauerit, aut uiderit, salutatis humiliter, ut dictum est, & petita benedictione, pertransseat, dicens sibi non licere colloqui cum hospite.*

NOTÆ.

I.

Hospitalitas  
Regula.

**P**ROLIXIOR huius Cap. textus est, & propter occurrentes annotationes sua serie perlustrandus. In primis igitur, hospitalitatē ex diuina scriptura laudat & commendat, & nullum excipit hospitem dicens: *Omnes superuenientes hospites, maximè verò, domesticos fidei & peregrinos, quia suus in charitate ordo est, & rursus idem expressis pauperibus iterat: Pauperum & peregrinorum maxime, &c.* quibus, iteratis verbis, prospicit REGULA, quia diuinitum terror ipse sibi exigit honorem. Nihilominus, tali pacto, ut unicuique, pro differētia personæ, suus congruus honor exhibeatur: nec enim pietas Religiosa inepta debet esse, & indiscreta: sed omni prudēti prædita cōsideratione.

II.

Quæ illius  
obligatio?

Sed tamen, ad hanc vniuersalissimam hospitalitatem, nullum, neque pauperem, neque peregrinum, nec alienum, neque domesticum, neque diuitem, respicientem, quænam quæso obligatio REGULÆ est? Ego autem, præter ordinem & modum cæremonias ve, quas posituē ipsa præscribit (de quibus sigillatim diseremus) quoad opus ipsum misericordiæ, non aliam censeo obligationem, quam quæ solum ex precepto & ratione charitatis prouenit. Eamque proponit, prout *Matth. 25.* à Christo commendatur & requiritur, ad quã

reducitur doctrina Pauli, *Rom. 12.* exempla Abraham, & Loth, *Genes. 18. & 19.* & quod inde prædicant antiquiores Patres, Hieronymus *Contra Rufin.* Augustinus, *tom. 6. orat. de quinque hæres. capit. 4.* Tertullianus, *in Apolog. capit. 20.* & hic plura Commentatores REGULÆ. Sed & Gratianus *dist. 42.* hospitalitatem, tamquam requisitum ad promouendum aliquem ad Sacerdotium petit, argumento viduæ in Ecclesia recipiendæ, de qua *1. Timoth. 5.* requiritur inter alia, *si hospitis recepit.* Et ita hanc charitatiuam hospitalitatem sectati sunt antiqui fideles, maximè que à Monachis in Cœnobijs, exercita est, ut ex *Cassiano, lib. 1. instit. capit. 7.* constat agens de Seniore, qui habebat, *curam peregrinorum, & aduenientium deputatam, eisque omnem diligentiam susceptionis, & humanitatis, impendebat.* Atque ex *Regula S. Pachomij, præcep. 28. & 29.* & ex *Basilio alijsque pluribus, quos latè citat Fabianus Iustinianus, in suo indice Vniuersali Alphabeticò, & inter plures omissum, adiunge Ioann. Guillel. Stukium, lib. 1. de Antiquitat. Conuual. capit. 27.* & *Petrum Crespetiū in summ. Cathol. verit. verbo Hospitalitas, & Nicolaum Serarium in Tobiam, capit. 6. quæst. 3. &c.*

Quæ vscat  
antiquis.

Ve-

III. Verumtamen non induci, per REGVLAM, maiorem obligationem, quam vt charitati, & misericordiae, non deficit, debita iuxta locum & possibilitatem exhibitio conditioni & necessitati aduenientium proportionata, existimo. Quia ea non est propria institutio Monachatus. Sic enim Cassianus collat. 24 cap. 8. ab Anachoreti, & à Cœnobiali instituto, distinguit xenodochialem curam. Nam Cœnobicia non sunt instituta in hospitem, peregrinorum ve receptionem; quod peculiare assumptum, laudat Hieronymus in Epist. ad Pammachium, ibi: *Audio te xenodochium in portu fecisse Romano, & Virgam de arbore Abraham, in Ausonio plantasse litore, &c.* Et plurima deinceps ex peculiari instituto erecta sunt loca, cum Religiosis etiam, ad id munus, ex professione deputatis. Vt est ordo Cruciferorum, quem vt Xenodochiorum curam gerent, instituit Alexander III. anno 1169. vt ex Ciaconio refert Flavius Cherubinus, in Compendio Bullarj, tom. 1. constit. 1. Urbani III. Scholio II. & alii, sicut & pro infirmis, illorumque ministerijs, esse videmus. Et licet alicubi, & olim extiterit, & extet hodie, hæc peregrinorum, aut infirmorum cura, non tamen vt præcepta in REGVLÆ, sed vt illi consentiens adiecta & commendata est, peculiari superintendentiæ & procurationis modo. Itaque illa solum est humanitas exhibitæ alienis & extraneis, inter ipsos Gentiles cognita, vt pote ab ipsa humane conditionis benignitate profecta, & ipse Iupiter ab illis *hospitalis*, 2. Mach. 6. appellatus, teste etiam Homero *Odyss.* 2. ibi: *Ab ioue sunt hospites omnes, &c.* vt quasi diuinitus intelligeretur accepta hospitalitas: cui & Liuius *charitatem*, verè charitatis inscius, adiunxit, cum lib. 1. ab Vrbe cond. 65. dixit: *Multos Romæ hospitium, Urbisque charitas tenuit.* Sed quæ nobis hospitalitas, vere charitatiua est, & ad Christianam vitam pertinens, & inde, ex maiori perfectione, consequens ad Religiosam; atque ea charitatis & misericordiae virtutis,

propria obligatione, à REGVLÆ proposta: vt de pertinentibus ad primam Classem dictum est, in *Introduct. Artic. 6.*

Sequitur, de modo adimplendi hoc charitatis præceptum, quem disponit Regula. De quo ait: *Vt ergo nuntiacus fuerit hospes, scilicet per Ostiarium, de quo infra Cap. 66. Occurratur ei à Priore, vel à fratribus.* Nota disiunctiue positum, quia iuxta qualitatem personæ, debet esse persona occurrēs ad suspensionem, modo quo, Prælati vel actualiter ordinauerit, aut habitualiter præordinauerit ipsi Ostiario. Nomine autem Prioris, quilibet Superior domus, cui à tunc interfit, intelligitur, vt declarauit cap. 6. à nu. 6. Addit textus quod occurratur: *cum omni officio charitatis*, quod, & in receptione, & vsque ad dimissionem hospitis generaliter disponit. Dum tamen *Officium* dixit, pariter innuit modum & proportionem cuique; commensuratam, attenta hospitis necessitate, & qualitate, & statu etiã Monasterij, apud quod hospitatur, aliisque circumstantiis comitantibus actiones humanas. Tunc enim præstat *Officium*, suoque quispiam bene fungitur, cum debite & conformiter ad dantem & recipientem, & vtriusque conditionem præstat operatio. Sub quo titulo, de *Officijs* diseruit, suo quisque modo, S. Ambrosius, & Tullius Cicero. Nam erit rusticus hospes & pleueius, quem si in angulo pascas, charitatis officio satisfacies: erit autem spectata nobilitate perillustis, quem si mensa honorifica, aliisque prærogatiuis non excipias, charitatem potius offendas quam colas: & erit etiam hospitandi, & tractandi hospites modus ultra modum, quem nec hospes debeat expectare, nec hospitantem deceat exhibere, nec modestia Monastica id patiatur. De quo Monachis, haud leuem admonitionem scripsit. Diuus Basilius, in *Regul. fusiore. interrog.* 20. *De ratione tenenda in accipiendis hospibus.* Vbi plura ad propositum egregia. At-

III. *Modus in susceptione hospitem.*

*Officiū quid.*

IV  
Hospitalitas  
etiam ethi-  
nicis.

que in tanta differentia rerum, plurima opus est prudentia, ad cuius virtutis præcepta & moderamina tota huius præducti textus reducit in structio præcipua, nec aliam obligationem inducit.

V.  
Oratio præmittenda.

Sequitur in textu: *Et primitus orent pariter*, quod repetit intra dicens *suscepti autem hospites ducantur ad orationem*, non tamen duplex oratio, sed eadem est, ad quam faciendam, iubetur receptus hospes duci, utique ad Ecclesiam, à Monacho Ostiario, si hospes sit ex eis, quos communiter Abbas ei suscipiendos cõmissit, sine aduocatione dignioris personæ aut noua notitia danda Abbati: ut vel ipse occurrat, vel de occurraturo prouideat. Facta autem oratione, & non antea, addit, *quod socientur in pace*, id est, ut statim explicat, *quod pacis osculum non prius offeratur*, &c. Hanc autem cõmunionem iubet nõ fieri: *nisi oratione præmissa*, propter *illusiones diabolicas*. Quænam vero Diaboli illusiones sint timendæ, nõ indicat, sed illius versipellis artes ubi non timendæ? Certe in peregrinis & aduentantibus hospitibus, etiam imposturæ quandoq; & ad eas tanquam præsentaneum amuletum, orationem præire, optimum est. In primo igitur occurso & susceptione hospitis, fiebat salutatio cum omni humilitate, *vel inclinato capite*, *vel prostrato omni corpore in terra*, & hoc etiã sub disunctione ponitur, ne alligetur hæc cõmunionem ad vnum; & illa sola intelligatur, quæ vel ruendo in charitativos amplexus, aut genua flectendo, aut inclinando caput, fit, vel denique ea Religiosa & vrbana salutatio, quæ verbo & actione iuxta morem exhibetur. Post hanc duci iubet ad orationem, & sub inde, *pacis osculum offerri*, quæ plena erat salutatio.

VI.  
Osculū pacis  
& quare o-  
mittitur.

Huius autem salutationis modus, prorsus à nostris abest, reor, & abfuisse semper, sine transgressione REGVLÆ. In qua, hæc & similia ita disponuntur, tanquam respicientia eos, quibus honor, decencia, commoditas & humani-

tas, in hospitalitate procurantur, & ita ut apranda & commensuranda huic fini, alias non satis consultum esset optimæ rerum dispositioni, si quod v. g. Hispania reiecit osculum, insolenter ingereretur hospitibus. Scimus morem antiquitus fuisse, & apud aliquas Prouintias vsitatum osculum, pacis beneuolentiæ & honoris tesseram haberi. Ita in vita Onuphrij, *capit. 8. osculum* (ait) *mihi pacis tribuit*, & in vita Pauli primi Eremitæ, *capit. 8. & post sanctum osculum*, &c. & ex veteri nouoque testamento testimonia consentiunt, vnde & alias, recenset Petrus Damianus, *serm. 30. de S. Apolinari*, & probat Ammianus *lib. 22. & 29. Cardin. Baronius, tom. 1. ad ann. 45. à num. 23.* & plura si vis, apud Lelium Bisciolum, *lib. 7. horarum subsecuarum, capit. 13. & 14.* & antiquiorem Ioann. Guillelm. Stukium, *lib. 2. capit. 32.* & ex aliis maximè P. Pitheo. *Aduersar. lib. 1. capit. 7.* Sed nihilominus cum ista sumenda sint cum respectu ad alios, iuxta diuersos gentium mores, & tempora, variasque Prouintiarum consuetudines, non frangit REGVLAM, qui sensum & intentionem, cui verba deseruire debent, custodit. Ut de legis conditionibus, cum Isidoro, & aliis declarat Molina, *tom. 6. de iust. & iure, disp. 69. num. 1.* Quin & de osculo Sancto commutato in sacræ tabellæ osculum, ut quæ nunc *Portapax*, tradidit vbi supra Baronius.

Vsus illius  
antiquis.

Iraque subrogata cõsuetata salutatio fit satis, modis n. 5. explicatis, quæ etiã habitus, vel manus deosculatione perficitur, quem morè de suis Eremitis expressit Iordanis de Saxonia, *lib. 2. cap. 5.* Atque, vbi in re exerceri nequit, adhibere verbalem, quod dicitur vulgò, *Besamano*, tanquam notam humilis & beneuolæ subiectionis, etiã gestu manus ad os applicatæ, nõ reprobo. Nam & hæc quædam umbra osculi pacis est, & vestigium Apostolici iniuncti, Petri. *1. Epist. c. 5.* & Pauli sepius, *Salutate inuicem in osculo sancto*, &c. Nec confundenda est ista manus deosculatio, cum

VII.  
Osculatio  
manus.

cum profana, quam damnat Iob, *capit. 31. Si osculatus sum manum meam ore meo*, hæc enim est idolatrica, vt ex Hieronymo *ad capit. 8. Ezech. & 13. Osee*, constat, illa humana & polytica, vrbauitatis gratia, pro ipsa reali manuum, vel pedum osculatione, substituta, de qua Suetonius de Claudio, *capit. 12.* & Tacitus de Nerone, *lib. 16. annal. ibi: Illun manu veneratus est*. Quod si adhuc modum adorationis retinere contendas. Vt ex Minutio Felice in *Octauio Apuleio*, *lib. 4. asini*, & in *Apologia*. Plinio, *lib. 28. capit. 2.* aliisque prophanis & sacris, adducit Franciscus Cordub. *Didascalie, capit. 3.* neque ista summa ritè facta veneratio, desciscit à Regula, quæ in *hospitibus*, vult, *vt inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur*. Facitque ad hoc quod infra, *num. 21. de Petra benedictione*, dicimus.

VIII.  
Lectio pro  
hospite.

Procedit textus, inquit: *Poste à se deat cum eis Prior, aut cui iusserit ipse, legaturque coram hospite lex diuina, &c.* vbi *Priorem* intellige vt *sup. n. 4.* At ea cæremonia cõsedendi cum hospite ad lectionem sanctam, iuxta textum, præcedere debebat, ad quodcũque aliud cum expresse adiungat, & *post hæc omnis ei exhibeatur humanitas*. Quare non videtur apta explicatio Card. Turrecr. de cõsedendo ad mensam. Vt cumq; tamen, hoc diuturna consuetudine omissum video: reorque ex impatientia ipsorum hospitem agrè id sustinētium ob lassitudinem itineris, & alias indigentias & causas, desisse. Quis enim fatigatus labore, vel caumate æstuas, vel pluvia madidus & algens, fame interdum fitique pressus, satis benè adducatur, lectione demorari? Denique licet id melius esset patienter sustinere, attamen sustinentiæ defectu, primò intermissum, deinde ab immemoriali oblitteratum, cenfeo obligationem cessasse, cum plerumque prædicta concurrant: & experiamur eam incommodatam & indigentiam hospitem, vt etiam aliquando parcendum sit orationi in Ec-

clesia faciendæ, ne illis ingereretur molestia, quorum grauam ea, in his ordinationibus, iustè dispensationem inducit, aut legis epicheiam.

Addit vero: *Ieiunium à Priore frangatur, propter hospitem, nisi præcipuus sit dies ieiunij, &c.* Hoc omnino ex more Monachorum Orientalium. Vt ex Cassiano constat, *lib. 5. instit. c. 24. & 25.* & aliis locis adducendis. Hic autem Episcopus Vrgell. nomine Prioris ductus, excludit Abbatem ab hac concessione frangendi ieiunium regulare, propter hospitem: & sentit hanc fractionem esse, quod tali die ieiunii, quo cenandum non erat, cænet Præpositus cum hospite, Abbate ad ieiuniũ adstricto. Ego autem pace ipsius, ab vtraque explicatione dissentio. Apriori, quia iam satis mihi probatum est *cap. 6. &c.* alienam esse à Regula explicationem, quæ conuertibile facit nomen *Præpositi & Prioris*. Nam *Præpositi* nomen semper est illius tantum qui sub Abbate secundus præest domui, & in eius vices succedit, nomen vero *Prioris* latius & indefinite accipitur, de Seniore, & de Præposito, & etiam de Abbate, & per prius de eo dicitur, & ita in præseti sumitur. Neq; aliud benè cohæret cum eo, quod *cap. 50. statuitur, mensam Abbatis futuram semper cum hospitibus*. Quomodo enim erit cum eis semper mensa Abbatis, eo excluso, & admissio ad mensam Præposito? A posteriori verò dissentio; quia textus nihil limitat. Hora etiã superuenientis hospitis est incerta, & potest instare necessitas illius, præueniendi horam cænæ, aut prandij, aliquo ientaculo, quo casu in maiorem humanitatem cum hospite, permittitur ea Abbatis, aut Superioris suscipientis hospitem, vrbauitas, & ita non est restringenda ad cenam.

IX.  
Fractio ieiunij cum hospite.

Episcopus Vrgell. refutatus.

Hoc autem cõfirmo adductis testimonijs, ad quæ maxime videtur respexisse Sanctiss. Patr. hanc indulgentiam, ratione hospitis, concedens. Nã Cassianus præter loca citata *num. preced.* morem istum, antiquæ Religionis familiarem ostendit, *collat. 2. capit. 21. ibi:*

X.  
Confirmatio refutatio.

*Coctionis pulmentum, sub aliquo aduenientium fratrum occasione, sumentes, &c. & cap. 26. reddit rationem: Quia satis absurdum est, ut fratri, imo Christo mensam offerens, non cum eo pariter cibum sumas, aut ab eius refectione te facias alienum, quo loco, ut constat capit. 25. anteriori, loquitur de refectione: Quando hora nona, soluta iam statione ieiunij, superuenientibus fratribus, necesse est, humanitatem exhibere. Atque loci citati, num. præterito, loquuntur de cibo sumpto ante prandium, imo & de cibo læpius, ea ratione, repetito. Eundemque morem roborat, Collat. 24. capit. 20. & 21. & in Vitis Patrum, par. 2. lib. de Hospitibus. Et consonat omnino liber antiquissimus V suum Cisterci. capit. 90. de Abbate de quo ait: Si ieiunium propter hospitem fregerit, hora solita, scilicet, post nonā comedat. Ex quibus constat vtriusque explanationis refutatio, & quod loquatur REGULA de Abbate, & de qualibet hora, non limitando cœnam. Quod vero adiiicit exceptionem, præcipui diei, ieiunij ad ieiunia Ecclesiæ, & sub eius præcepto obligantia, refertur, ob id, quia non possunt violari, nec debent ea causa.*

## XI.

*Hospitis causa, cuius remittatur ieiunium.*

Subiungit textus: *Fratres autem consuetudinem ieiuniorum prosequantur. Quod de Conuentu intelligit Smaragdus, & Turre-cremata, & rectè: Quia non prohibetur, quin Abbas aliquem, vel aliquos de Conuentu, possit vocare ad cœnam, mensamque, quod cum hospite, expressè concedit, infra capit. 56. Atque etiam, si cui de Senioribus conuentus, velit Abbas committere hospitem, ut ei associetur in cœna, & in fractione concessa ieiunii, nō respuit REGULA; nam & Smaragdus, hic ad marginem pro Priore legit, Seniore, & nomē admittere hunc sensum, probaui citato cap. 6. & in litera hic congrue admittitur, de quouis Seniore, ex iniuncto Abbatibus adistente hospiti, ex illis verbis: *Sedeat cum eis Prior, aut cui iusserit ipse. Ea enim substitutio est frequens, & inexcusabilis; & quod substituti, cum**

*hospite, eiusdem humanitatis sint participes, maxime consequens, & intentum, & iuste & regulariter practicum.*

Deinde ulterius ait: *Aquam in manibus Abbas hospitibus det, pedes vero hospitibus omnibus, tam Abbas quam cuncta congregatio lauet, quibus lotis, &c. Sed numquid vnus & idem hospes, ab Abbate & cuncto Conuentu esset lauandus? Incredibilis explicatio. O miserum hospitem! Quis etiā sordidissimus, & si luteus later, id ferret, & repeti vicies aut tocies lotionem sustineret? Numquid si non ab omnibus, lauando hospiti, saltem adesse Abbas cum Conuentu debebat? Et hoc impossibile, in qualibet hospitem frequentia reputat Card. Turre-cremata. Imo, & rediculum & ineptum iudicauit Petrus Venerab. nostro Magno BERNARDO Synchronos, citata aliàs, Epist. 28. lib. I. vbi late profequitur absurda, quæ inde sequerentur, ut qui, hoc vnum Regula mandatum indiscretè seruari contenderint, cætera deserant, nec istud etiā obtineant, & implicationibus adductis egregie probat, propter multa difficilima, ex incertitudine horæ, & aduentus hospitis, & aliis. Nam Conuentus perturbaretur, si interdiu erat, in horis Canonicis, contra ordinatum sup. c. 47. oporteretque omni hora calefactam aquam, ceteraque in promptu esse, & reliquos in procinctu labandi hospitis forsitam superuēturi: atque ipse hospes post hæc recenter adueniēs, imparatissimus ad discalciandum pedes, ut labarentur, & alia sane omnibus molesta, & in compatiblem. Aut vero hæc lotio facienda erat noctu, & hoc respectu conuentus, omnino contra REGULAM sup. cap. 42. & aliis locis, & in præsentia, vbi tantopere separat Abbatem à Conuentu, in hospitalitate, ut incertis horis superuenientes, non inquietent fratres &c.*

Quapropter dico, hæc nullatenus intelligenda esse de actu Conuentualiter faciendo. Et ita verba textus illud tantum volunt, quod ex hospitibus,

## XII.

*In lauandis hospitium pedibus difficultia*

## XIII.

*Quid sit sciendum ex regula tunc nullatenus temporis.*

nullus sit, qui ab hac humanitate, & honorifico leuamine lauandorum pedum, exclusus censeatur, & hoc est: *Omnibus hospitibus lauare pedes*, nam aliquo impedimento stante, aut ipso nolente, non esset vi cogendus; & REGVLA non nisi opportunum, & acceptabile obsequium prouidet. Præterea non est intelligendū, de ipsa hora, qua adueniunt hospites, sed de alia determinata & opportuna, nec aliud discretio patitur. Hora verò, si ad antiquitatem referenda est, immediate ante cœniuium & mensam erat solita; vt notat Baronius, *tom. 1. ad annum 34.* Aut loquendo distinctius, cum Stukio statim citando *num. sequenti.* Iudæis & Orientalibus in communi vsu fuit, *antequam cibus sumeretur*; Occidentalibus vero, *post cœnam, antequam cubitum eatur.* & hæc forte, ad refrigerium præstandum, cum opus esset, erat aptior. Rursum illud: *tam Abbas, quam cuncta Congregatio lauet*, intelligitur, quod ex parte Abbatis, & Conuentus nullus esset qui se eximeret, ab hac exhibitione officij, quando occasio, vel in Abbate id exigeret, vel in aliis cum sua vice, deputarentur huic ministerio. Nam & sic commetata est S: Hildegardis: *Congregatio (ait) id est, illi quibus Abbas opus illud iniungit.*

XIV. *Confirmatio ex antiquis.* Hæc quantum ad prædicta, sine dubio videtur ipsa primeua REGVLÆ institutio, quæ quidem omnino fuit conformiter ad tempora antiquiora, & iuxta consuetudinem, maximè in partibus Orientalibus receptam, dimanâsq; ab ipso hospitalitatis exarcho Abrahamo, de quo *Genes. 18.* & de aliis, *Judic. 9. Thob. 6. 1. Reg. 25.* & recentius, etiâ ex sacris, *Luca 9. & 1. Timot. 5.* ibi: *Si sanctorum pedes lauit.* ad quæ locū & alios plura adducunt Commentatores, præcipue Guillelmus Hamerus, ad locum *Genes.* quem Delrius ibi, & alij citant: Nam & opus integrum de *Pedilauio*, Iacobi Grethseri, citatum reperio, quem non vidi, quid mirum? Plures, in his desertis, hospites peregrinā-

tur, quam libri. Sed librum argumenti huius confici non dubito, cum non solum ex sacris literis, extent plura, vnde ad sanctos, Monachosq; prodiere documenta, de quibus Hieronymus, *epist. ad Rustic. Monach.* Chrysoft. *hom. 14. in ad Timot. 1.* August. *tract. 58. in Ioan. & ser. 70. de temp.* Surius in vita S. Ludouici, & aliqui interpretes sacri, vt Lippomanus in *Cat. Gen. c. 18. & 19.* Fabianus Iust. in *Tob. cap. 6. vers. 1. doc. 2. Cornel. in 1. Tim. cap. 5. &c.* Et inter profanos habet plura, Guillelm. Stukius. de *Antiquit. Conuiual. lib. 2. cap. 33. de manuum pedumque ablutione*, cum aliis.

Nihilominus cum regionū, vel seculorū mores, diuersi sint, & in his conformiter ad illos, & cum respectu ad congruentem hospitādis modum disponat REGVLA, id principaliter intendisse videtur, de pedilabio, quod de osculo dixi *n. 6. & 7.* vt scilicet illa humanitatis & charitatis officia, hospitibus exhibeantur, quæ eis in honore debito, & commoditate sint aptiora; & secundum gentis consuetudinem, solita præstari, quæ ab ipsis alacriter accipiantur, & quibus, sibi benè commodè & decēter consultum esse, credant. Ex quo factū est, vt etiam in ipso Ordinis Cisterciensis principio, quando non solū, quæ in Regula S. BENEDICTI erant expressa, ad vnguē obseruare decreuerunt, sed & alia in super addiderūt ex maximo obseruationis affectu, quæ REGVLA nõ exigebat, vt in pluribus, apud Petr. Venerabilem, *lib. 1. Epist. 28.* potest aduerti & notauit probauitque opportune, Ant. Yepes, in *Chron. S. Bened. to. 7. Cent. 7. ad ann. 1099. c. 3.* Factum inquam est, vt tunc nõ disponerēt in hac re, nisi quod antiquissimus liber vsuum, à me citatus ipsaque Ordinis Exordia redolens, & cuius authorē, aliqui autumāt fuisse D. BERNARDVM, habet *c. 107.* cuius titulus est *De hebdomadarijs ad mandatum hospitum.* Vbi duo fratres, die Dominica, in Capitulo ad hoc officium pronuntiat, quotidie post completorium, simul cum fratre hospicii Præfecto, ad id ministrante, illorum vnus abluēbat,

XV.

*Moderamentum  
lorionis alicui  
bi, & aliquā  
do.*

*In Cistercio.*

alter tergebatur, alternando hoc inter se, & postea omnes tres, in medio Seniore, flexis genibus ante hospitem lotum, dicebant versum, quem designat textus: *Suscipimus Deus, &c.* An vero in Gallia, vbi nostra Cisterciensis cepit Religio, hæc disciplina, aut similis, in ea, aut aliis Congregationibus perdurauerit, ignoro: præter moderationem, quam apud Cluniacenses, tradidit Petrus Venerabilis citatus de tribus peregrinis hospitibus, quotidie lauandis, à singulis Monachis, per ordinem, que suo tempore vigeat.

## XVI.

In Hispania  
omissa lotio  
quoad Monachos.

Venio autem ad Hispanos, S. BENEDICTI Monachos, & reor, nec vestigiū superesse huius lotionis pedum. In nostris verò, solum reperio, quod supra indicavi, *Capit. 35. num. 4.* iuxta ibi ordinatum à REGVLA, ad lotionem fratrum, in fine hebdomadæ. Et circa nō usum lotionis, respectu ipsorum Monachorum, vt confirmen, loco citato, dicta, potuit esse eadem ratio, quam de Phlebotomia adduxi sup. *cap. 36. num. 28.* & quam in presenti de hospitibus, dicimus, lotionem pedum, in illorum iucundum & gratum leuamen esse institutam, & tamquam indulgentiam posse facilius non admitti Ad quod est mihi locus S. Ephrem. *rom. 2. in doctrina varia, capit. 38.* dicentis: *Non decet Monachum nimio affectu, atque in ordinate, corpus lauare vel pedes, instar voluptatis amatorem.* In quibus subesse posse aliquid voluptuosum, cui oporteat modum adhiberi, satis indicat S. Ephrem. Quod quantum ad corpus lauandum, hoc est balnea, diximus ad *c. 36. num. 7. & 8.* & similiter, in lauandis pedibus dicere possumus, ex renuntiatione indulgentiæ, & leuaminis, ex parte processisse omissionem, quoad Religiosos, cum hanc lotionem etiam ad utilitatem corporalem reducat Haftenus, *lib. 10. tract. 1. disq. 4.* citatis Authoribus.

## XVII.

Etiã quo ad  
seculares hospites.

Sed pro illis, & secularibus hospitibus in Hispania, accedit reluctantiã ipsius Prouintiæ, vt pene parificanda sit cum osculo pacis. Nam si in Hispania

hospites Monasteriis aduentantes adigerentur, siue ante prandium, siue post completorium, paratos esse lauacris, credo fugerent ab hospitio, non vt humanitatem detrectantes, sed vt vexationem redimentes. Atque etiam, si officium piæ humilitatis sit, ex parte Monachorum, importuno sibi & molesto grauamine exequendum recusarent. Quod etiam de sua prouincia dixit vbi supr. Petrus Venerab. *Omnibus hospitibus pedes non abluimus, quoniam incongruè pedum ablutione, nolumus molestare, quos charitas in omnibus precipit laetificare, &c.* Contra præceptum autem charitatis, nulla Regulæ institutio est. Id igitur tam antiqua consuetudine inoleuit, ex Prouinciæ more, & ex difficultatibus in exequutione inuentis, vt secundum presentem statum licitè ab ea lotionem pedum abstinereamus: & omnis transgressionis excusetur offensa.

Sed in textu procedentes: ait ille: *Coquina Abbatis & hospitum perse sit, &c.* Constat autem, iuxta REGVLAM, triplicem in Monasterio debuisse appareri Coquinam, loco & officialibus distinctam, vnam Abbatis & hospitum, vt hic ordinat aliam Conuentus, *capit. 35.* & tertiam infirmorum, *capit. 36.* De hac autem dixi, ibi, *a num. 3. cum sequentibus,* qualiter admissa curatione ægrotantium, in propriis cellis, excusetur. De presenti separatione Coquinæ Abbatis, ratio quam assignat REGVLA est: *vt incerti superuenientes hospites, qui numquam desunt Monasterio, non inquietent fratres, scilicet fratres eos, qui Conuentum sequuntur, & eius ordinem tenent.* Quæ causa nunc omnino abest, cum Coquina communis, ita sit disposita, vt licet ad in feruendum Cōuentui, per fenestram refectorij, ei sit contigua, est tamen extra claustrum Monachale, nullam Monasticæ Conuentualitatis, quantumuis ingruant hospites, turbatura quietem. Vnde optabilius videtur rebus alias ritè aliquantulum variatis, non multiplicari tot Culinarios ignes, & ab esculentorum curis rot

## XVIII.

Coquinarum  
Regulæ redutio.

Monachos separare, quos in ea pluralitate a Regula deputandos constat, atque eos ab his sollicitudinibus Marthæ ad Mariæ optatam & intentam, per *Opus Dei*, in choro quietem transferre. Qua propter non hæc transgressio, sed obseruantia REGVLÆ, ipso iudicio, reputanda est.

XIX.  
Hospitiū, hospitatoris que constitutio.

Consequenter autem subiungit: *In quam coquinam ingrediantur duo fratres, &c.* Hoc autem cessasse constat, ex eadem ratione, illud enim est auferri Coquinam, quæ cum annexo sibi ministerio intelligitur: omni eo, ad vnam & eius ministros translato. In ministerium tamen hospitem, addit: *Item & cellam hospitem habeat assignatam fratres, &c.* Quod est præcipere, de hospitiū domo, decenter instructa, munda, & ad intentum bene ordinata, quoad fieri queat. Atque de Monacho hospitatore, seu hospitiū Præfecto, sedulo & timorato: quorum obligatio, tam Coquinæ, quam hospitiū, est ea, quam generaliter diffiniuimus de aliis officialibus, *Capit. 31. numer. 9. & capit. 32. numer. 1. &c.* Hęc obseruatio omnino viget quoad hospites, prout tempora ferunt, interdum non paruo labore & sumptu. In quo etiam S. Hildegardis, antiqua memorans, & de recētioribus conquesta, *Circa hoc capit. §. 16. inquit: Illo etenim tempore, Monachi superuenientium extraneorum tumultum, nondum sentiebant, sed qui eos adibant, Christum & non aliud ibi querebant, quem etiam in sanctis operibus ibi inueniebāt.* De quo tamen etiam hoc tempore, nō diffido, licet alia admisceantur sæpius, suis tamen honestis titulis patienter ferenda, tanquam inexcusabilia.

XX.  
Socius hospitiū dandus, qualis.

Postremo verò, ut nihil desit discretioni REGVLÆ, quid inter conuentuales & hospites seruandum sit, statuit dicens. *Hospitiū autem cui non præcipitur, nullatenus societur, &c.* Atque hanc colloquutionem sine licētia Abbatibus, cum hospite miscere, ut sic venialis est culpa, ad tertiam CLASSEM pertinet, prout in *introduc. Art. 8.* Excipitur tamen urbana saluta-

tio, & excusatio, quæ dicat hospiti, ut parcat, & *sibi non licere colloqui cum hospite.* Permissio autem Abbatis, ut cumque habita aut practicata, ex eius consensu, sufficiet, ut excuset a culpa. Dum tamen dicitur. *Cui non præcipitur.* Videretur innuere, ut alicui saltem præcipiatur, cum hospite loqui. Et est quidem necessarium requisitum humanitatis hospitalitatis, cuius meminit Capitularium Regum ex Concil. Aquisgræ. *Can. 63. dum prouidet, ut docti fratres eligantur, qui cum superuenientibus Monachis loquantur.* Quod & de secularibus honorificis, hospicio receptis, non minus necessario est intelligendum, & selectus sociorum faciendus. Nam & ab eis timeri malum hospiti posse, ex inepto aut distorto colloquio, narrato exemplo S. Odonis Abbatis 2. Cluniacensis, aduertit, in eius *vita*, Ioannes Monachus. Nec abs re Petrus Dam. *lib. 6. epist. 32. ad suos Eremitas Gamugnenses.* Et quod selectus sit socius, & aptus hospiti cui deputatur, urbanissimum obsequium est; ne alias, vnde gaudium accipere deberet, inde potius iniucundo socio torqueatur. Asumque vadari, quemlibet, equanimiter lotionem pedum, pro bono socio commutaturum etiam si illa vigeret.

Dum verò ibi dicitur: *Petita benedictione*, sunt qui non satis ex REGULA se agere censeant, nisi voce expriment. *Benedicite*, quasi iniungatur, ut verbo petatur benedictio, quod verè non excipitur, prout expresse notauit Petrus Venerab. *lib. 1. epist. 28.* satis ergo est humili capitis inclinatione, suam alteri submissionem & reuerentiam exhibere. Non tamen in hoc morem religiosum, vbi fuerit, dicendi *Benedicite*, reprehendo, absit: sed & vbi non dicitur, pari approbatione excusso. Et a me est Card. Turrecremata ad *cap. 63.* in illis verbis. *Iunior à Priore benedictionem petat.* Atque ibi Declaratorium Congregationis Cassinensis, quod ita sine verbo, sola inclinatione fieri satis, declarat, ut etiam dixerat citatus Petrus Venerab. *Humiliter inclinando, &*

XXI.  
Benedictio verbo & gestu, quilibet satis.

Supplicatio  
quid?

nihil ore proferendo, &c. Huncque inclinationis modum, vocari, *supplicationem*, citatus liber vsuam Cisterc. me docet, ea enim non minus verbo, quā gestu fit. Ut ille Ouid. *Genibus pronis supplex similisque roganti*. In eadem quē significatione Cedrenus, in *Compendio Histor.* loquendo de Constantino illo pessimo, ait: *Multos procerum, supplicijs diuersis, sustulit, delatos, quod*

*imaginibus supplicassent, id est reuerentiam, adoratione solita egissent. Et vel osculo manus, vel submissione capitis, omnimodum cultum aut reuerentiam exhiberi, præter adducta sup. nu. 7. habes plura apud Baronium, in notis Martyrologi. die 17. Februar. & Iodocum Lorichium in Thesauro veriusque Theolog. verb. Osculum.*

*Vt non debeat Monachus literas vel eulogia accipere.*

### CAPIT. LIII,

TEXTVS.

**N**ULLATENVS liceat Monacho, nec à Parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem, literas aut eulogia, vel qualibet munuscula accipere, aut dare, sine præcepto Abbatis sui. Quod si etiam à Parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non presumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati. Quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud iubeat dare. Et non contristetur frater, cui forte directum fuerat, ut non detur occasio diabolo. Qui autē aliter præsumperit, disciplina regulari subiaceat.

NOTÆ.

I.  
*Eulogia*  
quid, & quæ  
obligatio?

**L**EGIT hic *Eulogias* Smaragdus, & Turrecremata, & ita habet Robertus Steph. Græca vox, quæ latine redditur, *Benedictio*, aut *beneficentia*. Vnde *Eulogia*, olim dicebantur panes benedicti, ut notat Paulus Layman & alij, & alias publicas alias priuatas dicit. Sed siue fœmineo siue neutro genere, *munuscula* sunt, aut benedictionis, aut eleemosynæ gratia, liberaliter donata. De quo multa tibi exempla ministrat Ludouicus Cerda, in *aduersar. sacr.* cap. 41. & 74. & ante eum Hiribertus Rosuueidus, in *Onomastico*, verb. *Eulogia*, citato etiam Grethsero, lib. de *Benedictionibus*, & alijs. In præsentem pro quibuscumque datis, aut oblatis munusculis accipitur: de quibus siue recipiendis siue dandis, & post receptionem quomodolibet arbitrio Abbatis auferendis vel distribuendis, tota materia voti paupertatis est, ad secundam CLASSEM, Art. 8. introduct.

pertinens: & inde obligatio pensanda & grauitas. Et maximopere cauendū à proprietatis macula sacrilega, quæ fraudulentur irrepit, in munusculis elã destinis, sæpe quantitatem leuis materiæ excedentibus, in quo recipientes falsa plerumque existimatione, & amore inordinato, sibi blandiuntur; cum tamen adhuc leuia, & paruitatem materiæ non excedētia, haud leuiter sanciet disciplinæ rigorem, & gradum pedetentim ad maiora faciant. Nec parui faciendum, quam inuisa & detestata sint Prælati, ut nec taciti illorum consensus, esse possit præsumptio; neque REGULA quidpiam coarnueat: quæ ubique, etiam minutissima excludit, ut c. 33. & dantium vel recipiētium nullam admittat exceptionem.

In mandato autem, cum eulogijs parificat *Epistolas*, sic dictas à verbo græco, quod est mittere, tamen obligationis diuersa est ratio, nō enim inuo-

II.  
De epistolis  
non recipiendis.

luitur

uitur cū materia paupertatis votiua, sed ex suo genere sub veniali culpa cōtinetur, licet obseruatio districta semper, & maximē cōmēdata sit. Nā sicut, *Cap. preced.* verbalis prohibita est communicatio cum alienis, in præsentia: ita & scripto hic, cum absentibus, etiā proprijs. Soletque transgressio huius præcepti regularis inferre nocumentum religiosæ quieti non paruum, cuius ratione grauissime in Epistolarum abusu delinquitur, & fiunt aliquando irreparabiles & nunquam satis resarciendę noxæ. Ab omnibus autem se absoluit ille, qui vel passiuē sibi timens apud Cassianum, *lib. 5. instit. cap. 32.* cū Patris, Matris, amicorumque multorum de prouincia Ponti: complures delatæ ei fuissent epistolæ, ipse secum rem tractans, non solum nullam resolvere epistolam diffiniuit, sed neque ipsum quidem fasciculum resignare, itaque vt cōstrictum susceperat, igni traddidit comburendum. Huiusmodi autem periculis, & damnis, cautum esse vult Santiss. Pater, per arbitrium Abbatis, quando, & quomodo oporteat epistolas vel scribere, vel accipere. Propterea ex D. BERNARDO, in *epist. ad Abbatem Colūbensē, quam preposuit ad lib. de præcepto & dispensat ante prologum*, obseruo exemplarem eius cautionem, qui missis ad se, sine licentia Abbatis mittentium, epistolis, tametsi sanctis & ad virtutem attinentibus, non solum tarde responderet; sed responsiuas literas omni doctrina & sanctitate plenas, prout liber ipse manifestat, ad alium dirigit. Vt ad illos, non nisi iussu Abbatis eorum, demum peruenirent.

Ait tamen textus: *Nec sibi inuicem literas, aut elogia, &c.* Quod difficultatem parit de ampliatione huius præcepti. Nam quod communicatio epistolica, ac muneraria, cum quo cum extraneo prohibeatur, benè: & etiam cū quocumque domestico, quantum ad munera & data & accepta, vt sine debita licentia, aut modo ab Abbate permissio, non fiant: at verò de literaria seu per Epistolas communicatione, in-

uicem inter se, quid opus erat decernere? In hoc autem primò censeo illud, *inuicem*, posse solum ad *Eulogia* referri, vtrumque verò *litteras & Eulogia* simul, respectu extraneorum, sumi. Aut certe *inuicem*, etiam quoad epistolas, accipitur de ipsis fratribus Monasterij, si quando extra Monasterium aliquo manente, per epistolam esset communicandus & alloquendus; qui casus absolute sub dispositione ista REGVLÆ continetur. Aut si forte Monasterium adeò esset magnum, vt quasi in diuersas domos distingueretur, quo pacto D. Hieronymus in *præfat. ad Regul. S. Pachomij*, refert de Tabenniensibus, qui habent per singula monasteria, Patres & dispensatores, & hebdomadarios ac ministros, & singularum domorum Prepositos, ita vt in vna domo, quadraginta plus, minus ve fratres habitent, qui obediant Preposito, sintque pro numero fratrum triginta vel quadraginta domus in vno monasterio, &c. De quo consequenter ipsa Regula Pachomij, inter alia, *Præcepto. 46.* ait, *si quis transfertur de domo in domum alteram, excepto ea, quæ vsui quotidiano ad habitum necessaria sunt, secum transferre nihil poterit. & præcep. 48.* sic cauendum est ne quis de domo, in alteram domum, verba transferat, &c. Ad quem modum, intra idē Monasterium, poterat esse prohibitio, ne sibi inuicem literas, &c. si Monasterium, per Decanias distributum esset, prout REGVLÆ admittit, *cap. 21.*

Quod si velis etiam intra communem domum, & ordinarium Monasterium, hanc communicationem per clausam epistolam paruiam, plicatam vepapyrum, quæ vulgo, *Villerē*, interdicti suis rationibus non resistam. Nam & inter præsentes, vsus scriptionis edisco, à Suetonio, in Octauio, *cap. 84.* de quo ait: *sermōnes cum singulis, atque etiam cum liuia vxore sua grauiores, nō nisi in scriptis, & é libello habuisse, &c.* Atque ita voluisse REGVLAM, ne hoc pacto, silentium & communicationem alias, vel cum Nouitijs, vel cum Iunioribus, aut cum separatis, vel incarcerationis

Monasterij  
S. Pachomij  
amplitudo.

III.  
Epistolis etiam  
intra  
domum cau-  
tio.

Exempla  
notanda.

III.  
Inuicem e-  
pist. &c. e-  
qualiter pro-  
hibeat.

tis statutam, inuenta fallatiæ techna, circumuenirent Monachi. Quibus casibus, mihi non est dubium, REGVLA, etiam sancte, prouida sagacitate, consuluisse, quos interdum depræhendisse contigit, & non minori cura præcauendos. Nam & D. Bernardus *epist.* 89 confabulationem, per literas quandam silentij existimet, relaxationem.

V.  
Vt permittē  
dæ epistalæ.

Ceterum de communi & vsitata epistolari cōmunicatione, quæ pro absentibus & loco distitis inuenta est, vt diserte Ambrosius, *lib. 7. epist.* 45. & 56. & Cicero, *Ad Q. fratrem*, eam moderari, arbitrium est Abbatis, ob id ait REGVLA, sine præcepto Abbatis. Cuius est non solum noxias, sed & vacuas & superfluas epistolarum frequentationes refecare; nec permittere, inani- bus sæpe & prorsus inutilibus rerum nouellis, terere tempus, quod serijs honestis ac religiosis impendendum erat. Nihilominus decens & humana intra religiosæ modestiæ limites commixtio sermonum, & amica, charitatiuaque in Christo colloquutio, cum absentibus, per epistolas, placide & benigne permittenda videtur; nec ab ea Prælati nimium, præ textu religionis, tetricus debet, & iniucundus aut insipidus abhorre. Habet suam optimi studij partem ars conscribendi epistolas, de quo iustum tractatum egit Iustus Lipsius. Habet suam epistolica methodus æstimationem & gloriam; de qua in hac re laudatus Plinius Iunior, & licet vterque secundus, cui in hoc non sit Tullius præferendus, & alii in stilo proprio egregii. Habet eximia utilitatis commoda, ad hominum rationalem societatem necessaria, de quibus aliqua Petrus Damian. *epist. ad Rodolph.* & *Ariprand. Monachos*, & nos nonnulla in concionibus habitis, & prælo datis, *tom. de Aduentu, conc. 1. de Kalend. Natiuit. Domini.* Commendatur ipse vsus, non solum exemplo eruditissimorum virorum, qui de literis

Multilingis  
earum lau-  
datio.

optimè meruere: sed etiam imitatione Santissimorum Patrum, quorum epistolæ docemur, delectamur, accendimur. Denique est vnum, si non vnicū, præcipuum tamen, ob quod in nobili, & honesto viro, *negligi curam bene ac velociter scribendi*, reprehendit Quintilianus, *lib. 1.*

Attamen dum Abbatis iussu, aut permisso scribendum est, ipsius erit etiam, debite, cum oportuerit, sibi que videbitur, scriptæ epistolæ notas perscrutari, legere, & intelligere. Cui non obstant cartacea repagula, siue cera, filo, sigilloque munita sint, quod totum, pro apparatu occludendi epistolam, antiquitus fuisse, vnus Plautus, in *Bachid.* dixit. *Cedo tu ceram, ac linū ætutum, age, obliga, obsigna cito.* Ea vero referata & soluta; absint ab ea symbola, & structuræ literarum, secreta pactione intelligibiles, quales Polibius *lib. 8.* refert missas ab Antiocho ad Acheum; *quæ literæ sic erant scriptæ, vt si quis eas in suam potestatem arripuisset, nihil eorū intelligeret, quæ in illis continebantur.* Recedant pariter naturales succi: occultantes literas, artificiosa rursus industria apparituras, de quo Plinius senior, *lib. 26. cap. 8.* Hæc enim & alia similia de quibus Sebastianus Couarrubias in *Thesauro linguæ Hispanæ verb. cifra*, librum se scripsisse refert, atque de eis egit Iulius Frontinus, *lib. 3. Stratagemm. cap. 3.* & Iacobus Pontanus, in *Atticis bellarijs, syntagmate 8. cap. 21.* & Ioannes Bapt. Porta, *lib. de occultis litterarum notis, &c.* Hæc inquam, castrorum excogitata sunt, & inuenta, militiæque artes; vbi occultari hostibus consilia tantum interest, quantum Alciatus, vno *emblemate 12. de Minotauris*, & ibi multis, Claudius Minoes notauere. At vero claustra talibus omnino libera machinamentis: stylum patetem pium, beneuolum, virtutem atque comittatem redolentem, semper exercent.

VI.  
Scrutandæ  
sedulo fallacia.

## De vestimentis &amp; calceamentis fratrum

## CAPIT. LV.

TEXTVS.

§. I.

**V**ESTIMENTA fratribus secundum locorum qualitatem, ubi habitant, vel aerum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus, amplius indiget, in calidis vero minus. Hæc ergo consuetudo penes Abbatem sit. Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus Monachis, per singulos, cucullam & tunicam, cucullam in hyeme villosam, in æstate puram aut vetustam, & scupulare propter opera, indumenta pedum, pedules & caligas. De quarum rerum omnium colore, aut grossitudine non causentur Monachi, sed quales inueniri possunt in prouintia, qua habitant, aut quod vilius comparari potest. Abbas autem de mensura provideat, ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus eis, sed mensurata. Accipientes noua, vetera semper reddant in præsentem, deponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho, duas tunicas & duas cucullas habere, propter noctes, & propter lauare ipsas res. Iam quod supra fuerit, superfluum est, & amputari debet. Et pedules & quodcumque est vetustum, reddant, cum accipiunt nouum. Femoralia hi qui in via diriguntur, de vestiario accipiant, qui reuertentes, lota ibi restituant, & cuculla & tunica sint aliquanto his, quas habere soliti sunt, modice meliores, quas exeuntes in viam, accipiant de vestiario, & reuertentes, lotas ibi restituant.

§. II.

Stramenta autem lectorum sufficiant matta, sagum, lena, capitale. Quæ tamen lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt, propter opus peculiare, ne inueniatur; & si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauissimæ disciplinæ subiaceat. Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, id est cuculla, tunica, pedules, caligæ, brabile, cultellus, graphium, acus, napula, tabula, ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum. <sup>a</sup> Quia dabatur singulis, prout cuique opus erat, ita ergo & Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs suis, Dei retributionem cogitet.

4 Cap. 4.

NOTÆ.

I.

Modus m<sup>a</sup>  
dati de vestimentis.

**E**X ipso titulo Cap. constat, Sancti BENEDICTVM, non instituisse ordinem discalceatorum, quod nec testimonio solido, nec traditione aliqua (quod sciam) fulcitur, vnde in quantumuis districta Recollectione, id iuxta REGVLAM, nõ exigitur, sed super-

erogatio erit. Prima autem & generalis, in re vestiaria, ad Monachum pertinente, ordinatio est: ut iuxta locorum qualitatem, vel aerum temperiem, detur quod videbitur necessarium, quæ consideratio penes Abbatem sit, & quæ nunc (quod idem est) in Congregationibus,

bus, per modum legis, aut Constitutio-  
nis, penes Capitulum est. Quare quod  
ex iudicio & consideratione ipsius, per  
diffinitiones statutum est, de indumen-  
tis exterioribus, & interioribus Mona-  
chorū & de lectorum stragulis, id vir-  
tute huius expressæ permissionis, om-  
nino secundum REGVLAM est. Ideo  
quæ deinceps profequitur determinate,  
ex hypotesi temperaturæ, in mediocri-  
bus locis, & sub verbo credimus, pro-  
cedere constat, quod cum fundamen-  
to rationabili admittit varietatem. Sic  
enim ad rem, Petrus Venerab. lib. 1. E-  
pist. 28. ait: *Nunquid credere est precipere?*  
Certe non. Sed considerationē Su-  
periorum remittit. Atque S. Hildegardis,  
§. 9. vbi de lectis & vestibus secun-  
dum REGVLAM ait esse quod fuerit *se-*  
*cundum dispensationem Abbatis.* Quo  
pacto, quæ sic subrogantur, pertinent  
ad quintam Classē, quam designauimus  
in *Introd. Art. 10.* Transgressionis  
autem culpa, ex multis causis conside-  
rari potest, vt qualis sit iudicetur, prout  
infra num. 31. in sinuo.

## II.

*Monachus  
vestitus &  
calceatus  
quibus?*

Eo autē supposito, literā, quæ NOTVLIS  
eget, pro nostro breui modulo percur-  
ramus. Assignat igitur: *Monachis per sin-*  
*gulos, cucullam, & tunicam, in hyeme*  
*villosam, id est nouiorem, de mas pelo,*  
at vero, in *estate puram*, hoc est vetusta-  
re leuiorem, rasam villis, & *scapulare*  
propter opera, ad laborandum: *indumen-*  
*ta pedum, pedules & caligas.* Sicque ve-  
stitum & calceatum describit Mona-  
chum, & semper ita receptam inuenio.  
Tamen nota hic, externos solum ha-  
bitus descripsisse, & qui sub oculis vi-  
dentur, omisisse verò internos, minu-  
tiores, & qui immediatiorē carnī sūt,  
sine quibus, nec honestē, nec mundē,  
nec commodē poterant incedere, sub-  
intelliguntur tamen, vt ex locis in dis-  
cursu adducendis apparebit, & simili-  
ter, supradictæ discretioni, & disposi-  
tioni relinquuntur. Nā de minus prin-  
cipalibus, & accessoriis, idem dicendum  
est, quod de principalibus, quorum se-  
quuntur naturam, cap. 42. de Regul. iur.  
in 6. & quanta subintelligat Conciliū

Aquisgranense, suppressa in REGVLA, pa-  
tebit infra num. 17. vbi verba illius, ad  
hoc, & alia describam.

In explicandis vero his minutijs, mi-  
ra diuersitas quæ accidit, tam ex re-  
gionum diuersitate, quam ex vsuum &  
vorum varietate. De ijs aliqua dixi,  
sup. cap. 22. à num. 14. cum seqq. & de se-  
quentibus hic dicam. Sed prius de Cu-  
culla, de qua quoad dormitionem, ver-  
savi quæstionem, ibidem num. 10. & c.  
quam & hic refricabo num. 6. Ea au-  
tem prout nunc, nota vestis est nobis,  
quæ vltima vestitur, sine qua, nūquam  
diuinis Officijs adstamus, ad pedes lō-  
ga, ampla manicis, frequētibus aut spif-  
ficis plicis, ante retroque compacta, cum  
superposito & conuenienti caputio,  
seu capitis operimento. Et hæc est quæ  
in iure, appellatur *floccus*, ad differen-  
tiam cucullæ sine manicis aut clausæ,  
de qua in *Clem. Ne in agro. de statu Mo-*  
*nach.* Eam vero descriptam cucullam,  
ait Smaragdus vocari a suis *Cappam*,  
quod idem habetur, in Concil. Aquis-  
gr. *Can. 13. & 22.* & in epistola Theo-  
demarij, ad Carol. Reg. vbi ait, *indumē-*  
*tum quod a Gallicanis Monachis cucu-*  
*lla dicitur, nos Capam vocamus,* atque  
etiam, alia nomine *Casulam*, ait appella-  
ri, addens: quod proprium Monachorū  
designat habitum, *Melotem* appellare de  
bemus, confirmanſque id ex D. Grego-  
rio, lib. 2. *dialog. cap. 8. ibi: Melotem Ab-*  
*batis videbam,* quæ (iuxta ethymolo-  
giam) est, vestis erat pellicea, ex pelle  
ouis aut alterius animalis facta, vt infr.  
num. 32. & de qua plura Ludouicus  
Cerdā *Auers. sacror. cap. 116. numer. 8.*  
Tamen nomen *Melotis*, pro cuculla  
alterius materiæ remanserit interdum,  
etymo non attento. En vnus cucullæ,  
quot acceptiones & nomina. Hæc pel-  
licea iam obsoleuit diu, *Casula*, pro in-  
dumento sacerdotis celebraturi acci-  
pitur, *Cappa* vero inter Nostros, habi-  
tus est conuersorum, anteriori parte a-  
perta, à collo vt pallium pendens, &  
brachia cum humeris subtus recolligens,  
ad talos pedes ve protracta, addi-  
to etiam desuper Caputio, quod gene-  
rice

## III.

*Cuculla mul-  
tiplex nomē.*

*Floccus.*

*Cappa.*

*Casula.*

*Melotes.*

*Cap.*

*ATOY*

*hæc subest  
per ab nro  
titulum*

rice vulgo vocamus. *Capilla*, & hanc Cappam, esse cucullā sine manicis dictam, censent alij.

De cuculla autem illa quam, ad differentiam flocci, dixi esse sine manicis, aduerto non esse confundendam cum *Colobio*, de quo idem dicitur ab Isidoro, lib. 19. *Ætimolog. capit. 22. Libitonarium* (ait ille) *est colobium sine manibus, quali Monachi Ægyptij videntur.* Nam Cassianus, lib. 1. *instir. capit. 5. Ægyptijs Colobijs dimidiatas manicas tribuit, quæ vix vsque ad cubitorum ima pertingunt.* Et Dorothæus Abbas, in *serm. de obedientia*, adstruit esse vestem *curtam & truncatam*, quæ cum cuculla illa non conueniunt. Neque ad cucullam supra descriptam accedit, nisi solo nomine, illa Cassiani, lib. 1. *capit. 4. & II. cuius verba dedimus supra capit. 22. num. 13. cum Sozomeno, & Nicephoro.* Hec enim nostra, & quæ proponitur in REGVLA, iubetur, *quod non sit curta, &c.* illa vero tantum caput contegebat, vt potius cum parte cuculle, eius scilicet caputio vulgo *Capilla* conuenire videatur. At vestium, tam formæ, quam nominis, varietas maxima, & sicut in figuris quantitatis: ex quolibet addito, vel detracto, altera species censetur. Quare exactissima ratio non est in his exigenda: sed quam materia patitur, qui ea contentus non fuerit, sui iuris erit, abundare in sensu, & mei non cuncta coaceruare, sed quod satis sit NOTIS proferre, quo moderamine in eis procedo ad intentum.

Illud igitur certius videtur, REGVLAM in præsentī, loqui de cucullis integris & longis, & potissimum de manicatis, & forte tunc vtrumque genus in vsu fuit. Neutrum autem (sine forte) in principio, tot plictorum multiplicatione, & laciniosa amplitudine vagum, ac manicarum, in floccis, cavitare pendulum, prout ab aliquibus nimium affectatur. Cum tamen Monachatus, in superfluitatibus

habitus, non constituendus sit, & curiositas in veste Monastica, semper malè audiat. Sic docet pluribus locis, S. Ephrem Syrus, quos, *tom. 2. in serm. ascetico, capit. 2.* congerit eius Scholiastes Gerardus Vossius, & addit ex Epiphano *heres. 80.* Hieronymo, *Epist. ad Rustic. Ad Furiam, Ad Eustoch.* Et tu adde eundem, *ad Paulin. Epist. 13. & ad Marcell.* Tertull. lib. 1. *de Velandis Virg.* Basilium in *Reg. fufior. 22. & Epist. 1. ad Greg.* Atanasium, lib. *de Virginit.* Ambros. lib. 6. *Epist. 36.* Ioann. Monachum, lib. 3. *Vitæ S. Odonis Abb. in principio.* Isidororum in *Reg. capit. 12.* qui *Munitus* (ait) *debet esse Monachus, non delicatus*, loquiturque de habitu Monachali. Petrum Damian. *Epist. 102. ad Mainard. Abb.* vbi plura & inter alia, hunc curiosarum vestium appetitum, *puluerulentam morbi lethalis illuuiem* vocat, & *non leuem animi languorem*, ac denique D. BERNARDVM, in *Apologia ad Guillelm. & alias.*

Adiungit autem textus, antequam discedamus à cuculla, dicens: *sufficit Monacho, duas tunicas, & duas cucullas habere, propter noctes, & propter lauandas ipsas res.* In quo quantum ad duplicationem harum vestium ratione necessitatis, quæ exprimit, & cui prouissum esse vult REGVLA, idem intelligo, virtute, disposuisse, de alijs minutioribus indumentis, minoris sumptus, & maioris necessitatis: vt iuxta illā, nō solum duplicatio, sed multiplicatio liceat. Quod suadet & probat paritas rationis, autoritas etiam, quam proferam infra *num. 17.* ex Concil. Aquisgr. & vsus in Religione approbatus, adiuncto etiam Declaratorio Congregationis Cassinensis, ita sentiente. Quantum vero ad illud quod *propter noctes*: exurgit quæstio, an inde consequens sit, tunicatos & cucullatos dormire debere Monachos? De quo, rem vt in praxi exercendam (maxime nostris) tractaui *sup. capit. 22. à num. 10. & in alijs etiam*

VI.  
Duplicatio  
vestium.

III.  
Colobij di-  
finitio.

V.  
Curiositatis  
in habitu in-  
sectatio.

Congregationibus prout viguerit, regularis vsus, aut ex commutatione Pontificis, aut ex Cōstitutione rite interpretante & declarante, id quasi ex REGULA tantummodo obligabit, siue vt præceptum regulare ad 3. CLASSISIM, siue vt subrogatum, ad 5. CLASSISIM.

VII.  
Non conuincitur dormitio cū cuculla

Quod autem, neque hinc adigar, ad fatendum dormitionem cum cuculla, ex REGULÆ præcepto, haud refragabili, colligo: quia licet hic loquatur de duabus tunicis & cucullis, tamen adiungit duas rationes duplicandi eas vestes, vnā, *propter noctes*, alterā, *propter lauare ipsas res*. Non est ergo necesse, vt vtraque ratio referatur ad vtramque vestem: sed si in tunica, absque cuculla, dormiendum erat in noctibus, requisita mundities corporis, eam alternationem indumenti petebat, adhuc seclusa lotionē: In cuculla vero, etiam si cum ea non esset dormiendum, ipse quotidianus vsus, sufficiebat ad indigentiam lotionis. Præterea, missis his, textus nihil dicit expresse in casu; nam dicere, *propter noctes*, non est dicere, *propter dormire*, pausando in lecto ad somnum capiendum. In noctibus enim, assistendo toti operi nocturnali Vigiliarum, & laudum, & antelucanarum meditationum, non parum inseruit cuculla tunicaque: vt & propter noctes, si velit alternare vestes possit, & propter earum munditiem; absque eo quod hic clare pronuntiet, nec ex consequentia vi, tunicam, aut cucullam esse retinendas, in dormitione, dum quis in lecto iacet.

VIII.  
Refutatur Turrecrem.

Quod verò in presenti æstimat Cardin. Turre-cremata, (vt atuli, citato capit. 22. num. 10.) sentiens non eandem esse vestes, quibus utebantur Monachi per diem, & quibus per noctem, dormientes: dixi minus bene coherere; id quod, ex duplici capite, ostenditur. Primò: Quia ad id esset opus, in hyeme duplicare villosam vestem, & æstate puram, vt vna

diurni, alia nocturni temporis esset, vel vna pro dormitione, altera pro vigilia, aut vt ipse author ait, *pro conuersatione hominum*, &c. & ita quatuor cucullis & totidem tunicis opus esset, pro singulis; quod expresse repugnat textui præsentis. Secundo: Quia ea mutatione, iam minus parati essent, ad surgendum ad vigilias noctis; si mora facienda erat, prius ad exuendum se nocturnis vestibus, in quibus iacebāt, deinde ad induendum diurnis, pro tota die; quod disonat à procinctu, quem disponit, capit. 22. Et licet in lib. veter. consuet. Monast. Floriac. capit. 1. inueniam, calceos diurnales & nocturnales, idemque appareat, ex Concilio Aquisgranens. cuius verba adducam, infra num. 17. & ex alijs testimonijs non paucis: non tamen est par de vestibus ratio. Calceos enim, vtcumque, nocte dormiturus deponit, & e lecto surgens resumit. Quod si idem esset dicendum de vestibus, vt *propter noctes*, indicet alias nocturnales esse, & alias diurnales, confirmat quod nuper dicebamus; non inde sequi esse retinendas in lecto dum nocte dormitur, sed sicut calceos, deponendas & reassumendas fore, parimodo.

Succedit vt dicatur de Tunica. Hæc autem est, quæ nobis vulgo *Saya*, vestis longa ad pedes, non plicis, vt cuculla, redundans, manius angustioribus vsque ad operiendum manus peruenientibus, strictiorque, & cinctione adstricta corpori, super quam denudata deposita vt cuculla, defertur *Scapulare*, ita vocatum. Quia à collo, per pectus scapulasque descendit, ad longitudinem tunice. Quod longum, absolute ita vocatur à nostris *Scapulare*; ad differentiam alterius, de quo dixi ad capit. 22. num. 11. quod, ex curta modicitate, appellamus *Breve*, & Gregor. XIII. ibi citatus, *patientiam* appellat. Smaragdus autem, qui sup. num. 3. dixit, cucullam à suis appellari *Cappam*; de *Scapulare*, ait, ap-

IX.  
Tunica, & Scapulare.

appellari *cucullam* ut insignem nominum commutationem mireris. Et in describendo scapularij modo, non discrepat, quod omnes caputiātū admittunt, & ita intelligo. Ad hoc genus videtur reduci vestimentum, vocatum *Analobum*, de quo Dorotheus Abb. in *ser. de Obedientia*, & similiter *superhumerali*, de quo S. Ephrem, *to. 2. de varia doctrina, cap. 88.* Si credimus Gerardo Vossio, ibi, in *scholio*. Verumtamen cum non omnino quadret cum descriptione *Analobi*, quod Cassianus, *lib. 1. de instit. capit. 6.* *Analabo*, & Sozomenus, *lib. 3. capit. 13.* *Anaboloas* vocant, & uterque describat esse resticulas seu rebrachiatoria: potius videtur pertinere ad illa quæ, circa *Bracile* dicemus *infra num. 23.*

*Analobum.*

III

analogum

pedes ad

X. octo

pedules &

caligæ.

Adiungit incunctanter textus, *indumenta pedum*, designans, *pedules* & *caligas*. Hic per *pedules* calceos, quibus muniuntur pedes, & per *Caligas*, (de quibus supra *capit. 22. numer. 19.*) tibiæ tegumentum intelligūt, quasi dicas vulgo *Zapatos*, & *calgas*. Ita Smaragdus, & Antonius Yepes, & alij. Nam ut illa inter se distinguantur, *caligas* restringunt ad tegumentum tibiæ; & confirmat acceptionem, adagium illud *Caliga Maximini*, apud Erasmodum, & denominatio *Caligula*, apud Robertum Stephanum, verb. *Caliga*, qui expresse de tibiæ indumento loquuntur, cum alijs. Nec discedit ab hoc S. Fructuosus, in *sua Regula*, dum ait: *In hyeme pedules calceant, reliquis mensibus æstivis, caligarum tantum solatijs muniendi sunt.* Videlicet videtur, pede, vsque ad talem nudos instituire, præter hyemem, in qua concedit, calcē calceari pedulibus, & in idem bene inspectus Cassianus, *lib. 1. instit. capit. 10.* etiam si aliorum, ipsi & alij detorquentur. ¶ Nihilominus difficultatem patitur prædicta intelligentia, quoad acceptionem *caligæ*, quæ non vsquequaque restringitur ad tibiæ, sed etiam pro calceo pedis intelligi, tetigi supra *capit. 22. numer. 19.* & hic confirmo, ex eo

quod *Isai. 20.* vox Græca *Sandalia*, vertitur *Calceamenta*, & *Act. 12.* vertitur *Caligas*. Sandalium autem, constat esse calceum, ut illo Terentij in *Eunucho. Utinam tibi committigari videam Sandalio caput.* Et Isidorus, *lib. 2. Æthym. capit. 34.* ait, *Caligæ à callo pedum, vel quia ligantur, ut Sandalia*, de quibus plura congescit, Frater Petrus Nunius à Castro, in *Defensione Discalceationis Minorum.* Opus quod Hispanè edidit simul cum Sanctoralis Seraphico. & alij etiam ultra modum mihi in his tenendum, ut à non necessaria inculcatione confamilium testimoniorum, aut rerum abstineam congerie, quæ infinitate non obruat, & moderata instituto cum effectu & profectu deseruiat. Itaque restrictio illa admittenda non est, sed acceptio alia non deneganda; quæ hodie communis est, ad tegumentum tibiæ. ¶ Quod vero *pedules*, sint *Pedulis non est calceus.* calcei, minus probatur. Nam qui in titulo de *Calceamentis*, dixit, ut quid ad calceos significandas, desereret nomen commune & cognitum? Extratque in contrarium, testimonium Concilij Aquisgranens. quod promissi & dabo, *numer. 17.* ubi, seorsum, *pedules*, & seorsum *calceamenta* *veruena* *distinguit.* Item apud Surium, *April. 1.* de Hugone Cluniacensi Monacho, Episcopo Gratiano politano, *iussit*, ait: *Ut de caligis pedules absceinderentur, quatenus, præter pedes, totus Monachus iaceret vestitus, Dolebat enim nonnullos, in Religioso habitu, ad sanctitatis iniuriam, tibijs dormire nudatis.* Ex quo clarissime confirmatur resolutio, de dormiendo cum caligis, supra *capit. 22. numer. 19.* & constat *pedules*, non esse calceos, sed quod Turre-cremata, & Episcop. Vrgellens. & alij vocant *Peales*: aut si *mauis*, *Escarpines* laneos: quos superponendos, & intēdendos ipsis calceis ad pedem cognouimus, quando sine pedulibus, vidimus, saltē iunioribus, *caligas* dari. Atque iuxta supradicta, dicendum est, calceos in REGVLÆ solum

*Pedulis non est calceus.*

*Nota movē.*

*Caligæ & Sandalium.*



mitti non debere, certius est: ob id que ipse Petrus Venerab. non absolute, sed sub particula, fere, pronuntiauit, nec aliter poterat, qui de totius mundi Monachis loquebatur. Nam Ægyptios Monachos linea veste vsos, inconfesso est apud Cassianum, & in vita S. Pachomij, capit. 14. constat, ibi: *Lebiton autem, linea vestis erat, instar Colobij, qua Monachi vtuntur, per Thebaidam & Ægyptum.* Atque in vita Antonij, capit. 23. ibi: *Antonius impavidus, neglecto persecutoris imperio, lauit empeditem suam, & alio die stans in quodam eminenti loco, candente praecinctus veste (vtique empedite loto) procedentem iudicem suo prouocabat aspectu.* Ægyptijs autem Christianis, albam vestem tribuit Baronius, tom. 2. anno 256. à quò signo Monachi non recedebant, lineo habitu induti. Vestem vero linteam, idem esse atque albam, satis patet: sed & pro eodem vsurpari ab authoribus, probat Guillem. Stukius, lib. 2. de Antiquit. Conuiu. capit. 26. & ad id vel satis esset Plinius, lib. 19. capit. 1. In idque Petrus Damian. qui serm. 13. loquens cum Monachis, & de eorum habitu. *Induamur nos (ait) linea tunica vt candor nos sanctæ conuersationis exornet. & Epist. ad Mainard. Abb. capit. 2. ait: Saluatoris abijcit improperium, quisquis in mortificationis ordine constitutus album, vel ignobile quodlibet despicit indumentum.* Chrysostom. que homil. 70. in Matth. eundem colorem agnoscit ibi: *Cur non gradiemur ad illos Angelos, (sic vocat Monachos) cur non candidas vestes summamus, &c.* Quin & S. Patricius, seculo anterior S. Benedicto, in Hibernia cuculla candida amiciebatur, vt refert Iocellinus in eius vita capit. 185. & pariter Monachi ab ipso instituti. Quod non semel adducit Hæstenus, lib. 1. disq. Monast. Acceditque non satis benè succensere Cisterciensibus, quasi primis Monachis alba vtentibus veste: antecessere enim, aliquibus annis, Carthusienses, & longe ante Benedictini

Camaldulenses, & Montis Corilenses.

Hodie tamen color, iam à qualibet Congregatione Benedictina acceptatus est, & de proprio, quem detulit S. BENEDICTVS, licet forte ille pullus & subniger fuit, absolute nigrum fuisse, quantum ad cucullam, contendunt plures; & ego ita tenui, dum in meo Poëmate Hispano de vita ipsius oportuit describere. Cant. 8. Atque ita apud Leonem Ostiens. in Chron. Cassin. lib. 4. capit. 115. cuidam requirenti à Cassinensibus: *Cur nigris semper vestimentis vtimini?* Responderunt: *Quia talibus Benedictus Pater vsus est, vt habitu quoque, mundo renuntiassè videtur, &c.* At vero initio nostri Ordinis Cisterciensis, mutatio facta est in alba vestimenta, excepto nigro scapulari longo, atque de hac varietate coloris, etiam si à REGVLÆ discessio non esset, maxime Superiori aliquo interueniente nutu, aut consilio; disceptatio tamen parua non fuit, inter Cluniacenses & Cistercienses, quam omitto tamquam latè & optime tractatam ab Antonio Yepes, tom. 7. ad ann. 1099. capit. 4. 5. & 6. & à nostro Mag. Manrique nunc Episcopo Pacensi in tom. 1. Annal. Cister. ad annum 1103.

Addo tamen ad rem, Benedictum XII. statuisse semel Cistercienses, è quorum gremio ipse in Pontificem assumptus fuit, vt panis bruni & albi coloris duntaxat vterentur. Cumque de bruno dubitatum esset, & aliqui nigro, aliqui griseo colore vterentur, Sixtus III. tom. 1. nostr. priuileg. priuileg. 100. referens constitutionem Benedicti XII. verba prædicti bruni coloris interpretans: *appellatione illorū, nigrum tantum colorem venire & intelligi, ex certa sciētia declarauit.* Statuens in perpetuum, tam de Monachis quam de monialibus, vt omnes, ad vsu personarum suarum. pannis nigri vel albi coloris solū & duntaxat vterentur. Aquo recedere siue in colore siue in forma vsitata habitus, cauendum est, etiam in

XIII.

Hodie Monachis, color certus.

XV.

Quis pro habitu Cisterc.

accidentibus occasionibus, ne considerabilis mutatio (quod in quolibet Religioso, cuiuscumque ordinis, proportionaliter intelligitur) deducat in culpam, & censuram, *Cap. Ut periculosa. Ne Clerici, vel Monachi, &c. in 6. de cuius explicatione Thomas Sanchez, lib. 6. summ. cap. 8. à num. 7. & alii, vt Suarez, tom. 4. de Relig. lib. 1. capit. 5. &c.*

De grossitudine, etiam si textus dicat, quod vilis comparari potest, videtur esse intelligendum de vilitate, euitata nimietate extremi, in qua, sicut in pretiositate, adiumenta sunt incommoda: Ideoque sine scrupulo REGVLÆ, poterit stari declarationi factæ à Congregatione S. Iustinæ, cuius Declaratoriū alias citavi, in quo mediocritas in hac re sequenda, proponitur. Et est conforme Concilio Aquisgranens. *Can. 20. vbi ait: Vestimenta nec multum vilia, nec multum pretiosa, sed mediocria dentur.* Ex quibus, culpam excusari arbitror, vt vestis nō vilissima prætio sit, ad quod pronior est Regula, & pro ea est D. Basilius in *Regul. fusiior. 22. ibi: Quod in hoc genere indumentorū infimum est, id summopere nobis est amplectendum, &c.* & Cassianus, lib. 1. *instit. capit. 3.* qui tamen modum ponit, nec asperiora probans, sed vt communiora sequamur. Verumtamen à mediocritate recedere versus pretiositatē, culpam esse, certum est, eo maiorem, quo, pensatis circumstantiis, maior fuerit excessus; quem tamen nisi valde nimium, & scandalo, aut notabili relaxationi receptæ, & communis obseruantia grauitur obnoxium, non reputabo lethalem. Neque ab his discrepat D. BERNARDVS in *Apolog. ad Guillel.* illis verbis: *Cum contra Regulam, non quod vilis occurrerit, sed studiosissime quæris quod quia rarius inuenitur, pretiosius emitur, ignorans, facis hæc, an ex industria? &c.* vbi particula rarius, & pretiosius, & studiosissime, non mediocritatē dictā, sed in extremum declinantes damnant: & ideo, modo declarato, ad tertiam CLASSEM existimo pertinere,

prout intra limites obseruationis Religiosæ, materia versatur. Nam si inde procedat, ad magis culpabile & considerabile nocuētum grauis scandali & relaxationis dictæ, aut prodigæ, & reprehensibiles administrationis: ille cui intererit ex officio, tenebitur ex iustitia.

Progreditur textus, ibi: *Abbas autē de mensura provideat, vt non sint curata, &c.* Proportionata debere esse vestimenta, ipsa decentia suadet, ne vel risum detruncato habitu, vel de superfluo, stomachum generemus. Formam vero, aut modum, imo, & materiam præscribere cuique Religiosæ Congregationi sua capitula, & Abbates, pro suo more, & tempore norunt, & qualibet in suis diffinitionibus, accurate decernit. Nec de vera & certa omnino forma eorū indumentorū, quæ in Regula exprimentur, liquidō determinare possumus, ne dum de illis quæ non exprimit: In quorum maiorem cōprobationem, & vt liberem fidem in præcedentibus datā, de loco Concilii Aquisgr. *Can. 22. sic habet: Abbas omnino provideat, (scilicet pro singulis Monachis) camisas duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & capas duas, quibus necesse est, addatur & tertia, & pedules quatuor paria, & femoralia duo paria, Rōceum id est pelliceas vsque ad talos duas, fasciolas duas, quibus necesse est iteris causa alias duas, Vuantos in æstate, musulas in hyeme, veruecina calceamenta diurna paria duo, subalares per noctem in æstate duo paria, in hyeme vero foccos.* Atq; vt non solum de vestium suppellectili apponam Canonem, prosequitur & de aliis, adiiciens: *Saponem, & vincturam sufficienter, Pinguedinem ad esum, excepto sexta feria, & viginti diebus ante Natiuitatem Domini, & septimana illa quæ ante Quadragesimā vocatur Quinquagesima. Vbi autem vinum non est, vnde emina detur, duplicem mensuram de ceruisia bona.* Et quacumque, præter hæc, Regula iubet, singuli cum necessitas exposulauerit, absque dilatione accipiant. Hucusque Canon Concilii prædicti.

XVII.

Mensura &amp; forma.

Canon Concilii Aquisgr.

Per-

XVI.

Vilitas vestitiū qualis?

XVIII.  
Illustratio,  
Carnis, &  
vestium.

Percurram huius Canonis aliqua, quæ ad NOTAS nostras in REGVLA, attinent, cui satisfacere meum est, cætera non meæ curæ; cum Concilium sit Prouintiale, & iuxta illius Prouintiam, & pro illo tempore, peculiaris sit dispositio, permissa Abbatibus, & Superioribus illius Synodi per REGVLAM, sed nõ vniuersalis ipsius Regulæ. Igitur ibi: *Camissias*, intelligo de immediato carnis integumento, siue interulam, siue subuculam appelles, & licet hanc, si lanea sit, nos *tunicam* Hispanæ appellemus, si linea dicamus *Camissa*: tamen ex nomine, ibi non intelligi lineas, sed iuxta intellectam Regulam, laneas, constat ex *Cap. cum ad Monasterium. De statu Monach.* Vbi firmiter inhihet, ne quis *Monachorum*, lineis *camissijs* uteretur, nempe non satis fuit, *Camissijs* dicere, nisi addito, *lineis*. Deinde ait: *tunicas duas*, eodem nomine in Regula, & eadem significatione, vt dictum est supra *num. 9.* in quo Cõmentatores conueniunt, & eodem modo loquitur ad *BERNRDVM*, Petrus Venerab. *lib. 4. Epist. 17. Albam cucullam & tunicam induisti, &c.* Præterea *cucullas duas*. Hic constat intelligi *scapulare*, sicut *Smaragdus*, *sup. num. 9.* Nam concilium *scapulare* non nominat, nec aliud, cuius nomine, possit intelligi, & quia *Can. 21.* antecedenti statuit, *vt mensura cuculle duobus consistat cubitis*, quod non conuenit nostræ cucullæ, seu floco, & ita restat vt de *scapulari* intelligatur, quod breuius fuisse, propter opera olim, est certum, & in antiquis picturis & imaginibus fratrum conuersorum, quorũ præcipua destinatio ad labores manuum est, alicubi vidimus: & adhuc in aliis Monasteriis in vsu perdurant, prout in hoc *Oliuæ Cænobio*, & aliis. Ad hæc *Cappas*; & in his intelligit, quas nos *cucullas* vocamus, iuxta dicta *sup. num. 3.* Rursus, *pedules quatuor paria*. Omnino vt explicatum est, *nu. 10.* Adhuc *femoralia duo paria*. Hoc notum est indumentum REGVLÆ, de quo infra *num. 20.* Omisisse videtur *caligas*, nisi nomine *pedulium*, veniant, vt sentit *Yepes*,

& ego cætera omitto, quæ illius regionis & ætatis, vestitum, & victum, indicant, de quorum nominibus i tunc ibi vulgaribus, nobis nunc inuoliter diuinandum est.

Addit autem textus præsentis Capit. id quod addicta & ad dicenda referendum est, scilicet: *Accipientes noua, vetera semper reddant in præsentem, deponenda in Vestuario, propter pauperes.* Ad idẽ hic *Smaragdus* exhibet verba *S. Fructuosi*, & *Aureliani*, quibus addo *D. Basilium in Regul. breuioribus*, 87. & regulariter ita in praxi seruetur, & ex se obligatorium esse, nec licere cuiquam de vestibus disponere, aut alteri dare, sine consensu Abbatis, manifestum est, versarique hoc in materia voti paupertatis, iuxta quod iudicandum est, de culpa, & obligatione, quæ ad secundam pertinet *CLASSEM in Introduct. Artic. 7.*

Igitur prosequitur: *Femoralia hi qui in Via diriguntur, de Vestuario accipiant, &c.* In quo videtur supponere huiusmodi indumenti vsus, intra Monasterium non fuisse. Tamen hic textus non, vt denegans femoralia, debet haberi, sed vt prouidens, ne sine eo honesto velamine, quis iter arripiat, etiam si alias in Monasterii clausura forte incederet sine eo. Quod non esse preceptum REGVLÆ censeo, sed potius quid prætermisissimum, vt permissum. Suadent hoc verba *S. Fructuosi* apud *Smaragdum*: *Femoralium vsus cuiquam est permittendus, & Concil. Aquisgran. adductum, num. 17.* Atque *Epistola Theodemarii* alias citata, ibi: *habent autem fratres nostri duo femoralia.* Nec apparet ratio quæ oppositum persuadeat. Nani licet vestis illa peccatorum sit, & quæ status innocentie ignorauit. Sibi que primam, post præcepti transgressionem, primi parentes aptauerunt, folijs ad subligaculi formam adactis *Genes. 3.* atque etiam *Sacerdotes feminalibus*, seu (quod *Eccli. 45.* idem est) *femoralibus*, aliquando non vsos animaduerto, cum *D. Thoma & Caietano* in *Catena Lippomani in Exodum*

XIX.  
Vetera reddenda.

XX.  
Femoralium vsus.

cap. 20. *vers. Ultimo*: attamen postea, cap. 28. inter sacerdotalia vestimenta iussa fieri femoralia, ipsorumque vsum sub pœna mortis, in sacrificiis iuberi constat, nec semel repeti causam honestatis tuendæ. Quæ sane causa semper extat, & accessit etiam in omni Monacho alia, quæ antea non vniuersaliter erat, scilicet ministrandi in altari fungendo etiam sacerdotio, & ex utroque capite aliisque, decentissimè recepta consuetudo, & licite admissa, atque laudato vsu retenta. De quo S. Hildegardis hic: *tempore isto* (ait) *quoniam mores hominum ita ostendunt, Deo non non displicet, &c.* Nō obstante aliquorum senum, quorum habuimus notitiam, exemplo opposito; nam generali, (vt ait Cassianus lib. 1. cap. 3.) *institutio ni, paucorum non debet præponi, nec præiudicare sententia*, in eaque fuit Petrus Venerab. li. 1. epist. 28. *ratione necessitatis, mūditiæ & honestatis &c.* Quibus non defuisse B. BENEDICTI prouidentiam, etiam domi, omnino credo, & fauet quod infra num. 23. cum seqq. circa Bracile redduco.

XXI.  
Stramenta  
lectorum.

Transit deinde ad *stramenta lectorum*, & in eis nominat, *mattam*. Quam ex canabe vel scirpo fieri, atque itupalena ve infarciri aiunt: cuius meminit Ouid. *Fast. 6. in plaustro scirpea matta fuit*. Eius & materiam & vsum, produnt verba Petri Venerab. lib. 1. epist. 20. *ibi: si palustria prope sunt loca, mattas antiquum Monachorum opus compone, super quas, aut semper aut sepe dormias. Addit sagum, stragulum villosum, de quo Suetonius, in Otone, cap. 2. ait: distento sago impositum, in sublime iactare, pro eo quod vulgo dicimus Mantear, Adiungit lenam, quam volunt esse oportorium in lecto iacentis, alias galnapam, vocat Smaragdus, vel rextam, quæ pariter ignota nobis. Denique Capitale, quod ad caput pertinere credūt, vt sit eius reclinatorium. Licet Isidorus inter hanc Monachi supellectilem, geminos ad capud puluillos, numeret. Quare cum aliis Capitale plumaceum intelligi potest, atque sic appellatum ab*

Hispanis, toti corpori substernendum, meminit Orozco, Couarrubias, in *The-sauro, verb. Cauzal*. Quæcumque autē hæc stragula sint, de his quæ nunc habentur ex consuetudine & ordinatione cuiusque Congregationis, aut Monasterii, sentiendum est, sicut de vestimentis dixi sup. num. 1.

Adiicit textus: *Quæ tamen lecta, frequenter ab Abbate sunt scrutanda, propter opus peculiare, &c.* Hic opus peculiariter vocat, id est peculii, labe proprietatis, contra votum paupertatis religiosæ retenti. Estque ea phrasis familiaris Cassiano, cuius locum dedi ad cap. 23. num. 12. & alibi, & præsertim accipitur pro pecunia, cuius tamen nomine, omnia pecunia æstimabilia contineri, declarauit Iuriconsultus, *lege 222. ff. de verb. signifi.* & ex D. August. *capit. totum 1. q. 3.* deducta voce à pecore, quæ tota peculij, antiquorum substantia erat. Hinc est obligatio, vt Abbates frequenter faciant scrutinium cellarum, omni supellectili euerfa inspectaque. Nam si S. BENEDICTVS non parcat lectis, in cōmuni, tunc, loco positis, quin illis scrutandis, & euoluendis inuigilet Abbas, quanto magis cellis, sera clauique munitis? Sane ad id tenentur ex REGVLA, & illius scrutiniij quæuis ommissio licet plusquam venialis censenda non sit, at intellectu cognitoque aliquo graui periculo, etiam strictius tenebitur, vt amoueat pessimum malum proprietatis, quæ iam ex lege Dei obligatio erit. Ad quod pariter statuit REGVLA, *vt hoc vitium peculiare, radicibus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, &c.* In quo iuxta modū defectus, & datæ occasionis peccandi, erit & Prælati peccatum, ex obligatione officii procedens. Atque in numeratione rerum, solerter intexuit etiam minima, vt nihil parētis curam prætereat, erga filios, quibus non licet sibi quidpiam aliunde parare. De quibus, quæ in superioribus non sunt explicata subnectemus residua.

Ex illis vnum est Bracile. Hoc ex Isidoro, lib. 19. *Æthym. cap. 33.* luccinatoriū quod-

XXII.  
Scrutinium  
cellarum.

Eius obligatio.

XXIII.  
Bracile discen-  
ditur.

quoddam eff. describit Episcopus Vrgell, eius verba adducens, quæ pariter consentiunt cum Cassiano, lib. i. instit. cap. 6. describente eisdem verbis, *rebrachiatorium*. Nec differt à *Zona*, quam, de eisdem Monachis loquens, refert Nicephorus Calixtus lib. 9. cap. 14. ibi: *Zonam, quæ humeros, brachiaque comprimit cinctura*. Atque de hoc vestimēto, ad procinctū Monachi, & quo impigri, & ad opus expediti, prout ait supra Cassianus, reddantur, egit late D. Basilius in *Regul. fustior. 23. de Zona*. Tamen S. BENEDICTVS. *Zonæ* non meminit, & S. Hildegardis hic eam memorat sed à *bracili* distinguit, quod appellat, *brachiale*, sicut & Isidorus *brachile*, litera H. adiecta, esseque distinctum à femoralibus constat ex *REGVLA*, quæ vtraque sub proprio nomine designat, & ex Hildegarde, sub suo distincto nomine, explicante. Quæ dictum *brachiale*, non ad *brachia* ut alii, refert, sed potius ad *braccas*: ait enim esse, quod ad *cutem erat, a quo caligæ ligatæ dependebant*. In quod descendit Isidorus citatus, inquiens, *hoc brachile, quasi brachiale dicunt, quamuis nunc non brachiorum sed renum sit cingulum*. Consonatque cum eisdem, Cærimoniale Congregationis Bursfeldensis, *dist. 3. cap. 24. vbi: brachile* ait esse, ad *religandas caligas laneas hyemales*, ipsumque *brachile*, ad quod religendæ sunt, esse *de lineo, aut corio ceruino*, & à femoralibus distinguit. Sed à quibus videatur parum differre, & ferè eodem officio cuiusdam subligaculi breuioris, angustioris ve, cum quo caligæ ligatæ, nuditatem, à tibijs pedibus ve, vsque renes vestirent.

aspirandum interiecto, h. vt sit *braccile*, ad ethymologiam *braccæ*. Nam per h. scribi iuxta græccam dictionem, non placet Passeratio. *Braccas* autem a femoralibus, solum in breuitate, distinguit Isidorus, lib. 19. *æthym. cap. 22. vbi ait: Femoralia appellata, eo quod femora tegant, braccæ quod sint breues, & verenda corporis his velentur*. Ad quem sensum reddidit D. August. *li. 14. de Ciuit. Dei cap. 17. vocem, perizomata, Genes. 3. vt sit idem, quod succinctoria, aut campestria, sic dicta, quod qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant, huiusmodi eurtis subligaculis, aut feminalibus aut femoralibus. Quæ femoralia si curta, strictioraque sint, omnino coincidunt cum Campestrijs braccis, aut braccilibus. quæ ex proprietate nominis, dicunt breuitatem. Et quod per *braccile*, significatur, in *REGVLA S. Benedicti*, per *braccas* declarauit S. Franciscus in testamento, *eram contenti vna tunica, intus & foris repetiata, cum cingulo & braccis*. Atque ad rem, se memoriae offert, quod refert Adreualdus Floriacensis, lib. 1. *de miraculis S. Benedicti, cap. 26. adducens verba cuiusdam simplicis Monachi, nomine Christiani, qui cum latrones furati essent a tumulo S. BENEDICTI, armillas aureas, conuersus ad Sanctū PATREM, verbis cepit, quasi increpare illū, quod passus esset, quemlibet sua ornamenta auferre: & inter alia adiecit: Certe mihi iam nō est cura, si etiam tibi braccas auferant, qui armillas non defendisti, sic loquutus, quasi illud indumentum, a Monacho abesse non posset, etiam tumulto, vt pote in vita vsitatum cōmuniter.**

Braccile, &  
Braccæ.

XXIII. Michi sane hæc explicatio non displicet: nam ex ea occurritur difficultatibus, vt licet femoralia integra & ampliora, prouiderentur danda fratribus, qui in viam dirigebantur, tamen breuiora saltem perizomata, in communi vsu domi haberent, & nusquam deesset honestati & necessitati subsidium. Ad quod existimo dictionem *bracile* in *REGVLA*, duplici, cc. scribendam, neque

Et ne sciēs præteream, vnde quis labefactari credat præfatam sententiam, aduerto, ad locum Isidori adductum, *num. 23. scholiastem illius operis, siue sit Ioannes Grial, siue quiuis alius, vt explicaret ea verba, quod brachile nūc non brachiorum sed renum sit cingulum, sic addidisse: Gestant hodie has. duplices reticulas laneas Monachi, qui S. Bernardi instituta sectantur. Quod quam alic-*

XXV. Occurritur non nullis in contrarium.

Explicatio  
apud.

XXIII.  
Admittitur  
& comprobatur.

alienum ab omnium descriptione illius iadumenti sit, manifestum est. Et nos BERNARDITÆ Cistercienses, qui illis laneis cordulis gracilissimis utimur, super scapulare, prædicto scholio omnino stare nequimus, quod ad rem nullius est momenti. Præterea, apud Bibliothecam Floriac. in epist. Ioannis Sauaronis, ad Ioan. Boscum, explicat ille quædam verba illius Canonis, Capitularij Reg. seu Concilij, quod protulimus sup. num. 17. scilicet. *Vuantos in æstate, muffulas in hyeme veuecinas*, (sic enim ipse legit) addens: *Quo loco, Monachis, gestamen chirotecarum*, (hoc est vuantos) ac *brachialium* (hoc est muffulas) *conceditur, vbi muffulam & brachiale, idem esse sentit, in quo dū brachiale cum muffula, parificat, quæ chiroteca hiemalis, ex antecedenti infertur esse; constat quam longe sit à braccili, de quo agimus; appellans illā chiroteca brachiale, quia pro hyemali frigore arcendo, non solum manum, sed partem brachii, extensiore integumento, munit; vt passim videmus.*

## XXVI.

*Circa cultellum & mappulam.*

Deinde, post *cultellum*, de quo diximus cap. 22. num. 18. sequitur in textu, *Graphium*, in quo stilum intelligo, ad scribendum, & idem refero ad *tabulas*. In quo, non admitto explicationem Episcopi Vrgell. qui vult hic, *tabula*, generandi casum esse, & coniungi cū *mappa*: vt sit idem ac *mappa tabule*, hoc est *mappula mensæ*. At rogo cuius mensæ? solum in refectorio licebat comedere sanis, vt cap. 43. aut in infirmitorio ægrotis, vt colligitur ex cap. 36. & vtroque, Monachos particulares mappulas ad mensas non deferre. Longè enim a Monasticis mensis, mos ille antiquus, vt conuiuæ mappas ad conuiuium deferrent; quem firmare satagit Guillelmus Stukius, lib. 2. de Antiquit. Conuiual. cap. 19. ex illo Marcialis. *Artulerat mappas nemo, &c.* Tametsi negari non possit, acceptio mappæ: prout ipse ex Petroto adducit ita dici: *quod à manibus pendeat, dum sumus in mensa.* Et certe mappam ad mensam pertinere, sacratiore tibi & non ingrato testi-

monio proba, ex libello de Viennæ antiquitatibus sacris, cap. 2. apud Bibliot. Floriac. vbi hæc: *Ismet Beatus Paulus Apostolus, Hispania rediens, Zachariã itidem Christi discipulum subrogauit, qui cum Dominica interfuisset cœnæ, mappam ipsius sacro sanctæ refectiois, super quam panem & vinum in suum corpus transubstantiauerat, Viennensibus nouis Christianis, solatij gratia contulit.* Itaque proprie quod vulgo *seruilleta*, aut *manteles*. significat, sed alias habere significationes notissimum est. Et ita in præsentibus, vbi cum comate interposito separatur, à *tabula*, in omnibus REGVLÆ exemplaribus, mappulam magis accipio, ad purgationem narium, ac sudorem, manus ve detergendas, prout numerauit Isidorus, *facitergium*, & Hildegardis exponens; *sudariolum ex lino formatum, quo sudorem, dum in opere laborabant, abstergebant.* Quo pacto Cæremoniale Bursfeldense, dist. 3. cap. 24. inter alia enumerat *sudarium, aut mappulam*, & in eodem sensu apud D. Gregor. in *Vita S. Bened. cap. 19.* refert de Monacho, qui à sanctimonialibus, *mappulas accepit.*

At vero *tabula*, quæ hic nominandi casu pluraliter efferuntur, ad apparatus scribendi redducuntur, sic *pugillares* antiquitus, *tabula* ceratæ, aut alterius materiæ subtilis erant; *graphium* que instrumentum, quo literæ exarabatur, de quo Ouid. *Quid igitur opus est, graphium lassare tenendo?* Et idem alias *Met. 9. committere verba tabellis.* Et licet materia vtriusque mutata sit, iam ab antiquitate summa, vt ostendunt plura testimonia, quæ de fasciculo epistolarum, eisque plicandis, occludendis, signandis, resoluedis extant; tamen nomina mansere, quibus significatur, per *graphium*, calamus scriptorius, per *tabulas* chartas, scilicet quod nunc vulgo, *plumæ* & *papel*, aut plenius *recado de eserinir.* Quin, & in scribendi materia, non omnino infertur, semel inuentis membranis, aut nouioribus papyris, antiquiores scribendi vsus desisse. Nam & sic Iacobus Breul, in scho-

*Sacra mappula Viennæ.*

## XXVII.

*Graphium & tabula quid?*

lijis ad priuileg. Gregorii, apud Aymonium, lib. 3. de gestis Franc. cap. 2. probat septuaginta interpretes, in membranis subtilissimis, libros legis scripsisse, teste Iosepho, lib. 12. Antiquit. cap. 2. tamen posteriori etiam tempore in corticibus ait, quâdoque scriptum, reuocando senescentem, atque intereuntem antiquitatem. Sub quo scilicet apparatu scribendi, subintelligi atramentum, & alia requisita, certum est: sicut in *Acus*, quam pro consuendis emendandisque vestibus, assignat, ait Smaragdus, intelligi filum, sine quo inutilis esset acus, & denique recado de coferis sic enim aliqua subintelligenda esse constat.

XXVIII.  
Quæstio de  
vestiario.

Nunc autem breuiter expediendum est: An ex obligatione REGVLÆ sit, vestiariū habere commune, in quo singulorum vestes, quibus actu non utitur Monachus, reponendæ sint, ut inde accipiat vsurus: & inde cōstet etiam, quæ obligatio extiterit nostræ Congregationi, ex Motu proprio Clemētis VIII. cuius memini sup. cap. 43. num. 10. cuius dispositio in principio, non parum turbauit, dum sine discrimine rerum, voluerunt prorsus omnia in vnuū cōmunem locum concludere custodienda, & singulis distribuēda, cumque intentio fuerit, quā loco citato exposui iuxta REGVLAM reformare, cognito quid ipsa requirat, quod pro omnibus expediam, constabit haud quaquam intelligi alio modo, non executioni apto. Sed incommodis pleno, atque ita rationabiliter omisso, & ad terminos REGVLÆ reducto: seruatoque sine Pontificis, paupertatis votum respicientis, superflua refecantis, & necessaria prouidentis. Ut superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, traddi, & subministrari possint. Quæ verba sunt Clementis VIII. ibidem.

XXIX.  
Quid disponat  
Regula.

In quo, quam repetito à REGVLÆ inculcetur vestiariū, seu quod vulgo Roperia vocamus, ex hoc Cap. constat, semel ibi, Accipientes noua, vetera semper reddant, deponēda in Vestiario, propter pauperes. Iterum: Femoralia, hi qui

in via diriguntur de Vestiario accipiant. Rursus: cucullas & tunicas meliores, Exeuntes in viam accipiant de Vestiario &c. & infra, capit. 58. ibi: vestimenta quibus exiit, (scilicet nouitius,) reponantur in Vestiario conseruanda. In quibus omnibus solum præsuppositiue loquitur, quod in quacumque domo, pro modo & capacitate illius, necessario debeat esse locus, in quo reposita sint, quæ ad vestitum, & quodcumque genus indumentorum pertinent, siue noua sint, siue vetera, siue iam facta, siue in materia conficiendorum. In quo nec necessario petit cellam, quæ veluti Refectorium comesturis, sic vestiariū vestiendis designata sit. Erit forte domus, cuius sit tam curta supellex, ut arca lignea vsualis, vestibus asseruandis sufficiat & ea erit, iuxta REGVLAM, vestiariū, & ita in quacumque parte destinetur ab Abbate, sub custodia propria, vel alicuius, ad prouidendum inde, & reponendum, quæ distribuenda: & opportune danda sunt, iuxta necessitates, & ordinis statuta: illud est vestiariū, ad communem & requisitam prouidentiam, quæ præsupponitur.

Sed numquid ad hoc commune repositorium, quilibet Monachus reducere debet ea indumenta, quæ pro vsu priuato suo, data & designata semel sibi sunt à Prælate? Nequaquam id puto. Primo, quia oppositum indicat Regula. Secundo, quia non minus hoc deseruit intentioni Pontificis. Tertio, quia non potest inter Monachos vtrumque, benè administrari. Primum constat: Quia Regula concedit cuilibet duplicatas vestes æstiuales, & hiemales tunicas & cucullas; easque cuiuscumque staturæ commensuratas, ut mutare & lauare eas possint. Et idē (ut probatum est) intelligitur, maiori ratione, de interioribus vestibus. Ex quibus clare elicitur, ea omnia apud singulos, suæ curæ, suo vsui, & suæ custodiæ deputari. Alias si solum concederetur habere apud se eam tunicam, aut cucullā, qua

XXX.

Resolutio  
iuxta Reg.  
& Pontif.

actua-

actualiter indutus incedit: frustra taxaret numerum vestium pro singulis. Et si in quacūque mutatione vestium recurrendum erat ad commune vestiarium, quia apud se nihil esset retinēdū, quid opus erat semel, & iterum dicere: *Quodcūque vetustum est, reddant, cum accipiunt nouū?* Secundum patet: Quia hæc quæ dantur singulis, pro suo vsu seruanda & curanda, ad arbitrium Abbatis sunt, sicut & quæ retinentur in communi repositoio, opportune eius voluntate aut licentia danda: & utroque modo, quod cuique opus est, ministratur, quæ est & Regulæ, & Pontificis intentio, in eo Motu proprio. Et tandē de tertio similiter experimentum docuit, non posse coherere illum modū, nisi cum omnimodis incommodis quæ iam nunc enumerare nō est opus, & dum conformitas cum Regulæ & praxi illius constat, id satis est.

XXXI.  
Obligatio  
predictorū  
in hoc cap.

Quoad obligationem conscientia, in hoc Cap. prout dixi *num. 1.* ex diuersis rationibus considerari potest, & debet. Generaliter autem in his vestimentis, quæ REGULÆ arbitrio superioris relinquit, & in præsentī de vestimentis, & stramentis lectorum certa constitutione aut mandato disposita sunt in quavis Congregatione, ea tamquam subrogata dispositioni Regulæ, eandem obligationem inducunt, iuxta dicta in *Introduct. Art. 10.* de quinta CLASSI. Deinde vero si Monachus deueniat ad temerariam habitus proprii dimissionem, iam indicavi præceptum & censuram ex iure *supr. num. 15.* quod pro omni Religioso ab Authoribus tractatur. Citra id vero, si voluntate & nutu suo excedat in pretiositate vestium, tetigi iam, *num. 16.* Si lineis pro laneis vtatur camissijs: est Veniale, iuxta *Cap. cum ad Monasterium, de Statu Mon.* nisi accedat alia circumstantia, aut strictius superiorum mandatum, quod interdum pro conseruanda hac Monastica obseruantia necessarium est, ne facile & sine legitima causa omittatur. Prophanas nimium vestes interius etiam gestare occulte, in-

uito aut infcio Abbate, in primis tanquam proprietatis crimen iudicandū reor, iuxta quantitatem valoris rei clame præter voluntatem superioris, possessæ; deinde propter nimiam deuiationem à REGULÆ, & periculum scandalī ratione status, non audebo à peccato liberare; hoc enim ex lege Dei, sicut illud ex voto, obligationem trahit. In vestibus, seruata habitus forma externa, interius, vel propter æstū detrahere, vel propter frigus addere, etiam citra, vel ultra diploidem, nullam, ex REGULÆ, inuenio noxam, nec alicuius culpæ insimulatam. Arque pariformiter de stramentis lectorum, discursus fieri potest.

Parergon tamē huius Cap. sit, quod iam, *num. 3.* breuiter de Melore, & Pellicæis indicauimus. Scilicet antiquitus habitum Monachorum, pellibus animalium cōfectum, in vsu fuisse. Et sub utroque nomine constat, in nostro P. S. BENEDICTO, apud D. Gregorium, *lib. 2. dial.* Dum in specu sublaci latuit, *cap. 1. ibi: vestitum pellibus,* & postea Abbatī officio fungens, *cap. 7. ibi: meloem Abbatī videbam.* Idque defendit, eodē aliisque exemplis, Petrus Venerab. *lib. 1. epist. 28.* Expresse autem Cassianus, *lib. 1. instit. cap. 8. ibi: vltimus est habitus eorum pellis caprina, quæ melotes vel pera appellatur,* adducto noto loco Pauli, *Hæbr. 11. ad quem, omnes commentatores id confirmant.* Apparetq; parum determinatam fuisse formam, materiāque vestium Monasticarū, maxime ante REGULAM S. BENEDICTI, cū & post eam, etiam in Benedictinis remanserit vsus pellium siue pellicearū. Quas tamen, quia ex asperitate & vilitate, ad luxum & pretiositatem, relaxata secula transtulere, damnatas scimus à Cluniacensibus, inter eorum statuta *stat. 17.* & reiectas à Cisterciensibus, in *exordio mag. lib. 1. cap. 24.* Vnde in illis anterioribus seculis, licet Monasticum indumentum, à seculari distinctum esset, & peculiari nota diuersum, minor tamē distinctio versabatur, quam post B. BENEDICTVM, & quam nunc, pro quo

XXXII.

Parergon de  
habitu Mo-  
nast.

quolibet Religionis instituto cognoscimus, etiam ex iniuncto superioris auctoritatis, vt cognoscamur, cuius sumus.

XXXIII.  
Habitus S.  
Basilij frust-  
ratus.

Hinc elicio, quam vana sit contentio Basilienfium Monachorum, frustra de quibusdam quæstionibus laborantium, ad easque afferentium, Romanum Monachum, qui S. BENEDICTO fugienti seculum obiauit, & ei (vt refert citatus Gregorius) sanctæ conuersationis habitum traddidit: fuisse Monachum S. Basilij, vt inde S. BENEDICTVM, in Basilienfem transfigurent. Huius nouitatis Author, vt ægrotus febrizitat, & tamquam moribundus, habitum seu vestes palpat. Nec vt reuincatur, reor opus esse multo impendio; nec verba D. Gregorij à communi & recepta significatione extrahi: ipsius enim verbis conuincitur; cum opportunè expresserit, Benedictum, tribus annis, excepto Romano Monacho, hominibus incognitum, & rursus, Monasterium Romani, sub Theodati patris Regula fuisse. Quibus verbis & Regulam S. Basilij & aliorum exclusit: & ipsum Romanum, tamquam priuatum Monachum, inhabilem, ad conferendum Monachatum illius Cœnobij, apertè declarauit. Præter alia, quæ tamen seriò impugnantur à Mag. Savi-  
tiores, tom. 1. præf. 6. tamen sicut gratis obijciuntur; sic & contemni poterant. Nisi de his loquatur Salomon, Prouerb. 26. dicens: Responde stulto secundum stultitiam suam, ne videatur sibi sapiens.

XXXIII.  
S. Benedi-  
ctus per Ana-  
chorem ce-  
pit.

Tamen nihil cogit inuehere alios sensus, illis verbis: sanctæ conuersationis habitum traddidit, quasi, ex illis, quidpiam specificum Basilienfis Religionis describatur. Esto, dederit Romanus Ephebo Benedicto habitum, scilicet vestem sanctæ conuersationis, hoc est professionis Religiosæ. Restat inspicere, quis habitus? Quæ professio? & quomodo? Nam hæc adaptanda sunt verbis immediate præcedentibus, scilicet: Cuiuscum desiderium cognouissent, & secretum tenuit, & adiutorium im-

pendit. Desiderium tunc Benedicti, fuit purè solitariam & Anachoreticam degere vitam, quantum Deo placuisset, hominibus incognitam, ad instar Baptistæ, cum quo, toties comparatio fit ab scriptoribus. Ad quem modum singularissimum, incipiendi, ab Anachoreti, vitam Monasticam adspirabat, supple-  
te diuina gratia, quod in alijs per exercitium acquiritur, vt docet D. Thom. cuius sunt verba 2. 2. q. 188. artic. 8. exemplificando, ibi: sicut patet de Beatis Antonio, & Benedicto, & insinuatam satis sup. ad capit. 1. à num. 13. &c. Igitur ad hunc effectum, tunc Benedictus nullo alio indiguit, sed, se solo, cum Deo nūcupatis votis, potuit pure Eremiticam instituere vitam, ex natura sua eo pacto, pro illo tempore, essentialiter religiosam. Quod in terminis late ostendit Franciscus Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 2. capit. 4. Nec aliud illis seculis exigi, pluribus exemplis concedendum est.

Ad hoc ergo, videamus quid Romanus ille Monachus præstitit? Primò secretum tenuit, vsque dum Deus, cui soli placere desiderabat Benedictus semel per Præbyterum, cui virum reuelauit, & rursus per Pastores, quibus eum inuenire dedit, palam fecit hominibus latitantem sub modio lucem, vt super candelabrum poneretur. Deinde adiutorium, quod impendit, fuit indicando occultissimum illius solitudinis, & ar-  
etissimum specum, in quo per triennium latuit, ministrando pie eleemosynariam panis annonam; vt omnia refert D. Gregorius. Inter hæc, etiam sanctæ conuersationis habitum traddidit Benedicto puero; de quo eisdem verbis in principio dixerat, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit. Et utrobique non renuo habitum posse referri, nõ precisse ad vestitum, sed ad formam & modum conuersationis, in placendo soli Deo, vt præmiserat. Nam habitus eam significationem admittit, ita vt Quintilianus, lib. 8. in proœ. habitu verborum, dixerit & Virgil. 8. Æneid. dicens: Quam varia linguis, habitu tam

XXXV.  
Quid illi præ-  
stitit Roma-  
nus.

Habitus &  
eius explica-  
tiones.

vestis, & armis, nō putauerit pleonasmus aut redundantiam, vocem vestis cum habitu. Sed demus impēdisse habitum, id est vestem, quoquo modo tali conursationi, aut vitæ solitariae aptam. Quid inde? Ea autem vestis nō vtrique alia fuit, quam in qua inuentus est à Pastoribus, facta ex pellibus, quem & Monasticum & antiquissimum habitum fuisse vidimus, num. 32. faciliter parabilem, austerum, instituto que congruum. Cum verò S. Benedictus in veste seculari, eo tempore Romanis iuxta suum statum propria, incederet; hanc oportuit, cum alia assumptæ anachoresis propriori, com-

mutare. Quam & se solo poterat assumere, vt exemplis etiam probauit sup. ad cap. i. num. 15. Quod verò eam præstiterit Romanus, non fuit quasi Religiosum faciens, quod nec ipse poterat, pro Cænobiali vita priuatus Monachus; nec ipse Benedictus pro Anachoristica indigebat. Sed sicut frustula panis ad vescendum, sic congruum pellium indumentum, quo operiretur dedit, vel ex elemosyna pia, & permessa sibi, vt panem; vel ex commutatione secularium vestium, in primo illo occursum. Ex quibus, nihil, ad intētum vanissime tentatum, elicitur.

### De Mensa Abbatis.

#### CAPIT. LVI.

#### TEXTVS.

**M**ENSA Abbatis, cum hospitibus & peregrinis sit semper. Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniores tamen unum aut duos semper, cum Fratribus dimittendos procuret, propter disciplinam.

#### NOTÆ.

I.  
An semper  
Abbatis mensa  
seorsum?

**M**ENSAM Abbatis seorsum à Conuentu statuit Regula, & semper, ait, sit cum hospitibus & peregrinis, & ad hoc Coquinam & ministros sequestrat, sup. capit. 35. Sed num, seclusis hospitibus, adhuc semper discernenda mensa Abbatis, iuxta Regule textum? Aliqui ita existimant, ex eo quod addit: Quoties minus sunt hospites, &c. Et confirmari potest, ex antiquo libro Vsum Cisterciensium, capit. 90. de Abbate. vbi inter alia ait: Cū hospites defuerint, duos ad minus Monachos ad mensam debet habere, &c. Imò & consonat cum charta charitatis in Exord. Cisterc. capit. 21. quatenus ab his qui in refectorio debebant comedere excipit dicens: Præter Abbatem præsentis loci. Forte ita in principio acceptum & obseruatum, tamen si, ex Regula, id nō esse possitue statutum existimem. Nam illud semper, accommodandum est cum Hospitibus, & pere-

grinis, scilicet, vt dum fuerint hospites, semper cum illis debeat esse Abbatis mensa. Et insuper, illud: quoties minus sunt hospites, &c. intelligi potest, quoties pauciores sunt, vt tunc possit, quos vult de fratribus vocare, nempe locum dante paucitate hospitem, vt aliquos domesticos capiat mensa.

Ex quo superest, vt quando nulli omnino sunt hospites, nihil expresse- rit REGULA obligatorium. Qua propter locum habuit Declaratorium Regulae, Cōgregationis Cassinens. vt ad ea verba adiecerit, vel si eligit Abbas esse cum Fratribus (scilicet in cōmuni refectorio) magis laudamus, & Camaldulensium etiam præcipit. Et Petrus Venerabilis lib. 1. Epist. 28. iudicauit non esse abs Regula, quod ait: Abbates nostri (scilicet Cluniacenses) nisi infirmitas obstiterit, nobiscum semper comedunt, & aliquando cum hospitibus, quando tales adsunt, &c. Possit autem similiter

II.  
Quid in de-  
fectu hosp-  
itis?

Abbatem abesse à refectorio, in mensa propria, etiam nullis hospitibus existentibus, satis expressit Innocētius III. capit. sepe citato cum ad Monasterium, vbi ait: *Ex indulgentia possit Abbas interdum aliquos fratrum, nunc hos, nunc illos, prout necessitas postulauerit, aduocare, ipsosque secum in Camera sua, melius & plenius exhibere.* Quod pro Cisterciensibus, ad verbum, inseruit Benedictus XII. in Bulla quæ incipit. *Fulgens sicut stella, &c.* Itaque vtrumque licet ex Regula.

III. *An cū omni hospite mēsa* Sed nunquid, quocumque hospite existente, tenetur ex REGVLA Abbas mensam cum illo habere? Minime gentium; sed selectum esse habendum; & ad id, vt Abbas sic occupetur, & mēsam, conuiuūque instruat, debere esse tales hospites, vt sensit Petrus Venerab. *vbi sup.* reputans indecens & incongruum, sine delectu & attentione personarum, cum quolibet mensam habere, & ita adiecit. *Talia statuta B. Benedicti, pro tempore, & personis, Abbati atemperanda permitti.* Quod & consuetudo in hoc semper obtinuit tum quia differentia honorificentia, iuxta qualitatem diuersorum hospitiū, impendenda, seruari non posset, ipsisque hospitibus quandoque iniuriosus honor sine delectu exhibitus, esset, & Regula ipsa *sup. cap. 53. ibi: Congruus honor exhibeatur,* disponit: tū quia, quoad fieri possit, refecanda est frequens à Cōuentu Abbatis absentia, quauis occasione, conformius ad Regularē ordinem, & monita Patrum, & pro nostra Obseruantia expressit Eugenius III. *tom. 2. nostrorum privileg. 10. num. 9.* inquiens: *Disponimus quod quicūque Abbas precipue Conuentalis, quantum po-*

*rent, semper comedat cum Monachis in Conuentu, propter honestatem: nisi quando sibi videbitur aliter expedire, precipue cum hospitibus Religiosis, vel alijs notabilibus personis, &c.* Quod si & aliqua maior limitatio, in aliqua Cōgregatione, sufficienti authoritate statuta sit, aut consuetudine firmata, iuste & sine REGVLÆ noxa retinebitur. Nam & ipsa, ex sua vi, in eo quod respicit indulgentiam, & commodum aut faustum Abbatis, sine culpa, imo & laudabiliter omitti potest, iuxta dicta in *Introduct. Artic. 10. num. 3. & Art. II. num. 5.* & in alijs locis notauit, ad capit. 53. &c.

Quantū verò cura hospitalitatis incumbat Abbati, satis manifestatur, tum ex dictis *cap. 53. & ibi num. 1. & 2.* & ex hoc capite, in vtroque enim S. Benedictus ita hospitaliter loquitur, vt totum Abbatem videatur hospitibus impendere; ipseque optimus illius discipulus Bernardus, *serm. 3. in Cant.* ipsum sermonem propter hoc abrumpit & breuiat, vt colligitur illis verbis: *Hi qui modo supernenisse nuntiantur, gratū cogunt rumpere, magis quam finire sermonem. Ego exibo ad hospites, ne quid desit officij eius, de qua loquimur charitatis, &c.* Ea tamen est muneris Abbatialis, obligatio, vt distract<sup>o</sup> in plura, integer videatur singulis prouidenter adesse, ita vt hæc faciat, & alia non omittat, suo tamen cuique rei seruato iure. Quod autem hic interuenit, aperui citato, *capit. 53. num. 2.* & in Prælato ea obligatio ex officio crescit, sed intra terminos charitatis & liberalitatis, nullo alio debito, vt pro Cisterciensibus declarauit. *Alexand. Papa III. tom. I. nostr. priuil. 30.*

III.  
Quæ hospitalis Abb.



## De Artificibus Monasterij.

## CAPIT. LVII.

TEXTVS.



**ARTIFICES** si sunt in Monasterio, cum omni humilitate & reuerentia, faciant ipsas artes, si tamen iusserit Abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur, pro scientia artis suæ, eo quod videatur aliquid conferre Monasterio, hic talis euellatur ab ipsa arte, & denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid vero ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi, per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur semper Anania, & Saphira, ne forte mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti vel omnes, qui aliquam fraudem, de rebus Monasterij fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem prætijs, non subrepat auaritiæ malum, sed semper aliquantulum vilius detur, quam ab alijs secularibus datur, ut in omnibus glorificetur Deus.

a Act. 5.

NOTÆ.

I.  
Illustratio  
textus, &  
obligatio.

**A**N REGVLA expressè admittat eos Religiosos, qui, nomine Monachi non intelliguntur, presse loquendo, vt sunt Conuersi laici; remitto ad sequens capit. num. 9. &c. sed in hoc, etiam si de artificibus loquatur, non inde conuinci, eos Religiosos, fratres videlicet non destinatos choro, admitti, me docet Declaratorium Regulæ Congregationis Cassinens. & etiam experientia; cum artificium non tollat destinationem ad Chorum, & artifices etiam eximios, Monachos simul & Sacerdotes agnouerim. Quare ad quoscumque Religiosos, aliquam artem exercentes, pertinet doctrina, vt cum omni humilitate & reuerentia faciant ipsas artes, & non sua voluntate, sed si iusserit Abbas, id est licentiam concesserit, cui humilitas in pretio, nõ ars. Quapropter si extollitur, &c. euellatur ab ipsa arte, ipsoque verbo euellendi, contra cuiusque scioli elati supercilium, exprimit indignationem. Addit verò: Si quid ex operibus artificum venundandum est, &c. Vt in venditione, aliquam fraudem non præsumant, imo potius quod, semper aliquantulum vilius detur, quam ab alijs

secularibus, &c. Hoc vltimum ex Regula sub veniali obligatorium reputo, ceteris paribus, quæ in re & eius venditione concurrunt: reliqua vero de humilitate habenda, aut fraude vitanda, ex lege ipsa charitatis, & iustitiæ, vim habent propriam, vt hæc ad primam, illa ad tertiam CLASSEM reducantur, prout in introduct. Artic. 6. & 8.

Notandum est tamen hic solum de operibus artificum statuere vt vilius dentur. De fructibus verò agrorum, alijsque prouentibus Monasterij, vbi non est artificium, sed res ipsa venditur, nihil disponit; & ego ad hæc, culpam non extenderem. Sed tamen sicut vilius in his vendere, ex REGVLA non adstringam, carius tamen quam seculares, cæteris etiã paribus, licitari, omnino ex ipsa detestabile credo, si cetera sint paria, nam tunc in pretio subrepat auaritiæ malum, & non in omnibus glorificatur Deus. Quod peccatum, ex scandalo, & iniustitia, si intercedat, pefandum est. A cuius vitij aspergine fugiendum est, Religiosis maximè, vt inclinent cor suum in testimonia Dei, & non in auaritiam, quam Græca voce, phy-

II.  
Limitatio  
venditionis.

phylargiriam, sub eo nomine, insectatur Cassianus, *lib. 7. institut. per totum*, & alijs sepe, & S. Basilii in *Constitut. Monach. capit. 35.* quos cum alijs pluribus locis S. Ephrem, congessit Gerardus Vosius, in *Scholio illius, de Monachis, & de Turture.* Verum de hoc vberè hic Commentatores, & vbiq; alij, quibus mores vitiaque insectati, propositum est, fermocinando.

## III.

Ex more antiqui Monachatus.

Aduertendum est, totum hoc cap. maxime ab antiquorum Monasteriorum consuetudine prouenire vbi nullus ab opere manuum immunis, & vbi operibus diuenditis victitabant, correspondetque *capit. 48.* Sic ex Regula S. Pachomij, *num. 161.* huius moris vestigium, dum ait: *Qui minister est, habeat studium, ne quid operis pereat in Monasterio, in nulla omnino arte, quæ exercetur à fratribus,* Cassianus, *lib. 10. capit. 22.* de laboribus, ait, Monachos se & superuenientes peregrinos, aliosque pauperes, per loca Lybiæ aluisse. Atque Hieronymus *Epist. ad Rusticum.* Monasteria Ægypti nullum, absque opere & labore, suscipere solita. In quo perpetui sunt, qui de illo Monachatu loquuntur, non habente vnde alias victum perciperet, & fere in totum laica gente constante, quæ nisi occupatione manuum distringeretur, diu vagans & otiosa esset, prout citato, *capit. 48.* dictum est, & maxime, *num. 14.* & *per totum capit.* Rationesque adductæ ad diuersam consuetudinem, & cessationem illius *capit. 48.* edem pertinent, ad cessationem, ex plurima parte, ordinationis hic contentæ. Quod vt cõstet declarabo quod in fine dicti cap. promissi, & ante *cap. 46. num. 4.*

## III.

Quæ opera & artes in Monasterio exercerentur?

Illud autem erat, quænam opera manuum fierent? Quasnam artes exercendas admittat REGVLÆ? Quæ officia? Nã solum generice hic proponitur, de *Artificibus,* & in *capit. 48. de opere manuum.* Colligam id vnde quaque. In Primis ex ipsa REGVLÆ, *capit. 66.* vbi desiderat: *Si possit fieri Monasterium construi, ita vt omnia necessaria, id est aqua, molendinũ, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ, intra*

*Monasterium exerceantur, vt nõ sit necessitas Monachis vagandi foras.* Ex hinc iam aliqua, & non pauca colligere licet, eũ se extendat ad omnia quæ Monasterio sunt necessaria, vt excusetur extra Monasteriũ quærì. Atque in his quæ exprimit, requirit intra, aquam nõ solum potui, & lotionibus aptam, sed ad molendinum, & horrũ conuenientem; & ad panem in pristino pinfendum. De horto autem & pristino dictũ est supra *capit. 46. nu. 2. & 3.* & in vtroque requiritur qui hortulanus sit, & qui panificus, sicut in molendino fariarius. In quibus & alijs officinis Monasterij, Monachos ipsos laborasse, ex REGVLÆ constat, & pro ea Concilium Aquisgran. *Can. 4.* decernens: *Vt in coquina, in pistrino, & in cæteris officinis, proprijs operentur manibus, & vestimenta sua oportuno tempore lauent.* Et quidem de istis alijsque operibus necessarijs domui, non est dubium; maxime quæ non exigunt propriũ, & peculiari arte instructum, & doctum artificem: sed exercentur indifferenter à quocũque, mediocri rei instructione præmissa. Ad alia enim plura se extendit REGVLÆ, requirementia peculiare artifices, quorum opera, etiam exteris, pretio venalia sint.

## V.

Ante S. Benedictum.

Ad quod si ex more antiquo, inde REGVLÆ textus desumitur, trahenda est declaratio, ante S. Benedictum, cõstat Ægyptios Monachos cistas, sportas, aliaque similia textorio opere confecisse, ex pluribus locis in Vitis-Patrum, & in Regula S. Pachomij, *nu. 39.* ibi: *Palmarum folia, vnde texuntur sportæ, nemo suo iure tollat, absque eo, cui palme sunt creditæ.* Atque Hieronymus, *Epist. ad Rusticum,* vel *fiscellam tæxe iũco, vel canistrum lentis plectæ vincinibus,* ibidẽque alia memorat opera dicens, *Texantur, & lima capiendis piscibus, scribatur libri, &c.* Et de arte scriptoria inter Monachos, Cassianus, *lib. 4. instit. capit. 12.* & seuerus Sulpitius, *dialog. 1. capit. 7.* de disciplina B. Martini circa fratres, ait: *Ars ibi exceptis scriptoribus nulla habebatur.* Latius Basilii

lius, qui in constituit. *Monast. capit. 6.* tradidit, quod opera illa cōsectari debeant *Monachus, quæ ipsius professioni idonea sunt, ubi, in corpore cap. & si præferat ea quæ manentibus intra tectum nobis, cōfici possunt, tamen non excludit. Si quando, sub dio aliquid administrandum sit, repellit autem omnia, in quibus, impostura suspicio est. Amplius vero in Reg. fusior. interrog. 38. quærit, cuius modi artificia professioni nostræ conveniāt? Ad quod præcipue respondet, ea videri, quæ cumque vitæ nostræ & quietem & tranquillitatem conseruent, quarum scilicet neq; materia magno labore quæritur, neque opera, magna sollicitudine diuenduntur, &c. & ad particularia descendens, admittitur ab eo, in telis texendis industria consuendorum calcæorum artificium, ædificandi ars, item fabrilis lignaria, ferrariaque, & agricolendi disciplina, per quæ ad similia potest elici extensio.*

VI.  
Post S. Bened.  
ned.

Quod si post tempora S. Benedicti requiramus, occurrit Petrus Damian. in *Vita S. Romoaldi, capit. 27.* ubi ait: *Faciebant omnes opera manuum, alij scilicet coclearia, alij nebant, alij retia necebant, alij cilicia.* Exprimit alia Petr. *Venerab. lib. I. Epist. ad Gesleberum,* ubi hæc: *Operum exercitijs vices alterna, ad purganda capita peccatines apta, thecas acuum subtili manu & docto pede torna, vascula vinaria, quæ insturias vocant, vel similia concavare & componere tertia si palustria prope sunt loca, matras antiquorum Monachorum opus componere, super quas dormias, &c.* De descriptione, quæ frequentior videtur fuisse occupatio, *Surius, rom. 5. die 6. Octob. in Vita S. Brunii, de suis Carthusiensibus,* ait. *Certis horis operi manuum, præsertim conscribendis libris incubentes.* De quo sæpe à me citatus liber *Vsuum Cisterciens. capit. 72.* ubi ait, *nullus ingrediatu. Coquinam exceptis scriptoribus, adliquefaciendum incaustum, & exiccandum pergamenum.* De quo præcipuo labore plura vt solet erudite congerit. *Hæstenus, lib. 9. tract. 2. disq. 4.* Cæterum ex prædictis alijsque artificibus, si

quos admitti nostris temporibus vidimus, sartores, barbitonfores aurophrigianos, scultores imaginarios, & alios huiusmodi non ad habitum Monachalem choro & altari destinatum admitti sunt, sed ad habitum laicorum conuersorum, quorum artificio & labore Monasteria vtuntur, in rebus ad se pertinentibus & necessarijs, nulla tamen antiquorum solita & necessaria lucra, ex diuenditis operibus, sectando. Ad quod prorsus cessasse dispositionem huius capituli, per subtractionem materiæ constat, quantum ad opera artificum veni danda; perseverat autem semper quantum ad obedientiam & humilitatem, quarum materia potior, & non deficiens, & semper colenda & recolenda, in excicio & artificio quolibet.

Sed & in his Religiosis Artificibus Conuersis, ad quos ea artium & officiorum manualium præcipua cura delata est: sub introducto iam, per seculares artifices, & operarios, ministerio plurium rerum, in minori & rariori numero conseruatur, quod ad materiam huius cap. adhuc, secluso venali artificio remansit. Nā licet in *REGVLA*, nulla *Conuersorum* mentio sit, tamen ea inuenitur ante foundationem Cisterciensium, vt non ipsis inuentum, quamuis Religiosum & sanctum, tribuendum sit. De quo, & quia adhuc Conuersorum nomen, non ab omnibus, eodem modo, acceptum est, breuiter explicabo, & quo ad rem *Conuersus*, de quo agimus, & quem nos eo nomine intelligimus, est, Religiosus professione essentiali verus, & solum a Monacho distinctus, in eo quod laicus sine ordinibus, & sine destinatione ad chorum sit: & quo ad habitum (quod accidentaliter est) sine cuculla & tonsura Monachali. Hoc pacto intelligimus eos de quibus, *Liber Exordii Cisterciens. capit. 16.* ait: *Diffinierunt se Conuersos laicos barbatos, de licentia Episcopi suscepturos, eos que in vita & morte, exceptio Monachatu, vt semetipsos tractaturos. Quos & numero plures, & ex eis sanctitate conspicuos*

VII.  
Conuersi qui  
sunt, & eorum  
antiquitas

exitisse, ex omnibus Magni Exordij Libris, atque ex Cesario, & aliis, manifestum est. De eis Calixtus II. cauet, ne quis conuersos laicos professos Cistercienses, ad habitandum suscipiat, scilicet in aliis Monasteriis, tâquã proprio firmiter astrictos prout, *rom. 1. pruil. 2. num. 3.* Et in genere de his Conuersis Alexand. III. in Capit. *Non dubium, de sentent. excommunic.* & distinguendo Monachos & Conuersos, idem in capit. *Parochianos, eod. tit.* & Bonifacius VIII. in capit. *per exemptionem, de Priuileg. in 6.* Et licet prædicta iura nouiora sint, quam Cisterciensium fundatio, tamen duobus etiam seculis antea, indicatur, in libro, de Veteribus Consuetudinibus, apud bibliothecam Floriac. Ioannis à Bosco, ubi, Capit. 2. Duoque Conuersi hinc inde, duos cereos baiulant, &c. Nam de Carthusiensibus, Petrus Venerab. Abbas Cluniac. lib. 2. de Miracul. capit. 28. ait, in quolibet Monasterio, duodecim tantum Monachos cum tertio decimo Priore, & decem & octo Conuersos perpetuo decreuisse, &c. Atque idem de suis Cluniacensibus, indicat, de illis, in statutis Congreg. Cluniac. stat. 48. ibi: *Hi qui vocantur familiares, hoc est, nec Monachi, nec Conuersi, &c.* & lib. 4. Epist. 18. ibi: *Epistolam vestram in capitulo lectã, tam literatis, quã illite-*

ratis, quos conuersos vocamus, ex possui: Quæ clarissima testimonia sunt ad rē. Igitur prædicti veri Religiosi, & tria (vt alii) vota profitentes, sunt qui proprie fratres laici & Conuersi, neque cū oblati, aut donati, qui vnum tantum obedientiæ votum, neque cum familiaribus, qui, si qui sunt, nullum emittunt, confundendi, prout confundit Ludouicus Miranda, *rom. 1. Manual. Prelat. q. 29. artic. 2. & alij.* Ad hos ergo Conuersos, in maiori, tunc numero quam hodie, reducta esse officia & artificia, de quibus agit REGVLÆ in præseti cap. præter contenta in citatis Exordiis Cisterci. ostendit opusculum, quod in Menologio Cisterciensi die 5. Iulij, profert Chrisostomus Enriquez, ex MS. Alnēsis Bibliothecæ, inscriptum S. Bernard. De cōuersatione laicorum Fratrum, &c. distinctum 16. capitibus, ubi: *Cap. 6. de Fratribus textoribus, capit. 10. de Fratribus tubulcis, cap. 11. de Pastoribus ouium, capit. 13. de sutoribus & pelliparijs, atque deinceps, de Furnarijs. De fulionibus, de fabris, &c.* In eo autē quod ex his remansit, aut simile in aliqua Cōgregatione perdurat, dispositio huius capituli, modo in eo & in similibus explicato, locum habebit, & seruari debet attenda consueta praxi ordinis, & iussione, aut permissione Abbatis.

VIII.  
Eorum institutio.

De disciplina suscipiendorum Fratrum.

## CAPIT. LVIII.

TEXTVS.  
S. I.

**N**OVITER veniat si quis ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus, sed sicut ait Apostolus, a probate spiritus, si ex Deo sunt. Ergo si veniens, perseverauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus, post quatuor, aut quinque dies visus fuerit, patienter portare, & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitiū paucis diebus. Postea autem sit in cella Nouitiorum, ubi meditetur, & manducet, & dormiat. Et Senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omninō curiose intendat, & sollicitus sit, si vere Deum querit, si sollicitus est ad Opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura & aspera, per que itur ad Deum,

i. Ioann. 4.

NOTA

Presbitero  
i. 18. di.  
venerab.

Deum,

Deum, & si promissit de stabilitate sua perseverantiam, post duorum mensium circulum, relegatur ei Regula per ordinem, & dicatur ei. Ecce lex sub qua militare vis, si potes obseruare, ingredi; si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit tunc ducatur in supra dictam cellam nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circulum, relegatur ei Regula, ut sciat ad quod ingreditur: & si adhuc stat, post quatuor menses, iterum relagatur ei eadem Regula. Et si habita secum deliberatione, promissit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in Congregatione; sciens se sub lege Regule constitutum, quod ei ex illa die, non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de sub iugo Regule, quam sub tam morosa deliberatione, licuit recusare aut suscipere.

S. II.

Suscipiendus autem in Oratorio coram omnibus, promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum, & obedientiam coram Deo & sanctis eius, ut si aliquando, aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat, quem irridet. De qua promissione sua, faciat petitionem ad nomen sanctorum, quorum reliquie ibi sunt, & Abbatis presentis. Quam petitionem manu sua scribat, aut certe si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, & ille nouitius signum faciat, & manu sua eam super altare ponat. Quam cum posuerit, incipiat ipse nouitius, mox hunc versum: *b* Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & viam: & non confundas me ab expectatione mea. Quem versum omnis Congregatio tertio respondeat, adiungentes, Gloria Patri, &c. Tunc ipse frater nouitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo, & iam ex illa hora in Congregatione reputetur. Res, si quas habet, aut erogat prius pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat Monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus: quippe qui ex illa die, nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebus propriis, quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterij. Illa autem vestimenta quibus exuitur, reponantur in vestiario conseruanda, ut si aliquando, suadente diabolo, consenserit, ut egrediatur de Monasterio (quod absit) tunc exutus rebus Monasterij proijciatur. Illam tamen petitionem quam de super altare Abbas tulit, non recipiat. Sed in Monasterio reseruetur.

NOTÆ.

1.  
Præsuppositum ad dicenda.

**P**LVRA cuoluenda & enodanda offert, presentis capit. materia, que hodie intelligenda omnia est, additis, vel detractis ijs, que postmodum, Apostolica autoritate constituta, vel in iure, vel in Concilio Tridentino, vel in nouioribus Constitutionibus extrauagantibus, inueniuntur, imo que & consuetudo, sicut in alijs, rite præscripta

introduxit. De quibus agunt authores Emanuel Rodericus, in tribus tom. 99. Regul. & Hieronymus Roderic. in eandem Compendio, Miranda, in Manual. Prælat. Thomas Sánchez, tom. 2. summ. Suarez, de Relig. tom. 2. & 3. & post alios nouissime Ascarius Tamburinius, triplici tom. de iure Abbatum, &c. Hoc autem præsupposito, expeditius lustrabi-

bimus literam, & opportunas adijciemus NOTAS, dispositioni REGVLÆ, quæ consona valde est Cassiano, lib. 4. de instit. cap. 3. & 32. & 33. & collat. 20 cap. 1. & similiter Basilio, in Regul. fustior. 10. vbi de probatione & de lectu suscipiendorum agit, & alijs antiquis Patribus, quorum non despexisse, sed accurate & sapienter inspexisse sancta vestigia, quæ adhuc aptius pro Dei munere etiam sancte atq; expressius præberet nobis, credendum vbilibet est.

II:  
Difficultan-  
dus ingres-  
sus qualiter.

Atque in primis, circa illud. *Non ei facilis tribuatur ingressus, &c.* Requirit potest, num transgressor REGVLÆ sit, qui non solum petenti habitum facilliter annuit, sed & non petenti suggerit, suadet, inuitat? Reor non esse: dummodo post catechizationem sanctã, & inuitationem charitatiuam, ad meliorem viam capeffendam, exploratio sufficiens animi fiat, illum serio maturé, & spontanee, amplecti propositum insinuatum ei, & austeritatibus, verbo & opere experiendis esse paratum. Nã illud prius, de consilio & suassione ad vitam religiosam, cuiusque licere, debito & sano modo, doctrina est D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 9. cum alijs. Posterius vero est quod REGVLÆ intendit, vt non temeré & leuiter, tantã vitæ mutationem quis ineat, aut absque aliqua prudenti animi exploratione recipiatur, prout aduertit S. Basilius *serm. de Abdicatione rerum.* Nam & temporum tepori, aliquid est dandum; ne rari, iam viam arctam ingredi tentantes, deterreantur, difficultatibus cū rigore obiectis. Ad quem, iuxta exigentiam circumstantiarum, hodie temperandum, vt iam consuetudo fert, admitto plura, ex ijs quæ adducit Petrus Mauricius Venerab. lib. 1. epist. 28. vt defendat quod *ad se venientes aliquando sine mora susciperet ad Monachatum.* Licet in eo quod extendit, de omitendo anno probationis, sine Regulæ præiudicio, etiam eo tempore, cum non erãt sanctiones Apostolicæ & Concilij, quæ nunc vrgent, minus efficaciter de-

fendatur, vt statim dicam, num. 4.

Sed ad concessum iam Nouitii ingressum, ait textus. *Postea sit in cella nouitiorum, vbi meditetur, & manducet & dormiat, &c.* Nota ergo diuetsitatem temporum: nam in præfenti, nunc in Capitulo, exiit iuuenis nouitius propriis vestibus, induitur Monasticis, & incunctanter tondetur. Quorum nihil tunc; sed ab hospitio in quo seculari habitu erat, in eo, & sine tonsura, transferebatur ad Nouitiorum cellam sub deputato eorum Magistro, regendus & instruendus, vt scilicet, ibi: *Meditetur*, id est, se in omnibus exercent, iuxta explicationem, quam dedi, cap. 8. num. 14. Et *manducet*, quod iam non nisi in refectorio communi sit, tametsi seorsum, & nullo intermixto professio. Idque in nostra Congatione, propter hunc textum, ( vt reor ) dispensante Eugenio III, tom. 2. priuileg. 10. num. 17 vbi ait: *Dispensamus, quod comedant nouitij, seorsum in refectorio à professis,* quæ tamen consuetudo videtur vbi que iam satis, & rationabiliter introducta, tãdem & *dormiat*, quod & semper fit, vbi domus nouitiorum exædificata est seorsum, aut saltem designata, prout dormitoriorum ædificia ferunt, sub speciali Magistri cura. Notata vero de non tondendo nouitio, tetigi ad cap. 1. num. 16. & de retinendo habitu seculari, num. 14. remissi in hoc cap. ex eoque vtrumque probabitur infra num. 17.

Deinde textus iubet, ter legendam esse Regulam Nouitio, durante tempore nouitiatus, designans spatia lectioni, vt primo sit: *post duorum mensium circulum*, secundo, *post sex menses*, tertio, *post quatuor.* Ex quo manifestè annus integer probationis, ex REGVLÆ ipsa constat, quem nouissime statuit Concilium Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 15. addens præcissam necessitatem, cum circitatione professionis aliter factæ, & cætera requisita, de quibus authores, num. 1. citati. Nam quantum ad annuæ probationis consuetudinem, antiquissimum est indicium apud S. Ephrem

III.

Mos diuersus nouitiorum.

III.

Annus integer probationis.

Sy-

Syrus, D. Basilio coeuum, tom. 2. *Pa-  
renesi*. 17. vbi de fratre transituro a Ca-  
mera Nouitiorum ad interiorem do-  
mum Monachorum, ait ei: *Frater dig-  
nus es habitus sancto indumento monas-  
tico, ne extollaris aduersus expectantes  
in futurum annum*. Atque in idem,  
Smaragdus adducit verba cuiusdam,  
quem ipse supresso nomine vocat,  
*Antiquum Monachorum Magistrum*,  
qui ait: *Si ergo cum ceteris fratribus in  
culpabiliter in Monasterio integrum an-  
num impleuerit, tunc demum sine aliqua  
dubitatione tondeatur, vel sancti propo-  
siti vestes mutentur*. Quæ duo testimo-  
nia, simul tibi prolata sint, anteceden-  
ter ad id, quod nuper, de habitu & tō-  
sura, remissi probandum infra num. 17.  
Coeterum de anno probationis & si  
varietatem fuisse ante S. BENEDIC-  
TVM suadet confusior de hac re Re-  
gula S. Basilij, *in fustioribus* 10. tamen  
noster S. BENEDICTVS clarè tempus an-  
num expressit in textu presenti, cu-  
ius Regula memorata, idem statuit A-  
lexand. 2. cap. *Gonsaldus* 17. *quæst. 1. re-  
ferens idem statutum à S. Gregorio Pa-  
pa*. Atque *regulariter constitutum*, testa-  
tur D. BERNARDVS, *epist. 3. utique com-  
muniori vsu, nam aliquando extensum  
fuisse tempus probationis, suadent iu-  
ra adducta sup. cap. 1. num. 14. & 15. iam  
vero (vt dixi) immobilem Benedicti-  
næ Regulæ annum, Concilium modo  
dicto stabilivit, & omnis Religio te-  
net*.

V. Quantum ad iniunctum legendi RE-  
GVLAM, ter in anno Nouitijs, infra etiã  
cap. 66. absolutè iubet, inquit. *Hanc  
autem Regulam, sæpius volumus in Con-  
gregatione legi, ne quis fratrum se de ig-  
norantia excusseret*. Imo & auxit in hoc  
curam Concilium Aquisgr. *Can. 2. dum  
ait: vt Monachi omnes qui possunt, Re-  
gulam memoriter discant*. Cuius decre-  
tis, licet nos non teneamur, iuuamur ta-  
men illis, ad eliciendum verum sen-  
sum REGVLÆ, cuius obligatione vr-  
gemur, illam professi. Et secluso ipsius  
peculiari præcepto, ex generali cuius-  
que status obligatione nascitur; quæ

vnumquæque adstringit, ad sciendum  
legem, quam tenetur seruare. Nam si-  
cut qui Christianam fidem profitetur,  
præcepta Christiano seruanda sub mor-  
tali, sub eadem obligatione scire tene-  
tur, cum non possint ignorata seruari;  
sic & Monachus suæ professionis le-  
gem, sub simili obligatione, quantum  
ad ea quæ essentialia, & ex genere suo  
sunt obligantia sub mortali, ex vi pro-  
prij status. Atq; in ipso præcepto, quo  
quis ad aliquid tenetur, ex suo statu  
aut professione faciendum, includitur  
par obligatio sciendi illud, sine quo id  
exequi non potest. Ad quod propor-  
tionaliter valent rationes, quas addu-  
cunt Authores, in exemplo adducto de  
obligatione Christiani, de quibus Tho-  
mas Sanchez, cum plurimis ab ipso ci-  
tatis, *lib. 2. summ. cap. 3. à num. 10. cum  
seqq.* Est enim par ratio, loquendo de  
substantialibus & grauiter obliganti-  
bus, vt de tribus votis, de diuino Offi-  
cio persoluendo, &c.

Cætera autem, quæ venialiter tan-  
tum obligant, nescire; distinctionem  
habet. Nam si in his, aliquis totam ig-  
noraret REGVLAM, hunc comparo cū  
eo, qui animo destinaret nullam REGV-  
LÆ obseruantiam custodire. Quia etiã  
si has aut illas non obseruare, veniale  
fit, at nullas seruare, inducit perturba-  
tionem maximam in vita religiosa; ex-  
ponit Monachum periculo transgre-  
diendi substantialia & vota; & habet  
insuper amplius, ex ignorantia quam  
qui sciendo REGVLAM, ipsam transgre-  
ditur, quia per ignorantiam adimitur  
principium obseruandi eam. Qua fere  
ratione, Seneca, *lib. 3. de benefic. dixit,  
ingratissimum omnium eum, qui oblitus  
est beneficij, & rationem reddit*. Quia  
*hic nunquam fieri potest gratus, cui to-  
tum beneficium elapsum est*. Ita ergo cui  
tota Regula secundum quam profite-  
tur, quis conuersionem morum suorū  
à memoria seu notitia abest, nūquam  
fieri potest, eius obseruans, & talis ca-  
sus, lethalis est, argumento eorum, quæ  
trahit citatus Sánchez, *lib. 6. summ. ca-  
pit. 4. num. 18. tametsi casus tantæ igno-  
rantie*

VI.

Ignorantia  
leuium quæ  
lethalis?

rantia omnino metaphisicus videtur, nec dabilis in Monacho. Attamen vt hic & alius quilibet ignorantia casus vitetur, nec vlla cuique patrocinetur ignorantia, iubet lectionem REGVLÆ sepius iterari. Hoc autem præceptum satis videtur impleri, tam quoad Nouitios, quam quoad professos, in eo quod per annum, quotidie legitur vnũ capitulum REGVLÆ, ad modum, quem etiam præbuit Concilium Aquilgran. *Can. 69. inquit, vt ad Capitulum, primitus Martyrologium legatur, & dicatur versus, scilicet, Præiosa, &c. deinde Regula, &c.* Quo pacto, quater & amplius in anno, legitur conuentualiter, vbi cum etiam adsint Nouitii, vtrumque præceptum completur. Qui vero ab hac lectione alienus est, prouideat sibi, iuxta superius notata, congruam legis notitiam, cui se tam solemniter religauit: hæc enim obligatio, conditione status posita, ex iustitia cõsurgit, prout dictum est in *Introd. Art. II. num. 12.*

Anno igitur, iuxta REGVLAM, cum eius intimatione trina, transacto, de perseuerantia rogatur Nouitius, procedit ad professionem, cū promissione eius & acceptatione Conuentus, quam insinuat, ibi: *Tunc suscipiatur in Congregatione, sciens se sub lege Regula constitutum, &c.* & cuius professionis modum subiungit inferius, ad quam anticipatiuè ista dicuntur, per hystero proteron. Nam quæ, durante nouitiatu, ait: *si promissit, si steterit, &c.* non voti exactio, sed propositi tentamenta sunt, vt alias iam dixi (cum Antonino 3. p. *summ. tit. 16. §. 7.*) *sup. in introduct. Artic. 8. num. 15.* Voueri autem ab antiquis Monachis ante secula S. Benedicti, certum esse constat, ex Augustino, *serm. 27. & 60. alijsque ad Fratres,* & ex Basilio, in *Constitut. Mon. cap. 22.* & expressius, in *Regul. fusiior. in 14. & 15.* tamen in eis, non loquutum de Monachis, sed de Virginibus segregatis profitentibus, teneat Balsamon Antiochenus, in *Commentar. Epist. Basilij ad Amphilochiũ,* & ita apparet, ex Re-

gulla illa 15. ad finem. Veruntamen in *prædicta Epist. Can. 19.* id de vtrisque constat: & ex pluribus quæ congeffit Petrus Crespetius in *summ. Cath. Verit. verbo Professio Monachorum,* & verb. *Votum,* quamquam ex eis plura non sint ante S. Benedictũ: Sed accessit antiquitatis, in hoc probator Franciscus Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 6. capit. 1. vbi* & eandem professionem, quæ in Viris, etiam in fœminis, nomine Veli cõprehensam, pluribus citatis, docet & acceptationem ad professionem pertinere, *ibid. capit. 2. num. 6.* Sed & hanc veri & triplicis voti Religiosi antiquitatem, non solum ad Apostolos Christi: Sed ad veteris Testamenti sub Elia Profeta relatam, iam Authorem suo modo bene instructum habes citatum, *sup. ad capit. 1. num. 6.*

Sequitur autem modus, & forma professionis, ibi: *Suscipiendus in Oratorio, id est Ecclesia, coram omnibus promittat stabilitatem suam, &c.* de quibus egi in *Introduct. Artic. 7.* quæ non sunt hic repetenda. Adijcit vero ceremonias, vt de *promissione faciat petitionem, id est chartam, & instrumentum, scripto continens professionis votum, ipseque Nouitius, signum faciat.* Scilicet *crucis, ad calcem scripturæ cum calamo & atramento, quod cum sequentibus ceremoniis, omnino fit.* Quod vero aliqua apud aliquas Cõgregationes adiectæ sint, aut iuxta proprias cõsuetudines aliquialiter commutate, nõ improbo, nec REGULA respuit, iuxta dicta in *Introduct. Artic. II. num. 10. & II.* Ait interea: *Quam petitionem manu sua scribat, aut certe si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat.* Hoc vero, de subscriptione signi Crucis non dicit, quia tale signum † à quouis scribendi ignaro formari potest; sed de professione scripta, in qua subrogati operam admittit. Atque scripturam in professione Monachorum requisitam, tenet Concilium Tolet. *10. in cap. omnes 27. quæst. 1.* Veruntamè iure communi necessariam non esse, docet Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 6. capit. 12. num. 3.* &

VIII.

Forma professionis.

Lectio ex Regula sufficiens.

VII.  
Professio, acceptatio, & votorum emissio, antiqua.

ita

ita id solum ex præscripto REGVLÆ est, & non omittendum, etiam si inde, nõ sub graui obligatione, sed tertie Classis fit.

IX.  
Dubium de  
laicis Reli-  
giosis.

Est tamen circa prædictum textum, annotatio cuiusdam Benedictini Patris Ioannis de Robles in Regula, quã Hispanè tradductam excussit, hinc elici, a B. Benedicto approbari & admitti, vt recipiãtur Religiosi laici, quia ait, *si nõ scit literas, &c.* Quod breuiter annotatum ab eo, sed penitus in discussum. Et ego rem non nego, arbitrorq; REGVLAM, omnem conditionem amplecti, quæ enim diuites & pauperes, nobiles & ignobiles, senes & infantes recipit: etiam literatos & illiteratos nõ recusauit, cum sciat se sapientibus & insipientibus debitorem. Atque forte casus omissus. Quæ autem omissa sunt, non ob id contra REGVLAM esse, sunt dicenda; aliud est enim in Regula aliquid non præcipi, & aliud in Regula prohiberi. Quod etiam infra *num. 12. & 13.* notabo, pro Monialibus Religiosis foeminis, quarum in REGVLA mentio nulla, sed altum silentium; cum tamen deuotio foeminei sexus, in antiquitate, non cedat virili pietati, quoad regularem vitam, & tamen necesse nõ fuit esse expressionem in REGVLA, de illis sub ipsa admittendis, vt ex dicendis constabit manifestè.

X.  
Distinctio  
laicatus.

Interim, aut prædictus Author loquitur de Monachis laicis, id est nullo ordine initiatis. Et de his etiam si literas scirent, quam plurimi fuere Laici, imò, & antiquitus, rarus qui ordinaretur; quod sepius in hoc opere probauimus, & semel satis ad id, protulit Antonius Yepes, *tom. 1. ad annum 532. capit. 5.* talesque sine notatione prædicta, omnino recipiuntur a REGVLA. Imo & secundum hoc, moderandum est, quod ait Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 3. capit. 3. n. 9.* Monachorum Ordinem, ex institutione sua, non fuisse pro Clericis, sed pro laicis. Moderandum inquam est; nam Religiosi status institutio, substantialiter, & essentialiter, vna & eiusdem rationis fuit in omnibus, vt ipse fatetur,

Suarez mo-  
derandus.

ibid. *capit. 4. num. 2.* atque sane indifferenter ad omnes, a Christo, diuino iure consultino, emanauit. Fuit autem primum in Clericos exercita, quia Apostoli primo laici, ad statum illum vocati a Christo, Clericatu, & Sacerdotio initiati sunt. Postea vero Clericatus raritate extante, & multitudine eorum, qui inter ceteros fideles, ad religiosi status perfectionem cõfluebant, exarscente, necesse fuit, laicis vt plurimum constare, id est nõ initiatis Ordine Sacramentali, tamen choro destinatis: & ex quibus pro more temporum, ad ordines assumerentur, & taliter ad id per Monachatum dispositi, vt ipse Monachus, appelletur etiã Clericatus aliquando, modo dicto, sup. *ad capit. 1. n. 23.* Quapropter institutio illa Monastica, longe est a laicatu isto qui prout nunc, in Religionibus inuenitur, in illiteratis & ineptis choro. Vnde licet Monachus per se non fuerit institutus pro Clericis, non recte dicitur institutus per se pro laicis, fuit enim per se institutus pro omnibus, a seculari vita recedentibus, nulla conditione Laicatus, vel Clericatus exclusa, eoque modo REGVLA condita est a S. BENEDICTO, vt hic, & alijs locis constet, *cap. 60. & 62.* Et iuxta hæc corrigendus est Gabriel Pennotus, qui *lib. 2. Hist. Cleric. Can. capit. 18. num. 4. & 7.* similiter excessit.

Aut loquitur ille Author de Monachis a choro exclusis, quos nunc *Fratres laicos*, aut *Conuersos* nuncupamus, de quibus dictum est, *capit. præced. n. 7. & 8.* & de his non videtur conuinci omnino ex illis verbis, *si non scit literas, &c.* Primò: Quia ibi non loquitur de omnino ignorante literas, sed de nesciente scribere. At ego nescientem scribere noui, qui tamen legere, & loqui Latinè optimè sciebat, & ferè sic, in Religiosum Monachum tonsuratũ. Atque in monialibus optimè admitti potest ad chorum & velũ, puella scribendi nescia, legendi bene perita, & in Monachatu antiquo REGVLÆ, etiã destinatis ad chorum, nil amplius opus erat.

XI.  
Distinctio  
alia laicorũ.

erat. Secūdo: Quia ex cap. sequenti cōstat ad Monachatum choro destinātū, recipi pueros, etiam cum professione, certo modo factas; quo tēpore, vt pote in tenera ætate, literas nesciebant, in quibus erant postmodum instruēdi: & idem posset esse de profitenti in anno pubertatis, vt cōstabit eo loco. Tertiō: Quia in tota REGVLÆ nulla fit distinctio, à Monachis de Conuersis, cū occupatio professionis maxime sit diuersa; sed in officio diuino, in operibus manuum, & lectione, semper idem indifferenter disponit & ordinat. Ita quidē vt non solum hinc, sed ex tota REGVLÆ, tāquā cōditionalia sint accipiēda verba eius, quæ licet nō præcipiant, nō tamē prohibeant casus omissos, aut non expressos: sed eis, iuxta capacitātē subiectōrū, aptanda & proportionanda sint.

XII. *Resolutio du-  
by de Conuer-  
sis.* Qua propter licet *Conuersorū* huiusmodi, aut Religiosorum ex professione laicorum, omiserit specificare Classē, & similiter *foeminarum Sanctimonialiū*, quæ magis distant, non meminerit; relictus tamen est locus inflectendi ordinata per REGVLÆ, ad capacitātē personarum, vel sub diuersa conditione, vel sexu, ad regularem vitam adueniētium. Nam licet de eis nihil expresse determinauerit, dum tamen nihil expresse in contrarium prohibuit, tacitē acceptasse videtur, vel saltem illis generalibus verbis, quibus in Prologo alloquitur, sine distinctione, ad quemlibet: *Quis quis abrenuntians proprijs voluptatibus, Christo vero Regi militaturus, obedientie arma assumit.* Atque ita eadē, quæ sine distinctione omnibus statuitur REGVLÆ facta distinctione, intelligentia accōmoda, diuersis generibus personarum deseruit. Sic non defuere, qui existimarent, imo & nouissimē *Bened. Haesten.* lib. I. tract. 5. disq. I. cum alijs existimat, S. Augustinum, solummodo eam Regulam Religiosam edidisse, quam ipse *Epist.* 109. foeminis sanctimonialibus scripsit: & eam postea viros, ablatis quæ non conueniebant, sibi accommodasse. Et licet hoc, cōtra censurā *Erasmi*, qui audaciter se exten-

derat, vt inde vim votorum in illis eleuaret, erudite à calumnia vindicet olim *Antidotus* illa *Richardi Cœnomani*, quæ in fine, tom. 2. habetur, tamen siue primo, aut vnice Monachorū, siue Monacharum scripserit Regulam: per eam quam secundo scripsit, aut transcripserunt alij, aptam accōmodationē eiusdē Regulæ, ad diuersitatem personarum, edocemur bene fieri, & nō solum eius, sed & aliorū Regulas, viris ac foeminis fuisse communes, inconfesso est.

Hinc ergo, cum nichil de foeminis statuerit expresse *B. BENEDICTVS*, nō reputatum est contrariū ei, eas ad Monachatum sub eius REGVLÆ admittere, & ab Abbatibus, vel Episcopis in Superioritate dependere, quorum Monasteria in immēsum multiplicata sunt. Nec potuit *Sactiss. Pater*, ab hoc instituto abhorre, nam sic recte *Suarez*, to. 4. de *Relig. tract.* 9. lib. I. c. 10. n. II. Religiosam vitam, & Monasticam, pro viris, & pro foeminis, eadem antiquitate exortam colligit, & ita *B. BENEDICTVS* antiquorum vestigia, quæ premeret, habuit non pauca. In *Regula S. Pachomij*, §. 82. de *Puellarū disciplina*, aliqua de hoc disponit. *Palladius*, in *Vita Aphthonij*, sub *Pachomij* *Regula*, fuisse trans Nilū Monasteriū, quadringentis non minus foeminis, habitatum refert. *Basilius* etiā locis notatis *sup. nu.* 7. & in *Regul. breuior.* à *Reg.* 108. vsque 112. & inter pœnas, designat vnde viginti, *aduersus Canonicas delinquentes.* Vt omittam quæ adhuc anteriora sunt, à temporibus *Apóstolorū*, à quibus *Virgines* velis cōsecratas constat, vt à *Petro*, *Paulo*, *Mattheo*, de quibus *Abdias Babylonij*, lib. 3. certaminis *Apost.* & 5. & 7. *Eusebius Cesar.* lib. 3. de *demonstrat. Euāg.* cap. 8. *Ambros.* lib. 2. de *Virginib.* *August.* lib. de *moribus Eccl.* c. 31. *Hieronymus Epist.* 22. & 27. & alij plures, quos congerunt *Polidorus Virg.* lib. 4. de *inuentor. rerum capit.* 13. & *Petrus Crespetius*, *summ. Cath. verit.* verbo *Monialis virgo.* Et denique ipsius *S. BENEDICTI* praxis, colligitur, ex lib. 2. *dial. D. Greg.* semel, capit. 23. de *Sanctimonialibus foeminis*, &

XIII.

*Idem de Monialibus, & earum antiquitas.*

iterum *capit.* 33. ubi ipsius Sororem S. Scholasticam sepe Sanctimonialē appellat, atque in Monasterio Plumbariolæ, prope Cassinum, sub fratris directione vixisse, traddunt Authores. Indeque vbertim agmina Monialium, sub hac REGVLA, militauerunt. Pro quo non semel, Mag. Iacobus Ferragius, in *Annotatiunculis ad Regul.* ubi *capit.* VI. temeritatis arguit, oppositum sentire. Ac denique dum videmus equitum Militias hanc REGVLAM profitescentes, nec ab ea respui, quid de alijs dubitari potest?

XIII. Sequitur in textu: *Res si quas habet, Dispositio de aut erogat prius pauperibus, aut facta solum nouitij lemni donatione, conferat Monasterio.*

Cum dicit prius constat hoc ante professionem fieri, & hodie quo tempore, & qua sollemnitate faciendum est, decreuit Concilium Trident. *Sess.* 25. de *Regul.* &c. Nota autem hic distributionem rerum solum, aut *pauperibus*, aut *Monasterio* designare, & recole D. Basilium in *Regul. fassior.* 9. hoc stricte tractantem, vt illud *Marth.* 19. de *pauperibus*, a sequituro Christo adimpleatur recte: Veruntamen qui nunc iuxta REGVLÆ obligationem discurremus, consequenter sentire debemus, ex illa, ad nullam culpā teneri Nouitium, si aliter de suis rebus disponat, cū hæc actio ante professionem sit, ante quam, transgressor Regulæ non est, si aliter faciat: nec culpam incurrere potest ex lege qui nondum obligatur. Tametsi conformari & in his antecedentibus, procurare debeant ij, quorum est dirigere professuros.

XV. Addit verò: *Nihil sibi reseruās ex omnibus.* Ex quo censent aliqui, omnino esse cōtra REGVLAM, Nouitium, qui de bonis suis disponit, aut testatur, non posse reseruare aliquid, pro libris cœmendis, alijs ve necessitatibus, sub omnimoda prælati subordinatione & licentia, cum tamen admittant, Monachum, ab alijs sibi eo modo legata, percipere posse. Mihi tamen in vtrōque eadem videtur paritas, & solum habere repugnantiam cum REGV-

LA, quatenus omnimoda abnegatio dominij, & dependentia a Prælato, tam in substantia, quam in vsu rei, ex voto obligatoria est Monacho. Neque ea verba textus aliud continet, vt ex ratione statim adiuncta patet: *Quippe qui ex illa die, nec proprij corporis potestatem, se habiturum sciat.* Ita ergo prohibet reseruari aliquid, in quod potestatem, hoc est aut dominium, aut liberum vsu habet. Qui modus reseruandi remouetur à REGVLA, & obligat in quacumque re etiam ab alio relicta, sub piaculo voti, vt ex eius communi doctrina, suppono, de paupertate Religiosa, prout à nobis vouetur.

Cæterum in eo modo, quo forte practicatur, vsus horum reddituum, siue à se, siue ab aliorum legatis, proueniētium, vt quasi sibi debitam licentiam æstimet subditus, & Prælatus liberam dispositionem vereatur, nisi sub alterius superioritate & ordinatione sit; à puritate & simplicitate Regulæ recedere certum est, vt vbique Monasticæ institutiones clamant. Et in hac existimatione & praxi, remouendum esset omnino: ne vel sic eueniat sententia D. Basilij Cæsariensis, quæ refert Cassianus, *lib.* 7. *capit.* 19. de diuite, sibi aliquid in Monachatu reseruante, & *Senatorem perdisti, & Monachum non fecisti.* Insuper recedit à dispositione Concilij Trident. *Sess.* 25. de *Regul.* *capit.* 2. quod talia non admittit: nisi cum totali dependentia à voluntate Prælati, & omnimoda indifferentia subditi, alijsque limitationibus, de quibus Suarez, *tom.* 3. de *Relig.* *lib.* 8. *capit.* 15. ac alij rem ex professio tractantes.

Deinceps textus ait: *Mox ergo in Oratorio, exuatur rebus proprijs, quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterij.* Hinc manifeste patet quod de habitu seculari, retento in Nouitiatu, diximus; & consequenter, de tonsura Monachali, dilata ad tempus profrendi, de quo sup. *Cap.* I. *num.* 14. & 16. & hoc *capit.* *num.* 3. nec enim in seculari veste tonsuram deferre Monasticam decebat. Atque in vtriusque probationem

XVI.  
Carpitur praxi eōtraria.

XVII.  
Habitus Monasticus, & tonsura in professione.

nem, cum nostro textu consentientem dedi sup. num. 4. duo anticipata testimonia. Quibus adde Cassianum, lib. 4. institut. capit. 5. qui de vestibus, ait: *In concilio fratrum productus in medium exuatur proprijs, & per manus Abbatibus, induatur Monasterij vestimentis, &c.* & ita docuit Azor, tom. 1. lib. 12. capit. 2. varijs, ex hac obseruatione explicatis iuribus. Atque de utroque discretè Concilium Aquisgranens. Can. 34. *Ut nouitius expleto probationis anno, secundum quod Regula præcipit, inde faciat, ipse vero non tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat, scilicet per professionis emissionem.* Et ita ea verba Dionisij, capit. 6. *Ecclesiast. hierarch.* Scilicet, *Sacerdos signo crucis consignatum tondet, omnique veste detracta, eum alia induit,* de professione intelligit Suarez, tom. 4. de Relig. lib. 1. capit. 5. num. 1. & ad rem melius, quam id quod ex eodem notabamus, sup. capit. 1. num. 15. Atque de consuetudine adhuc, temporibus posterioribus, perdurante, præter testimonia adducta, ibidem num. 16. facit etiam D. Bernardus, *Epist. 1. ad Robertum* cui scribit dicens: *Post annum sponte professus, tunc primum seculari veste reiecta, Religionis habitum suscepisti.* Attamen iam nunc ex lege & ex antiqua consuetudine, quæ vim legis obtinuit, habitus Regularis susceptio, est de substantia probationis annuæ, ad Religionem requisitæ, ut eum communi tenet Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 13. num. 3.

XVIII.  
De vestibus  
nouitij quid  
seruet.

Denique ait: *Illam autem vestimenta quibus exuitur, reponantur in vestiario, &c.* Sed ad quid (dices) custodienda sunt vestimenta eius, qui per professionem, tota vita, se Monachatus, & Monasterio mancipauit? Scilicet facilius tunc recalcitratio, nec forte tot repagulis cohibita audacia præuaricantium, & etiam frequentior discolorum eiectio, ut constat, capit. 28. & 29. & alijs locis, ubi expulsionem minatur REGVLÆ, etiam in Decanos Monasterij, capit. 21. etiam in Præpositum ibi, & ca-

pit. 65. &c. Benè: sed essent ne corrodenda tinea vestimenta, & vsque ad mortem Monachi expectandum? Non sane, sed vsque dum maior quadam moralis haberetur certitudo, de illius stabilitate, & congruum experimentum fieret, non eos esse eius mores, de quibus timeri iuste posset, fore ut propter eos, esset a Monasterio deturbandus. Quod optime ad rem adstruit Cassianus, ubi sup. capit. 7. inquit: *Et si quidem perspexerint, in eodem quo cepit feruore persistere, indigentibus eadem vestimenta largiuntur.* At verò iam postquam Nouitius tempore, Regulari habitu induuntur Nouitij, & facta professione, adeo præclusa est via retrocedendi Monacho, & arctata potestas liberior eiectionis à Monasterio, ut vidimus capit. 28. à num. 3. asseruatio vestium solum vsque ad professionem fit, quæ omnino firmat experimentum perseverantiæ, nec aliud iam ex obligatione REGVLÆ necesse est expectare, prout & nuli expectatur.

Quamuis præcipua Nouitiorum instructio, ipsa sancta REGVLÆ sit, sæpe ob id recolenda, ut in ea iubetur, & viua efficacique prudentis & spiritualis Magistri doctrina, & manu ductio, atque Religiosæ Congregationis exemplaris conuersatio & vitæ tamen adhuc, de ipso argumento, extant scripta opera, quæ adiumento esse possunt, quorum, longum esset cathalogum recensere. Pro nostræ Congregationis Nouitij breuiculam, sed totam ex D. Bernardo desumptam, instructio nem concinuit Fr. Froilanus Vrosl Monachus, & tunc Abbas Hortensis. Latissimam & copiosam, duobus gradioribus tomis, complexus est, Seruatius Lairuelz Præmostratensis. Aptam & (ut solet in alijs) bene instructam Bened. Haestenus, lib. 6. *disquis. tract. 3.* Optimam etiam, pro illis, admonitionem exhibet Cardin. Petrus Damianus, *Opusc. 13. de Perfect. Monach. capit. 22.* Qui plura alia, tum conformiter ad Regulam S. Benedicti, tum ex

XIX.  
Doctrina no  
uitiorum re  
missiue.

Regula declarat, tam ibi, quam *Opusc.* 10. de *Horis Canon.* & lib. 6. *Epist.* 12. ad *I. Abb.* & alijs locis. Quam tamen licet Constantinus Caietanus, in eius editione, Monachum S. Benedicti inscribat, & alij censeant; ego id non satis probatum existimo. Quod quia *capit. 1. num. 8.* insinuauit, & ad hunc locum remissi, oportet me præstita fide liberare, vt in fide aliorum remaneat.

XX.

Card. B. P.  
Dam. nō fuit  
Benedicti --  
nus.

Quod autem prædictum Card. Pet. Damianum forte alienum à Regula & professione S. Benedicti iudicem, ex ipso testimonia producenda, me compellunt; vnum est ex præcitata *Epist.* quæ in prima editione est 100. vbi cū obiectum esset ei, quod contra dispositionem S. Benedicti, in sua *Reg. capit. 61.* suscepisset Monachum alterius Monasterii, sine consensu sui Abbatis; denique post alia concludit, se illius Regula non teneri; *Sicut enim (ait) nobis in eremo videlicet constitutis, nihil B. Benedictus, vt exequeremur iniunxit, ita vt caueremus, nihil omnino prohibuit.* Deinde *Opusc. 13. de Perfect. Monach. capit. 13. & capit. 6.* profert ea quæ adduco ad *cap. 37. Reg. num. 3.* quæ cum ijs infra *hoc num. citatis*, omnia imperfectionem nostræ Regulæ sonant, & inuehitur, tametsi sancte, in eos qui suū institutum perfectius non amplectuntur. Atque vbi que se suosque, cōceptis verbis, vocat *Eremitas*, vt constat ex toto *Opusc. 15. De sua Congregationis institutis*, vbi eos ab alijs Monachis distinguit, non solum à Cœnobitis, quibus solum S. Benedicti Regulam scriptam asserit (& recte) vt se ab ea alienū ostendat; sed etiam ab Anachoretis, cuius testimonium dedi ad *cap. 1. num. 5.* Atque *Epist. illa citata ad I. Abbat.* totus est, in deprimenda Cœnobarum vita, respectu Eremiticæ: vt illam quasi initium ad perfectionem: quasi viā ad terminū, qui est eremus: quasi embryonem & fatum ineffigiatum, & vtero conclusum, ad enixum & partu editum censeat: rationibus petitis ab ipsa Regula, de qua inter alia, ait: *Cum ipsa*

*Cœnobarum Regula, perfectionem se nō habere perhibeat, sed volentem perijci, ad eremi instituta, patenter transmittat, cur nos ad perfectionis arcem conscendere flocci pendimus, &c.* Itaque in eo quantū ad professionem, nec saluam Monachi Benedictini inuenio. Et constat etiā ex ijs, quæ Apologeticè ad eū dixi, sup. ad *Prolog. n. 8. cum seqq. & ad cap. 1. a. n. 8.* Quibus ad stipulatur Bibliotheca Cluniacum, pag. 460. De aduentu P. Damiani in Cluniacum, vbi deprehendes certe, alienū à professione S. Benedicti, & pag. 489. in *Epist. 4. cum Cluniacensibus loquēs* qui Benedictini sunt, ait: *Gaudens & videns ordinem vestrum*, numquam ibi aut alibi indicans suum. Vnde forte in secunda editione, detracta est inscriptio, *Monachi Benedictini*, in prima principij fronte, & in vita illius, solum posita, *Cardin. Episcopi Ostiensis & Eremitæ.* De cætero sanctum veneror, & eius testimonijs libenter vtor.

Sed qui iam cæpi, aliam, cum præcedenti coniunctam, censuram expediā. Circa sententiam, Ioannis Le-Paige Premonstratensis, in illius Bibliotheca asserentis, prædictum Card. Petr. Damianum fuisse Canonicum Regulare, & Canonicorum, sub Regula S. Augustini, institutorem; idemque de B. Isidoro in Hispania asseuerat. Atque in vtroque, meo iudicio, fallitur. Quoad primum conuincitur, ex supradictis, & frequentissimis testimonijs, quibus ipse P. Damian. se asserit & adscribit peculiari Eremitarū instituto. Quod si velit D. Augustinum Regulam solū Canonicorū Ordini inscripsisse, & nō Monachis; reuincetur Antidoto illa quā sup. *num. 12.* citauit Ricardi Cœnomani. Quod si per Canonicorū nomen, declinare satagit à Monachalis nomenclationis participio; sciat Monachum sub Regula, non aliud sonare quā Canonicum, nam *Canon Regula* est, & inde dicitur Canonicus, vnde in rigore *Canonicus Regularis*, tautologia est. Atque recolat S. Basilium, qui in *Institutionibus Monasticis*, quas Monachis tam solitarius, quā quā Cœnobitis scripsit

XXI.

Deceptio Le-  
Paige circa  
P. Damian.

eos nomine Canonicoꝝ intelligit: sic que in scribit, capit. 19. scilicet: *Ad Canonicos; hoc est, vitam Regularem de gentes in Cœnobio; & eodem nomine & sensus Animaduersiones Canonicoꝝ, & Canonicarum delinquentium. præscribit.*

XXII.  
Deceptio e-  
iusdem circa  
B. Isidorum.

Quoad secundum, ratio eius est, quod S. Isidorus non fecit Regulam, & ita quas instituit, secundum Regulam S. Augustini instituisse Canonicos, credit. In quo, dum contendit ille Author Præmonstratensis, D. Augustinum, non Monachos Eremitas, sed tantum Clericos Canonicos instituisse, habet contra se prædictum Ricardum citatum, & plures alios, quibus defero examen; & sit in eo (vt gratis concedo) quidquid volet, de cætero deceptio est, & nihil concludit. In primis quia B. Isidorum, Regulam confecisse, ex eius operibus constat, & insinuauit supra in *Introduct. Artic. 1. De*

inde, quia Canonicos, non solum sub Regula S. Augustini extitisse, sed etiam S. Benedicti, probat satis Antonius Yepes, in *Chron. S. Bened. tom. 1. ad annum 597. capit. 2. & licet Franciscus Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 3. capt. 3. num. 8. obiter & sine probatione, Canonicos Regulares in Hispania ab Isidoro reformatos dicat, sed de Regula sub qua, nihil profert. Cum tamen ibidem num. 11. Augustinum, Regulam Monachalem scripsisse & instituisse, fateatur, & siue viris siue feminis indubitatum pro- vt *sup. num. 12. Imò & ipse Author, Præmonstratensis cum sit, ignorare nõ debet, Canonicos Regulares sub Regula S. Benedicti institutos, siquidem, & de sua Præmonstratensi Congregatione, in principio, id asserunt Authores, quos refert Alcanius Tamburinius, tom. 2. de iure Abb. disput. 24. quæst. 4. num. 20. itaque opinio eius, ex nullo capite subsistit.**

*De Filijs Nobilium, vel Pauperum, qui offeruntur.*

## CAPIT. LIX.

TEXTVS.

**S**I Quis fortè de nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer in minori etate est, parentes eius faciant petitionem, quam supra diximus, & cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri inuoluant in palla Altaris, & sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in præsentem petitionem promittant sub iure iurando, quia nunquam perse, nunquam per susceptam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Vel certe si hoc facere noluerint, & aliquid Monasterio offerre voluerint in eleemosynam pro mercede sua, faciant ex rebus, quas dare volunt Monasterio donationem, reseruato sibi (si ita voluerint) usufructuario. Atque ita omnia obstruantur, vt nulla suspitio remaneat puero, per quam deceptus perire possit (quod absit) quod experimento didicimus. Similiter autem, & pauperes faciant. Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum, coram testibus.

NOTÆ.

I.  
Titulus ex-  
licatur.

**C**IRCA titulum Cap. nota, non dicere, *de nobilibus & ignobilibus, aut de diuitibus & pauperibus*, sed *de nobilibus & pauperibus*. In quo intelligi debet, non ita pauperes à nobilibus distinguere, quasi nobilitas vera, quæ virtutis & sanguinis est, non possit cum paupertate & egestata coherere; sed diuisit omne genus hominum, in duas species, habentium, & non habentium. Illos priores non vocauit diuites sed nobiles, quia Vulgi opinione, ea notior, & aspectabilior nobilitas est, quæ diuitijs splendet: & ita ad vulgarem intelligentiam, perinde fuit ac diuites appellare. Semper enim videmus, illud: *Dat census honores, &c.* Vnde & Bartholomeus Casaneus, in *Cathal. gloriæ mundi, par. 8. confid. 22.* diuitias, maxime vetustas, & antiquas, inter nobilitatis causas numerauit, & probationes adiunxit. Sicque in nostro Castellæ Regno olim, *Ricos hombres*, titulus fuit dignitatis & honoris. Posteriores vero non vocauit ignobiles, sed *pauperes*; nam satis id erat ad extenuationem oppositi extremi, iuxta illud Lyrici, *2. serm. 5. & genus & virtus, nisi cum re, vilior alga est.* Attamen vilitatem, aut ignobilitatem carentiæ rerum, nullatenus excludit, qui *Capit. 2. vt non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti*, omnem personarum acceptionem amouendo, præmisserat.

II. *Ignobilitas quænam respuenda.* Au verò illam ignobilitatem refertione, aut alia infamiæ damnata labe commaculata est? Quæstio esse poterat. Sed certe de hoc, illis seculis, nihil actum, nihil prouissum, aut cautum est: quod posteriora tempora, in maiorem puritatem Religionis inuexerunt, ipso malorum experimento edocente. De quo quam iuste inductum, & rectè seruandum sit, scripserunt alij. Quæ vero Benedictinis omnibus amplectendum, suadet ipsius Institutoris S. Benedicti egregia nobilitas, ad quam totius mundi decus generosum cucurrit, ne indignis sordibus, & purgamen-

tis, à tam emaculato principio in extreme oppositum dedecus recedamus. Quæ tamen suprascripta procedunt de personis ad Monachatum admissis, seu admittendis. Nam de aliis seruientibus in Monasterio Regula non discutit. Quod dixerim propter mancipia, quæ aliquando fuisse in Monasteriis constat, vel ex Adreualdo, *lib. 1. de miracul. S. Bened. capit. 24. & 25. ibi: Ob mancipiorum querellam, &c.* In id que Epistola Ioannis Sabaronis, alias citata apud Biblioth. Floriac. vbi ait: *Liberi Ecclesiæ hi sunt, qui sub ea lege libertate donati sunt, vt Ecclesiæ seruiant*, de qua materia, se ipsum citat, in *Commēt. ad Epist. 10. lib. 9. Sidonij.* Atque horum seruatorum meminit Concilium 3. Tolentanum, in cuius *Notis*, Loeisa Archiepiscopus Tolet. ait: *nomen donatorum, quod in Cænobijs Monachorum durat, derivari à seruis à Principe donatis, vt Ecclesiæ deseruirent.* De his ergo, sicut & de aliis secularibus famulis Monasterii, alia est ratio & consideratio, licet ea cum eis Religiose habenda: sed longe ab illa Monastica æqualitate, hic & ex *capit. 2. Regule* indicata. Tametsi & hæc suo pariter modo ad charitatis unitatem reddenda sit, quæ in omni degente in domo Dei vbique spret, nec desideat famulatus à dominatione, quantum fas est.

Cæterum loquendo, de materia huius *capit. iam nouis Pontificum & Conciliorum iuribus*, aliter constituentibus, omnino cessauit, & ita non est cur requiramus obligationem legis quæ non existit. Pro tempore autem quo condita est, poterat esse quæstio. Quid operaretur hæc Parentum oblatio, & professio Religionis, nomine pueri facta, ante eius rationis usum, aut congruam ætatem? Et quidem tractata est in terminis à Thoma Sanchez, *lib. 4. summ. capit. 18. num. 8. cum sequentibus*, & post eum ab Episcop. Vrgell. in *Comment. ad hunc locum*, & ante vtrumque adduxit plura Petrus Crespetius, verb. *Monachi in Monasterijs ab infantia*, & prior omnibus Gratianus, *causa 20. quæst. 1.*

Mācipia in  
monasterijs.

III.  
Oblatorum  
quæ antiqui  
tus obligatio.

quæst. i. per totam, & habetur resolutio, ex capit. significatum, & capit. cum simus, de Regul. Vt vsque ad pubertatem, scilicet quatuordecimum ætatis annum, perseuerare tenerentur; tunc autem integrum esset eis, vel resillire, vel votum denuo confirmando permanere, ablata vltcrius libertate retractandi. Ad quod tendunt verba D. Bernardi Epist. 324. ibi: *Sed iam videndum est, illud quod dicitis, eum oblatum à Parentibus. Videat prudentia vestra, quid habeat plus vigoris & rationis, verum illud quod factum est de ipso per alium, ipso nesciente, an illud quod sciens & prudens, de se ipso fecit?* Sed de hac antiqua consuetudine & materia, præter ea quæ dedi, sup. capit. 30. & quæ dabo infra capit. 63. ad stipulatur Concilium

Tolet. 4. capit. 45. & Aquisgranens. frequenter, vbi Can. 45. ait: *Vt Schola in Monasterio non habeatur nisi eorum qui oblati sunt.* Et Card. Petr. Damian. loquens de Monasterio Cassini, Epist. 38. ad *Desiderium* idem confirmat.

Circa literam textus, ibi: *petitionem*, intelligit professionem scriptam, sicut cap. præcedenti, dixi num. 8. illud verosimul non per suspectam personam, legunt alii, *suspectam*, sed præfero lectionem Smaragdi, *suspectam*, proprius ad rem & intentum, vt sic idem quod neque per se, nec per alium, vt vulgo, *por si, ni por otro*, id est per neminem, quod intendit Regula. Ad quod nihil attinet, quod persona datura, suspecta sit vel non, cum ipsum datum excludere omnino velit, à quocumque detur.

III.

*Literæ declarationis & lectionis.*

*De Sacerdotibus qui voluerint in Monasterio habitare.*

## CAPIT. LX.

TEXTVS.



**S**I quis de Ordine Sacerdotum, in Monasterio se suscipi roauerit, non quidem ei citius assentiatur. Tamē si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem disciplinam Regulari seruaturum, neque aliquid ei relaxabitur, vt sit sicut scriptum est, *Amice ad quid venisti? Concedatur ei tamen post Abbatem stare & benedicere, aut Missas tenere, si tamen iusserit ei Abbas. Sin alias nullatenus aliqua præsumat, sciens se disciplina regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Si fortè ordinationis, aut alicuius rei causa fuerit in Monasterio, illum locum attendat; quando ingressus est Monasterium, non illum qui ei pro reuerentia Sacerdotij concessus est. Clericorum autem si quis, eodem desiderio, Monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur, & ipse tamen si promittit, de obseruatione Regule, vel propria stabilitate.*

a Matth. 26

NOTE.

I.  
Præmittenda  
ante susceptionem  
Sacerdotum.

**A**GIT in presenti Cap. de illis, qui post obtentum præbyteratum, vitam Monasticam instituere volunt. Et ad susceptionem, de non facili aditu præbendo, idem ferè disponit quod sup. capit. 58. in principio, & eodem modo intelligendum, tam de Sacerdotibus, de quibus ibi: *si quis de*

*Ordine Sacerdotum, &c.* etiam de inferioribus Clericis, de quibus, ibi: *Clericorum autem si quis, &c.* Atque de vtrisque, ea quæ de gradu & functionibus ordinum disponit, intelligenda sunt præcipue, eis semel ritè admissis ad Monachatum, præcedente anno probationis, & professione facta, & alijs que

III

quæ generaliter, pro omni suscipiendo, disposuit citato *capit. 58.* & colligitur ex presenti ex vicinis verbis, quæ ad totum Caput referuntur: *Si promittit tamen ipse de obseruatione Regula, vel propria stabilitate.* Hoc est, professione rite emissa, ante quam, nec tondebatur Monasticè, nec vestibatur, ut vidimus; sed in cella Nouitiorum laborabat, & cetera Religionis iniuncta agebat, ob quæ dixit: *Nihil ei relaxabitur.* &c.

II. Hoc igitur supposito, deinceps statuit: *Ut concedatur ei post Abbatem stare, & benedicere, aut Missas tenere, si tamen iusserit Abbas, &c.* & hoc de Sacerdotibus, nam de Clericis solum ait, ut *mediocri loco collocetur*, in quo & proportionatam functionem Clericatus, iuxta ordinem, quo initiatus fuerit, consequenter intelligit. Atque in his explicandis, tota fere huius *Cap.* difficultas consistit. Et primo dum Sacerdotes Clericosque distinguit, patet per *Clericos* intelligere quemcumque aliquo Clericali ordine, infra Præbiterum, insignitum; ut sicut in Superioribus dixerat de laicis ad Monachatum suscipiendis; hic de initiatis & ad Clerum pertinentibus, quid illis in præcedentia & munere indulgendum sit, declaret. Sed numquid in Clericis, etiã initiatum prima tonsura, comprehendit? Sane ipsa Clericum constituit, atque inde Clericalem tonsuram à Monachali diuersam, notauimus latè sup. *capit. 1. num. 20.* per eamque quis efficitur non-laicus, & transfertur ad Clerum. Ut ex Hieronymo habetur, in *Cap. duo sunt, & capit. Clericus 12. quest. 1.* & ex traditione Apostolorum, venisse hanc primam tonsuram initiatiuam Clericatus, tradit Card. Baronius *ad ann. 58.* cum Isidoro de *Diu. Offic. & postmodum Innocent. III. in cap. cum contingat de arate, & qual.* & denique Concilium Trid. *sess. 23. capit. 4.* ex quibus & aliis adductis dicto *cap. 1. à num. 15.* etiam talem nomine Clericorum, Regula comprehendit.

III. Præterea circa illud, quod de Præ-

bitero, ait: *Post Abbatem stare, & benedicere & Missas tenere.* Episcopus Vtigel. vult in his concedi Sacerdoti, in Monasterio admissò, primam locum post Abbatem; etiam si alii Sacerdotes essent in Monasterio, qui post Monachatum ordinati essent; ut expresse tenet ad *cap. 62.* vbi difficultatis, quam ipse sibi fecit, rationem tentat reddere, ne quicquam. Ego autem quantum ad hæc, salua sicut in alijs pace tanti viri, ab eius commentario discedo: & censeo hoc loco, non agi de gradu, quem Præbyter iste debet tenere in Congregatione, seu Conuentu, respectu aliorum. Hoc certum esse constat, quia de tali gradu, & ordine gradus tenendo, agit inferius distinctè ibi: *Si forte ordinationis, aut alicuius rei causa, &c.* vbi moderamen, tam pro Præbyteris, quàm pro cæteris Clericis explicatis esset autem inutilis repetitio, bis incunctanter eandem rem in eodem *cap.* continuatis clausulis, constituere. Accedit, quia caret fundamento, intelligere, quod Præbitero nouiter ad Monachatum venienti, designetur primus locus in ordine post Abbatem: depositis à suo gradu aliis Sacerdotibus, qui Monasticum tyrocinium in Monasterio egerunt, & longa Monastica professionis perseuerantia, ad Sacerdotium cooptati sunt. Præterea hæc existimatio est contra ipsam Regulam, generaliter disponentem gradus, *capit. 63.* & aliis locis, & interpretatio cum correctione aliarum legum, non est admittenda, sine necessitate & clara voluntate legis, ex suis verbis: quæ hic non vrget. Ad hæc, quia fit inde, in consequens interpretatio illius verbi, *attendat locum, &c.* quod repetit *cap. 62.* & vtrouique in eodè sensu debet accipi, ut amplius inde & ex subiungendis constabit; & in *seq. cap. n. 3.* innotescit aperte.

Censeo igitur illud: *Post Abbatem stare, & benedicere, & missas tenere,* intelligi solum de statione, & gradu pertinente ad aliquam Sacerdotij functionem, secundum quã, qui officium est facturus, sacris, aut alba indutus, assidere pro-

III.  
Aprior intelligenti gradus.

proximus Abbati solet, & ibi orationes, & alia quæ sui muneris, sunt præstare. Et ita dicere: *Concedatur ei post Abbatem stare, &c.* est idē ac dicere, permittatur ei (*Si tamen Abbas iusserit, cuius voluntate & iussu agenda erant officia, quæque à Monachis, in Oratorio, vt sup. capit. 47.*) permittatur inquam ei, stare in functione officii Sacerdotalis, ad benedicendum orandum, &c. post Abbatem. Simul declarans, quod etiam tunc, simul concurrens cum Abbate: post eum, deferens ei gradum, debeat stare, ratione Prælati: etiam si Abbas non sit Sacerdos, cui nisi sub ea hypothefi, quod sit Sacerdos, functiones Sacerdotales non attribuit Regula, vt dixi, *cap. II. num. 8. & 9.*

V. *Male negatur Sacerdotiū B. Bened. sed non hinc conuincitur.*  
 Circa quod vltius, ex eo quod post Abbatem, dicit, *benedicere, & Missas tenere*, ipse Author, quasi cum stomacho, insinuat eos, qui sanctiss. P. N. Benedicto Sacerdotium denegant, estimans ex hoc loco, aliis ve similibus conuinci. Et quidem quantum ad denegandam ei eam dignitatem, cum positiua denegatio nullibi probetur, stomachetur quantum volet, iuuabo, & iuuui sup. *capit. 2. num. II. & 20. & alijs locis.* At vero quod positiue & necessario conuincatur ex huiusmodi locis, post iteratas discussiones non iuuenitur, & ita quod his argumentis nõ demus, quod non assequuntur, putas ne bene irascitur ille? Ista sane nullatenus efficiunt vt neges, potius probabilitate muniunt; sed neque euincunt vt positiue asseras, vt alias sæpe diserui: & in præsentia idem teneo. Primò: Quia *benedicere*, vt sic, non importat ordinem Sacerdotalem, vt late dictum est ad *capit. 9. & 11. &c.* Secundò, Quia *Missas tenere*, adhuc habet sensum cõgruū, & à Regula non alienum, absque necessitate Sacerdotii. Nam Regula *capit. 17.* vtitur ea voce *Missæ*, in significatione, vel horæ Canonice, vel orationis, aut collectæ, quæ in ea recitatur, vt late probaui ibi, *num. 6.* & in præsentia non discedit ab eo sensu Smaragdus,

qui verba Anonymi cuiusdam referēs, de talibus Præsbyteris, ad Monachatum receptis, inquit: *In solo nomine Patres Monasterij nuncupentur, & nihil aliud eis in Monasterio liceat, nisi orationes colligere, cõplere, & signare, &c.* vbi *orationes colligere*, fratris est Cassiani, *lib. 2. institut. cap. 7.* quem cum aliis protuli, ad *capit. 12. num. 4.* & est idem, eo sensu *Missas tenere*, quod collectam recitare, aut officium facere in hora Canonica: Quod tunc in antiquioribus Monachorum principiis, & aliis proportionate fieri, sine Sacerdotio, ostensum est, *cap. 9. & alijs.*

Sed demus eas functiones hic expressas, annexas, & proprias esse Sacerdotio, & *Missas tenere*, intelligi hic de celebratione sacrosancti mysterii altaris, etiam his concessis, quod inde fit solum est, Sacerdotem subditum, illa nõ debere exequi, nisi ad voluntatem & iussione Abbatis, & præsupponi, quod suo loco & tempore, præponendus sit Abbas in gradu, & in functione cuiusq; muneris, etiam Sacerdotalis, sed hoc ex hypothefi & conditione, quod eas possit exercere, vt in simili protuli, inter alia, testimonium expressissimum Smaragdi, *capit. II. num. 9.* & vt hodie, vt dixi, ad *cap. 2. num. 16.* inter Capucinos Longobardos, accepi Guardianū & Prælaturum eligi quandoque fratrem Laicum, ad cuius iussum Sacerdotes fungatur officio, ipse veto ab eo se abstineat. Imo etiam si daremus adhuc gratis, ista munia, non conditionaliter, sed absolute ab Abbate esse præstanda, & Regulam non permissiue se habere, in exigentia Abbatis præbyteri, sed eū præcisse Præsbyterum petere (quod tamen nullibi necessario petit) nihilominus adhuc liberum remanebat, Legislatorem, & conditorem Regulæ, ab ea necessitate, & obligatione secludi, vt notauit sup. *capit. 2. num. 9. 10. & 11.* Atque ideo independēter ab his adiutoris, Præsbyteratum Sanctiss. Patri lubens asserui, & denuo assero, supradictis congruentis non despectis, nec aliis, quas adauget, & vrget Mag. San-

VI.  
*Ostenditur inefficacia argumenti.*

Vitores, vt *infra. num. 10.*

VII.  
Explicatio  
gradus Sacer  
dotis ex Reg.

Deinde iam textus procedit ad gradum, quem Præbyter veniens ad Monachatum, obtinere debeat, in ordine Conuentus, de quo ait: *Si forte ordinationis, aut alicuius rei causa fuerit in Monasterio* (Subaudit Smaragdus exaltatus, hoc est in Superiori loco, quam ex ingressu ei competeat, positus) *illum locum attendat, quando ingressus est Monasterium, non illum qui ei pro reuerentia Sacerdotij concessus est. Vbi Causa, idem est, ac si extiterit aliqua ratio, cōsideratio, intuitus ve Ordinationis, scilicet graduationis, aut anterioritatis: Ita capit 63. gradus Religiosorum vocat ordines, vel rursus aliter Ordinationis: scilicet alicuius officij, quod in Regula dicitur ordinatio, vt capit. 65. ordinet sibi Præpositum, & capit. 64. de ordinando Abbate. Vt sit sensus, si in Monasterio ratione alicuius dispositionis in gradu, vel officio, Sacerdotem extulerit Abbas, & superioritatem, aut anterioritatem aliquam ei dederit, attendendo ad honorem Sacerdotii, eo casu ipse attendat, &c. id est consideret, & mente recolat locum debitum temporis sui ingressus, & gradum, quem ex inde habere debuisset: ne vanè superbiat ex eo, qui sibi per dispositionem Abbatibus, concessus est. Quæ verba pro Sacerdotibus, qui post Monachatum ordinantur, repetit, cap. 62. & vno eodemque profus sensu intelliguntur. Atque sine subauditione, aut supplemento Smaragdi, stat integritas sententiæ, accipiendo *Ly causa* in nominandi casu, si forte causa fuerit, id est, si aliqua extiterit ratio, &c.*

VIII.  
Confirmatur  
à congruitate  
re iusta.

Quapropter non debuit Cardin. Turre-cremata interpretationem mutare: nec Episcopus Vrgell. in hoc ei adhereres vbi idem forte, idem, attendat locum, &c. eadem promotio vel exaltatio gradus & officij, eadem materia, & de pariter similibus Præbyteris, loquutio est. Quod si inter eos, aliqua ratio diuersificandi (quæ nulla, in dignitate est) esset requirenda; potius Sacerdotes, qui in Monasterio ab infan-

tia adoleuerunt, & pluribus annis laudabiliter in regulari disciplina exactis, ad Sacerdotium sunt electi, essent præferendi, quam è conuerso; vt vult prædictus Author Episcopus citatus, excedens etiam in hoc procuratorem vineæ, *Matth. 20.* qui saltem pares eos fecit, qui vna hora fecerunt, cum illis qui portauerunt pondus diei, & estus mandante Patre Familias. Nam hic nō pares, sed inferiores fecit iniussus: quandoquidem neutrum iniungit sanctis. Patriarcha, qui sub, forte, & sub Abbatibus voluntate, relinquit modum gradus, aut promotionis Sacerdotum in Monasterio. Et constabit adhuc manifestius infra, ad capit. sequens, numer. 3.

Ex quibus etiam clarum est, quod restat, de Clericis infra Sacerdotium vt in mediocri loco collocentur. Id est: nō eis tantumdem deferatur honoris, sed proportione seruata. Quæ omnia maxime Prælati arbitrio committit, atque ideo obligationi satisficit, cum communi & generali dispositione, quam superior potestas cuiusque Congregationis, per eius diffinitiones statuit, ordinando gradus, quos debeant habere Monachi, siue ratione officij, siue Sacerdotii, siue alterius considerationis retentâ, ad vsum, hac facultate Regulæ, quam generalius tradidit, capit. 63. licet hodie non remaneat libera Abbatibus omnino, nisi dependenter à Superioribus, qui in erectione & constitutione Congregationum, per se & Capitula, suis modis, in hanc Abbatum etiam potestatem eminentius intrarunt, vt dictum est, in *Introd. artic. II. num. 7.*

Sed non discedo ab hoc Cap. vt indignationem, quam supra num. 5. Episcopus Vrgell. perstrinxit, & post eum sæpe habet non minus, expressam, M. San-Vitores, pariter minuamus. Nam quæ, vel ex historia B. Gregorii Papæ, vel aliunde concurrunt rationes, ipsam B. benedicti personam immediatè, & individualiter tangentes, eas profus admissimus; & ex eis, pro eo, resoluimus

IX.  
Quid de alijs Clericis

X.  
Rursus de Sacerdotio S. Benedicti. pro contra

mus *sup. ad capit. 2. num. 11.* Quas verò generaliter, & indiscriminatum pro omni Abbate, ex Regula, necessario concludere vult intentum: talem efficaciam habere non censuimus, propter causas & instantias, in præcedentibus satis indicatas, & quas in sequentibus fatis indicatas, & quas in sequentibus indicabimus. Quapropter nequaquam horremus, cum præiacta distinctione, authoritatem Basilii Pontii, *1. part. Variarum disp. quæst. 3. capit. 5.* dicentis: *Non esse aliquod fundamentum in Regula S. Benedicti, unde eum clericum fuisse colligatur.* Nam si de collectione, necessariaque consequentia loquitur, in promptu est respondere, quod transeat, cum adhuc saluum maneat intentum, quod seclusa Regula, & independentem ab ea, ubi supra probatum est de B. Benedicto, non cum ceteris Abbatibus parificando. Quod si ducitur authoritate S. Bonauenturæ, qui *sup. Regulam S. Francisci, capit. 7.* dixit *S. Franciscus, ex humilitate, legitur Sacerdotium fugisse, sicut etiam S. Benedictus,* In hoc debita, & humiliter petita venia à Seraphico Doctore, sane deceptus est, in exemplo allato; quia de Beatiss. Benedicto, cum ex aliis actibus, illa humilitatis virtus, toties ab ipso commendata, etiam opere exercita non semel laudetur; sed inde, ex fuga & carentia Sacerdotii cum effectu nullibi legitur, nec inuenitur. Et ita vtriusque authoritas & testimonium nihil derogant certitudini assertionis pro ipso Sanctiss. P. N. BENEDICTO, nihil nostræ generali doctrinæ de aliis, ex contextu Regulæ, & ex rigore literæ eius.

Quod verò præfatus Magister, sicut alii, quorum inhaeret vestigijs, vndiq; corrogent, etiam scintillas paruas cum magnis, non condemno sed laudo, nihil enim despiciendum est probanti; sed si velint, omnes eiusdem claritatis esse, & in casu requisitam & necessariam afferre lucem, neque id luscus admittet. Sunt quidem ad omnem propositionem & thesim probandam, loci vnde argumenta petantur; sed non eius-

dem efficaciam & virtutis, sic Aristoteles Stagiritæ, sic Tullius Cicero, Topica scripsere. Quod si quis in omnibus, pariter exclamet, plaudent, admiretur; dum aliqua debilia cognoscuntur, minus proficit in fortioribus. Extorquet exemplum præfens occasio, in proposito. Vt quid enim ad Sacerdotium S. Benedicti probandum efficaciter, adducamus (prout ipse, *Præhud. 1. cap. 13. num. 24.*) Abbatem admittentem No- uitium ad professionem Monachatus, debere esse Sacerdotem, iuxta Regulam, quia ad professionem suscipiendam celebraturus est missam? Bella sane probatio. Me miserum si ab hoc & similibus, ponderet certitudo irrefragabilis, Sacerdotalis dignitatis, in amplissimo & Sanctiss. P. N. Monachorum & Abbatum Abbate? Quam debilis hæc argumentatio sit, & quot modis deficiat, deprehendes ex pluribus. ¶ Primò: Ex ipsius professionis essentia, quæ cum voto profitentis, & acceptantis facultate, in vita Cœnobiali, absque vlla Sacerdotii functione, perficitur, utpote contractus quidam vltro citroque obligatorius. Alioqui assignet, quam Sacerdotalem functionem, aut Missæ celebrationem, requirat professio tacita, quæ cum expressa parificatur, & essentialiter conuenit. ¶ Secundò: Quia professio non est alligata, ut fiat ad altare, intra Monasterium, aut extra: etiã in agro, & vbiq; facta stabit. Sic pluribus citatis Thom. Sâcius, *lib. 5. summ. capit. 3. num. 12.* sicut & illud primum late ibidem, *capit. 5. à num. 62. cum sequentibus,* & confirmo hoc secundum, infra in LACINIA addita NOTIS, *segmento 26. num. 5.* ¶ Tertiò: Quia etiã si Regula *capit. 58.* ordinet, professionem in Oratorio fieri, & chartam eius in Altari à profitente poni, caeremonia tantum est; quæ adhuc optimè impletur sine celebratione Missæ, quæ Regula nullatenus præcipit, aut requirit; imò etiam si omnino gratis daremus ab ea requiri, sed tamen non ab Abbate præcisse celebrandam. Quod, adhuc his temporibus, in quibus in

Ab-

XI.  
Inefficacia  
argumenti  
ex professione  
ostenditur.

I.

II.

III.

Abbate sacerdotium, iam aliunde prorsus necessarium est, communis praxis docet: & ego expertus per plures annos, quibus tot Abbantias in mea Congregatione gessi, & plures professiones Nouitiorum admissi, nullam recordor admisisse, Missam celebrans, sed altero celebrante (qui nihil ut sic, ad professionis effectum confert) ad cornu altaris, ut moris est, eo paruo tempore assistens.

III.

¶ **Quartò:** Quia omnes fatentur, & sæpius in hoc opere probatum est, antiquis temporibus, multos Monachorum Patres seu Abbates, non fuisse Præsbyteros: & in recentioribus seculis adhuc B. Franciscum Ordinis Minorum Patrem eximium, & alios iuxta eius institutum successores, Prælatam sine Sacerdotio gessisse. Numquid hoc detraxit aliquid, admittendis ad professionem fratribus? Nihil prorsus. Ergo frustra ingeritur ex hoc cap. Regulæ necessitas Sacerdotij, in Abbate.

V.

¶ **Quintò:** Ipsa argumentatio, quantumcumque premeret, ex dispositione expressa Regulæ, quæ in hoc nullatenus premit, nec exprimit, adhuc patitur communes difficultates insinuat, de hac re, supra *capit. 2. num. 9. & 10. & num. 12. cum seqq.* ut nullius penitus efficacitatis ad propositum sit probatio ista.

II

XII.

*Ceremonia  
accidentaria  
professioni.*

Præterea: Quod Regula nostra perat & ordinet in oratorio, & ad altare, fieri professionem Monachi: Quod rursus communis & visitata ceremonia nunc habeat, ut fiat inter Missarum solemnias: etiam si in usu demus fuisse, tempore Regulæ S. Benedicti (de quo tempore semper loquimur ad propositum). Quod etiam in illa anteriore antiquitate, quam præ se fert tempus Diui Dionisij Areopagite, habeatur in eius libro de *Ecclesiast. Hierarchia*, 2. par. capit. 6. illud testimonium, quod ad intentum proferunt scilicet: *stat sacerdos ante altare Monasticam precationem psallens, &c.* Omnes istæ sunt ceremoniæ, & ritus diuersi, diuersorumque seculorum, & Prouintiarum, quibus vel sic, vel aliter introduceban-

tur fideles, & Religiosi ad Monachatum, aut in illo, certo ritu suo, constituebantur, non ex necessitate Abbatis Sacerdotis, aut Prælati Præsbyteri, sed ex præsuppositione Sacerdotij in Prælato si talem esse contingeret. Quod quidem Sacerdotium in Episcopis, quando ipsi Monachorum erant Ordinarii & Prælati, semper concurrebat, propter necessariam Episcopalis muneris dignitatem: non tunc in aliis, sed tam in eis, quam in aliis alioqui Præsbyteris, etiam per accidens erat, quantum ad constituendum per Religiosam professionem Monachum: quod per se tantum à vouente, & ab acceptante dependet. Interueniente aptitudine, & habilitate profitentis, atque legitima autoritate ad rem requisita admittentis, pro eo tempore: & deinceps adductis aliis quæ per sequentes ætates, iure Pontificio, & aliis constitutionibus regularibus, inducta sunt.

Quapropter exinde, per ceremonias quascumque, nihil afertur stabile, nihil conuincens. Nā & sic, de illa ceremonia insinuata ex D. Dionisio Areopagita (de qua statim cōstabit qualis fuerit) adest Scholium Iacobi Fabris stapulensis, qui postquam recenset, in eo loco: *Mysteria Monastica summationis ex Apostolico ritu*: animaduertit sic: *Præsens Ecclesia, suum seruat ritum.* Ita ut nihil de ibi contentis, ad alia secula, post D. Dionisij Areopagite tempus, quod cœum fuit Apostolis, transferit, nihil perdurauerit. Atque in idem consentit Dionisius Richel Carthusianus, in Commentariis, quos edidit ad opera S. Dionisij, ubi ad prædictum locum ait: eam solum fuisse quamdam ceremoniam *benedictionis*, ex iis, quas pro sua tunc descripta hierarchia, pro *purgandis*, committit Diacōnibus, & pro *illuminandis* (in quibus computat, & ponit Monachos) defert, & committit Sacerdotibus: sicut & tandem pro *perficiendis*, appropriat & designat Episcopis. Atque addit, etiam talem benedictionem Monasticam, per multa *centenaria* obsoletam & incogni-

XIII.

*De tempore  
Dionisij A-  
reopagite.*

nitã, ita stapulensis, & Richel, constat, ex omni tẽpore, ad sacrũ Arcopagitam Martirẽ & Gallia Apostolum, posteriore, vt fere nullum aliud vestigiũ sit, illius Hierarchicæ & Monasticę consummationis, etiam iam ante S. BENEDICTVM, obsoletæ, & ita nullius momenti, vt in re nostra quidpiam probet.

Addo vero insuper ad locũ S. Dionisij, ibi eum tolummodo profequi & docere, veluti quoddam cẽemoniale Pontificum, quando tunc solemnĩ & Episcopali ritu aliqua Sacramẽta conferebant, aut celebrabant aliquam consecrationem, seu deputationem ad aliquod ministerium, vel participationem spiritualis intelligentiæ, quas ipse D. Dionisius vocat *consumationes*. Et cap. 2. part. 3. qualiter procedat in his, ostendit, dicens: *Cernis nempe harum rerum diligentes imagines, in ijs quæ Pontificali geruntur officio, &c.* In eis autem est etiam illa quam, c. 6. part. 2. in titulo vocat: *Mysterium Monasticæ Consumationis*. Quæ quidem fiebat tunc in præsentia Pontificis seu Episcopi, quam Episcopi præsentiã

pariter inde, posset exigere, ad professionem, haud minus frigidẽ. Ac deniq; ritus, quicũque ille esset, omnino pręsupponebat iam statum & professionem Monachatus, in initiando, aut illuminando, aut benedicendo. Vel fortẽ comitabatur eam, in illis, quos ibi Arcopagita separat a cetera turba plebis sanctę, per Diaconos purgandæ: Quæ plebs, adhuc distinguebatur, ab aliis laicis profanioribus, qui ab Ecclesia, dum sacratiora fiebant, arcebantur, & ideo vocabantur *ejciendi*, vt erant Cathecumeni, Apostata, Energumeni, pœnitẽtes, prout cõstat, ex par. 1. eiusdẽ c. 6. Quæ omnia supererogando dixerim, vt cõstat, quã extrinseca, & quã longẽ sint ista, ab vtili probatione inuehendi necessitatẽ Sacerdotii in Abbate ex REGVLÆ S. BENEDICTI, propter professionẽ Nouitiorũ suscipiendã. Et vt testimonia vero iudicio præsentur, & nõ ex quolibet verbo, cuius propositum, aut vis, aut modus, tum obscurissima, tum aliena sunt ingeratur; probatio, nec clara, nec irrefragabilis, in re vbi opus erat vtroque.

*De Monachis peregrinis quomodo suscipiantur.*

CAPIT. LXI.

TEXTVS.



**S**quis Monachus peregrinus de longis quibus Prouincijs superuenerit, si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci, quam inuenerit, & non forte superfluitate sua perturbat Monasteriũ, sed simpliciter contentus est, quod inuenerit, suscipiatur, quanto tempore capit. Si qua sanẽ rationabiliter & cum humilitate charitatis reprehendit, aut ostendit: tractet Abbas prudenter, ne forte ad hoc ipsum Dominus eum direxerit. Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, & maxime, quia tempore hospitalitatis, potuit eius vita dignosci. Quod si superfluus, aut vitiosus repertus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori Monasterij; Verum etiam dicatur ei honeste, vt discedat, ne eius miseria etiam alij vitientur. Quon si non fuerit

Ec ta-

talis qui mereatur proijci, non solum si petierit, suscipiatur Congregationi sociandus, verum etiam suadeatur, ut stet, ut eius exemplo alij erudiantur, & quia in omni loco uni Domino seruitur, & uni regi militatur. Quem etiam si talem perspexerit Abbas, liceat in superiori aliquantulum constituere loco. Non solum autem Monachum, sed etiam de supradietis gradibus Sacerdotum, vel Clericorum stabilire potest Abbas in maiori, quam ingrediatur loco, si eius talem perspexerit esse vitam. Caueat autem Abbas ne aliquando, de alio noto Monasterio, Monachum ad habitandum suscipiat, sine consensu Abbatis eius, aut litteris commendatitijs, quia

a Tobia 2. scriptum est, a quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. & Matth. 7.

NOTÆ

I

Transitus ex Reg. hodie qualis?

DE Præsbyteris & Clericis, venientibus ad Religionem, egit cap. præcedente; nunc agit de Monachis & Religiosis venientibus, per transitum, ab vna Religione ad aliam, seu (quod tunc fere idem erat) ab vno ad aliud Monasterium, dum, eo tempore, vnio Monasteriorum per modum vnus Congregationis non erat. Quæ materia hodie per recentiora iura, & Apostolicas sanctiones, & priuilegia Religionum, specialiter constituta est: & ab illis petendus modus operandi in hoc casu: & deducenda obligatio. De quibus agunt Authores citati in *Introduct. Aric. 4. num. 1. & 2.* Nam generaliter de transitu diuersæ Religionis obseruandum censeo, quod in *Capit. licet, & capit. sane de Regular. statuitur*, & ad eorum iurium normam, esse reducenda priuilegia prohibentia transitum. Atque consideratio arctioris ordinis, quæ maximè præfertur, in hac re, haberi debet, prout tempore transitus existit. Si enim à rigore cadat ipsa *CARTHVSIA*, quæ communiter excipi solet, in priuilegijs restringentibus transitum Religiosorum, alicuius Religionis, exceptio nihil operabitur, quæ solum in fide maioris diffractionis adiecta est, & generaliter de quacumque, si constet ita intelligi debet, Modus autem iuris vel priuilegii obseruandus est, de quo egi alibi in meo *Tract. Monastic. capit. 16. à numer. 6.*

II.

Verum & pro eo tempore, in sus-

ceptione Monachi extranei, præter morum ipsius considerationem, nihil iubet *REGVLA*, nisi Monachus sit, de aliquo noto Monasterio, ut talis non suscipiatur sine consensu Abbatis eius, aut litteris commendatitijs. Circa quod *D. BERNARDVS*, ad rem apte, & in præceptis, ampliationes obligandi deuitans, intelligit illud, de noto Monasterio, semel doctrinam traddendo, lib. de præcept. & dispens. capit. 20, vbi ait. Porro de vicino prohibet, quod iubet de peregrino, ne vicinitas inter Monasteria fomes scandali, rixæ materia sit, si alterutrum recipere Monachos acquirerit, absque mutuo dum taxat assensu, &c. Et iterum in praxi, *Epist. 63. Ad Monach. Flauiacenses*, qui non cunctatus Monachum de ignoto sibi Monasterio recepisse, ait de eo: *Annuimus introitum, probauimus susceptum, ad strinximus probatum, tenemus professum*, & pro *REGVLA* in eo seruata ait: *Putamus autem, quod non de cuiusque notis, sed tantum de notis nobis Monasterijs, Monachos suscipere prohibemur.* Atque obligationem exprimit *S. BENEDICTVS*, ex primo illo principio morali, sacris litteris inserto: *Quod tibi non, vis alteri ne feceris*, de quo *Beda, rom. 8. in præfat. ad Psam.* dixit esse summam, quæ colligitur, in omnibus septem mandatis secundæ tabulæ pertinentibus ad homines. Et inde, & ex nouis decretis superiorum, pensanda est transgressio, propria primæ Classis.

Restrictio Regula in susceptione ex noto Monasterio

TEXTVS

Tan-

III.  
Graduū de-  
terminatio  
extraordi-  
naria delata  
Abbati.

Tandem in comprobationem eorū, quæ dixi, cap. præced. à num. 3. nota hic verba, exprimentia omnem sensum, & omnino alienum à sententia Episcopi Vrgelli, ibi impugnata. Nam hic semel loquendo de Monacho peregrino, aut alieno, recepto in Monasterio, ait: *Si talem esse perspexerit Abbas, liceat, eum in superiori aliquantulum constituere loco.* Et statim denuò generaliter subiungit: *Non solum autem monachum, sed etiam de superscriptis gradibus Sacerdotum, vel Clericorum stabilire potest Abbas in maiori, quam ingreditur loco, si eorum talem perspexerit esse vitā.* Quod

& generaliter præmisserat de omnibus in hac Regula, cap. 2. Non itaque locū primum, post Abbatem, designat, non secundum, non tertium, non determinatum aliquem, sed per Abbatem determinandum. Non rursus statim in ingressu aut receptione, *sed si perspexerit Abbas talem esse vitam, &c.* videlicet spacio temporis dato, aut mora, nō solum in qua præcedant ea, quæ enumerat D. Bernardus, sup. de Monacho suscepto, introitus, probatio, professio; sed qua exploretur meritum, vt in altiori ponatur gradu.

De Sacerdotibus Monasterij.

CAPIT. LXII.

TEXTVS.



**S**I Quis Abbas sibi presbyterum, aut Diaconum ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit Sacerdotio fungi. Ordinatus autem caueat elationem, aut superbiam, nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multo magis disciplina Regulari subditum. Nec occasione Sacerdotij, obliuiscatur Regula obedientiam & disciplinam, sed magis ac magis in Deum proficiat. Locum vero illum semper attendat, quo ingressus est Monasterium, præter officium altaris, & si forte electio Congregationis, & voluntas Abbatis, pro vitæ merito, eum promouere voluerit. Qui tamen Regulam à Decanis, vel Præpositis constitutam, sibi seruandam sciat. Quod si aliter præsumpserit, non vt Sacerdos, sed vt rebellis iudicetur, & sepe admonitus si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendauerit, clarescentibus culpis, proijciatur de Monasterio, si tamen talis fuerit eius contumacia, vt subdi, aut obedire Regulae nolit.

NOTÆ.

I.  
Abbas eligit  
ordinandum  
& vniuersumque  
obligatio.

**D**E promotione Monachorum ad factos ordines, vsque ad Præsbyteratum agit in hoc cap. PATRIARCHA noster, cuius Sacerdotij, licet desideretur expressum posituum testimonium (quod in rebus antiquissimis non est mirū, cū omni claritate deesse) sed per peram denegabitur ei, cui tot alia ad credulitatem adiumenta probabilissima fauent, & inter illa, mos iā suo tem-

pore promouēdi priuatos Monachos, idq; cū licentia Abbatis, vt iā tunc cautū erat, & extabat decretū Cōcilij Illerdensis. c. Pro vtilitate 16. q. 1. tēpore Symachi Papæ, & sic erat vsus per Abbatē designare initiādos, ad altaris muniæ haud rarus, cū tam specialē requireret ipsius Regulae curā. Quā adeo solerter adhibuisse subditis ostendit, nō solum tunc etiā S. Benedictum in Prælati id

optasse & quoad fieri posset: sed nec ipsum met tam optabilis & opportuni requisiti, fuisse suadet immunem, in quo ne minimum quidem obstaculi vestigium apparet. Sic ipse, etiam experimento utique muneris bene concius, iubet, ut Abbas eligat eum, *qui dignus sit Sacerdotio fungi*, atque ut sic *ordinatus caueat elationem*, &c. Vtrumque verò, tam ex parte Abbatis eligentis, quam ex parte Monachi ad id electi; & in eo munere constituti, præceptum & obligatio ex Dei lege est; de quibus impense admonet REGULA, ut uterque officio satisfaciatur, apposita insuper, post congruentes admonitiones pœna promoti rebelli, & reluctanti, usq; ad eiectionem à Monasterio. Hoc tamen iam iuxta dicta sup. ad cap. 28.

## II.

Ordinati obligatio, & quæ seruanda hodie remissive.

Sanctitas vero Sacerdotali eminentia digna, & quæ insuper accrescit ei, qui ab statu Monastico, ad illam promouetur, ut utraque ratione cōstrictus, ab illo puritatis culmine dissolutus nō cadat, necessario, à quolibet Monacho Sacerdotium ineunte, considerari debet; nec ab eo excusat ordinaria, his temporibus, Monachorum admissa promotio, & destinata ex professione ordinatio, quæ excellentiæ dignitatis nihil detrahit. Mihi vero argumentum tractare præter literalem operi præfixum scopum, sicut in aliis Moralibus doctrinis esset, & ita remittendum ad Authores veteres & recentiores, qui late & discrete de hac re scripserunt, & qui pro moribus

cōsulendi sunt. Pro iure autem & modo, quo, de facto, ordinatio exequenda sit, iam post tempus S. Benedicti, extat Conciliorum & Pōtificum decreta, tempora, aetatem, sufficientiā, & cætera requisita statuentium, etiam pro regularibus. De quibus & similibus agunt communiter authores, quos citaui in *Introd. art. 4. num. 1. & 2.* & alii, atque ego in meo *Tract. Monast. cap. 12.* opportuna Monachalibus dedi.

Circa literam textus, quod notes, per ne nihil occurrit, nisi, quod licet, solum exprimat *Præbyterum aut Diaconum ordinari*. Sub illis tamen cæteros ordines præcedentes intelligit, sine quibus illi maiores non conferuntur. Quod ait, *etiam Episcopus adhibeatur, in testimonium*, procedebat eo tempore, quādo regulares & eorum Monasteria, subiecta erant Episcopis, iure ordinarios quæ dependentia in correctione, supplicio, aut aliquo alio, per priuilegia exemptionis iam diu ablata est, exceptis casibus expressis in Concilio Tridentino, de quibus præsens non est. Illa verba: *Locum vero semper attendat, &c.* explicata sunt vere, c. 60. n. 7. & 8. Quod verò dicat: *Abbas de suis eligat*, non tollit, quod c. 3. generaliter disponit de consilio, & quod in eo quælibet Congregatio, particulari diffinitione, decreuerit. Illud autem. *Regulam à Decanis constitutam de Regula*, id est doctrina, aut disciplina intelligit, cū Menardo Haesten<sup>o</sup>, lib. 1. tract. 6. disq. 5. & placet.

## III.

Litera exprimitur.

## De Ordinibus Congregationis.

## CAPIT. LXIII.

TEXTVS

§. I.



ORDINES suos in Monasterio ita conseruent, ut conuersionis tempus, & vitæ meritum discernit, vel Abbas constituerit. Qui Abbas non conturbet gregem sibi commissum, nec quasi libera utens potestate, iniuste disponat aliquid, sed cogitet semper quod de omnibus iudicijs, & operibus suis redditurus est Deo rationem. Ergo secundum ordines suos, quos constituerit, vel quos habuerint ipsi Fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad Psalmum imponendum, in choro standum. Et in omnibus omnino locis, ætas non discernatur in ordine, nec præ-

prauidicet, quia a Samuel & b Daniel pueri Presbyteros iudicauerunt. a 1. Reg. 7.  
 Ergo exceptis his quos (ut diximus) altiori cōsilio, Abbas pratulerit, vel de  
 gradauerit, certis ex causis, reliqui omnes, ut conuertuntur, ita sint. Ut  
 b Dan. 3.  
 (verbi gratia) qui secunda diei hora uenerit in Monasterio iuniorem se-  
 nouerit illo esse, qui prima hora diei uenit, cuiuslibet aetatis, aut digni-  
 tatis sit. Pueris uerò, per omnia, ab omnibus, disciplina teneatur. Iuniores  
 igitur Priores suos honorent, Priores iuniores suos diligant.

S. II.

In ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro appellari  
 nomine, sed Priores iuniores suos, fratres nominent, iuniores autem, Priores  
 suos, Nonos uocent, quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem qui  
 uices Christi agere uidetur, Dominus & Abbas uocetur, non sua assump-  
 tione, sed honore & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat.  
 ut dignus sit tali honore. Ubicumque autem sibi obiant Fratres, iunior à  
 Priore benedictionem petat, transeunte maiore, minor surgat, & det ei lo-  
 cum sedendi; nec presumat iunior consedere, nisi ei præcipiat senior suus,  
 ut fiat quod scriptum est, honore inuicem præuenientes. c Pueri uel  
 adolescentes, in Oratorio, uel ad mensam, cum disciplina ordines suos con-  
 sequantur: foris autem, uel ubi ubi, costodiam habeant, & disciplinam,  
 usque dum ad intelligibilem aetatem perueniant.

NOTÆ.

I.  
 Ordinis gra-  
 duū triplex  
 modus.

**T**RACTAT hic Sanctiss. Pater, totius ordinis in Conuentu ama-  
 tor, de gradibus & antelationibus ser-  
 uandis, idque duplici uia, prius quantū  
 ad locum, quem quisque tenere de-  
 bet: deinde quantum ad uocabula &  
 honores Nominum, quibus debeant  
 appellari. De Priori, tripliciter designa-  
 tur ordo. Primò, iuxta conuersionis tem-  
 pus. Secundò, iuxta uita meritū. Tertiò  
 prout Abbas constituerit. Primus ordo  
 qui generalis & cōmunis est, sumitur  
 ab hora sui ingressus & admissionis, ut  
 nūc à susceptione habitus Nouitiū, tūc  
 à susceptione in Nouitium, etiā si habi-  
 tus nō mutaretur, iuxta dicta c. 58. n. 17.  
 & exemplū, sub v. g. Ipse ponit, in ue-  
 niente hora prima, ut præcedat eum,  
 qui hora secunda uenit. Quod ad uir-  
 guem expressum est in Regula S. Pa-  
 chomii in præfatione à S. Hieronymo  
 adiecta, ubi ait: Quicumque Monasteriū  
 primus ingreditur, primus sedet, primus  
 ambulat, primus Psalmum dicit, Prior in  
 Ecclesia communicat, non aetas inter eos  
 queritur, sed professio. Quod fere idem  
 postmodum, ex S. Fructuoso & Hido-

Primus.

ro, adducit in præfationum Smarag-  
 dus, & est communis & recepta præ-  
 cedentia, ut qui Prior est tempore, po-  
 tior sit iure, cap. 54. de Regul. iur. in 6.

Secundus ordo, iuxta uita meritum,  
 declaratus est. Capit. 60. 61. & 62. & ad  
 ipsum reducitur tertius, scilicet, ut  
 Abbas constituerit, quia constitutio  
 Abbatis, non est utendo libera potesta-  
 te, iniuste disponēdo aliquid, sed attentis  
 meritis, uel officio, aut alia rationabili  
 causa. Quæ quidē ex diuina lege obligant,  
 tanquam præcepta iustitiæ, ad pri-  
 mam Classē redducenda, prout in  
 Introd. art. 6. Sic ergo, iuste ordinatis  
 gradibus, iubet ut Fratres sic accedant  
 ad pacem, scilicet, quæ datur commu-  
 nicaturis, Ad communionem, quā post  
 pacem, Cōuentualiter, de manu Sacer-  
 dotis, qui nō sunt Sacerdotes, suscipiūt  
 statutis diebus, de quo sup. c. 38. n. 3. &  
 4. Ad Psalmum imponendū, id est, cantu  
 incipiendū, Ad standum in Choro, &c.  
 Ita ut aetas minor, aut dignitas quam  
 quis in seculo obtineat, nulli præiudi-  
 cet, quandiu, aliqua ratione ex dictis,  
 promotio non fiat ab Abbate, ut notauit

II.  
 Secundus,  
 & tertius.

ad caput. 61. num. 4. Et in hoc recolenda est exceptio illius vocis, *Priores*, iuxta dicta à me caput. 6. num. 6. & 7. hic enim est idem atque *Maiores*, vel *seniores*, respectu iuniorum & minorum, prout indifferenter utitur eisdem nominibus, cognito & necessario sensu.

## III.

Nominum appellatio Monastica.

Secquitur autem de altera graduatione, inquit: *In ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro appellari nomine.* Vbi: *Puro*, id est solo, & sine addito, sic hastam sine ferro, puram dixit Virg. *Ænei*. 6. *pura iuuenis qui nititur hasta.* Attamen quid adiungendum sit nominibus propriis, determinat sic: *Priores*, id est maiores seu seniores, appellantur *iuniores*, hoc est minores seu inferiores suos, *Fratres*. At vero e converso, ipsi *iuniores*, *Priores* suos *Nonos* vocent, quod intelligitur *paterna reuerentia*, quasi ea voce appellentur *Patres*. Ad quam normam D. Bonaventura non ignarus Regule S. Benedicti, cuius mentionem facit sæpius, in *Speculo disciplinae*. Sic ibi *part. 1. cap. 6.* ait: *Nullus frater est puro nomine appellandus, sed proprio nomini apponendum est semper, Religiosæ prænominationis in signo sed neque solo cognomine, vel nomine patriæ, pura Lombardus, vel Gallicus, &c.* Quæ ad serium, & decentem modum tractandi conducunt, ne ipsa nimium familiaris colloquutio, ioci, contemptusque causa sit.

## III.

Fratris nominatio.

Nomen autem *Fratris*, quod iam ferè omni Religioso accessit, satis est notum, sicut in Monialibus nomen *Sororis*, & utrumque in Hispania, truncata dictione vulgo. *Fray*. & *Sor*. Quod ad eò in communi nomenclatura conuuluit, ut etiam si aliquem vulgari lingua appellemus *Hermano*, adhuc tamen compellatio *Fratris* in dictione *Fray*, retineatur, ut reuera geminatio nominis *Fratris*, aut significationis sit. Quod etiam in Abbate contingit, qui *Pater Abbas* appellatur, cum tamen *Abbas*, idem sit, quod *Pater*. Attamen non in totum geminationes inertes, quibus videmus vsos Christum *Marci*, cap. 24. & Paulum, *Rom.* 8. vbi *Lyra*, ait esse, ad

designandam duplicem Dei paternitatem, scilicet nature & gratiæ, & *Salmeron. dis. 15. ad maiorem vehementiam & fiduciam impetrandi.* Atque in nostro exemplo, ut non qualicumque amore Fraternalitatis, & Paternitatis ferueant, sed duplicato igniti Eliæ spiritu, artificioso spiritus impetu, rota in medio rote velociter currat.

Quod attinet ad significationem *Noni*, acquiescendum est omnino explicationi, quam ipse S. Benedictus, adhibet, ut importet *Paternalem reuerentiam*. Exhinc, ait *Sebastianus Co-uarrubias*, in *Thesauro ling. Hispanæ*, verb. *Don*. defumpisse S. Brunum aut eius successores morem vocandi *Carthusienses Monachos*, *Don*. loco *Fratris*. Sed deceptio est ex errore dictionis, legendo *Donos* vbi *Regula*, *Nonos* dicit. Tametsi, in Italia, non solum *Cassinenses*, sed etiam *Cistercienses Monachi*, ad differentiam (ut aiunt) *Religiosorum Fratrum Mendicantium*, appellentur *Don*. Attamen ex *Regula* id non est, neque verba ipsius S. Benedicti, in apparitionibus miraculosis, suffragantur appellationi, qui semper *Frater Benedictum*, se nominat, de quo testimonia dedi, in *NOTIS* ad inscriptionem *Regule* in principio, num. 3. Ipseque D. *BERNARDUS* sæpius in *Epistolis*, *Frater Bernardus* inscribitur. Atque de antiqua propria & retinenda *Fratris* appellatione, omnibus Regularibus, etiam Canonice, adducit satis plura *Ioannes Le Paige* in *sua Bibliotheca Præmonstratensi*, lib. 2. caput. 5. *primæ part. pag. 206.* & consentit nobiscum *Hæftenus*, lib. 3. tract. 4. *disquis. 2.* In nostra autem *Congregatione Hodie*, adhuc in praxi, viget consuetudo nominandi *Nonos*, quando in *Capitulari Tabula*, *Sabbato*, post *Præiosam*, pronuntiantur officia, in qua pronuntians, quemcumque sibi maiorem, *Nonum* dicit, inferiorem vero *Fraterem*. Ut non indigeret ad hoc, *Magist. Antonius Yepes*, testimonio *Arnoldi Vuion*, lib. 2. *ligni vitæ*, caput. 61. quod adducit, *rom. 3. Chronic. in Appendici*, ad *Can. 54. Concil. Aquisgranens.* quasi

I duplicatio significati.

## V.

Noni appellatio.

Don non ex Regula Monachis.

vetustate opus esset, ad credendum vsum, vicinum sibi, & nunc in viridi obferatione vigentem. Atque vtraque appellatio satis, iuxta REGVLAM à nostris aptata est, dum Monachos Sacerdotes, qui cum Præsbyteratu, & nomine & officio senes sunt, *Patres*, ceteros, *Fratres* appellamus, vt generaliter vbi que fit.

IV.  
Domni appellatio.

Procedit autem textus, dicens: *Abbas, qui Christi vices agere videtur, Dominus, & Abbas vocetur.* Vox vero illa *Dominus*, idem est ac, *Dominus* detracta vna litera, in cognitionem Diuini dominij, respectu Dei, qui absolute est *Dominus*, & *Dominus Dominantium*. Quod aduertit supra Couarrubias citatus & ita retentum esse in precibus Rogationum, vt *Domnum Apostolicum* &c. & in petendis benedictionibus, cum, *Domine iube benedicere*, proferimus. Atque datum esse & sanctis & clarissimis viris, & fæminis, annotat Baronijs, ad ann. 416. ex libris Euodij, Episcopi Vzalenfis, de miraculis S. Stephani. Et ita promiscue, ea vtitur voce, Petrus Venerab. lib. 1. Epist. 15. & lib. 2. Epist. 2. & alias sæpe, sicut alij plures. Regibusque similiter aptatum fuisse, testis est author Anonymus in *Vita S. Genulphi*, lib. 2. capit. 7. ibi: *Domno Pipino Regi*, & rursum, capit. 5. & 8. & sæpe alias. Apud nos autem, respectu Abbatibus, ista nuncupatio commutata est in *Don*, qua vtimur maximè, in instrumentis publicis, nam hæc, breuiata dictio *Domini* est, & ita conformiter ad *Domnum* REGVLÆ.

VII.  
Notatio circumstantiamque appellatiõne

Circa vtrumque tamen. *Nonum*, & *Domunum*, non omitto aduertere in aliorum opinione, non multum inter se differre, cum vtrumque maioritatem præ se ferat. Sic Hiribertus Rosuueidus, in editione sua de *Vitis-Patrum*, lib. 5. libel. 18. ad ea verba: *Hæc vestra, & mea est amma*, &c. habet ad marginem: *Amma honoris causa vocatur*, atque ibidem, annot. 46. ait, alios ibi posuisse. *Nonam*, alios, *Domnam*, & priorem lectionem præfert, ex Palladio, & alijs, scilicet *Ammam*: cuius explicatio-

Amma quid?

nem adiungit citatus locus, dicens: *Hoc enim in ea, vocant fæminas spirituales.* Neque multum differt Hieronymus, epist. ad Eustoch. vbi de viduis ait. *Quia maritorum expertæ dominatum, vauitatis præferunt libertatem, castæ vocantur, & Nonæ.* Et suo modo Xiphilinus, in *Domiciano*, virgines appellat *Nonas*, vtique honoris & reuerentiæ causa.

¶ Quapropter non est admittenda coniectura Ludouici Cerda, in *Aduers. sacris*, capit. 66. qui locum nostræ REGVLÆ adducens, vt *Priores suos vocent Nonos*: addit: *Ego autem Nonos intelligerem, vnde, & Don, est apud nostros*, non enim bene coniectatur, *Lapsus cū Episcopo Vrgel. & cum Cobarrubia, sup. num. 5.* Nam lectio *Nonos*, legitima est, & ipse etiam ex Floriardo, lib. 3. *Hist. Remens.* quem adducit, negare nõ potest. ¶ Super reuerentiam autem, quam indicat vox *Nonus*, addit quandam excellentiam superioritatis & dominationis, vox *Domnus*, in rigore vocabuli: quo vtitur recte S. Benedictus. Ideoque vox illa *Amma*, magis cõsentire videtur cum *Domna*. Ad quod mihi auxiliatur Ioan. Goropius Becanus, lib. 1. de origin. Antuerp. vbi sugillans gentem Hispanam. In magnificis titulis tri- buendis, etiam, indignissimo cuique, & vnde? nimio plus liberalem, imo & prodigam, (quod nostro fere seculo ita fuit, donec Regia prægmatica lege abusus anno 1586. prorsus sublatus est) addit ad propositum, quod, recens subiugati, Gothos & ceteros Germanos cepere omnes *Dominos*, *Amos* vocare, &c. Quæ vox *Amo*, hodie in vsu pro Domino, & Hispanè etiam *Dueño*. Aliter de *Ama*, Ioan. Caram. in *Reg. num.* 128. ex Hæbræo, at non Hebraizo ob id etiam alias peregrinas ethymologias *Noni*, relinquo Hæsteno, lib. 3. tract. 4. disq. 3. sicut & alia Rosuueido in *Onomastico* verb. *Nonas*, vt sit satis de *Nonis*.

Cerde coniectura.

XI  
idigillanti

Amo quid, vnde?

VIII.  
Aliqua textus remissio.

Ait deinceps textus: *Vbicumque autem se obuiant fratres, Prior à iunioribus benedictionem petat*, &c. Nota quam cõsequens & perpetuus semper, in acceptione *Prioris*, non pro determinato officio

ficio

ficio *Præpositi*, sed pro maiore, aut seniore, *vt capit. 6.* probaui. Reliquum de petenda benedictione, explicui *sup. capit. 53. num. 21.* Quæ verò vltimò addit de pueris (nam cetera peruia sunt) dicta sunt alibi a me, *sup. maxime, capit. 30. & 59.* & sufficienter, pro re, quæ quoad susceptionem Monasticam, iam ea omnino cessauit, noua Pontificum & Conciliorum dispositione, & quoad alia, videtur laudabiliter omiſſa, si assentimur iudicio Cardin. Petri Damiani, qui *Epist. 38. ad Tesiderium in fine,* loquens de Monasterio Cassini ait: *Inter ceteros autem virtutum flores, quos in illo agro pleno, cui benedixit Dominus reperi, fateor hoc mihi non mediocriter placuit, quod ibi scholas puerorum, qui sæpe rigorem sanctitatis eneruant, non inueni, sed omnes, aut senes, cum quibus utique nobilis vir, sedebit in portis Ecclesie, aut iuuenili viuendi decore lactantes, &c.*

IX.  
Oblatorum  
intelligibili-  
lis ætas quæ?

Nihilominus vt declarem illud: *Vſque dum ad intelligibilem ætatem perueniant,* in confirmationem eorum, quæ de iisdem dixi, *capit. 30. num. 1. & 2. & capit. 59. num. 3.* dico hic similiter intelligibilem ætatem poni pro pubertate, scilicet quartodecimo anno cõpleto, quo tempore, perseueraturi debebant confirmare professionem, in pueritia, & eius oblatione factam. Sic, eodem sensu, loquutum est Concilium Aquigran. *Can. 36. disponens. Vt Pater aut Mater, tempore oblationis, offerant puerum altari, & petitionem (id est professionem) pro eo, coram testibus laicis faciant, quam, tempore intelligibi, ipse puer confirmet.* Id quod tandem ipsa REGVLA infra *Capit. 70.* declarat distinctè, quod antea non fecerat, illis verbis: *Vſque ad quintum decimum annum ætatis, &c.* quem assignat, vel exclusiue sumpto, vel incepto, quia in quartodecimo pleno, completur pubertas, & ea erat antiquo iure professionis ætas in Religione, quæ hodie ad decimum sextum completum prorogata est, per Concil. Trident. *sess. 25. de Regular. capit. 15.* Quam resolutionem modo dicto ex-

plicatam, tuentur etiam, pluribus citatis, Constantinus Caietanus, in Scholijs ad Petr. Damian. *circa Opusc. 16. editionis suæ, & latius Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 6. capit. 3.* non obstante sententia quam in causa Roberti, D. Bernardi nepotis (vt *Epist. 1. refertur*) in contrarium videtur tulisse Pontifex, cui satisfacit. Ac minus obstante alia pubertatis diuersitate, adducta à Laurentio de Labarre, in *annotat. Tertull. lib. de Veland. Virg.*

In quanta teneritudine ætatis, recipere pueri, non constat determinate ex REGVLA, licet, *capit. 59.* dicat, *si in minori ætate sunt, & cetera illa, vt inuoluant manum pueri palla altaris, etiam infantiam videtur innuere, quo nomine, capit. 37.* vt ut de senibus vel infantibus. Non tamen ex his integrum est diffinire, susceptionem esse ante rationis vsum. Nimiùm enim improporcionata ætas videtur, ad commorandum in monasterio. Nec assequitur id testimonium Petri Damiani, *Ser. 60. in Vigilia Natal. Dom.* vbi de huiusmodi pueris ait: *Sed & pueros aspexi, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistra. Sibi ad inuicem Psalteria inuidere, &c.* Nam cum loquatur de pueris, iam Psalmodum lectioni, cantuique incumbentibus, videtur intelligi de pueris, qui saltem ad septenium & amplius processerunt, qui tamen, præ nimia puerilitate, dicuntur ignorare quid sit inter dexteram & sinistram, sicut & infantes dicuntur etiam si loqui sciunt, quod negat significatio infantie.

Sed nihilominus, REGVLA pueros admittit, & infantes. Pueritiam autem vſque ad quartumdecimum annum excurrere, infantiam vſque ad septimum, Hidorus, *lib. 11. Etim. capit. 2.* docet, & in idem Ambros. *Epist. 39.* vbi ait: *Prima ætas infantia vſque ad emissionem sit dentium, quibus conficiat cibum, sermonemque distinguat, vt possit effabilis videri. pueritia vſque ad annos pubertatis procedit, &c.* Eisdemque terminis loquuntur Canones, *Capit. infans. & capit. Audistis 20. q. 1.* Quare non est cur

X.  
Difficultas  
de ætate ob-  
latorum.

XI.  
Resoluitur.

cur fugiamus concedere, etiam ante  
vsum rationis, fieri solitam hanc infan-  
tium oblationem, ad instar Samuelis  
ablactati & in templo oblati, cuius  
exemplum adducitur, *capit. Quicum-  
que 20. quæst. 1. citata*, & de D. Thoma  
Aquinate quinquenni, oblato Casi-  
nensi Monasterio, apparet ex eius vita,  
& ante eum alii pari etate. Atque ita  
lare docet, & defendit Suarez, *tom. 3. de  
Relig. lib. 5. capit. 1. á num. 10. & capit. 2.  
ex Innocentio, Panormit, pluribusque  
decretis. Et de eodem S. Basilius, in  
Regul. fusior. 15. & ante eum S. Pachomius,  
num. 96. & 97. Remque Lucu-  
lenter tractat citatus Suarez, & post-*

quam licitum, & rite vsitatum fuisse  
demonstrat, subinde, *capit. 3. iam vt plu-  
rimum, non expediens fuisse iudicat,  
propter rationes ab ipso allatas. Quarum  
incommoda, licet magis vitari in Mo-  
nachalibus Religionibus credat: in eis  
tamen Card. Damian. citatus ea inue-  
nit, & experientia, processu temporum  
docuit, vt iam inde, etiam rite & recte,  
abolita sit hæc dispositio REGVLÆ, vt  
dixi num. 8. De quo, sicut & de simili-  
bus antiquitatis moribus, plura nouis-  
sime congerit Benedictus Hæftenus,  
*Disquis. Monast. lib. 4. tract. 1. præter-  
eunda mihi, consultò iuxta meum pro-  
positum.**

## De Ordinando Abbate.

## CAPIT. LXIII.

TEXTVS.

§. I.

**I**N Abbatis ordinatione, illa semper consideretur ratio, vt hic  
constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio, secundum ti-  
morem Dei, sine etiam pars quamuis parua congregationis sa-  
niori consilio elegerit, vita autem merito & sapientia doctrina eligatur,  
qui ordinandus est, etiam si ultimus fuerit in ordine Congregationis.  
Quod si etiam omnis Congregatio, vitis suis (quod quidem absit) consen-  
tientem personam, pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus, in noti-  
tiam peruenierint Episcopi, (ad cuius diocesim pertinet locus ipse) vel Ab-  
batibus, aut Christianis vicinis, claruerint, prohibeant prauorum præuale-  
re consilium, & domui Dei dignum constituant dispensatorem: scientes  
pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste & zelo Dei faciant,  
sicut è contrario, peccatum incururos, si negligant.

§. II.

Ordinatus autem Abbas cogitet semper, quale onus suscepit, & cui  
redditurus est rationem villicationis suæ, a Sciaturque sibi oportere, a Luca 16.  
prodesse magis, quam præesse. Oportet ergo eum esse doctum lege diuina, vt  
sciat unde proferat noua & vetera, castum, sobrium, misericordem, &  
semper superexaltet misericordiam iudicio, vt idem ipse cõsequatur. Ode-  
rit vitia, diligit Fratres. In ipsa autem correctione prudenter agat, &  
ne quid nimis, ne dum nimis cupit eradere eruginem, frangatur vas, suã  
que fragilitatem semper suspectus sit, memineritque b calamum qualatum  
non conterendum. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia,  
sed prudenter & cum charitate ea amputet: prout viderit cuique expedire,  
sicut iam diximus, & studeat plus amari quam timeri. Non sit turbulen-  
tus

b Isai. 42.

tus & anxius, non sit nimis & obstinatus, non sit zelotypus & nimis suspiciosus, quia numquam requiescet. In ipsis imperijs suis sit prouidus & consideratus, siue secundum Deum, siue secundum seculum sint. Opera qua iniungit, discernat & temperet, ut sit quod & fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipue ut præsentem Regulam, in omnibus conseruet, ut dum bene ministrauerit, audiat à Domino, quod seruus bonus, qui erogauit triticum conseruis suis in tempore suo: Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituet eum.

e Luc. 12.

NO T Æ.

I. **P**RIOR huius Cap. pars tota versatur, in modo eligendi Abbatem, quod ordinare, appellat, sicut & circa Præpositum Cap. sequente, ibi: Per ordinationem Præpositi, &c. Quo verbo vtuntur Pontifices, Gregorius, & Pelagius, in capit. Abbatem, 1. & 2. 18. q. 2. Hic autem modus ordinationis, aut electionis in hoc cap. dispositus, post statutam formam Canonice electionis, in Capit. Quia propter de elect. & aliis, Concilii similiter generalis decretis iam locum non habet. Neque postquã semel electus est Canonicè, à maiori parte, potest esse retractatio aut annullatio aliqua, nisi quando scienter eligitur indignus, ea indignitate, quæ in iure, etiam si a toto Capitulo fiat, irritatur, aut irritanda decernitur, vt ex capit. 25. & 26. de elect. & Panorm. in capit. ne Monachi, eod. tit. aliisque iuribus constat. Et ita quidquid, in forma eligendi, diuersum disponit REGVLA, & in recursum ad Episcopum loci, omnia cessarunt, nouorum iurium & priuilegiorum virtute, quibus & forma data est electionibus, & exemptio Religionibus concessa. Neque hic est, cur immoremur, cum ad terminos presentes, omnino redducenda sit obligatio & exequutio.

II. **A**bbatialis muneris potius timendum

Posterior autem pars Cap. coniungenda est cum Cap. 2. vbi descripsit & docuit: Qualis debeat esse Abbas, & quæ notari, pro meo assumpto, hic possunt dixi ibi, num. 1. & 2. Vtrobique vero, quantas & quales condiciones in Abbate requirat, si benè perpenditur & & recogitatur, mirum si non confunditur quis, & trepidat tanti muneris

subire molem, sub qua pressi gemere Gigantes. Ab ipso nomine terrorem incussit Goropius Becanus, lib. 1. de Originibus Antwerp. inquit: Magnum sibi nomen assumpsit, quisquis primus hoc sibi nomen (scilicet Abba tis) inter Monachos sumpsit, & subdit recolendo ingentem obligationem: Quoties Abba audit, ordinis sui originem in memoriam reuocet, ac singularem vitam austeritatem & puritatem eorum reuoluat, qui supremos sui ordinis homines ita nominarunt, &c. Sed quid opus est Goropio, vbi Chrysostomus, vbi Ambrosius, vbi Hieronimus, vbi Bernardus, vbi denique omnes sancti Patres, nobis hanc Prouidentiam in immensum formidabilem prædicant. Non frustra Sanctiss. BENEDICTVS, semel & iterum, de Abbate, capit. 2. & hoc capit. 64. sermonem instaurat, geminatio est, quæ ex rei momento, commendationem adauget. Non in vanum rationem villicationis, quam in presenti, ad cogitationem aduocat, toties alias inculcat, cap. 2. 3. 27. 55. 63. & 65. vt ad minus septies, in REGVLA, ad memoriam adducat; & vniuersitatis numero, indefinenter tremendi iudicij meminisse moneat. Que mihi, qui Ecclesiastem non ago, satis sit cum REGVLA ipsius litera ob oculos proposuisse.

III. **R**egula obseruatio est Abbatis præcipua obligatio. Inter illa verò quæ doctrinalia, & communia sunt omni Pastori, & Prælato, illud interserit, vt præcipue præsentem Regulam in omnibus conseruet. Quod copulandum est, cum eo quod capit. 3. dixit. Ipse tamen Abbas cum timore Dei & obseruatione Regulæ omnia

fa-

faciat. Hæc enim, ex REGVLÆ, ipsum in officio constituyente, præcipua illius obligatio ratione illius, vt Regulæ obseruatione, in se, & in Monasterio, totus iucumbat, prout ex iustitia tenetur iuxta notata, in *Introduc. Artic. II. num. 12.* Quare non extra propositum, in Congregationibus, vbi codices distribuuntur legendi, secundum præceptum REGVLÆ, vt vidimus sup. *capit. 48.* statutum est, vt Abbati semper ipse CODEX REGVLÆ designetur nempe hæc totum illius studium, exacta lectio, meditatio tota. Quam etiam cum baculo & annulo traddi, in benedictione solemnè Abbatis, constat ex *Tābur. rom. I. disp. II. q. 14. num. 31.*

III. *Significatio- nes ad id.* Nec discedit ab hoc, quod elicio ex *lib. 4. Chronic. Cassin. capit. 123.* vbi dum Leo Ostiensis refert, depositionem Reinaldi Abbatis, formam iuridicam enarrans, ait: *Sic illorum (nempe iudicum) iussu, astantibus omnibus, virgam, & annulum, & Regulam, supra corpus Sanctiss. Benedicti deposuit, vbi datur intelligi, dum destitutio dignitatis fiebat, per depositionem REGVLÆ, per eam*

etiam fieri institutionem; quia scilicet Abbatis, præter cetera insignia, non alia aptior, nec magis legitima institutio, quam per ipsum sanctæ Regulæ volumen. Quod idem Deus, de constituendo Rege præcipiens, in Deuteronomio *cap. 17.* cauit, dicens: *Describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, & habebit secundum, &c.* de Abbatis autem moribus & officio, habes, ex *capit. 2.* & in citatis ad *capit. 27.* supra De aliis vero Abbatis functionibus, iuxta dignitatem Pontificali vicinam, & iuxta prælaturam cum aliis ordinariam & communem, eiusque partes spiritualem & temporalem, paternam & iudicialē, &c. opus maius est, quam quod in commentarium REGVLÆ, nedum in has NOTAS LITERALES, deuoluendum sit, sed exacte requirendum ab aliis, diffusse de ijs tractatibus. Nobis autem libasse tantum necessaria satis; nam & in tractatu meo Monastico, de iure & potestate *Observantia nostræ*, ea munia Abbatialia omni Abbati communia protulimus.

*Cetera Abbatialia remissive.*

### De Præposito Monasterij.

### CAPIT. LXV.

TEXTVS.

S. I.



**SÆPIVS** quidem contingit, vt per ordinationem Præpositi, scandala grauia in Monasterijs oriantur, dum sunt aliqui, maligno spiritu superbiæ inflati, qui existimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyramidem, scandala nutriunt, & dissensiones in Congregatione faciunt, maxime in illis locis, vbi, ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur. Quod quàm sit absurdum, facile aduertitur, quia ab ipso initio ordinationis, materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur à cogitationibus suis, exutum se esse à potestate Abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur inuidia, rixæ, detractiões, emulationes, dissensiones, & inordinationes; & dum contraria sibi inuicem Abbas Præpositusque sentiunt, & ipsorum necesse est, sub hac dissensione, animas periclitari, & ij qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos

illos respicit in capite, qui talibus in ordinatione se fecerunt Authores, ideoque nos praevidemus expedire, propter pacis charitatisque custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterij sui, & si potest fieri, per Decanos ordinetur (ut antea disposuimus) omnis utilitas Monasterij, prout Abbas disposuerit, ut dum pluribus committitur, unus non superbiat.

§. II

Quod si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter, cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire, quemcumque elegerit, cum consilio fratrum, ordinet ipse sibi Praepositum. Qui tamen Praepositus illa agat, cum reuerentia, qua ab Abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens: quia quantum Praelatus est ceteris, tantum eum oportet sollicite obseruare praecipua Regulae. Qui Praepositus si repperitus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbiae, aut contemptor sanctae Regulae fuerit comprobatus, admoneatur verbis usque quater: si non emendauerit, adhibeatur ei correctio disciplinae Regularis. Quod si neque sic correxerit, tunc deiciatur de ordine Praepositurae, & alius qui dignus est, loco eius subrogetur. Quod si postea in Congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur; cogitet tamen Abbas, se de omnibus iudiciis suis, Deo redditurum rationem, ne forte inuidiae, aut zeli flamma, urat animam.

NOTÆ.

I.  
Praepositi no-  
men ex Reg.  
& extra.

POST ordinatam electionem Abbatis de Praeposito ordinando & instituendo, decernit, in hoc cap. in quo, quem nunc, aliquae Congregationes Priorem maiorem, aliae Priorem claustrari, seu Conuentus, vocant, & qui in eo, ab Abbate secundus est; eum proprio nomine Praepositi designat, & officium eius vocat Praeposituram, quibus nominibus, in REGULA, non utitur, nisi in hac tantum significatione, ut praecipuando difficultates aequiuocationis, in quas aliqui impegerunt, notauit, & probauit, cap. 6. num. 6. & 7. ut hinc, ibi & alias dicta, confirmes. Praeter Regulae phrasim, postea passim Prioris nomen increbuit, ita in iure capit. cum ad Monasterium, de statu Monach. ibi: Prior autem post Abbatem, &c. & extra Petrus Damianus, opusc. 13. de perfect. Monach. ubi post Abbatis Monitionem, suo ordine, cap. 16. procedit ad Priorem. Quo tamen nomine, utuntur plures Religiones, Monasticae & Mendicantes, ad proprium & principalem

Monasterii Praelatum significandum. Quem etiam alia, vel Ministrum, vel Guardianum, vel Rectorem, vel Correctorem, vel Commendatorem, &c. nuncupant, in quorum varietate attendenda est res, cui nomina debent deferri, capit. intelligentia, de verbor. signific.

Prima & praecipua huius, cap. pars, solum versatur, in ostendendis incommodis, & malis emergentibus in Monasterio, si Praepositus eligatur & constituitur in officio, independentem a voluntate & potestate Abbatis, prout alicubi tunc fieri insinuat, dicens: ubi ab eodem Sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus qui Abbatem ordinant, ab eisdem etiam Praepositus ordinatur. De quibus verbis, Smaragdus hic ait: Mos tunc erat ut quando Abbas ordinabatur, tunc ab eodem Episcopo & ab alijs, coram adstantibus Abbatibus, & Praepositus ordinaretur. Quare in textu, Sacerdotis nomine, intelligitur Episcopus Diocessanus, cui tunc suberant Monasteria sui loci & territorij. Sic in Regula

II.  
Incommoda  
electionis  
Praepositi.

Sacerdos  
Praesbyter  
S. pro Episcopo

S. Augustini, illis verbis: *Præposito tamquam Patri obediatur, multo magis Præsbytero, qui omnium vestrum curam gessit, &c.* Nomine Præpositi, intelligit Præfectum, seu Prælatum Monasterii, & nomine Præsbyteri, Episcopum loci ordinarium, vt docet Ioann. Le-Paige in sua Biblioth. Præmonstr. 1. par. lib. 1. capit. 13. Eo autem nomine *Sacerdotis*, vocatum fuisse antiquitus Episcopum, constat ex Decreto Gratiani, *dist. 61. per totam, & capit. olim, dist. 95.* & Hieronym. in *Epist. ad Tit. capit. 1.* & Seuerio Sulp. lib. 1. in *Vita S. Martini*, eoque nomine agit de Episcopatu, Chrysostomus, *tom. 5. in libris de Sacerdotio.* Nec dissentit Dionysius Areopag. de *Eccles. Hierar. capit. 1.* non semel, & Rupertus, *lib. 3. in Regulam.* Prædictum autem modum constituti Præpositum, omnino rejicit REGVLA, vt pernitiem Religioni ingerentem, quam loculenter & ad vnguem describit, & eam, vt ex ea radice auertat, decernit maximè expedire, in *Abbatis arbitrio pendere, ordinationem Monasterij sui, hoc est Præpositi, & officialium designationem, & amotionem.*

III. Subiungit deinde: *Si potest fieri per Decanos ordinetur, vt ante disposuimus: Quod ait, referendo se, ad capit. 21. vbi egit de Decanis.* Itaque è duobus modis gubernandi Coenobium, aut per Præpositum toti Coenotui Præfectum, aut per Decanos, distinctas Decanias regentes, in huc magis propendet, ex verbis dictis. Tamen alium etiam permittit, inquiens: *Si autem locus expetierit, aut Congregatio petierit rationabiliter, & Abbas iudicauerit expedire, &c.* Ex quo postquam modus ille electionis reprobatus, è medio sublatus est, & visum, Decanorum diuisionem, solum pro numerosis Monasteriis, posse practicari, & in Congregationibus erectis, pro paruis & pro magnis, vnum & idem regimen, magis expedire, illudque ad vnitatem, per Præpositum aptius redigere: datae optionis hac parte acceptata, ma-

nifestum est, alteram de Decanis, ex REGVLA, cessasse, quæ non vtramque simul, sed vnam aut alteram instituit. Ob id, c. 21. n. 3. dixi, eam dispositionem, conditionalem esse tantum. Atque deputatio illa duorum seniorum, tempore Quadragesimæ, vt notauimus, c. 48. nu. 17. diuersa est à nomine, & ratione Decaniam. Quamuis aduertam, videri vtrūq; admissum, iuxta illud Concilii Aquisgr. *Can. 55. ordinantis: Vt senior Decanus, reliquis Decanis præponatur, & Abbate, vel præposito presente, locum proprium teneat.* Quod quomodo practicauerint sicut alia illius Concilii, ignoratur. REGVLA vero non vtrumque, vt compatibile simul disponit, aut exigit, quamquam vtrumque, sine distinctione, recenset, Ascanius Tamburinius, *tom. 3. de iure Abb. disp. 2. q. 2.* qua opus erat, vt obligatio non super vtrumque, sed super alterutrum, cadere intelligatur, sub disunctione.

Huic autem parti, de gubernatione per Præpositum, ab Abbate constitutum fauet ferè vniuersalis consuetudo, quæ non solum post REGVLAM, sed etiã ante illam, videtur acceptabilior fuisse. Ad id adest autoritas D. Basilii, in *Regul. fufior. 45.* Vbi in titulo præmittit. *Quod præter Antistitem, alius etiã esse aliquis debeat, qui illo absente, aut aliqui occupatione aliqua distencto, fratrum ipse curam possit suscipere.* Atque in responsione inter alia, rationem reddit. *Vt qui remanserint vnius consilio gubernentur, neque absente Magistro, ad formam quandam popularis reipublice status familia tradducatur, atque eo modo Regula & traditæ disciplinæ seueritas minuatur.* Item in illis celeberrimis Aegypti Coenobijs, vbi intra idem Monasterium, plures domus erant, quarum quælibet ad quadraginta Monachos continebat iuxta D. Hieronymum, cuius verba dedi sup. c. 54. n. 3. cuiq; vnus Præpositus præficiabatur, vt constat ex ipsa Regula S. Pachomii, à n. 102. & deinceps. Et post S. Benedictum, præfati Concilii autoritas, in hac parte stat aperta,

III. Gubernatio per Præpositum optabilior & optata.

Can. 31. ubi ait: *Vt Præpositus intra, & extra Monasterium, post Abbatem, maiorem, reliquis Abbatis subditis, habeat potestatem.*

V.  
Præpositi  
obligatio.

Igitur, casu admissio, quod per Præpositum sit gubernanda domus, adhibet in primis modum, *ut quemcumque elegerit Abbas, cum consilio Fratrum timentium Deum, ordinet sibi Præpositum.* Vbi Consilio ait, non utique voto decisivo, sed consultiuo tantum: & ita apud Nostros. Subdit vero statim, *ut sic electus Præpositus, illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint, & reliqua quæ, de suo munere peragendo, sollicitè obseruando præcepta Regulæ, prosequitur, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens.* Ut scilicet, *in dilectione Abbatis sui, Fratres studeat vnanimiter confouere, quæ verba sunt Petri Damiani citati, numer. I. sup.* Atque in eo, vertitur omnis officii cardo; ob id forte, non aliàs expressit qualitates, quibus carere non debet Præpositus; in quo Innocentius III. *capit. cum ad Monasterium, citato petit, ut, præ cæteris, post Abbatem, sit potens in opere & sermone: ut exemplo vita, verboque doctrina, Fratres suos instruere possit, &c.* In qua doctrinali peritia, aliquid potest interdum, Abbatis sufficientia suppleri: illud verò prius indispensabile est, & erit oppositum, ex peculiari debito iustitiæ, culpabile, quantum de vnitæte, & pace, ac debita Abbati dilectione & reuerentia, in se vel in subditis detraxerit inconsideratus Præpositus, cuius elationem tantopere detestatur Regula, quæ talem præsumptionem in suum Abbatem redundantem non expressit forte, quia nec præsumpsit.

VI.  
Dubium de  
electione  
Præpositi.

Casu itaque admissio, circa modum inquit: *Ut quemcumque elegerit Abbas cum consilio Fratrum ordinet sibi in Præpositum.* Dum Consilio ait, non utique voto decisivo: & quæri potest specialius de Abbate, an debeat eli-

gere digniorem, & similiter de consulentibus. Pars affirmans videtur suaderi, autoritate Innocentii supra posita, quæ proprie de Præposito loquitur. Cui adiungi possunt aliæ, quæ ex sacris literis, Conciliorum Decretis, & Sanctorum dictis, generaliter adducuntur ab authoribus, ut à Lessio, *lib. 2. capit. 34. dub. 14. &c.* Exigentes maiorem idoneitatem, & potiora merita esse præferenda: Similiter suaderi potest rationibus, ex iustitiæ distributiæ obligatione petitis, & vitanda personarum acceptione. Quæ sicut in Principe, Episcopo, aut Abbate, distribuente, vel conferente beneficia, aut officia, ita & in suffragiis concurrentibus ad eundem effectum, locum habent: Quæ latè, apud præcitatum Authorem, & quos ipse citat, suppono, ad hanc (sicut & alias) resolutionem prosequendam.

Et in præsentia: Censeo Abbatem non teneri, eligere in Præpositum, digniorem; sed satis esse, ut & REGVLÆ, & conscientię satisfaciatur, eligere idoneum & dignum. Electio enim indigni & inepti, dignis existentibus, semper sub mortali culpa, & sub illati subinde damni satisfactione, in quolibet officio, & munere grauis momenti præclusa est, ut tetigi ad *capit. 31. num. 5.* Ea autem assertio suadetur. Primò: Ex REGVLÆ, in hoc *capit.* ubi non petit amplius ad Præpositum, nisi ut eligat Abbas, *quemcumque, cum consilio Fratrum timentium Deum; & capit. 21.* ubi cum Decanorum institutione, & depositione, Præpositum etiam inuoluit, ait: *alter loco eius, qui dignus est, subrogetur.* Secundò: Quia Præpositus est de illis officialibus & ministris, qui dati sunt Abbati, quasi solaria (ut verbis utar REGVLÆ) & adiutores, ex quo ipse Constitutus est, ut gubernet Monasterium, per personas sibi subditas, quæ sibi sint aptæ, & sicut per *arbitrium Abbatis, positæ, ita & eius nutu amouibiles, ut cauetur in iuribus addu-*

VII.  
Dignus sufficit eligi in Præpositum

ctis,

Etis, citato *capit. 31. num. 4.* Sed hæc omnia non important maiorem obligationem, quam constituendi dignum & idoneum, ergo non est afferenda maior.

VIII.  
*probatnr.*

Assumpta propositio probatur, in primis similitudine œconomi, qui circa operarios, non obligatur ex iustitia distributiua illis, ad accipiendum digniores, ergo Abbas ad gubernationem sibi subiectam, satisfaciet, eligendo sibi coadiutores dignos. Deinde paritate Prouisoris, seu Officialis Vicarii Episcopi, cuius officium, sicut & Fiscalis, & similibus, licite conferri dignis, tenet Sanchez, *tom. 2. consil. lib. 2. capit. 1. dub. 39.* ex eo quod ibi, deficit obligatio iustitiæ distributiuæ propriæ; cuius indicium reputat, quod ab Episcopo, sine aliorum suffragijs, utique decisiuus, confertur; nec teneatur necessario eligere ex eadem Diœcesi. Quod pariformiter currit, in ordinatione Præpositi, sola decisione Abbatis eligendi sine restrictione necessaria ad Monachos Monasterii, cum ex aliis frequenter libere adducatur, ut fiat Conuentualis Monasterii, cui præponendus est. Præterea quia amplius in conscientia exigere, esset nimis rigorosum & scrupulis plenum, & à communi timoratorum praxi alienū. Quod sicut in Præposito dicimus, ita & in aliis officiis inferioribus, quæ ab Abbate solum dependent, & suo arbitrio relinquuntur, siue intra, siue extra Monasterium intelligendum est, dum ab ipso etiam solo decisua pendeat amotio.

*Idem est de alijs officijs.*

IX.  
*Responsio ad opposita.*

Ad opposita vero respondetur: Ad authoritatem Innocentii; Nihil ibi de electione determinari, solum describi Prioris, seu Præpositi functiones ex officio, quas post Abbatem exercent, in quibus desiderat, ut Abbas omnibus præcellat, & Præpositus post Abbatem cæteris, insinuans obligationem cuiusque, ad eam suo ordine præstandam, quoad fieri possit. Ad cætera adducta: Respondet vno verbo

procedere de electionibus Prelaturæ, curam ordinariam spiritualem animarum habentis, qualis est Abbatia, & similes quæ cum præcipuis curatis, & aliis beneficiis, ac muneribus alterius rationis, comparantur. In quibus omnino admitto, & admittendum puto, obligationem grauem eligendi digniorem; non solum, quando ex Constitutione Congregationis, aut stilo Monasterii, iuramentum interuenit, de eligendo digniore, quod sub periurii onere certum est: sed eo etiam secluso, ex propria natura, & grauitate materiæ, quam agnoscunt vtraque Theologorum & Canonistarum Clasis, si vnum demas Filiucium, cui nec ipse Diana citandus, quantumuis benignus, ausus est consentire, & tanquam à recta & trita via singulariter denium, ut nullum reputandum, in hac res; & ita in hoc subscribo Lessio supra citato, & Thomæ Sanchez, *tom. 2. consil. lib. 2. capit. 1. dub. 2. num. 19. 20. & 28.* cum his, quos ipsi latissime citant, quibus adde Dianam, *2. part. tract. 1. misc. Resol. 61.* cum Barbosa quem ipse *33.* Authores citantem, etiã citat, & Tamburin. *tom. 1. disp. 5. q. 13.* & citatis ab eo.

Officia verò, de quibus similiter sentiendum est, sicut de Præposito dictum est, sunt v. g. Subprior, Cellarius, Sacrista, Magister Nouitiorum, aut qui simili modo dependeat à solo Abbatis arbitrio, & à fortiori currit in eis ratio. Atque idem censeo, de Confessoribus Conuentus, licet in eis videatur maior difficultas, propter munus pertinens ad salutem spiritualem animæ. Sed nihilominus & ipsi, solum se habent, sicut officiales ad partem muneris, & ut operarios Abbati ascitos, pro proprio arbitrio & electione, & ita satis est ab Abbate designari dignos, & idoneos. Et confirmatur, quia ea electio confessorum, solum est quasi approbatio quædam pro suo Monasterio, ad modum, quo Episcopus approbat, pro sua Diœcesi, sed ad hoc sa-

*In Abbatem eligendus dignior.*

X.  
*Officia quibus sufficit dignus.*

*De Confessoribus, &c.*

tis est esse idoneos, nec amplius petit Concilium Tridentin. *sess. 23. de Reform. capit. 15.* Imo, & extendo ad Monachum, quem Abbas ex approbato ab ordinario, subrogat loco sui, in Parochia, cuius ipse Abbas Parochus est. Sic enim vidimus supra *numer. 8.* ex Sanchez non requiri amplius in Vicario, quem generalem officialem suæ Curæ, eligit Episcopus. Atque etiam extenderem ad eos quos eligit, vel deputat Abbas, grangijs Curam habentibus. Nam & talia beneficia Manualia & ad nutum amobilia sunt, ubi non interuenit concursus plurium, tanquam ex iustitia distributiva competentium; nec alligata sit prorsus ea vi prouisio inter Monachos ad actuales, vel proprios filios Monasterij, sed solitum interdum, vel extraneos aliunde aduocare. Quæ omnia deficere videntur, ad exigendam tantam obligationem, sub mortali peccato, sicut in Prælaturis, & perpetuis beneficiis dicebamus, *nu. 9.* nec aliud ex communi praxi docemur.

## XI.

De votis consultiuis, quid

Quia tamen in quæstione proposita, *numer. 6.* non solum de Abbate eligente, sed etiam de iis, qui suffragiis etiam secretis, & ex REGULA consultiuè concurrunt, quærebat: In his etiam censeo, satis esse consulere de digno, nec teneri de digniori, tam in præposito, quam in aliis similibus enumeratis. Ratio est omnino consequens, vt non exigatur maior obligatio in suffragio consultiuo, quam exigitur in ipso Abbate decisiuè eligente: Et confirmatur, quia minus influunt in effectum consultationes, quas alius sequi nullatenus tenetur, quam ipsa efficax & libera decisio, sed hæc satisfacit eligendo dignum, ergo & ille consulendo. Imo, & adeo totum deuoluitur ad Abbatem, in his casibus, & in eius arbitrio rationabili consistit, ex conceptu consentium, vt licet consultatio, tum ex REGULA, tum ex diffinitionibus iubeatur, & fiat; sed ex inde ab aliquibus, ita sine delectu, vt potius ioco-

se videantur ludere nominibus, ridicule suffragando pro ineptissimis. Quod tamen grauitate Religiosa indignum est, & peccatum contra REGVLAM, *capit. 3.* & alias (vt in præsentia) requirentem feriam, & *timendum Deum* consultationem: quam etiam iura sepe, cum irritatione actus, si omittatur, imponunt, & quæ vt instruat, & inducat, sua directione, & suggestionem, animum Prælati, inuenta & ordinata est. Quapropter ea abuti, & veluti contemptui habere, est reprehensione dignum, & forte aliquando, non solum regularis obseruationis leui culpa transgressio.

## XII.

Addidi etiam in assertione *num. 7.* electionem indigni, semper sub graui peccato, damnandam, quod de verè & absolutè indigno intelligendum est. Nam tale esse potest officium, & tali occasione, vt qualibet aptitudo, dignitas reputetur. Adiunxi tamen ibidem id esse *existentibus dignis*: Vt si forsitam tam depauperata fuerit aliqua infelix communitas, vt Abbas nō habeat dignos & idoneos ministros, quos in partem muneris eligat, neque ex aliis Monasterijs, sit possibile sibi prouidere, salua Dei offensa, quæ vel pro vniuersi mundi lucro, admittenda, cum detrimento animæ, non est; de cætero, etiã si laborem ingentem, & fortunarum dispendium patiat, tamen indignum eligere licebit. Hoc aliquando sustinendum docuit D. Bernardus, *lib. 4. de consider. cap. 6.* qui loquens ad Papam Eugenium discipulum eius, de gubernatione domestica, ait: *Procurandus quem implices, qui pro te molat, &c.* & in constituendo eo, & præficiendo domui subiungit, *memento fidelem, qui agere nihilominus pro ratione volet. attende prudentem, qui agere nihilominus, pro ratione sciet, &c.* & inferius: *Si quominus aut fidelis inueniatur, aut prudens, fideli potius committendum. Sane è duobus tutius hoc. Quamquam si idoneus non reperitur, & si minus fidelem sustinere potius consulo, quam te immergere labyrintho huic. Memento Saluatorem, Iudam*

*æconomum habuisse.* Et ego tantundem dico: ea limitatione adiecta, vt si per se potest Abbas, salua præcipua cura spiritali, non abhorreat immergi labyrintho, à quo Bernardus deterreret Pontificem, iuxta latius dicta ad capit. 32. à num. 3. cum sequentibus.

Sed cum sint in Monasterio aliqua munia, quorum electio fit per vota decisua Abbatis & Conuentus, siue totius, siue partis, quale est apud aliquos officium Consiliarium, seu Deputatorum, qui simul cum Abbate, in casibus certis, requiruntur; & officium Calculatorum, seu exigentium ratiocinia rei familiaris, quos vulgo vocamus *Contadores*, videndum est quæ obligatio intersit. Et quidem in his, & similibus, videtur procedendum, ex distributiua iustitia, obligante eligendum esse digniorem; nec omitti posse sine graui culpa. Dum enim per vota decisua plurium, & tamquam bonum commune honorificum, inter Conuentuales distribuendum, confertur, & independenter ab arbitrio Abbatis, etiam in exercicio, & duratione; ea strictior obligatio stare videtur, cui fauet Sanchez *supr. num. 9.* citatus, *Dub. 36. num. II.* Atque sane quantum ad Consiliarios, ita existimo ex natura rei, etiam si non accederet, præceptum obedientiæ, quod alicubi iubetur imponi. Non idem audeo de Calculatoribus exprimere; sed existimo sufficere dignum, & idoneum, quantum ad munus debite præstandum opus est. Moueor ad diuersam existimationem. Primò: Ex modo quo exercetur hoc officium, quod solum continetur intra terminos supputationis numericæ, quam æquè benè, ad casum, exequitur mediocris Arithmeticus sicut peritissimus, & semper exposita est, & subiicienda censuræ Superiorum Visitantium, quæ non est res tanti momenti, quanti officium Deputatorum, quorum interuentu, valde graua Monasterii, vt admissio Nouitiorum, pro-

motio ad ordines, incarcerationio, & alia fiunt. Secundò: Quia horum consiliarium officium est honorificum, & non ita onerosum, vt reputatur alterum, in quo ordinariè, prætermitti, fere nullus conqueritur, imò & non nulli fugiunt; & ita non videtur committi personarum acceptio, nec fieri iniuriam singulis. Et quamquam esse onerosum, non satis sit ad excusandam obligationem, eligendi digniorem, si intersit bono publico communitatis & Reipublicæ, tamen hac obligatione ex iustitia legali, qua tenetur pars ad totum, sufficienter prouissa, de cetero personarum acceptio solum committitur, in bonis communibus, quæ sunt meritorum præmia dispensandi, si dignior tunc non præferatur, vt iuxta naturale, diuinumque præceptum, docet Sanchez citatus, *tom. I. consil. lib. 2. capit. I. dub. 2. numer. 19.* & ita degenerant ista, à ratione bonorum, quibus propria merita præmiari æstimentur ex distributiua iustitia.

Atque vt hinc non digrediar (licet non nihil digredior) ex eisdem fundamentis, non condemnarem in electionibus, quæ in Capitulis generalibus fiunt, circa officium *Promotoris*, prout nostræ definitiones ordinant, & exercetur, eligere dignum & idoneum, prætermisso digniori. Videmus enim Ministerium hoc detrectare plurimos, ne dicam dedignari, quia nullius frugis habetur, sed solummodo occupationibus diebus illis implicari, secus erit, si amplior honor, aut æstimabilis qualitas ei accedat. Atque extendo etiam illud prius ad officium *Scrutatorum*, quia nec istud officium habetur quasi bonum publicum, cuius beneficio & collatione, æstimet quis præmiari digniora merita; nec reputet iniuriosum, alium in talis Promotoris, aut Scrutatoris officio præferri sibi. Quod intelligitur, facta electione absolutè & indifferenter, ex tota Congregatione, sine aliquo cōkursu, aut cōparatione particulariū personarum, vt cōtingit quando

XIII.  
De officio  
Consiliario  
num.

Et calcula-  
torum quid?

XIII.  
De quibus-  
dam officijs  
Capituli.

factiones diuersæ ministrant, electo-  
ribus Memorialia, quasi dirigentia ele-  
ctiones, ex quibus, licet voluntaria qua-  
dam propositione, quodammodo red-  
ducitur electio passiuæ illorum officio-  
rum, ad duas vel tres personas. In tali  
enim casu, propter actualem & imme-  
diatam conferentiam, & comparatio-  
nem, quæ semper odiosa habetur, &  
egre quis patitur, sine maiori dignitatis  
merito, sibi alium præferri; non aude-  
bo a peccato liberare; non tamen affir-  
mabo lethale, propter minus momen-  
tum officiorum, præfatæ qualitatē, se-  
cundum quam; minor etiam reputari  
iniuria debet, si qua in hoc interuenit  
alterius non electi. Momentum autem  
dictorum officiorum, nunc, quoad obli-  
gationem eligentium, describo; nam  
quæ electis incumbit, grauis est ex sua  
natura, propter secretum & fidelitatē,  
& in quæ, distinctio iuramenti plenè ob-  
ligatoria, cadat.

De reliquis autem officijs, meum est  
absolute iudicium, ex sua natura & ra-  
tione (sicut de Prælaturis dictum est)  
sub mortali, præferendum esse dignio-  
rem, siue propositio illa voluntaria in-  
tercedat, siue non; siue etiam interce-  
dat propositio legitima, ut quando ex  
lege sunt, vel proponuntur duo, aut tres,  
aut plures ad eligendum ex illis. Vni-  
uersalis ratio mihi est. Quia omnia ista  
sunt officia magni momenti, in bonū  
Religionis; habent insuper esse hono-  
res, & præmia meritorium; suntque bo-  
na præcipua & communia, ad quæ fit  
electio per vota plurium, de partibus  
communitatis, seu Congregationis, ad  
quam proprio iure pertinent, ergo ea-  
dem interuenit obligatio, ut declarata  
est, *num. 9.* & ab Authoribus ibi citatis  
consequenter admissa. Consequentia  
patet, quia grauitati materiæ, & legibus  
iustitiæ distributiue propriæ, correspon-  
det tota illa obligatio. Inueniri autem  
ea in officijs, de quibus agimus, con-  
stabit discurrenti per singula. Quis ne-  
get id de Generali, de Diffinitoribus, ac  
Visitatoribus? Clarius est quam ut ex-  
positione indigeat. Dubitari de sup-

plentibus, inter nostros, vicem Visita-  
torum non debet, a quibus non diffe-  
runt, nisi quia *Visitatores*, sunt actuales  
in officio, *supplentes* vero potentiales  
in defectu illorum. Quod autem in spe  
solum futuræ successionis eligantur,  
minuit quidem appetitum eligendo-  
rum; sed non pondus officii, respectu  
eligentium, tenentium ad id eligere,  
tamquam exercendum ab electo.

De Secretario Capituli idem dicen-  
dum est. Nam licet in eo, præter lega-  
litate præcisse, & aliquam scribendi  
peritiam admelius esse, ferè non aliud  
sufficientiæ requiratur, neque habeat  
curam animarum, aut exercitium ali-  
cuius iurisdictionis, sicut habent alia su-  
pra dicta officia; tamen retinet mag-  
nam authoritatem publicam, est que  
honorificum meritorum præmium,  
cum Capitulari suffragio, & aliis præ-  
eminentiis, ultra exercitium operis, in-  
structum, ad cohonestandam grauem  
& commendabilem personam: quæ fa-  
tis sunt ad ingerendam ex ratione vni-  
uersali insinuata *num. præced.* obligatio-  
nem ibi statutam. Et iuxta idem iudi-  
candum est de aliis honoribus & præ-  
miis, quæ similibus suffragiis imper-  
tiuntur, quando concursus, aut selectus  
fit. Hæc enim propriissime sunt bona  
communia Reipublicæ, secundum ius-  
titia leges distribuenda, & eius mate-  
riam constituentia.

Dixi autem traditam doctrinam,  
veram esse & tenendam, etiam si ad e-  
lectionem præcedat nominatio, per  
quam numerus eligendorum, restrin-  
gitur ad duas vel ad tres personas, nam  
in illis stat obligatio, ut eligat, v.g. in  
Abbatem non quemlibet nominatum,  
sed ex nominatis digniorē. Quia sem-  
per hæc exigentia iustitiæ perseverat,  
imo potius augetur, ratione legitimi  
conkursus. Nam magis vrget ratio ius-  
titia, ad eligendum digniorē, quan-  
do concursus Competentium benefi-  
cium extat, ut benè vidit Diana. 2. p.  
*tract. 1. misc. Res. 40.* qui etiam cum vol-  
uit minuere obligationem Pontificum  
& Regum, in casu dicto non est ausus,  
sed

XVI.  
Adhuc de  
Secretario  
& alijs.

XVII.  
De electio-  
nibus restri-  
ctis.

XV.  
De alijs Ca-  
pituli officijs  
Generalis,  
Diffinitorum  
&c.

sed nominatio duorum vel trium, est concursus legitimus ad talem dignitatem & prælaturam, ad quam virtute illius habent quoddam proximum ius; ergo potiori ratione, exigitur iustitię rigor in electione. Et cõfirmatur: Quia obligatio eligentis non minuitur ex paucitate, vel pluralitate eligendorum, cum perseueret in materiæ grauitas & pōdus rei, atque meritorum conferentia; vt sicut in beneficiis maior sufficientia examinis concurrentium, ita nominatorum dignior meritorum exhibitio, pro iustitia clamet. ¶ Circa quę, Elector nequaquam absoluitur a discussione meritorum, ex eo quod præsumatur, illos ad quos pertinet nominatio, nominauisse personas idoneas, habiles & eligibiles: Quia actio eligentis, & actio nominantis sunt subiecto diuersæ; ergo quælibet requirit propria & distincta actionis humanæ requisita: quæ ommittere esset, cæco modo, proferre sententiam, quam proprio dictamine & sano iudicio, quantum potest, dirigere tenetur. Non vt eligens respuat Nominatum, nisi iuridica indignitate laboret, & id suo requisito modo: sed vt quo valuerit pacto se de dignitate certificet. Et hoc in quacumque opinione, nã etiam si gratis daremus, satis esse dignũ eligere, non teneor credere Nominatos dignos esse, in fide Nominantium, quibus nullam irrogo iniuriam, neque temerarius sum, si vestigem & discutiam idoneitatem eorum: quam interdum plus calent eligentes, quam Nominantes. Nam sine culpa Nominantium, contingit, quandoque indignum Nominari. Sunt enim plures, in tanta multitudinem, & distantia, incogniti, & agendum est ex fide aliorum, qui vel decepti, vel passione aliqua, aut proprio amore ducti, facile inducunt in errorẽ, simplicem, bona fide, inquirentem; quẽ si, clausis oculis, sequi vellit elector, cuius est suo iudicio errorem emendare; quem Nominator inuoluntariẽ commissit; ipse voluntarius perpetravit. Atque in communi & vera sententia, quam tuemur: cum electori incumbet

digniore eligere, ex nominatis, suo iudicio & dictamine; parum interest, quodnam fuerit dictamen eorum, qui nominationem facere, salua tamen in dictis aliorum consultatione, cui ea opus sit.

Dignitas verò, aut idoneitas, non ex vno tantum capite coalescit; sed secundum exigentiam propriam officii, aut muneris, ad quod est electio facienda, & qui practice & moraliter, inspectis omnibus requisitis & circumstantiis, hic & nunc iudicatur, præ ceteris, aptior, præferendus est: Quæ idoneitas maior, potest stare cum minori scientia, vel sanctitate, quia nec sola maior scientia, aut maior sanctitas, inferunt maiorem idoneitatem ad prælaturam & gubernationem; licet cæteris fere paribus ista adiecta præponderent. De quibus, cum a diuersitate officiorum, concurrentia circumstantiarum, & differentia subiectorum concurrentium, dependeat consideratio, & certa mensura, iusto, & prudenti aestimatori remittendum est. Sicut & alia, quæ in hac materia accidere solent, propter quæ, solent authores, etiam tenentes nostram sententiam, admittere, in certis casibus, licere ommittere digniorem. Quæ tamẽ loquutio, mihi non omnino probatur. Nam si adest circumstantia & ratio, propter quam, qui sine illa solum erat dignus, comparatione alterius, cum tali circumstantia fit dignior & eligibilior: iam non est ommittere digniorem. Quia consideratio practice idoneitatis, non fit ex absoluta comparatione inter personas, vt sic; sed adiunctis circumstantiis, ex quibus, qui alias excedebat, iam respectu huius accidentis modificantis idoneitatem & aptitudinem, exceditur. Quæ cum aliis, iuxta principia posita, ad Authores remitto, hæc enim occasione electionis Præpositi, quę in REGVLÆ disponitur, dixisse sufficiat.

De quo, ultimo, in textu disponit REGVLÆ, vt si Præpositus repertus fuerit vitiosus, &c. & admonitus verbis, quę quater, in super adhibita correctione disciplinæ regularis, pœna scilicet

XVIII.  
Dignitas vnde pensanda

Modus loquendi notatur.

XIX.  
De modo procedendi cum Præposito si malus sit.

COR-

Obligatio  
Electoris.

Consultatio  
ne saepe vtendum.

corporali inflicta, si non correxerit, officio Præposituræ priuetur, & tandem se non quietans, de Monasterio expellatur. Casus inauditus, sed tamen Regula dispositus, & iam eiectione mensuranda iuxta dicta ad capit. 28. Quod vero hic, Præpositum quater admonendum dicat, non est contrarium trinæ monitioni, quam præscripsit, capit. 21. vt notauit ibi, num. 8. Et non est nouum, plura requiri, ad priuandum aliquem, honoratori & maiori officio fungentem. Nam & in iure, vbi solemnior electio muneris est, ibi & amotio difficilior, argumento capit. Monahi, in fine, de statu Monach. & ita in præsentia de Præpositura, quæ iuxta REGVLAM, maior est Decanatu, expressit eiectionem supradictam cum consilio fratrum, quod in capit. 21. de Decanis non expressit: vnde ad depositionem, vnam admonitionem etiam addidit verbalem. Nec fuit insolitum multiplicari numerum monitionum. Sic in Regula S. Pachomii, num. 88. de murmuratore, ait: Docebunt eum quinquies &c. & num. 85. de iracundo: Per sex vices commonebitur, & in septima inter ultimos collocabitur, & num. 89. de inobediente & contentioso: Decies commonebitur vt desistat. &c. Quæ vero sit autoritas vel potestas Præpositi, in præsentia, aut absentia Abbatis, aut in

vaccante Monasterio, traddo late infr. ad capit. 71. à num. 12. vt de Præposito compleatur magis doctrina.

Ad Abbatem autem conuertens sermonem S. BENEDICTVS, de ratione in iudicio Dei reddenda, admonet dicens: Cogitet tamen Abbas, &c. cuius crebram repetitionem notauit, capit. præced. num. 2. pro moderatione Zeli Abbatis, iuxta diuinæ legis obligationem. Ad quod, locum præsentem versat Radulphus Flauiacensis in lib. I. super Leuit. cap. 2. ad illa verba, Simila respersæ oleo absque fermento, Scilicet vt oleo boni zeli accensus Prælatus, liboris, & iniqui zeli fermento careat, examinet, caueatque illud malum, quod nonnumquam accidit, vt Peruersi Pastores, cum per increpationis zelum, subditorum vitia, corrigere videntur, si quid ab eis forte perpessi sunt, iniurias suas occultè vindicant, & pietatis speciem prætendentes, interius furoris stimulis agitantur, &c. quæ prosequitur ipse, alique, & quæ pertinent ad communem doctrinam moralem Prælatorum, quam simul & subditorum, maximè Religiosis propriam, Sacro Scripturarum, & Sanctorum apparatu, alibi nos volumine bipartito, prosequuti sumus, Bibliothecæ Superatensi, si ita fors tulerit, cum aliis relinquendo.

XX.  
Admonitio  
ad Abbatem  
vt sane procedat.

### De Ostiarijs Monasterij.

## CAPIT. LXVI.

TEXTVS.



**A**D Portam Monasterij, ponatur senex sapiens, qui seiat accipere responsum & reddere, cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet habere, iuxta portam, vt venientes semper præsentem inueniant, à quo responsum accipiant. Et mox vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit, DEO GRATIAS respondeat, aut benedicat: & cum omni mansuetudine timoris Dei, reddat responsum, festinanter cum feruore charitatis. Qui Portarius, si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat. Monasterium, si possit fieri, ita debet construi, vt omnia necessaria, id est aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel ar-

tes diuersæ, intra Monasterium exerceantur; ut non sit necessitas Monachis vagandi foras: quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam sapius volumus in Congregatione legi; ne quis fratrum se de ignorantia excuset.

NOT Æ.

I. Ostiarij requisita.

Decor exemplaris.

Obligatio vt ponatur.

II. Cōmutatio nō qualibet admittenda.

**A**D portam Monasterij, ponendus statuitur, Senex sapiens, ex indeque, in Ostiario, ex REGVLÆ requiritur maturitas ætatis simul & morum; horum præcipue, qui cani sunt hominum; denique talis maturitas, quæ cum non sinat vagari leuiter; item sapientia, scilicet discretio sufficiens, qua sciat accipere responsum, & reddere: Præceptum sanè obligatorium, & ad ipsius Monasterii decentiam oppido necessarium. Vt sicut lib. 2. Paralip. capit. 3. Salomon, ante fores templi, duas columnas collocauit, mirabiles & pulchras, quæ (vt ait Glossa) ingressum templi suo decore, ex utraque parte, ornarent. Eo præcipuo iutuuitu, vt vel illi, qui per legem, aut consuetudinem, prohibebantur ab ingressu, ex inde perciperent, qualis interior ornatus, qualis esset decor & pulchritudo; ita in ipso Monasterii limine, etiam illi, qui interiora Monasterii peruadere non possunt, ex Religiosa prudentia, exemplarique modestia Ostiarii, condiscant, quantum virtutis, & spiritualis ornamenti pòdus, interna Monastici claustris tecta possideant, in illis, quos sacratiora silentia, sanctique recessus occludunt. Tamen ab hoc præcepto assistentis talis Ostiarii aliquando deficere, licet ex REGVLÆ, absque causa, veniale sit; si accedat inde relaxatio morum, defectus charitatis in pauperes, molestia venientium, occasio secularis communicationis, & similia pericula, offensæ Dei, iuxta modum eorum, considerabitur culpæ transgressio.

Hic autem, & si Petrus Venerabilis, lib. 1. Epist. 28. pro Religioso Ostiario, deputari, honestum famulum, contentus sit sub ipsius veneratione, non acquiesco, nisi in paucitate Monachorum, & necessitate aliqua compellente; vt eo aut alio simili modo prou-

deatur incommodis, ex patenti & sine custode domo, timendis. Nam etiam si demus, honestum famulum, æquiuale Religioso (quod tamen negatur) non statim commutatio licet; sed determinata per REGVLAM præferenda sunt, & seruandas alias plurima, eaque voluntaria rerum inuersio sequeretur; quæ sine sufficienti ratione vitanda omnino est: Atque hac antidoto, aliqua illius Epistolæ videntur egere, pro legentibus, nam pro Authore cum omni rationabili intelligentia scriptam iudico. Verum tamen non facile commutationibus vtendum in determinatis & expressis institutis.

Vt autem Ostiarius præsto sit pulsanibus, cellam ei iuxta portam, designat, scilicet, vbi interdum adsistat. Si indiget solatio, hoc est socio adiutore, ordinat, vt iuniorem fratrem accipiat, prout alias & generaliter, capit. 53. disponit. Verba quibus vel hospiti pulsanti, vel clamanti pauperi respondeat, prescribit, vt dicat, DEO GRATIAS. Vt ita loquitur Monachis, tempore Augustini, qui ad Psal. 132. & Epist. 77. contra Donatistas id irridentes, defendit. Atque in proprium nomen assumptum, quandoque constat, ex Victore Vicensi de Persequut. Vuand. lib. 1. qui ad annum 452. creatum ait, Episcopum Carthaginensem nomine DEO GRATIAS. Sed quod commendabilius est; responsum solitum in Beatiff. Virgine MARIA, Dei Matre, affirmat D. Antoninus, 4. par. summ. Theolog. tit. 6. §. 2. & D. Bonauentura, Capit. 3. meditation. ait ipsius Virg. inuentum gratissimum fuisse, respondere Deo gratias. Adiungit vero textus, aut benedicat, & interpretatur Smaragdus, id est, benedictionem petat: Quod vel verbo, vel capitis inclinatione fieri (prout diximus ad cap. 53. num. 21.) intelligitur.

III. Circumstantiæ officij.

Deo gratias.

III.  
Nominis æ-  
quiuocatio  
tollitur.

Licet in titulo capit. positum sit de *Ostiaris*, in corpore *Portarium* vocat, sicut & Hispanè *Portero*, vt nulla sit æquiuocatio, cum *Ostiaro*, qui gradus est primus minorum ordinum, cuius munus descriuit Isidorus, *Epist. ad Leudefredum*, & in veteri testamento frequentissime, sub nomine *Ianitoris*, & tam sacri, quam profani inducuntur. Noster autem *Portarius* Monasticus hic inducitur, & pars muneris eius indicata est, *cap. 53.* circa hospites, vt notauit ibi, *num. 4.* Atque eius obligatio non parua, nec facile committenda iunioribus, qui potius arcendi sunt à Monasterii portis, nec exponendi secularium communicationi, & occasionibus. Quod autem ipse debeat solerter custodiam gerere insinuauit Christus (*Marc. 13.*) parabola, de homine peregre profecto, qui relicta domo seruis, *Ianitori præcepit vt vigilet*, nam quod (*2. Reg. 4.*) *Ostiaria domus obdormierit*, intulit necem *Isbofeth*, & ita tanquam cui demandata est custodia, & clausura necessarissima Monachatus, & Cura introitus, & exitus Monasterii, cum omni Obseruantia Regularis vitæ, & mandatorum Abbatis, cuius gubernatio plurimum dependet à Portarii virtute, & fidelitate; semel eo in officio constituto, ratione illius, ex iustitia, ac lege Dei nascitur obligatio, vnde culpa tutrinanda est, vt in similibus, & notauit in *introd. art. II.*

Momentum  
& obligatio  
eius.

V.  
Structura  
Cœnobij.

Transit textus, ad ipsius domus structuram, & dispositionem ibi: *Monasterium, si fieri potest, ita construi debet, vt omnia necessaria, &c.* Verbum illud *si fieri potest*, non præceptum in his, sed desiderium mihi sonat, & bonum consilium edificandi, a commodato modo, cœnobij. Nec alio erat opus, in re quæ respicit ipsorum inhabitantium commoditatem, & vtilem conuiuentium dispositionem; quam quisque, ex propria & communi charitate, tenetur suo modo attendere. Officinas vero & artes, de quibus hic agit, dedimus *supr. capit. 57. num. 4. cum ibi citatis locis.* De qualitate edificij Monasterialis, nihil

exprimit Regula; nihilominus mouit quæstionem Author Benedictinus Valis vmbrosæ, *Ascanius Tamburinius, to. 3. de iure Abbat. disput. II. quæst. 12. & resoluit: Quod Abbatibus non solum prohibitum est, edificia superflua erigere, verum etiam id faciendo peccant mortaliter.* Probatque ex *Clement. exiui de paradisso, §. hinc est, de verb. signific. & ad id adducit verba Hugonis, lib. 2. de Claustro animæ, capit. 4. dicentis: edificia fratrum non superflua sint, sed humilia, non voluptuosa sed honesta; utilis est lapidis instructura, sed quid prodest in lapide calatura?* Atque *D. Bonauenturæ* in quadam Epistola dicentis: *Occurrit edificiorum constructio sumptuosa, & curiosa, quæ pacem fratrum inquietat, grauatur amicos, & hominum peruersis iudicijs multipliciter nos exponit, & non sine præiudicio paupertatis, occurrit sumptuositas expensarum, &c.* Atque magis ad rem, pro nobis, affert verba *D. Bernardi in Apolog. ad Guillelm. Abb. de sumptuosa & ambitiosa Cellarum edificatione.* Ac denique confirmat miraculo fundatoris suæ Congregationis *Ioannis Gualberti*, cuius oratione, superba fabrica cuiusdam Monasterii, Abbate fabricatore correpto, funditus euerfa est.

An liceant  
sumptuosa  
edificia dif-  
ficultauur.

In hac autem re, laudo doctrinam Authoris, & iudico eam satis conformem modestiæ, & moderationi, quam in omnibus rebus, REGULA Sanctiss. Patris obseruat; quæque à *Beatiss. P. N. Bernardo*, loco citato, & alijs tradidit. Verumtamen, cum aliquo grano falis, intelligi oportet, ne quod respectu Fratrum *D. Francisci* assequuntur testimonia, *Clementinæ*, & authorum eiusdem professionis; eodem modo, efficacia censeantur in aliis, nisi proportionem seruata. Nam ob id semper, *Clement. 5. ibi* procedit, attenda eorum maxima, ex professione, paupertate, & reclamante Minorum Regula; quæ rationes lōge absunt, à pluribus, aut omnibus Congregationibus *S. Benedicti*, cuius Regula haud expresse reclamatur, & cuius paupertatis Religiosæ modus,

VI.  
Modifica-  
tur resolutio

ingentibus interdum redditibus suffultus, non adeo excedit modum, si, quod grandius & nimium, respectu illius Religionis, iudicaretur, Monachalis, & diues Principum & fundatorum munificentia, sibi vsurpet. Amplius enim ei, sine illa peccati mortalis labe, concedendum est. Attamen vltra hos terminos, notabiliter excedere, & in edificiis, quantumuis luxuriante & redundante pecunia, enormiter luxuriari, ambitiosæ vanitati & curiosæ ostentationi insruendo, valde scrupulosum reputo, & in materia satis graui, & animaduersione dignissima: Quod ratio ipsa dicat.

VII.

*Excessus in  
edificijs ra-  
natur.*

Nec possunt ista hyperbolicos, aut voluntarie dicta censerī. Nam quod ille Author concludit, respectu pauperioris Religionis, si excedat commensuratam sibi mediocritatem, eadem efficacia currit inditiori, si & ipsa non seruet modum. Quod vero vanitati inseruit tantum, & murmurationi secularium occasionem, aut certè iuste de superfluitate censuræ, ansam præbet, non est opus, in quod, licite possint sumptus fieri, neque ab Abbate, qui dominus non est substantiæ Monasterii: neque à Conuentu, cuius licet sit dominium, sed non ita, vt quæ superfluit ex redditibus, queat prodigere, & in vanos vsus expendere. Quod late, in bonis Ecclesiasticis, respectu Episcoporum, atque beneficiariorum, expensum à Thoma Sanchez, tom. 1. consil. lib. 2. capit. 2. dub. 38. non minus, in Monasteriis habere locum, & vrgere docet, num. 28. De quo etiam Molina, tom. 1. disp. 144. & 145. vbi num. 22. videri potest parænesis ad Ecclesiasticos, de hac obligatione: quæ fortius præmit Religiosos.

VIII.

*Animaduersione  
pro edificijs  
notanda.*

Quod si in constructione edificiiorum nouorum interueniat etiam antiquiorum demolitio, non minus delinquendi periculum est. Nā nisi vel necessitas, vel vtilitas exposcat, id non licet. Et ex se demolitio edificijs habitabilis & vtilis, alienatio propria est, sicut extirpatio vineæ, & similes, & ita

expressè numeratur inter alienationes, à Filiucio, tract. 44. de alienat. capit. 4. à num. 7. cum sequentibus. Vnde ad destruendum tale ædificium, & licentia & cauta requiritur. Licet regulariter in facultate edificandi de nouo, talem vel talem partem monasterii, cum notabilis fabrica est, implicita licentia & facultas demoliendi vetus ædificium, quod renouandum est, intelligitur. Sed in aggrediendo tale opus, & tribuendo facultatem necessariam, perpendenda est necessitas, aut vtilitas. Quæ sane quandoque abest, dum sola edificandi cacoëtes interuenit; superbissimorum ædificiorum machinam, pro humilioribus, vane appetendo: aut quadrata rotundis commutando, ingentibus & superfluis sumptibus. Quæ etiam si commutatio dicatur, à ratione alienationis non recedit, ad quam, idem est, quod dominium rei transferatur ad alium, aut quod pereat domino, vt per destructionem rei perit. Quæ dixerim, non vt in fieri consuetis, inusitatas & non requisitas circumstantias, iuxta cuiuslibet Congregationis leges, consuetudines, quæ ac iuris praxim exigam: sed vt aduertam, omnia ista, non ex libito, pensanda esse, sed iusta iustitiæ lance, sub conscientie onere tutrinando fore.

Demum ratio desiderandi, Monasterium construi, cum omnibus necessariis, est valde notanda, scilicet: *Vt non sit necessitas Monachis, Vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum.* Saluberrimum salutis documentum, sed pluribus in hac parte phreneticis, inuisum: quod si exornare daretur locus, ac permetteret literale assumptum, haud ieiunè possem. Nam & ex hinc quantum sit cohibenda egressio Monachi à Monasterio, testimoniorū copia supetit, nisi cogente rationabili causa. Quod si Monachi, quanto magis Prælati & Abbates, de quibus quantā obligatione ex officio præmantur, facile aut diu à Monasteriis suæ Curæ non abesse, argumento esse potest restrictio, quam etiam respectu aliorum

IX.

*Regulæ ratio  
in instructione*

An-

Antistitum maiorum & minorum, tam inpenſe adhibent Concilium Trident. nouiſſime iteratis decretis. Ne tamē ego videar ex abundantia ructare, de quo forte aliud erit tēpus, interim mūdis ruminandum propono Religioſis, & deguſtandum Monachis propino hoc. Quod ad literam ſuis decretis, inſeruit Concilium Magunciacum, Canon. 20.

X.

Regula repe-  
tita lectio.

Adiungit vero incunſtanter mandatum, de REGVLA ſapientius legēda, quod declaravi ſupr. capit. 58. num. 5. & ad totam Regulam referendum cenſui & cenſeo. Atque eam regularem iterationem lectionis, ex Auguſtino, & aliis adductis testimoniis confirmat Smaragdus Abbas, eamque apud ſuos, quotidie in Collatione, legi, aſſeuerat, ſcilicet vt apud noſtros in Capitulo, aliqua

pars illius legitur. Et Auguſtinus capit. 45. vt ſemel in ſeptimana legatur ſtatuit. nempe vt breuior, pauſioribus poterat, diebus abſolui. Sed & ad modum, quē ab antiquitate oſtendi, loco citato, adiungo testimonium Ioannis Monachi in vita S. Odonis Abbatis 2. Cluniac. qui obiit ad annum 837. vbi ait: *Altera die vt mos eſt, conuenientes ad Capitulum Fratres, poſt Martyrologium & verſu ſinito, atque lectione Regula, &c. Quinta & in Congregatione Camaldulanſi vt in eius Declaratorio ad capit. 2. Reg. precipitur ſpecialiter Abbatibus, ve ſaltem ſemel in mēſe, attentiffime legant ipſum Caput. QVALIS DEBEAT ESSE ABBAS?* Proficua ſane recordatio, & etiam ſecluſa lectione ſemper tenenda ſimul cum tota Regula.

*De Fratibus in viam directis.*

CAPIT. LXVII.

TEXTVS.

**D**IRIGENDI Fratres in via, omnium Fratrum, vel Abbatum orationi ſe commendent, & ſemper ad orationem vltimam Operis Dei, commemoratio omnium abſentium fiat. Reuerſentes autem de via Fratres, ipſo die quo redeunt, per omnes Canonicas Horas, dum expletur Opus Dei, proſtrati ſolo Oratorij, ab omnibus petant orationem, propter exceſſus; ne quid forte ſurrepſerit in via viſus, aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis. Nec preſumat quiſquam alijs referre, quæcumque extra Monasterium viderit, aut audierit; quia plurima deſtructio eſt. Quod ſi quis præſumpſerit, vindicta regulari ſubiaceat. Similiter & qui præſumpſerit clauſtra Monasterij egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam, quamuis parum, ſine Abbatis inſuſione facere.

NOTÆ.

I.

Quanta Re-  
gule cautio  
in egreſſu à  
Monasterio.

**O** quam conſona documento, nuper, in ſine capit. præced. num. 7. notato, profert in præſenti Sanctiff. PATER! Tanta præparatio orationum profecturis? Tanta redeuntibus ſatisfactio? Et aduectis forinſecus ſæculi narrationibus, cautio tanta? Multiplicatio remediorum eſt, & medicaminū, quæ non niſi periculofis morbis, & in dif-

crimine verſantibus, adhiberi ſolent. Occurrunt mihi verba S. Petri Damiani, lib. 6. Epift. 5. ad Cluniacenſes, qui de ſe, ad ſui Monasterii cellam, ex infirmitate & abſentia regre diente, ait: *Tantum ſi languidus quilibet, aromaticam ingrediens officinam, antequam antidoti medicamenta percipiat, depoſita languoris agritudine conualeſcat: ita ego pro-*

tinus.

tinus, vt cella mea limen attingi, nec dū librum quemlibet aperueram, & ò bene factum! tamquam virtute loci, sanum me atque incolumem, compositis anima mea & vulneribus, reperi, &c. Vt nec præseruatio morbi efficacior excogitari queat, quàm pedem intra Monasteriū continere: nec nisi per regressum, sperari valeat exeunti præsentanea medela. Sed hoc alias.

men quia politica & peculiaris benedictio Abbatis, in discessu cuiuslibet subditi, non excusatur, etiam habita cæremonialia commendatione Conuentus non bene satis saluatur alternatio, vbi vnum non potest omitti.

Quare secundò aduerto, illud non præcipi pro qualibet breui profectio- ne, veluti, capit. 51. de his qui non satis longe proficiscuntur. Nam breuitas viæ & frequentia similibus egressionum, non exoptulant tantam solemnitatē, quanta hic petitur, & dirigere aliquem in viam, longiorem innuit profectum, vnde ibi, de hac cæremonia non meminit. Deinde de longioribus profectio- nibus & itineribus, aliam non inuenio rationem, nisi, quæ in aliis obseruantiis excusat, ob longam desuetudinem, siue ex molestia Conuentus vitā- da, siue ex crebrioribus inductis itine- ribus, ex horaque proficiscētium, haud facile conuentualibus istis præcationi- bus aptabili. Vbi verò vel ex toto, vel ex parte, obseruatio perseverat, tenen- da est, quam etiam ibi cum aliqua rationabili incommoditate, præterire, culpabile non erit sine illa, vt sic veniale, & ad tertiam pertinens Classē.

Adiungit textus, de eisdem in viam directis, vt semper ad orationem vltimā operis Dei, commemoratio omnium absentium fiat. Hoc iuxta Regulam præcatur, dum in fine Collectæ cuiusque horæ Canonice, adduntur illa verba: *Et famulos tuos ab omni aduersitate custodi.* De quo dictum est, supr. capit. 13. num. 4. & capit. 35. num. 9. Sed addit textus: *Reuertentes autem de Via Fratres ipso die, quo redeunt, per omnes horas, &c.* Quod penitus oblitteratum video, nescio an apud alias S. Benedicti Cōgregationes obseruetur, in quibus laudabo, quidquid Sanctorum institutorū retentum Religiose fuerit. Forsitam hu- ius desuetudo inde orta est, quia lon- giora itinera, de quibus datur iniunctio, rariora cum sint, etiā in die quo redeunt, de quo tantum loquitur textus, tarde & ad solis occasum aduentatio est, quā- do Completorio dicto, nulla restat ho-

III.  
Alia via  
eximitur.

II.  
Dispositio  
circa iter  
acturos.

Nunc ad textum: Ferè enim omnia, quæ in eo continentur, regularia præcepta sunt, ex vi & dispositione Regule habentia vim, quæ percurrendo literam, indicabo: Primò, ait: *Dirigendi Fratres in viam, Fratrum vel Abbatis orationi se commendent.* Modum se cōmendandi describit Smaragdus, vt Fratribus viam aggressuris, prostratis ante altare, & sic ab omnibus orationem poscentibus, Sacerdos dicat quosdam versus, respondente Conuentu, &c. Et quidem si à Conuentu id faciendū est, eā debet esse forma. Ego autem fateor, numquam me vidisse eam obseruari, excepto quando Abbas, siue solus, siue cum socio, ad Capitulum Generale nostræ Congregationis Hispaniæ ex disita valde domo proficiscitur. Sed quare, in aliis profectio- nibus, id non feruetur? & an contra REGVLAM? Scrupulus est, & dubium.

III.  
Scrupuli  
natio non  
placeat.

Circa quod, primā difficultatis euasio, potest esse, modus ipse præcipien- di sub disiunctione vel, secundum quæ, tanquam alternatiuum sufficiat, vel commendare se *Orationi Fratrum*, hoc est Conuentus, vel saltem *Orationi Abbatis*, ab eo benedictionem peten- do, quod sæpe & necessario fit, à quo- cumque profecturo: Quod admisit, ex REGULA, Declaratio Camaldulensis, ad hoc Cap. 67. Et quamquam sæpe (vt iā nota uimus) in REGULA, vsurpetur particula vel copulatiuè intelligenda: id tamen est, vbi euident & necessaria cogit ratio, vt in Prologo, num. 1. & cap. 13. num. 5. & aliās notauimus: Vbi vero non cogit, sed inde extenditur obligatio nō est extrahenda à propria significatio- ne, qua, in rigore vsitato, disiungit. Ta-

V.  
Oratio pro  
absentibus &  
redeuntibus.

ra Canonica, ad quam ea postratio fiat. Vel si citius, ex longo itinere, frigore, calore, aut pluuia, ita quandoque aut in plurimum lassati, vt indulgendum esset necessitati, & in illis repetitis prostrationibus dispensaretur. Nam & de hoc S. Pachomius in *Reg. num. 190.* cauit, *vt si quis de foris venerit, & astu laborauerit, alijque fratres orationem celebrauerint, si ire non potest, non cogatur.* Vnde rarissimo stante casu, expedito ad caeremoniam facilius fuit desuetudo & omissio, quam iam antiquissimo tempore interueniente, culpabilem nō reputo presentibus, sicut de precedenti dictum est.

## VI.

Reuerenti-  
bus, ē via si-  
lentium in-  
dicitur.

Sequitur illud: *Nec præsumat quisquam alijs referre, &c.* Quod sicut male interdum obseruatum, ita semper obligatorium credo; nec in eo aliqua potuit consuetudo introducere, quod plurimum esse destructionem Monasterii, ipsa Regula exprimit, & experimentū docet. Vnde S. Pachomius, *num. 49.* si quis, (ait) *ambulauerit in via, vel nauigrauerit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in Monasterio, quæ ibi geri videntur.* Atque ea Apostolica diuinę legis documenta sunt, ne corrumpant bonos mores colloquia *1. Cor. 15.* Ideo si colloquia ipsa aut narrationes ea fuerint, vt aliquod nocuum moribus Monasterii, aut Monachorum profectui, inferre possint, ex ipso scandalo, aut damno, aut periculo peccati, quod generare potest, pensanda qualitas culpæ est, quam auertere lex diuina compellit. ¶ At verò si ea sint, quæ ad aliquem finem bonum pertineant, & ea pro ædificatione, vel instructione, vel utili notitia rerum, ad cauendū nobis, vel orandum pro alijs, honestè oporteat scire, non intelliguntur hic prohibita. Tum quia ratio redditur à plurima destructione, quæ tali casu abest. Tum quia, eo modo explicato, prohibitionis materia non est. Quod si indifferentia esse possint (quod difficile est) dum tamen bonum aliquod, in illis enarrandis non affulget, censebo, ex Regula, venialiter obligante, prohiberi.

Prohibitio-  
nis modera-  
tio.

Nam in indifferentibus obseruantis propriè, ex se vim habet Regula, lexque precipiendo aliquem actum indifferentem, reddit illum necessarium, vt docet & probat Bellarminus, *tom. 1. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 16.* Et etiam vbi silentii bonum, aut Monastica perfectio præponderat, etiam illud quod maioris boni impedimentum est, ex hac parte, posset prohibitione vetari. Tamen in his, tam ad culpam, quàm ad regularem vindictam excusandam, adiecit textus, *nec præsumat*, nam secluso damno, & seruatis circumstantiis qui interrogatus respondet de illis, & simpliciter opportunè narrat, nō præsumit.

Addit deinceps: *Similiter & qui præsumpserit claustra Monasterij egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam quamuis paruum facere, &c.* Quem locum quo ad priora verba, aliqui de egressione à Monasterio Apostatica, aut irregulari fuga, interpretantur. Quod mihi non placet. Primò: Quia de hoc iam expresse egerat, *capit. 29. ibi: Frater quæ proprio vitio egreditur de Monasterio.* Deinde quia hic, quasi parificat, *egredi à Claustro Monasterij, & illud, quidpiam paruum facere, & cum in hoc quodcūque leue factum insinuet, nō congruit cum illo, quod, in Religione, pessimum & grauissimum est piaculum.* Præterea quia aliud sonat, *vitio proprio egredi de Monasterio*, quod est absolute esse fugitium, & desertorem Monasterii, aliud, *Claustra Monasterij egredi*, quod contingit, etiam si nec sepes Coenobii transiliat, aut extra eius portam se propriat. Nam intra circum monasteriū, ambientem continetur hospitium, forum, hortus, nemus, & alia, quæ extra Monachalia claustra dicuntur esse, & sunt. Atque ita à claustris regularibus, & dormitoriis, ad illa diuertere, est *claustra Monasterij egredi.* Et talia ac similia comprehendere coniecto, dum pariter, *quocumque ire, aut paruum quidpiam facere, vetat, sine iussione Abbatis*, hoc est sine vilitata licentia, aut permissione. Sine qua in prædictis ex-

## VII.

Etiā intra  
Monasterij  
clausura ar-  
ctatur.

cedere, aut in aliquo se intromittere in iussum Monachum, regulariter animaduertitur, iuxta Observantiam Monasticam antiquorum, etiam in minimis præscriptam, vt docet Cassianus, lib. 4. *Instit. capit. 10.* & prædicta ex minimis computantur, sicut & modica egressio extra portam Monasterii, absque licentia, propter leuitatem materie, solum venialiter damnatur, vt tenet Suarez, tom. 4. *de Relig. lib. 2. capit. 6. num. 10.* Nisi aliunde vel mala intentio, vel præceptum obedientiæ Prælati, aut alia circumstantia intercedat, quorum accidentium, in quacumque actione, aliud est iudicium.

VIII.

*An sine socio incedere debeant.*

Non præteribo notare, Smaragdum Abbatem, ad principium huius capituli, interposuisse, quod in calce eius disquirimus. Dixit enim esse sententiam Patrum: *Ne frater in viam dirigatur solus.* Quod & si obiter interiectum, pulsat, an B. BENEDICTVS id præcipiat, dum in præsentibus: *De fratribus dirigendis in viam,* loquitur in plurali, & *capit. 51.* Similiter? Nec de sunt adminicula, nam & D. Augustinus in sua Regula, *capit. 19.* ait: *Quando proceditis, simul ambulate, &c.* & magis ad nostram, Concilium Aquigranens. *Can. 15.* vbi decernit, vt soli, sine alio fratre, in via non dirigantur. Et accedit Euangelicum exemplum Christi, *Lucæ 10.* qui, *missit discipulos suos binos, ante faciem suam:* & videntur tenuisse formam quando *Lucæ, 24.* duo ex illis ibant in *Emas,* vel *Matth. 11.* Ioannes Baptista missurus ad Christum discipulos, *missit duos.* Quo modo & hodie, cuiuslibet Religionis fratribus commune, & solemne est, per plateas ciuitatum ita incedere. Fauet sapiens *Eccl. 4.* *Melius est esse duo quàm vnam.* Et ad mores, commendauit etiam Seneca, *Epist. 12. ad Lucilium,* dicens: *Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat.* Leuoque manum, cum testimonio D. Gregorii Papæ, qui *lib. 10. Epist. 22.* de quodam Monacho, ait: *Cognoui quia ad*

*Monasterium, quod in Piceni prouincia est, solus pergere, sine aliquo fratrum suorum, præsumpsit; ex qua eius actione cognoscimus, quia qui sine teste ambulat, recte non uiuat, &c.*

Nihilominus, etiam si ita fieri, maxime decori Religiosorum condu-  
cens, & regulare sit, ad quod faciunt  
plura quæ adducit Lorinus in *Act. Resoluitur quoad equestres.*  
*Apost. capit. 3. vers. 1.* & cum multipli-  
ci exemplo Hæstrenus, *lib. 11. disq. 1.*  
tamen ex Regula nullum de hoc præ-  
ceptum extat, neque inter Nostros  
qui equæstres incedimus, ex antiquis-  
simo instituto, & traditione maio-  
rum, facile esset, cuiuslibet egressuro, so-  
cium adiungere, duplicesque mulas fa-  
mulosque parare, licet pro Abbatibus  
bene conformiter ad exemplum ip-  
sius S. Benedicti, & eius Regulam cau-  
tum & obseruatum sit: Habentque au-  
thoritates adductæ, & incommoda in-  
finuata vim & locum, dum pedestres  
incedunt Monachi, & verè soli. Nam  
qui equitando, aut mula vectus, famu-  
lo, (vt semper fit) necessario, vt de eue-  
ctione mulari curet, vtitur, non dicitur  
vere solus, nec sine teste suarum actio-  
num ambulare. Cum tamen ad decli-  
nandum à malo, potior debeat esse in-  
cuiuitabilis Dei præsentia; quam si stu-  
pidi & vecordes non sentimus, con-  
scientiæ mille testes euitare non possu-  
mus. De quo dixit ad *Psal. 118. serm. 1.*  
Ambrosius: *Ipsam te fugere, tui accusatorem non potes, quem conuenit propria conscientia, & si negas alijs, tibi nõ negas, &c.*

Sed tamen mos equitandi pro Mo-  
nachis, quorum vt institutum habetur,  
vnde firmandus sit, requirere? Et certe  
non possumus ex Regula aperte, quæ  
in neutram partem quidpiam deter-  
minat. Coniectura tamen sumitur, ex  
*capit. 55.* dum peculiariter, eos qui in  
viam diriguntur *femoralia se vestiario  
accipere iubet,* quæ potissimùm ad equi-  
tationem necessaria videntur. Patro-  
cinantur tamen huic parti antiqua te-  
stimonia. Sic de S. Romoaldo Petrus

IX.

*Resoluitur quoad equestres.*

X.

*Mos equitandi Monachis.*

Damian. in eius vita capit. 62. ait: *Dum venerabilis vir cum suis discipulis equitaret, ecce malignus spiritus, equum cui infidebat, exterruit, &c. & antea capit. 26. simile quid memorat. Sic de antiquiore Abbate, Adreualdus, lib. 1. capit. 18. Abbas (inquit) verso gradu, calcari- bus equum impellens, concito cursu, ligennis albeum repetit, &c. Vbi ad marginem in sua Bibliotheca Floriacensi, Ioann. à Bosco inquit: *Ex veteri more, Abbates equites incedebant, ob quod vanum est prouerbium dicentium, orbem mala pertulisse, ex quo Monachi ceperunt equites incedere: Nam nulla usquā feliciora extiterunt tempora: quod & Belforestius in Annalibus Gallicis sub Carolo VI. indicat. Sic de D. BERNARDO constat, in eius vita, lib. 1. capit. 1. Sic an-**

terioribus & posterioribus seculis, frequenter occurrunt, exempla; extantque Apostolica diplomata, de equitaturis, & euectionibus Monachorum & Abbatum, loquentia, atque equitatum & comitatum eorum limitantia, ut ex Bened. XII. & Innocentio VIII. in priuilegiis Cisterciens. nos tom. 1. habemus. Atque iam, non solum de eo modo incedendi, etiam in ipsis urbibus, constitutiones habentur, sed & communi hominum iudicio, Monachum Cisterciensem seu Benedictinum quemque in itinere pedestrem videre quasi criminofum, & scandalo obnoxium appareret; & in populosis urbibus minus graue, præter ordinem, & abiectum reputaretur.

*Si fratri impossibilia iniungantur?*

### CAPIT. LXVIII.

TEXTVS.



**S**I cui fratri aliqua fortè graua, aut impossibilia iniungantur, suscipiat quidem iubentis imperium, cum omni mansuetudine & obedientia. Quod si omnino virium suarum, mensuram uiderit pòdus excedere: impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam, in sua sententia Prioris imperium perdurauerit, sciat iunior, ita sibi expedire, & ex charitate, confidens de adiutorio Dei, obediat.

NOTÆ.

I.  
Percurritur  
textus.

**M**ODVM hic delineat Santiss. Pater, quo se debeat habere subditus, si quando sibi à Superiore ( sic enim vocat hic, nomine Prioris, modo dicto ad cap. 6. ) aliqua iniunguntur graua, aut impossibilia; ne inuercundus recalcitret, aut deterritus detrectet, sed cum mansuetudine, & desiderio obediendi, causas difficultatis proponat; perseueranteque mandato, confidens de adiutorio Dei, obediat, se ad opus accingens, & possibilitatem tentans. De qua fiducia in obediendo, cum mirabili exitu, & de

exemplis huius intrepide virtutis obedientiæ, plura in Commentatoribus Regulæ, ex Vitis-Patrum, pluribus locis, ex Cassiano, lib. 4. instit. capit. 10. 23. & 26. Seuero sulphicio, Dialog. 1. de virt. Monach. Orient. Basilio in Constitut. Monast. capit. 20. & 23. & serm. 1. &c. de institut. Monach. & Ephrem. tom. 1. tract. de Virtut. & virtijs, tit. de Obedientia & tit. de Inobedientia, & utrobique Gerardus Vossius Borclouius, in scholiis & alii plures.

At non leuis insurgit hic dubitatio, que

Quæ vocen-  
tur impossi-  
bilia hic.

quænam possit Prælati præcipere, quæ ad impossibilitatem attingant, & cum effectu, instante mandato, obedienda sunt? De quo in primis, semouenda sunt verè, & propriè impossibilia, vt esset coquere ollâ sine igne, applicare ignem sine cõbustione, &c. licet enim exempla iniungentium aliquid impossibile, suppetant in Authoribus supra citatis in eo potius tentandi spiritus causa, quam animo obligandi, intelliguntur, egisse. Quapropter citra hanc impossibilitatem quæ nec sub præcepto, nec sub obedientia vlla cadere potest, accipiendum est mandatum, de grauibus & valde difficilibus, quæ licet absolutè factibilia sint, at cum nimio ingentique labore, qui robustissimum superans, aut requirens, respectu debilioris, aut in tali tempore, vel dispositione, iudicantur impossibilia, ideò dixit, *impossibilitatis suæ*, quia nõ absoluta, sed respectiua est, scilicet respectu sui. Et quæ taliter difficilima sunt, impossibilia appellat, vtens voce, quam incognitam fuisse eruditę linguę Latinæ, antiquitus, notauit Passerati<sup>9</sup>, *verb. Possibilis*: sed quam iam satis vetusta eruditio non detrectat.

III.  
Difficultas, si  
hac impere-  
tur.

Verùm & de iis restat quæstio; potius enim Regulę Monasticę in partem suauioreni disponunt S. Pachomius, præcept. 100. ait: *Ne plus operis fratres facere compellantur, sed moderatus labor omnes ad laborandum prouocet.* Diuus Augustinus, capit. 42. de obseruatione Regulę, cauet, quod ad Præpositum pertinebit, vt ad Præbiterum cuius est apud vos maior auctoritas, referat, quod, modum vel vires alicuius excedit: Atque in terminis, quoad nos S. BENEDICTVS, capit. 41. *Abbas omnia temperet, & capit. 47. Omnia mensurate fiant, propter pusillanimes, &c.* Quod tota REGVLÆ clamat, consequuta inde cõcomium D. Gregorii, esse discretionem præcipuam. Sed quod amplius vrget: Quia per Regulam perstringuntur termini nostræ professionis Monasticę, & peculiaris modus obedientię promissę, de quo no-

ster Santiss. P. BERNARDVS, lib. de Præcept. & dispens. distinctè, capit. 8. *Prælati iussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra, &c.* Ergo si ad alia asperiora & difficiliora mandata Superioris tenemur, iam non determinata Regula, arctabitur nostra professio: sed libera Antistitis voluntate decurret, & cum istud caput etiam sit REGVLÆ, ipsa contra se ipsam militabit.

Dicendum igitur est, præsens Cap. non concedere Abbati maiorem potestatem imperandi, quam habet ex dispositione REGVLÆ, quam (vt capit. 3.) debet sæqui *Magistram*, & quæ iuxta eius ordinationem & limites illi competit, quod voluit D. BERNARDVS, & communiter resoluunt Authores: aliàs non esset profiteri particularem S. BENEDICTI REGVLAM, sed voluntariam dispositionem Abbatis, ideò hæc grauias & difficilima, intra terminos REGVLÆ, & modum formæ eius intelligenda sunt. Qua propter & hoc cap. non est excludendum à ratione Regulæ præcipientis, sed pariter cum aliis, intelligitur habere suum propriū robur, & vim legis Monasticę, profitentibus illam, intra cuius cancellos continetur materia. Propter quam in Prologo, præuenit, vt quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrare: Ne impossibilitatem obedientię, ex fragilitate naturali metiamur: sed cum supernaturali adiutorio. Et ibidem, non omnia leuia constituturum dicit, etiam si nihil asperum excedens suauitatem & leuitatem iugi & honoris Christi, *Marth. 11.* Nam & plura occurrere possunt ex Regula difficilima, vt ex capit. 36. de curatione infirmi fratris, etiam cum periculo vitæ si Prælati iubeat obeunda, non incongrue resoluit Ascanius, tom. 2. de iure Abb. disp. 21. quæst. 9. num. 3. cum pluribus, & alia quæ quandoque emergunt regularia difficilima ob quæ S. BENEDICT. addit, ibi: *si quid strictius,*

III.

Declaratur  
& resolu-  
tur.

Etiam in Re-  
gula difficilia

propter emendationem vitiorum, & cō-  
 seruationem charitatis processerit, preo-  
 cupans, ne ilico perterritus pauore, quis  
 fugiat viam salutis, quæ non est nisi an-  
 gusto initio incipienda. Atque hanc stri-  
 ctionis & angustiaē difficultatem, non  
 contradicendo, aut resistendo, subire in  
 præfenti iubet, insuper cap. 7. in 4. hu-  
 militatis gradu, dura, & contraria, &  
 iniuriosa, sub obedientia cōcluduntur,  
 quæ ad hanc difficultatem reuocan-  
 tur. Insuper qui impossibilia aliqua re-  
 putat, & vult se statim, præfensa im-  
 possibilitate sua, defendere, & præ-  
 ceptum declinare, reprimitur, ne in  
 suo sensu abundet; nec ab eius timido  
 iudicio dependeat grauitas, aut impos-  
 sibilitas, modus ve præceptorum, ne-  
 que discussio excessus, siue respectu vi-  
 rium, siue respectu REGVLÆ. Quam  
 obedientiam optimè carpit citatus  
 Bernard. capit. 13. concludens de illa:  
*Delicata satis, imò, & nimis molesta est  
 huiusmodi obedientia. Non plane hæc est  
 illa, quæ ex Regula tradidit obedientia  
 sine mora. Estque pro doctrina supe-  
 riori, expressus Molina, to. 6. de iust. &  
 iure, disp. 69. n. 1.*

V.  
 Resecanda  
 excusationes  
 obediendi.

Vnde maximè iuxta propriam Re-  
 gulam, & intra terminos illius, dispo-  
 nit in hoc Cap. quod confirmatio est  
 præcedentium, & expressio obligatio-  
 nis ipsius obedientiæ, cum declaratio-  
 ne obiecti illius, contra argutias & ex-  
 ceptiones segnium, querulorum, &  
 pro affectus sui libito, limitantium il-  
 lud, quorum petulantia pernitiōsa du-  
 rius esset retundenda. Et ne crassitudo  
 illius erumpat super terram, suo enim  
 vitio (ait Hieronymus in Psal. 40.)  
*vnusquisque incrassatur, & deducitur  
 in terram, terræque adhæret, vt tumen-*

tis vulneris redundantia attenuetur,  
 ferro forte deberet incidi, sed solita in-  
 dulgentia paternali, S. BENEDICTVS po-  
 tius linimento medetur; dum permit-  
 tit, difficultatem præcepti sentienti:  
*Impossibilitatis suæ causas suggerere, ne  
 quando desit debita, & attentæ præci-  
 pientis consideratio, & inspectio: vt  
 semper, etiam vbi rigor insonare vide-  
 tur in Regula, adhuc ipsa, discretionis  
 spiret suauitates.*

Hoc autem redducere ad necessita-  
 tem acceptationis præcepti, vt obliget  
 subditos respectu cuiusque singularis,  
 est ridiculum, respectu etiam cōmuni-  
 tatis, vt improbable & imperceptibile,  
 exploditur à Mag. Petro de Lorca,  
 1. 2. tom. 2. sect. de legibus, disput. 20. &  
 autoritate, & rationibus efficaciter,  
 quas hic non vacat expendere, forsam  
 alibi. Satis enim pulchra esset impe-  
 randi potestas, vbi præceptum non est,  
 nisi subditus velit; atque hoc ad com-  
 munitatem Religiosam tradducere (vt  
 indicat Ioann. Caramuel. num. 748.)  
 sane nullus Religiosus si sanus est, fe-  
 rat, dum præceptum etiam si in Regu-  
 la expressum non sit (quod non est  
 necessarium) secundum illam, & con-  
 forme illi sit, quod satis est, apud om-  
 nes, cum citato Lorca, vbi sup. disp. 14.  
 in dubio Appendici, & Sanchez, lib. 6.  
 summ. capit. 2. & ab eisdem citatis. Ne-  
 que hic, nec alibi S. Benedictus assen-  
 sum subditorum expectandum, sed cō-  
 siderationem Superiorum requirit. De  
 quo Latius, in LACINIA adiecta in  
 fine huius operis, disputabo, ad-  
 uersus ipsum Authorem

Caramuel. pli-  
 cat. 1.

(2)

VI.  
 Præceptum à  
 Superiore de-  
 pendet.



*Vt in Monasterio non præsumat alter alterum defendere.*

## CAPIT. LXIX.

TEXTVS.

**S**VMMO PERE præcauendum est, ne quauis occasione, præsumat alius alium defendere Monachum in Monasterio, aut quasi tueri; etiam si qualibet consanguinitatis propinquitate iungatur. Nec quolibet modo id à Monachis præsumatur, quia exinde grauissima occasio scandalorum oriri potest. Quòd si quis hæc transgressus fuerit, acrius coerceatur.

NOTÆ.

I.  
Defensio alte-  
rius qualiter  
prohibetur.

**P**ROHIBET, in præsentī Regula omnem, ex quauis occasione, defensionem, circa quemlibet, qualibet etiam consanguinitate coniunctum, sed præsumptuosam, hoc est, audacem, intempertiuam, iurgiosam, erectam, cōtradictentem Prælo. Quam & si aliàs, vel propinquitatis, vel familiaritatis ergò, posset aliquis licite & impunè suscipere in seculo; at in Monasterio, & per prohibitionem Regulæ, non licet sine culpa, nec impunè abire; sed transgressor acrius coerceri iubetur, id est, iuxta defensionis modum, aut scandalum ortum, vel oriri ex ea occasione paratum: Quarum circumstantiarum ratio, ex lege Dei pensanda est, & ex illis potest oriri diuersa culpa, & maior, quam ex nuda defensione, vt sic à Regula, solùm venialiter prohibita, sicut alię obseruantię silentiũ & similes. Quę obseruantia, etiam iuxta Regulã secluso alio malo morali, ex lege Dei prohibito, consideratur: Nam si aliàs fratrem defenderet errantem; eius erratum tuendo, damnabilior esset defensor ipso errante, iuxta Urbanum Papam in capit. Qui aliorum, 24. quæst. 3. & ita in confirmationem sensus Regulę, adducit Smaragdus verba B. Columbani Abbatis dicentis: *Defendere proximum, vel consanguineum in Monasterio, nullo modo permittimus.*

II.

Nec mirum prohiberi huiusmodi

defensiones, in Monasterio, quæ vt plurimum contingunt, quando frater, ab Abbate, aut alio Præsidente, propter negligentias leues, quæ in obseruatione Regulæ, & ministeriis regularibus, frequenter committuntur, nullam inferentes notam, corrigitur; aut si grauiores sint, & notam inurentes, seruatō charitatis, vel iustitię requisito ordine, castigantur (his enim modis intelligendum est). His itaque casibus, nonnumquam aliquis correcti amicus, non sibi amicitię satisfacere videtur, nisi pro peculiari affectu defensor existat, vel murmurans, vel fugillans correctionem, vel rationes redarguens, aut alio quouis modo se quasi patrocinantem exhibens causę non suę; quam & si sua esset, patienter sustinere debuisset. Quod plurimum enervat disciplinam Monasticam, & tam circa Rectores, quam circa regendos, molestias, & incommoda creat. Quapropter non sola defensio prohibetur, sed cum ipsius defensionis insinuata causa, & implicite per effectum intellecta, & quodammodo expressa in excessu amoris, vel affectus, ex cognatione, vel amicitia priuata profecto; vbi communis amor, & æqualis omnium charitas, vt sit cor vnũ & anima vna in Christo, debent interuenire.

Quæ priuata amicitię, in Monasterio, si notabiles sint, quàm pruden-

Incommoda  
defensionis  
prohibita.

III.

ter

Singularis a-  
micitia mala  
in Monaste-  
rio.

ter & vtiliter comprimantur, in præ-  
fenti REGVLÆ textu, facient fidem pau-  
ca, quæ præter adducta, ad rem indica-  
bo. Nam B. Basilii, *serm. 1. de institut. Monach.* sic ait: *Si quis inuentus fuerit, qui maiori quadam animi propensione, Monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis, quauis de causa videatur diligere, hunc castigare oportebit, vt iniurium publicæ charitati, &c.* Inde D. Bonaventura, *tom. 2. Opusc. in Regula Nouit. capit. Vltimo*, generale documentum præscribit: *Numquam cum aliqua persona, specialem familiaritatem habeas, sed omnibus sis communis, & similia, in informat. Nouitior. 2. par. capit. 14.* Séd & Simon de Casia, spectatæ virtutis & eruditionis vir, *lib. 4. in Euangel. capit. 1.* loquens de officio Prælati: *Primò quidem (ait) proprium amorem velut proditorem sancti Cœnobij condemabit, & procedens longius de priuatis amicitiiis, demum subiungit: Ex colligato amore atque conuersatione, lites, defensiones, applausiones, excusationes, promotiones, recommendationes, suspitiones, indagaciones, &c. oriuntur, quæ oportet mucrone obe-*

dientia & iustitiæ abscindere, velut ledentia quod commune noscitur bonum. Inciditque in hoc punctum, modernus Author Baeza, *tom. 1. de Christo figurato, lib. 1. capit. 2. §. 8.* & exclamat inueniens: *Fallor, si in Religiosorum familijs, aliqua obseruantia ruina est, quam non causauerint amicitia humana.* Cuius assumpti probationem, ex Diuo Augustin. D. Thoma & aliis, tibi illibatam relinquo, apud ipsum, quem, ob id, indicasse sit satis.

Interea tamen deficit à defen-  
sione hic damnata, excusatio rationa-  
bilis, charitatiua, humilis, mansueta,  
opportuna, quæ leniat animum incre-  
pantis, nec erigat increpati: Sicut &  
ab amicitia à Monasterio proscripta  
abest illa, quæ virtute fundata, singula-  
ritatis notam vitat, & communem  
beneuolentiam non minuit. Præterea  
& defendere in præfenti, opportunè  
explicuit, per verbum quasi tueri, vt ex-  
cluderet significationem vindictæ, in  
qua aliàs sumitur defensio: sicut *Iudith. 1. & 2. ad Rom. 12. vbi Cornelius à La-  
pide & alii.*

IV.  
Defensionis  
significatio.

*Vt non præsumat quisquam alium passim cedere, aut ex-  
municare.*

### CAPIT. LXX.

TEXTVS.



*V*itetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio, ordina-  
mus, atque constituimus, vt nulli liceat quemquam fratrum  
suorum excommunicare, aut cedere, nisi cui potestas ab Abba-  
te data fuerit: a Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt cæ-  
teri metum habeant. Infantibus verò vsque ad quintumdecimum an-  
num ætatis, disciplina diligentia sit, & custodia adhibeatur ab omnibus.  
Sed & hoc cum omni mensura & ratione. Nam in fortiori ætate qui præ-  
sumpserit aliquatenus, sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus, sine  
discretionem exarserit; disciplina regulari subiaceat, quia scriptum est.

b Tob. 4. b Quod tibi non vis, alii ne feceris.

NO TÆ.

I.  
Auctoritas  
castigandi de-  
bet esse publi-  
ca.

**I**N præcedenti Capit. defensionem depulit priuatam, in hoc prohibet similiter sine publica auctoritate correctionem: non enim censoriam virgam sibi quispiam, in Republica bene disposita, arrogare potest, sed talis præsumptio, vt exitiosa, infringenda est, & in pœnis alteri imponendis, à publico ministro, modus ex lege, vel arbitrio, præscribendus, & obseruandus. Ad quod adducit illud vniuersale principium, *Tobie 4.* quo etiam vsus est, *supr. capit. 61.* vt vidimus *num. 3.* *Quod tibi non vis, &c.* Et inde deducitur vsque ad terminos iustitiæ vindictiue, quæ in delinquentes exercetur, in compensationem, & satisfactionem delictis & licet in pœna, nō sit excessus æqualitatis, commutatiue iustitiæ, quæ cum delicto interuenit; tamen si deficiat auctoritas publica superioris, deficit à ratione talis iustitiæ, intra cuius terminos iubet in præsentī Regula, vt quisque se contineat. Quare inde sumenda est obligatio, & culpa trāsgressiōnis, de qua Lessius, *de iust. & iure, lib. 2. capit. 4. dub. 4.* & inde in Regula, sapius pœna interponenda, appellatur *Vindicta*, sic & vocem & modum perstrinxit D. Basilius, *Epist. 173. ad Candidianum*, in fine.

II.  
Quæ casio  
hic intelli-  
gitur.

Iuxta hæc ergo decernit; primò: vt nulli liceat, quemquam fratrum suorum excommunicare, aut cedere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit, & ubi Cedere, non intelligitur de violenta manus iniectione, cesione ve sanguinaria, aut iurgiosa, ea enim, neq; data ab Abbate potestate, licet, & Canone. *Si quis suadente, 17. q. 4.* anathematizatur; sed de castigatione correctoria, vsurpata, aut preoccupata auctoritate in alios. Et pariter intelligitur illud, de excommunicatione, quæ Monastica quædam correctio est solummodo, vt efficaciter, etiam ex hoc loco, probaui, *sup. cap. 23. num. 7.* & quæcumque sit poenitentia, nemini priuatim licet, nisi per officium, aut aliam commissionem Abbatis. Deinde: *Vt peccatores coram omnibus arguantur*, quæ verba sunt Pauli, *1. Tim. 4.*

& eodem modo intelligenda de publicis, & iam deductis ad statum, quo possint publice castigari: quæ est communis Patrum intelligentia, & Augustini, *ser. 16. de verb. dom. imò & dum addit, cum ipso Paulo, vt & careri timorem habeant*, constat, de grauib; peccatis loqui. Nam pœna timorem incussura, & in terrorem aliorum, exemplariter imponenda, innuitur esse grauis; & ita præcedere debent requisita, ex charitate & iustitia necessaria, vt *coram omnibus* fiat. Secus autem de leuib; negligentis, quæ communiter in Capitulo corriguntur, & plerumque illis pœnis, quæ mortificationis gratia, etiã si culpa non subsit, imponuntur. Sic enim Petrus Damian. *Opusc. 46. de ferenda correctione*, dixit: *Iunior quique frater, etiam tunc obiurgandus est, cum nō peccat. vt disciplinã veræ correptionis, postmodum æquanimiter ferat, &c.* Præterea illud de infantibus vsque ad quintumdecimum annum, &c. explicatum est *sup. ad cap. 63. num. 9. &c.*

Sed adhuc in hoc constituit, vt illi qui corrigendi potestatem habent circa infantes, sit *cum omni mensura & ratione*, & hoc, respectu cuiuslibet castigandi, ipsius iustitiæ vindicantis præceptum est. Constat autem ex his, cōtineri, in hoc textu, præceptum biceps, tam vt superior malefacta corrigat & castiget, quam vt alius, eius auctoritate carens, id non præsumat. Et siue correctio faciendā sit, auctoritate ordinaria, aut delegata per officium: præceptum & obligatio corrigendi est, ex præsupposita lege naturali & diuina. Nā correctio subditi obligat Prælatum, ex præcepto iustitiæ, vt docet Bañes, *in 1. 2. quæst. 33. vers. 3. dub. 1.* & cum D. Thoma, & Nauarro, Thom. Sanchez, *tom. 2. consil. lib. 6. cap. 3. dub. 42.* & alii. Vnde iuxta hanc obligationem, prout maior vel minor necessitas exegerit, vel modus, vel materie grauitas, aut leuitas, iudicandum est de transgressione præcepti, quod ad primam Classē designatam in *Introduct. Artic. 6. redducitur.*

Castigatio  
publica quæ-  
do.Leuium ani-  
maduersio.III.  
Obligatio  
corrigendi  
quæ incumbit  
superiori-  
bus.

III.  
Et unde fit.

REGVLA autem in hoc & similibus, solum habet constituere ordinem personarum, earumque superioritatem & inferioritatem, iuxta officia, quæ instituit in quo se habet tamquam conditio per suam ordinationem, qua posita, talique officio constituto, consurgit in eo obligatio, qua tenetur ex lege Dei, & ex legibus positivis Superioribus, inuenientibus personam, in ea dignitate, aut munere, de quibus latae sūt. Atque prædicta de correctione incumbente Prælati, non solum de publica

& iudiciali, sunt intelligenda; sed de secreta etiam fraternâ, paternâ ve, ita ut fraternâ correctionis præceptum, maiorem attentionem, vigilantiam & curam exigit in Prælato, ratione officii, & strictius obliget, ad sic corrigendum. Ut cum pluribus docet citatus Sanchez, ubi supra capit. 2. dub. 4. num. 3. Cetera de infantili ætate, aut de fortiori, quam vocat excedentem annos pubertatis, dicta sunt, sup. capit. 30. num. 1. cum ibi citatis.

Etiã de  
fraterna.

*Ut Obedientes sint sibi inuicem fratres.*

CAPIT. LXXI.

TEXTVS.



*O*bedientiã bonum, non solum Abbati exhibendum est, sed etiam sibi inuicem obediant Fratres, scientes per hanc obedientiam, se ituros ad Deum. Præmissis ergo Abbatis, aut Præpositorum, qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus priuata imperia præponi: de cætero omnes iuniores Prioribus suis, omni charitate & sollicitudine obediant. Quod si quis contentiosus reperitur, corripatur. Si quis autem frater, pro quavis minima causa: ab Abbate vel à quocumque Priore suo corripitur, quolibet modo, vel si leuiter senserit animum Prioris cuiuscumque, contra se iratum vel commotum, quamuis modice: mox sine mora, tandiu prostratus in terra, ante pedes eius iaceat, satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindicta subiaceat, aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.

NOTÆ.

I.

Explicatio  
textus.

**O**RDINAT propter obedientiam (non tam votum quam) bonum, ut fratres, inter se in quibus nulla superioritas propriæ prælaturæ viger, sibi inuicem obediant, præmissis tamen, hoc est, antelato, saluo, & excepto imperio Abbatis aut Præpositorum, qui ab eo constituuntur, &c. Vbi nota quam semper in acceptione Præpositi perseueret, pro eo qui, ex officio & institutione Abbatis, Prior claustrum nunc vocatur aut Contentus, ut cap. 6. notatum est, num. 6. cum seqq. Horum itaque tamquam superiorum & publicorum Mi-

nistrorum mandata, præponenda sunt semper ex suo genere & natura inferiorum, & priuatorum iussionibus, ipso iure naturali & Diuino docente: sed de cætero, id est, ubi non contrauenitur illis, omnes iuniores Prioribus suis, scilicet maioribus aut senioribus, omni charitate & sollicitudine obediant. Et pœnam addit, quod contentiosus, nepe detrectans hanc subordinationem, corripatur, iuxta contentionis deordinationem.

In quo notandum venit, hanc obedientiam, quam præcipit REGVLA fra-

tri-

II.

*obligatio hu-  
iusmodi dicitur  
in m. r. a.*

tribus subditis inter se, ex genere suo non obligare sub mortali; quia ibi non interuenit fractio voti obedientiæ, quod non fit proprie, nisi habentibus superioritatem ordinariam; quam tamen delegari posse non est dubium; nec vnus subditus, ex his de quibus loquitur Regula, respectu alterius, potest præcipere sub ea forma, quæ voti obligationem importet. Vnde reluctatio in hoc, aut transgressio, si aliunde ex alia circumstantia, malitia non accedat, venialis erit culpa, ad modum cuiusque obseruationis, extra materiam vororum puta silentii, esus carnis & similitum. Sed non parua difficultas occurrit, si quidem Abbas, seu Prælati ordinarius, est qui possit exigere in suis præceptis obligationem voti obedientiæ; quo pacto se habeat in præcipiendo Præpositus, seu Prior conuentualis, quæ in aliis Religionibus Subpriori, vel Vicarium, aut aliis nominibus appellant, ab ordinario Prælati secundum?

*Difficultas  
de potestate  
Præpositi.*

*III.*

*Quid in Ab-  
batis presen-  
tia?*

In hac difficultate, tria distinguenda sunt tempora, scilicet, in presentia Abbatis, in absentia eius à Monasterio, & in defectu per mortem aut amotionem, Monasterio vacante: De primo nempe presente Abbate in Monasterio, nulla promptior conclusio, quam quæ ex REGULA, capit. 65. de promittitur. Præpositus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens, &c. Itaque in presentia Abbatis, certum est, in omnibus ab eius actuali imperio dependere. Sed quænam sit presentia dicenda? Inquires. Certe Ulpianus, l. 5. §. 6. ff. de Procurat. & defens. inquit: *Præsens est qui in horis est.* l. 173. §. 199. ff. de verb. sig. Paulus, §. qui in foro & in vrbe, & in continentibus adificijs. Parui enim temporis spatio, aut etiã loci distantia, non reputatur absentia, vt contingit in Monasteriis intra opida aut vrbes constitutis, dum Abbas egreditur ad urbem reuersurus ad prandium, vel ad cœnam; aut vbiunque sint egressi

*Presentia  
qualis?*

ad campum, aut ad quid aliud, non pernotando foras, non est absentia, sed vt præsens, eo modo, Prælati reputatur.

Quapropter rescandus esset abusus aliquorum, expectantium in talibus casibus, quod a limine domus prodeat Abbas, vt à Præposito obtineant aliquas concessionem, aliquid accipiendi, dandi, emendi vendendi & similes; aut in aliquo dispensandi, sunt enim in fraudem obedientiæ debitæ Prælati, & ex falsa suppositione absentia, cum non debeat reputari nisi vt præsens in Monasterio, nec amplius posse facere, inungere, aut indulgere, quam si Abbas domi se contineret. Nisi ipse tacite, vel expresse, (quorum eadem est ratio, l. cum quid, ff. de rebus cred.) in aliquibus consentiat, aut ita iam receptum, & visitatum in quavis absentia propria vel impropria iuxta consuetudinem cognitam ab Abbate, & non prohibitam. Nam & eo pacto etiam Abbate, intra domum existente: Si tunc repentinus aliquis casus accideret, nec posset expectari Abbatis licentia, vel quia dormit, vel non inuenitur, ex interpretatiua, aut præsumpta licentia, vel ex epicheia, posset procedere Præpositus, quæ omnia nihil ponunt in eius potestate, sed quasi, ex actuali Abbatis voluntate, fieri censentur.

Præterea, de secundo tempore propria absentia Abbatis, cum eo digresso à Monasterio, remanet, regulari cursu, Præpositus, vt pote secundus ab Abbate, cum regimine Monasterii: Censeo in hoc casu non habere propriam rationem ordinarii Prælati; sed licet, ex concessione definitionum, plures habeat functiones Prælati, & ex commissione Abbatis possit omnes habere (exceptis iis, quæ dignitati Abbatiali, vt sic, specialiter sunt annexa) tamen à vero Prælati deficit. Id quod ratione constat. Quia vnus Monasterii vnica & vltima institutio Prælati est, sed hæc perseverat integra in Abbate, dum

*III.*  
*Abusus ca-  
uendus.*

*V.*  
*Quid in Ab-  
batis absen-  
tia?*

*Non habet  
rationem Præ-  
lati Præpo-  
tus situs.*

tus pendet, quomodocumque, ab instructione, iussione, & delegatione Abbatis; ergo deficit a ratione Prælati. Patet consequentia, quia potestas Prælati est ordinaria, & non ex delegatione dependens. Antecedens probatur: Ex ipso textu REGVLÆ adducto, num. 3. qui sine limitatione ad præsentiam loquitur & intelligitur, & ex praxi, secundum quam, Abbas limitat, ordinat, & disponit, quidquid illi bene visum est. Vnde sequitur, nec posse præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, aut alio modo, quo exigatur obligatio voti, nec fulminare censure, excommunicationem, &c. quæ spirituales ordinarias requirunt iurisdictionem, & similia.

## VI.

Probatio *Au*  
*thorum.*

Quæ doctrina, ex authoribus, quos subiungam in fauorem eius, constabit amplius, dum simul, pro tertio punto, probabitur, solum mortuo Abbate, vel vacante Monasterio, Præpositum habere propriam rationem Prælati. Tenet ergo in terminis Miranda, tom. 2. *Manual. Prælat. quæst. 20. arti. 1. concl. 3.* Suarez, tom. 2. de Relig. tract. de voto, lib. 6. capit. 6. num. 17. Dum ait ex delegatione competere talibus in absentia. Et Siluester verb. Prælati, 2. vbi: Quærens quis sit proprie Prælati in Ordine Prædicatorum, & consequenter in aliis Religionibus; numeratis Generali, Prouinciali, & Priore Conuentuali, addit: Priore mortuo vel amoto, Subprior videtur Prælati, quia habet iurisdictionem ordinariam, &c. & ad casum secundi puncti, de absentia in quo versamur, concedit illegitimum, posse esse Vicarium Prioris Dominicani, etiam Priore absente, extra suos terminos, quia non habet ex hoc, nisi iurisdictionem delegatam. Cum his est Stephanus Auila de Censuris, 2. par. cap. 3. dub. 1. in fine. Vbi cum tribuat excommunicandi potestatem Prælati concludit: Ex dictis sequitur, quod in Religionibus, Vicarij domus, Subpriors, Ministri in societate, qui non habent absolutam gubernationem domus, sed sunt veluti adiutores Prælatorum, non posse excommunicare, nisi vacante sede princi-

palis Prælati. Item Soto in 4. dist. 18. q. 4. artic. 2. Subpriorem ait: solum sede vacante esse ordinarium. Rursusque Suarez, tom. 3. de Relig. lib. 10. capit. 11. n. 18. Dum inquirens ad quas personas terminetur votum obedientiæ, emissum a Religioso, descendendo a Pontifice, per alios subordinatos Superiores, ait, terminari in ordinario Prælati locali cuiuslibet Monasterii, & inde non progredi, nisi per delegationem illius. Et latius, tom. 4. lib. 2. cap. 2. vbi expresse a ratione Prælati excludit quemcumque, alium, vel Priorem, vel Vicarium Abbati subiectum, & post eum præsentem domui. Et in absentia Prælati non aliter admittit Prælati functiones habere, nisi delegatione Abbatis, quam adhuc vult, vel lege stabilitam, vel consuetudine recepta introductam, vbi supra. c. 22. n. 7.

Quare non videtur audiendus Mag. Llamas, 1. par. Methodi, cap. 5. §. 14. qui non distinguit inter tempus absentiæ Abbatis, & vacantis Monasterii; cum multum interfit, & confundenda non sunt. Neque Thomas Sanchez, lib. 4. summ. capit. 33. num. 16. & lib. 8. de Matrimonio, disput. 3. num. 9. qui Vicarium tenentem gubernationem domus in absentia principalis Prælati, vere Prælatum censet. Nam loquitur ipse principaliter, de dispensationibus, & irritationibus votorum, quæ citra veram rationem Prælati se continet, cum ad id non requiratur iurisdictione spiritualis Ecclesiastica, sed satis sit polityca economica, aut dominatiua; verus autem & ordinarius Prælati, sine priori illa iurisdictione, non est. Præterea citato, lib. 4. summ. capit. 24. num. 23. petit, ut talis Vicarius, autoritate legitima, habeat eam Vicariam, & iurisdictionem generalem ad omnes causas, & non restrictam ad aliquas; quas limitationes patitur, regulariter, Præpositus, absente Abbate, vel ab ipso, prout voluerit limitare, vel a diffinitione, constituente, pro tali tempore absentia, plures limitationes Præposito, vel a consuetudine, &c. quæ inspicenda sunt.

## VII.

Refutatio  
M. Llamas,  
& Sanchez

VIII. Ideo in tempore absentię Abbatis, censetur, eius Priorē, seu Præpositū nullam aliam potestatem habere, vt potē, qui non verē Prælatus tunc est, nisi quā diffinitiones illi permittunt, ex autoritate Capituli, quæ valida & sufficiens est, vel ex delegatione ipsius Abbatis, qui vt pote Ordinarius eam potest plenē delegare, vt supra Suarez, & cū pluribus citatus Sanchez, lib. 4. *summ. c. 24. nu. 54.* vel ex consuetudine cognita, & non limitata ab Abbate, intelligi potest tamquam licentia, & permissio eius, vel si ex necessitate occurrentis casus, interuenit Episkia: Quæ omnia semper retinent dependentiam à Superiore, & tollunt propriam rationem ordinarii Prælati.

IX. Iā loquendo de tertio tempore propriæ vacationis, per mortem, aut amotionem Abbatis; teneo tunc Priorem, beneficio & dispositione legis, seu diffinitionis, succedentem, vel quemcūq; Præsidentem autoritate legitima positum Pro-Abbatem, veram rationem Prælati, cum ordinaria iurisdictione habere. Ac per consequens, ex munere & officio suo, posse independentem ab actuali alterius Prælati voluntate, aut delegatione, quidquid alii vere Prælati possunt. Neque deuoluitur iurisdictione, eo casu, in Conuentum, ad instar Capituli Cathedralis Ecclesię, sede vacante, quod hic neque vestigium probabilitatis habet, vt tetigi contra Ioan. Caram. in *Introduet. artic. II. num. 8. & 3.* sed consolidatur in subrogato, autoritate prædicta: Que resolutio probatur ex omnibus adductis, non solum qui de vacante loquuntur, sed à fortiori, qui aliquo modo loquuntur de absentia: Quibus annumerari potest Bartholomeus à S. Fausto, in *Thesauro Relig. lib. 3. q. 23.* qui eisdem verbis, quibus Sanchez, quem citat, loquitur: & eodē modo intelligendus. Atque de Præsidente, modo supra dicto, in vacanti Præfecto expresse Suarez vbi sup. lib. 2. cap. 22. num. 5.

X. Obiectio soluitur.

Quod si opponas: Præpositi potestatem, ab Abbatis institutione & depu-

ratione dependere: sed illa Abbate expirante, expirat, vt adducit Siluester *Verb. Vicarius, num. 4. §. sexto:* Ergo potius in tali casu cessare debet potestas, nedū augeri. Respondetur: Iurisdictionem & potestatem Præpositi, eo casu, non prouenire ab Abbate, neque inde illi cōpetere, qua rationē loquitur Siluester, & obtineret obiectio: sed à lege constituyente cum in esse Præsidentis, & Pro-abbatis, quo pacto cōsentit Siluester, cū ibi, tūm *Verb. Prælatus 2. & verbo iurisdictione*, fauetque Clement. *de verb. sign. exini de Paradiso, in fine. & c. vnic. de maiorit. & obedientia, in 6. & c.* Idem quod de tempore vacantis Monasterii dicimus, dicendum est de tempore, quo per suspensionem Abbatis, remanet, loco eius, Præpositus, aut ponitur Præsidentem. Quo enim tempore durat suspensio, est veluti quædā mors, & amotio illius, vt ex Panormit. docet Siluester, *verb. Vicarius, n. 4. in fine.* Nā eo tēpore, nihil potest præcipere Abbas cum effectu, neque posita ab eo præcepta subsistunt, donec finita suspensione reuiuiscant; nisi aliās interim valorem aliunde accipiant. Idem rursus dicendum est, si absentia & distantia Abbatis esset tanta, vt opus esset Præsidentem Abbatis, seu Pro-abbatē constituere ipsum Præpositum, aut alium, à Capitulo, aut alio, cui prouissio illa competeret, argumento, *Cap. si Episcopus, de supplenda neglig. Prælatus in 6. vbi Episcopo apud Paganos detento, ac si sedes per mortem vacaret, computatur, vt Capitulum vices ordinarias gerat, donec redeat; vel à Sede Apostolica, cui incumbit, Ecclesię, suo debito modo succurratur.*

XI. De huiusmodi autem subrogato tempore vacantis Monasterii asserit Thomas Sanchez, lib. 5. *summ. cap. n. 67. cum seq.* non posse valide admittere Nouitios ad professionem; imo addit, nec totum Conuentum repugnante Abbate, nec Abbatem id posse, nisi cum maiore parte Conuentus, ipso Abbate nō computato. In quibus & similibus, melius Suarez, qui nihil determinat, nec

De tempore suspensi Abbatis.

De alio capituli uitalis, &c.

XI. Quædā asserit Sanchez, omnib' haud quadrant.

aliquod generaliter tenendum ab omnibus Religionibus, statuit, sed ad peculiaria cuiusque priuilegia, statuta, & constitutiones, debita autoritate factas, remittit, quæ in talibus attendendæ & obseruandæ sunt, vt tradidit. *tom. 3. de Relig. lib. 6. capit. II.* & in eodem opere sapeseptius. Quare ea omnia, saltem à nostra Religione (credo & ab aliis) aliena sunt: Nam Præsidentem ille demortui, aut amoti Abbatis possit sicut Abbas, seruat aliis, quæ seruanda ex more sunt, validè ad professionem admittere Nouitios, si tamen alias non limitetur eius potestas. Secundum, quod addit, non habet locum inter Nostros & alios, cum approbatio decisiva Nouitiorum ad effectiuam professionem, reducta sit ad Abbatis & Cõuentus consensum, per modum vnus totius homogenei, cuius suffragia simul in vnam collata distinctionem non habent; & ex omnibus maior pars sufficit absolute, siue Abbas concurrat cum suffragio pro ea parte, siue non. Semel autem, sic per vota secreta, vltimò approbato nouitio ad professionem; certum est eam dandam per Prælaturam Monasterii, aut ex eius, vel alterius Superioris qui id possit, licentia, seu per Præsidentem modo dicto, & ita habetur ex priuilegiis Benedicti XII. & Sixti III. *tom. I. priuileg. 58. num. 9. & priuileg. 103. num. 12.* & conformiter ad iura, *capit. ea nascitur, de his quæ fiunt à Pralato, &c. & cap. Vlt. de Regular. in 6.* & quæ ex recetioribus adducit Episc. Vrgell. *ad c. 58. Reg. n. 34.*

XII.  
Amplior dilucidatio.

Vt autem prædicta, meo modo, amplius illustrem, & aliqua insuper declarem, aduerto, aliquos voluisse, tempore quo Monasterium vacat Abbate, non posse Præpositum, aut quelibet aliud Præsidentem, modo iam dicto constitutum, præcipere in virtute sanctæ obedientiæ: sed parificari cum foemina Abbatis, quam dicunt, solum posse ponere præcepta polytica & domestica, tamquam matrem & non, vt Prælaturam. In quo multa inuoluntur, quæ adhuc euolui requirunt. Nã ratio Prælati, cum

iurisdictione spiritali ordinaria saluatur, quæ talis est, quando exerceri potest in foro contentioso, & competit ratione officii, ex lege, aut priuilegio perpetuo, independenter ab alio delegante, aut concedente suas vices, vt est manifestum, apud Authores *sup. n. 6. citatos, & insuper ipse Suarez in 3. p. 10. §. disp. 2. sect. 3. n. 10. & etiã, to. 4. disp. 27. sect. 2. n. 8.* Hanc autem Prælaturam videmus stare, secluso voto obedientiæ, vt in Episcopis, & eorū Vicariis, quibus nec Clerus, nec populus, vouet obedientiam; sed ad eam tenentur, ex vi superioritatis spiritalis, quam in suis causis exercent, cõpetentem sibi iure diuino, prout probant Authores. Et cum hac iurisdictione, præcipiunt in virtute sanctæ obedientiæ, & adiungunt pœnas excõmunicationis, & aliarum censurarum, quarum subditi sunt capaces. Quorū præceptorum obligatio, secluso sacrilegio voti (quod ibi non interuenit) iuxta materiam & intentionem præcipientis, est sub mortali, aut veniali. Quæ incõfessio sunt, cum præceptum ibi non habeat aliud robur, nec excõmunicatio maior cadat nisi super mortali in obedientia non paratis, quæ obedientia omni legitime iubenti debita est, iuxta iussionis modum ex lege Dei.

Hinc ergo, vt separemus certa, cõstat talè rationem Prælaturæ & iurisdictionis, nullatenus cõpetere Abbatis, ipso sexu foemineo, ab ea exclusis. Et de hac probat benè, & ego admitto Authores qui volunt non posse eas præcipere eodem modo. At verò hoc denegari non potest Vicario, Præposito, aut Præsidenti, de quo loquimur, in Monasterio vacante, quia omnes supra citati Authores, cõcedunt eum esse ordinariū, quod est habere prædictam iurisdictionem ordinariam in subditos, quæ cõpetere Prælatis Religionum, etiã ex iure diuino, voluerunt aliqui, cum quibus similiter sentit nouissimè Ascan. Tambur. *to. 2. de iure Abb. disp. 1. q. 3.* in quo non assentior, licet ad questionem præsentem, id parum interfit: cum vt cumque sit eam iurisdictionem ordinariam habeant, ex modo & Authore

Iurisdictione  
constituens  
Prælaturam  
secluso voto.

XIII.  
Illa non est  
in Abbatis  
bene in Pro-  
abbatibus.

potente illam conferre. Manet igitur certum ex hac parte posse, quidquid ex hac iurisdictione ordinaria procedit in præceptis, censuris, iudiciis, &c. saluis limitationibus, quæ accidere possunt, aut fuerint, quod nihil obest doctrinæ.

Sed tamen est alia superioritas, & Prælatio Religionis propria, quæ nascitur ex professione status Religiosi, & voto solemnī obedientiæ, illi essentialis: quo pacto constitutus in officio Superioris, cui parendum est, acquirit iurisdictionem aliam, quæ ad illius supradictæ distinctionem, appellant *Dominatiuam*, ex qua, etiam dum promittitur, extra Religionem, obedientiæ votum alicui priuato, nasci obligationem ex virtute tantum Religionis, tenet Sanchez, *lib. 4. summ. cap. 11. num. 26.* & ita eadem potestate vtens dictus superior, vt sic, exigit obligationē voti, per quod transgressor præcepti, non vt cūque fit transgressor, sicut in aliis præceptis à sola superioritate (quæ etiam in Principibus laicis & aliis inuenitur polytyca) impossitis, sed cū sacrilegio fracti voti, ex eo, ad particularē virtutē Religionis, pertinente. Hanc autem *dominatiuam* prælationem sufficientem fuisse, ad præcisum statum Religionis, & aliquando cum ea sola extitisse, vidimus *sup. ad c. 2. n. 20. & c. 23. n. 9. &c.* At in Religioso Prælato, sine ista *dominatiua* nūquam est altera, quæ hanc tanquam fundamentum præsupponit, vt superioritas, & iurisdicctio suam obtineat vim. Sequitur ergo ex concessione illi prioris, & ordinariæ iurisdictionis, etiam hanc esse cōcedendam dicto Præposito, aut Præsidenti, seu Proabbati, in casu de quo loquimur. Et ita cōstat non minus posse exigere in suis mādatis obligationē voti, & ex vi illius præcipere in *virtute sanctæ obedientiæ*, cuius transgressio, sacrilegium fit.

De hac ergo Prælatione, superest dicere, an habeat locum in Abbatissis: & ego partem affirmantem censeo verissimam. Et probo, Primò: Quia hæc potestas nascitur ex volūtaria subiectione vouentium, per traditionē & accep-

rationem in professione, subdentē propriam volūtatem; vnde & potestas irritandi vota in sic subditis oritur: sed ad proponendam, inferendamq; omnem voti obligationem, sufficit potestas *dominatiua*, quæ distincta est ab Ecclesiastica, & spiritali iurisdictione: ergo quantūuis Abbatissa careat huiusmodi iurisdictione, retinere poterit *dominatiuā* voti, cuius obligatione possit adstringere. Confirmatur. Quia antiquitus, Monachos obedientiæ votum emitte re inconfesso est, & probatum *sup. c. 58. n. 7.* atque transgredientes præceptū obedientiæ impositum ab Abbate, seu superiore præfecto, voti reos haberi: sed constat tunc tēporis sæpe Abbatē, præcipiūq; Patrē Monasterii, fuisse mere laicū, nulla etiā Clericali tōsura iniuriatū, & interdū, nec sub Regula gaudēte ea approbatione, quæ spiritalē cōferre posset iurisdictionem, ad clauēs Ecclesiæ pertinentē: ergo, seclusa ista, stare potest alia. Minor probata est sepius, & ex cōsequētia sequitur, idē dicendū esse de Abbatissa, quæ ad id nullā incapacitatē, vel impedimentū habet. Quod declaro respondendo cōtrariis.

Atq; inter eos, insignis Author Thomas Sánchez, *lib. 6. summ. c. 1. n. 28. 29.* & 30. post plures refutatos, quorum fundamenta partim comminuit, partim se non capere dicit: tandem proprias rationes adhibet, de quibus ego idem fateor. Quid mirum me ignoratiā fateri? Vt minus sapiēs dico. Ait ergo ille differentiam, quare in eadem materia, præceptum Prælati obliget sub mortali, nō vero præceptum Abbatissæ, seu alterius Prælatæ fœminæ, consistere in his. Primò: Quia Prælatus potest præcipere, in *virtute spiritus sancti*, & obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, quod non potest Abbatissa. Et quia Prælatus, tamquam spiritalē iurisdictionem habens, spectat in suis præceptis, vt eorum finem, spiritalē profectū subditorum, & in virtutibus progressum, &c. Abbatissa verò nō potest spectare hunc finē, quæ spectare est solius potestatis spiritalis. Secundò: Diffe-

XIV.  
Iurisdicctio  
ex voto cō-  
stituta  
Prælati Re-  
ligiosi.

XIX  
Hæc etiam  
Abbatissis  
competit.

XV.  
Hæc etiam  
Abbatissis  
competit.

XVII  
Iurisdicctio  
Prælati

XVI.  
Obiectiones  
in contrariū.

XIX  
Iurisdicctio  
Prælatæ

XIII  
Iurisdicctio  
Prælatæ

rentia est, quod non quæcumque materia reputatur grauis, ad obligationem sub mortali, respectu Abbatis; sit talis respectu Abatissæ. Tertiò: Quod Prælatus plura præcipere potest, quam Abatissa, quia hæc solum, vt Monasterium, quiete, & sine perturbatione gubernetur, præcipere potest; ille vero omnia quæ ad maiorem spiritualem subditorum profectum conducunt, dū non sint præter, nec supra Regulã; sed ad eam directe, aut indirecte pertineant, &c. vt alias probatum est.

XVII.  
Dissoluntur  
obiecta.

Sed quæso te (Lector) plura ex his, sunt ne probationes intenti, an partes eiusdem assumpti, quod probandum erat? Ego quod inquiri est, quare in hac vna, & determinata materia, v. g. quod talis Monialis ad portam, seu ad rete non loquatur, præceptum Prælati obliget sub mortali, & præceptum Abatissæ non obliget? Si respõdeas, quia materia est grauis respectu vnus, & non respectu alterius, aut quia ille potest plura præcipere quam ista; nihil mihi probas, & respondes idem quod peto; & si materia est eadem, eiusdem personæ, loci, periculi, circumstantiarum, grauis in se: non declaratur vnde amittat grauitatem. Quapropter, secūda & tertia differentia, potiùs videtur, & est petitio principii, in hoc casu, & mihi, qui non capio, probant nihil: totaque vis deuoluitur ad primam. Ab eaque secludo, potestatem spiritualem Ecclesiasticam, à qua procedit excõmunicatio, & censuræ, aliique similes effectus, qui ad iurisdictionem clauium redducuntur; sed de his non agimus, nec ad eos effectus pertinet potestas exigendi votum in præcepto: ergo nihil contrarium infert; nec restat quid obstat, nisi inductæ loquutiones: quod non possit respicere finem spiritualem, in profectu subditarum: nec præcipere in virtute sanctæ obedientiæ: quod sit velut Mater familias, & eius potestas œconomica.

XVIII.  
Declaratur  
magis.

Hæc autem omnia, dum intra dominatiuam potestatem contineantur, certè difficultatem non ingerūt; nec vsur-

pat Abatissa præcipiendo, sub obedientiæ voto, aliquid, cuius non sit omnino capax. Quod discurrendo per singula declaro. Nam quod Abatissa, non possit spectare in suis præceptis, finem, & profectum spiritualem subditarum, prout ad rem pertinet, gratis, meo iudicio, dicitur. Quid enim id prohibet? Ad id enim non requiritur amplius, quã elicere actiones spirituales, quibus, in præconceptũ, & fide cognitum finẽ spirituale, per profectũ virtutum, quibus consequenda est æterna salus, se & opera sua ordinet. Ad id autem foemina, potentias similes intellectus & voluntatis habet; similibus fidei spei, & charitatis, & aliis habitibus imbuitur, se suaque omnia, maximè quæ se, in omnibus per Religionẽ Deo micipauit, in hunc finem dirigit; & virtutum profectum spectat. Quare de talibus D. Ambrosius, lib. 3. de Virgin. apte dixit: *Quare Deum Virgo, imò, & quæramur omnes, anima sexũ non habet.* Quid ergo vetat vt foemina per præcepta, quæ aliis imponit, non possit idẽ intendere? Imò & sanctæ Abatissæ, nihil aliud principaliter intendere debent, & ad id omnem suam dirigunt gubernationem, si sapiunt. Nec in hoc est aliqua improportio, nec scio, quo sensu, illis verè denegandum sit.

De forma præcipiendi, in virtute spiritus sancti, aut sanctæ obedientiæ, minus vrget. Nam vim & obligationem præcepti inquirimus, forma autem solum requiritur, vt innotescat, quo sensu, & mente præceptum imponitur: & dum constet voluntas obligandi, secundum rationem & modum, quem potest; quod minus aptã formã verborum vtatur, parum interest. Nam licet forma inuolueret, in verbis, significationem iurisdictionis Ecclesiasticæ, secundum quam procedit Episcopus, quando, vt fulminet censuras, præmittit mandatum in virtute sanctæ obedientiæ; nihilominus in Abatissa, aut alio carente iurisdictione Ecclesiastica, non redderetur inde mandatum inefficax; sed obligaret

XIX.  
Forma præcipiendi non tollit vim prout hic.

iuxta suam potestatem *Dominatiuam*, ortam ex voto, & in cuius virtute imponeret mandatum. Quod negare nō potest ipse Thomas Sanchez, qui *lib. citato, cap. 4. num. 45.* ait in hæc verba: *Si Superior talis esset, qui nequiret præcipere in virtute obedientiæ, vel spiritus sancti, ut pote qui iurisdictione spirituali careret, cuius est similibus verbis ut in suis præceptis: si materia talis sit, ut posset superior ille obligare sub mortali, præcipiendo illam, obligaret sub mortali, quia utens similibus verbis, & si ineptus sit, satis explicat suam mentem esse, velle obligare, secundum totam suam potestatem, & eo modo quo superiores, habentes iurisdictionem spirituales, intendunt præcipere, dum similibus verbis videntur, &c.*

Prætereà, quia neque in hoc apparet aliqua ineptitudo: Nam v.g. Episcopus aut eius Vicarius, antequam fulminet ipso facto censuram, præmittit præceptum in virtute sanctæ obedientiæ; eisdem verbis, Prælatus Regularis etiam sine ordine ad censuras, præcipere solet aliqua: & conuenit vtriusque præceptum in eo, quod Lessius *de iust. lib. 2. capit. 41. dub. 9.* notauit dicens: *Quando præcipit in virtute sanctæ obedientiæ, tenetur subditus obedire sub mortali, tunc enim superior intendit illum obligare quantum potest, quod intelligitur, in materia sufficienti. Caterum differunt illa duo præcepta, etiam si eisdem verbis proferantur; quia Episcopus non exigit nisi obligationem obedientiæ, quam inducit præceptum legitimi Superioris ex lege Dei: Prælatus vero regularis exigit obligationem obedientiæ, quam inducit votum professionis: & nihilominus eadem verba deseruiunt apte diuersis obligationibus; atque in hoc sensu apte eisdem vitur Abbatisa, nec impropriè iurisdictionis usurpat formulam, sed potius visitam semper inter Religiosos, expressi voti vim, & non aliam, illis verbis exercentes, ex communi intentione & acceptione, etiam si adiungendo censuras certum sit eas ab alia iurisdictione*

proficisci, de qua, pro Abbatisis, non contendimus.

Ex quo notare est, aliud discrimen in præcipiendo, cuius distinctio forte intererit. Nam cum Abbas, seu alius Prælatus ordinarius regularis, habeat duplicem iurisdictionem & potestatem explicatam, Ecclesiasticam, & dominatiuam, habet etiam duplicem modum imperandis: ut dum interponit modum præcipiendi in virtute sanctæ obedientiæ, intelligitur esse secundum potestatem dominatiuam, exigentem voti obligationem, & reponentem culpam transgressionis in specie sacrilegii, contra virtutem Religionis. Et cum ex sua natura obliget votum, iuxta grauitatē, vel leuitatem materiæ, erit veniale, aut mortale sacrilegium, ut tetigi in *introd. art. 6. n. 27.* At vero dum eadem forma non iubet, nullus se eum voti reputat transgrediendo; quia iudicatur imperare solum ex vi alterius superioritatis, cui & generaliter, ex lege Dei, quæ reducit ad quartum Decalogi præceptum, tenemur obedire; & aliis pluribus sacre scripturæ locis exprimitur, de obediendo Principibus, & ministris publicis: quin & maioribus & Parentibus, quas etiam rationes imbibit Ecclesiastica maioritas Prælati regularis, citra votum.

Hinc ergo, quod Abbatisa nominetur, & sit, veluti Mater familias, sicut & Abbas respectiue ad subditos, qui sunt quasi filii: nō tollit quominus Abbatisæ potestas, illa ex voto profecta omnino cōpetat, & possit propriè obediētis præceptum ponere; & in virtute illius, ut Prælata eo modo præcipere validè, & cū obligatione parendi. Quam doctrinam præiacto discursu & fundamentis, ferè eisdem traditam, gauissus sum inuenisse, apud Suarez, *10. 3. de Relig. lib. 2. cap. 18.* & in terminis, *lib. 10. c. 11. num. 20.* Tenerque idem Azor, *1. lib. 12. cap. 5. q. 6.* & latius & expressius *lib. 13. cap. 10. q. 5.* etiam ex eo principio, quod licet scemina, incapax sit ordinis, benè tamen iurisdictionis spiritualis, quæ alterius rationis sit; in qua computat actum suscipiendi ad

XXI.

Duplicis iurisdictionis vsus.

LXXX

Responsum  
in  
textu exponi  
tunc

XX.

Eadem forma seruit diuersis.

XXII.

Cōprobatur in Abbatisis & iā auctoritate.

TEXT V. 2.

professionem, imò & conferre beneficia, de quo alias. Pro quibus etiam inuenio expressum Bonacinam, tom. 2. de legibus, disp. 1. quæst. 1. punct. 31. qui adhuc cum aliis, num. 35. sceminas ex Summi Pontificis dispensatione, etiã ad iurisdictionem spiritualem condēdi leges, & ferendi censuras, habiles censet, vt non sit cur detrectetur, habere potestatem, & vsum præcipiendi, in virtute obedientiæ; quod nihil inuoluit, vt sic, spiritualis alterius iurisdictionis.

XXIII.  
Residuum textus exponitur.

Vt tandem, post longam digressionem, ad textum huius Cap. redeam, ait: *Si quis autem frater, pro quavis minima causa ab Abbate, vel à quocumque Priore, &c.* Hæc autem obseruantia sine veniali culpa, ex Regulæ præscripto, non posse omitti reor, occurrēte proprio casu, in quo eam semper in nostra Congregatione obseruari vidi; maximè respectu Abbatis, aut inferioris Præsidentis, imò & aliorum seniorum quemcumque enim maiorem, respectu iunioris, hic nomine Prioris, intelligit, vt capit. 6. & deinceps sæpè dictum est. Tametsi credendum sit, minorem irati animi commotionem sufficere, in multum seniore & maiore vt

ille qui inferior est, prostratione regulari humiliatus, illam sedare teneatur; quàm si parua maioritatis distantia sit. Nam & suus, in vna quaque re, gradus considerandus venit, & ad talem deuenire poterit, cum tali contumaciæ circumstantia, vt graue peccatum constituat, quod tanta poena, eiectionis videlicet è Monasterio, punibilile dicit.

Licet autem in titulo & principio cap. huius, dicat, *inuicem sibi obediant*, non tamen intelligo, ita velle, vt eodē modo pareat, & satisfaciat maior minori: tum quia, vt habetur ex D. August. cap. *Quando*, 86. dist. vtriusque nō est æqua ratio: tum quia modum explicat solum de minore, respectu cuiuscumque Prioris tantum, vt constat ex toto textu, ex illis verbis, *Premisso ergo, &c.* Ad quem sensum trahenda est illa dictio *inuicem*, quasi sua vice, aut vicissim, hoc est suis vicibus competētibus. Quod non esse alienum ab ea dictione, in ea, apud Thes. lingue Lat. insinuat Robertus Stephanus, & Passeratius. De obedientia autem inuicem præstanda, simili sensu, cap. seq. ait: *Obedientiam sibi certatim impendant*, quod non est aliud nisi mutua, & fraterna legis Dei, & CHRISTI charitas.

XXIII.

De zelo bono quem debent Monachi habere.

## CAPIT. LXXII.

TEXT V S.



**S**ICUT est zelus amaritudinis malus, Iacob. 3. qui separat à Deo, & ducit ad infernum, ita est zelus bonus, qui separat à vitijs, & ducit ad Deū, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum, feruentissimo amore, exerceant Monachi, id est, Rom. 12. vt honore se inuicem præueniant: *Infirmittates suas siue corporum, siue morum, patientissimè tolerant; obedientiam sibi certatim impendant.* Philip. 2. Nullus quod sibi vtile iudicat, sequatur, sed quod magis alij. 2. Petr. 1. Charitatem fraternitatis, casto impendant amore. Eccles. 12. Deum timeant. *Abbatem suum, sincera & humili charitate, diligant.* CHRISTO omnino nihil præponant, qui nos pariter ad æternam vitam perducant. Amen.

NOTÆ.

I.  
De Amen  
terminante  
Regulam.

**S**IMILI fere clausula, terminauit *Prologum*, quem præfixit immediate ad introitum Regulæ, sicut nunc ipsius termini exitum; & eadem voce, Amen concludit. Nempe duplicem usum illius, notauit Lorinus in *Act. Apost. capit. 10. vers. 34.* ex Maldonato, in *Euang. Matth. 5.* vnum ad affirmandum dicenda; alterum ad confirmandum dicta. Priori officio fungi videtur in *Prologo*, & principio dicendorum, quæ huc vsque prosequutus est; posteriori vitur in hoc *sine* dictorum. Vt sit quasi duplicatum, Amen, Amen, qua phrasi singulariter, præ aliis, loquutus est Euangelista Ioannes, in maiorem diuinorum efficaciam & commendationem, ipse aliis diuinior. Atque utrobique sit, ipsi Sanctiss. P. BENE DICTO, aduerbium optatis, hæc omnia in Dei obsequium, & honorem ordinari; & nobis sit signum approbantium Ordinata, & subscribentium ordinatis; sicut Augustinus, in fragmento *Serm. contra Pelag.* dixit: *Fratres mei, Amen vestrum subscriptio vestra est, confessio vestra est, ad stipulatio vestra est.* Ac denique omnibus sit ille, Amen testis fidelis, & immutabilis CHRISTVS, qui hic est nostrum gaudium, & est futurus præmium.

II.  
Qua hic obligatio, & distinctio zeli.

Hoc autem totum erit, si ad totius REGVLÆ præcedentis Capita, huius capituli doctrinam referamus, in qua nulum peculiare præceptum REGVLÆ continetur, sed vnicum diuinæ legis, & ex eius vi obligans proponitur, de habenda simplici, & recta intentione, seu bono zelo, qui separat à vicijs, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc in honoribus exhibendis; in infirmitatibus inuicem supportandis; in præstandis mutuis obsequiis; in prouidendo charitatiuè proximis; in diligendo fratres; in timore Dei, & Abbatibus, humili & sincero amore feruentissimè exerceri cohortatur: separans eum à zelo amaritudinis malo, qui discrepās à Deo; cuncta in infernū deturbat. Inter huiusmodi geminum Zelum, maxima discretionis cautio est adhiben-

da, ne vel actiua deceptio sit, vel passiuæ. Bonus zelus qui de Phinees refertur. (*Num. 25.*) turpes præuaricatores necante, & iram Dei auertente. Malus zelus qui de inhonestis senibus, narratur (*Daniel 13.*) turpiter castam accusantibus, & sibi Dei vindictam adquirentibus. Bonus zelus filiorum Israel (*Iosue 22.*) ne altare, à Rubenitis Gaditis & dimidia tribu Manasse extructum, lederet veri Dei cultum & honorem. Malus zelus Phariseorum (*Matt. 15.*) transgredientium præcepta diuina, vt obseruarent traditiones humanas. Bonus zelus Dauid (*2. Reg. 16.*) increpatis Abisai, & oprobriis Semei parentis. Malus zelus Ionæ (*cap. 4.*) subuersionem Ninive comminantis, & miserationem Dei dolentis. Bonus zelus Pauli (*1. Cor. 11.*) æmulor vos dei emulatione, &c. Malus zelus Corinthiorum, ibi (*cap. 3.*) *Cum sint inter vos zelus, & contentio, &c.* Quis finis numerandi, huiusce generis, contraria?

Sed & quæ solertia discernendi hæc extrema? Prensat manus venientium ad curiam Regiam, humanus & affabilis Absalon (*2. Reg. 15.*) dicens: *Quis me constituat iudicem super terram, vt iuste iudicem, &c?* & latet ibi ambitiosum parricidium. Stat in porta altaris templi (*Ezechiel. 8.*) *idolum zeli in ipso introitu, & vbi sub nomine zeli, & in templo, sancta, & iusta in Ministris veniebant intelligenda, vt alter Elias (*3. Reg. 19.*) zelo zelatus sum pro Domino: tamen sub illo non nisi abominaciones sequuntur quatuor, quas gradatim in peius proficientes ostendit Abbas, cuius sunt verba, Rupertus ibi (*cap. 28.*) Proinde Paulus (*Roman. 10.*) de Iudeis ait: *Testimonium perhibeo illis, quod emulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.* Et CHRISTVS (*Ioann. 16.*) de persecutoribus Euangelii, *omnis qui interficit vos, arbitrabitur obsequium se præstare Deo.* Quare ne vel ex ignorantia, vel malitia, qua se quandoque, velamine zeli, veluti ouina pelle lupus contegit, decipiamur; in sum-*

III.

Cautio adhibenda zelo vt bonus sit.

mi.

mitate huius edificii, hanc cōspiciam scopulorum, vndarumq; pericula ma-  
boni zeli doctrinalem collocat pyra- ris huius, tamquam insignem extruit,  
midem; quam ad declinanda syrtium, & erigit pharum.

*De eo quod non omnis obseruatio iustitiæ, in hac sit*

*Regula constituta.*

CAPIT. LXXIII.

TEXTVS.

**R**EGVLAM hanc descripsimus, vt eam obseruantes in Mo-  
nasterijs, aliquatenus, vel honestatem morum, aut initium  
conuersationis, nos demonstramus habere. Caterum ad per-  
fectionem conuersationis qui festinant, sunt doctrina sancto-  
rum Patrum, quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem per-  
fectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ authoritatis, veteris, ac  
noui testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber  
Sanctorum Catholicorum Patrum, hoc non resonat? Vt recto cursu per-  
ueniamus ad Creatorem nostrum? Nec non & collationes Patrum, &  
Instituta, & Vita eorum, & Regula sancti Patris nostri Basilij, quid ali-  
ud sunt, nisi benè viuientium & obedientium Monachorum exempla,  
& instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis & malè viuentibus,  
atque negligentibus, rubor confussionis est. Quisquis ergo ad Patriam ce-  
lestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam, adiu-  
uante CHRISTO, persice, & tunc demum, ad maiora, quæ supra com-  
memorauimus, doctrina virtutumque culmina, Deo protegente, peruenies.  
AMEN. FACIENTIBVS HÆC, REGNA PATEBUNT ÆTERNA.

NOTÆ.

I.

*Illustratur  
textus.*

**Q**VASI Acroteria ædificio in hoc adiecto, Cap. aut termino, Sanctiss. BENEDICTVS addit, sum-  
mamque operi Coronidem imposuit; ne quidpiam posset desiderari, & omnia suppleat per ea quæ vndeque accersiri, & corrogari possent, in hoc REGVLÆ Volumine, quod vsque ad vmbilicum perductum, solum initium conuersationis, Monasticæ, & minimam inchoationem vocitat; & quamuis intus & à tergo scriptum, nondum finitum & absolutum protestatur: quia cū consumauerit homo, tunc incipit. Quapropter ad ascensiones istas in corde disponendas, denuò, ad veteris ac noui Testamenti paginam, rectissimam normam vitæ humanæ, nos remittit. Quod

& fecit S. Antonius, capit. 15. vitæ, à fratribus interrogatus. In id etiam doctrinas Patrum Catholicorum appellat, nullam à subsidio huius spiritualis magisterii secludens. Et ad intentum, licet suppresso nomine nota opera conuocat, nempe Collationes Patrum, quas edidit Casianus, eiusdemque coenobitarum instituta. Pro eodem item, honorificè nominato Authore, S. Basilij Regulam, eodem generali tenore, quo supra dictos, laudat. Nam quod Patre nostrum, illum dicat, urbana reuerentia est, & sola comitas, veteribus sanctis frequenter & promiscuè exhibita. Omnia denique vndique conciliat, vt quæ Deus & Dominus virtutum, qui ascensiones in corde facit, eo, diuinæ sue gra-

gratię ope, super arenam maris dilata-  
to altius promouerit: non se huius sue  
proprię REGVLÆ limitibus coarctatum  
sciat: sed adhuc superesse altissima sem-  
per *doctrinę, virtutumque* culmina per-  
fectionū ascēdenda cognoscat. Quod  
quā recte in hoc Cap. animaduertum  
a B. BENEDICTO, post alios plures, nota-  
uit Franciscus Suarez, *to. 4. de Relig. lib.*  
*1. cap. 2. num. 2.* atque in qualibet Regu-  
la, multa deesse, quę seclusa illius o-  
bligatione, ex consilio tamen, & con-  
gruentia, possit facere Monachus, &  
in seruitio Dei supererogare.

II.  
Intentio  
Bened. in  
presenti.

Neque in presentī admitto, quod  
vult Alphōsus de Leone, *Aduert. vlt.*  
scilicet fuisse intentum S. BENEDI-  
CTI, transmittendī Cōenobitas ad  
eremum; etiam si in eo arrideat B. Pe-  
tro Damiano, in quo ego neutri sub-  
scribo, sine iniuria S. BENEDICTI, & si-  
ne dispendio virtutis, vt subiungo *infra*  
*nu. II.* Nec in alio sensu intelligo, quod  
Benedictus Hæftenus, *Disquisit. Mo-  
nast. lib. 1. tract. 1. disquis. 6.* aliquibus ad-  
ductis testimoniis fundat: quandoque  
in eodem Monasterio plures Regulas  
fuisse seruatas. Quod quidem æque  
primō & principaliter, nec ipse Au-  
thor admittit, nec ratio id consentit,  
vbi impossibilitas interuenit. Pre-  
terea tunc temporis varietas in regi-  
mine Monasteriorum, omnibus incō-  
fesso est, & indicata *sup. ad cap. 1. a nu.*  
*13. & cap. 3. num. 13.* cum & fuerit, vbi  
nulla Regula scripta seruaretur, sed ip-  
sum Abbatis exemplum, & vocalis gu-  
bernatio, & instructio esset Regula.  
Quod cum omni perfectione constat  
concedendum esse Apostolico simul  
& Religioso Christi Collegio; cui, ob  
id, ait Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 3.* non  
fuisse necessarium aliquam specialem  
Regulam describi: *Quia Christum ha-  
bebant presētē, qui erat REGVLA viua.*  
Fuit vbi, & solum per Traditiones  
maiorum regebantur, vt in NOTIS HIS  
citato loco patet. Fuit etiam vbi pecu-  
liaris Monasterii Pater propriam Re-  
gulam describebat: vel alienam dome-  
sticis moribus accommodabat: vel ex-

pluribus, proprium componebat regi-  
men domus suę; vel etiam probatio-  
res aliquas, & nominatissimas admit-  
tendo, ceremoniales obseruantias cō-  
cordaret. In presentī autem, nihil in  
REGVLAM, aut in partem REGVLÆ ad-  
uocatur, sed in doctrinam virtutum,  
quę omnibus communis est. De cæ-  
tero sicut in aliis multis rebus esse po-  
terit quędam non-repugnantia ipsius  
REGVLÆ, quod aliud est ab intentione  
dicta, prout *infr. num. 5.* expendo.

Quare si dubitet quis, an in huius  
vltimi Cap. textu, inuoluatur aliquod  
REGVLÆ præceptum, ad quod ex vi  
illius, vltra explicata in præcedentibus  
teneatur eius professor? Responden-  
dum est, negatiue. Nam professio non  
extenditur, vltra Regulam S. BENEDI-  
CTI, sed ipse non vocat REGVLAM, nisi  
quam ante hoc cap. in præcedenti 72.  
cum *Amen* terminauit: Ergo, &c. Ob  
id autem in hoc Cap. ait: *Regulam hanc*  
*descripsimus, &c.* Ipseque titulus hu-  
ius Capituli, præsupponit iam REGVLAM  
integram & completam, quoad sui  
Authoris descriptionem: atque inde  
succedit intentum ipsius Cap. scilicet  
animaduertere, in tali REGVLA ab ipso  
traddita, & ordinata, non omnia com-  
prehendi: Sed adhuc esse locum ma-  
iori perfectioni, in Obseruantis, absti-  
nentiis, austeritatibus, vigiliis, orationi-  
bus, aliisque virtutibus, & superero-  
gationibus; quarum additio, intensio,  
& extensio, atque perfectio maior, sub  
eius præceptis non continetur. Esse  
namque plures obseruantias, quas ip-  
se prudens, & sciens præteriuuit, iam  
alias notauimus, *ex capit. 18. & capit.*  
*40. & aliis.* Vnde de REGVLA, prout  
iam integre à se scripta inquit: *Quis-  
quis ad patriam cœlestem festinas, hanc*  
*minimam inchoationis Regulam descrip-  
tam perface.* Quia scilicet, ipsius cæcel-  
lis, concluditur Professio. Non tamen  
impedit maiora virtutum incrementa,  
ad quę doctrinam, exempla que pro-  
ponit: atq; consiliantis admonitionis  
hortamentis, accendit animū, non in-  
stantię præcipientis necessitate.

III.  
An ex hoc  
Cap. sit ali-  
quod Regulę  
præceptum?

Non esse pro-  
batum.

At

III. *Obiectiones & instātia.* At verò opponēs : plura esse in REGVLA omīssa, quæ intelligi in ipsa oportet, & necesse est à Monachis obseruari, tanquàm ex REGVLA: Ergo ea desumenda sūnt, ex huius cap. præcepto, quatenus in supplementum, proponit doctrinam, Regulas, & instituta expressè nominata. Ad quod intentum, probationis vice, numerari poterunt, inter omīssa, & ex hoc, cap. supplementa. Primò: Ea quæ supr. capit. 58. à num. 9. dixi de Conuersis fratribus, & num. 13. de Monialibus. Secundò: De sacrosancto Missæ sacrificio celebrando, vt capit. 17. num. 9. de quo desideratur constitutio. Tertiò: De aliquo etiam officio defunctorū, quorum mentio deest, vt notauī, capit. 18. num. 6. Quarto: De castitate & eius voto, de quo constituit nihil, cum de Paupertate, & obedientia, toties, & per plura Capita disponat, & sic de aliis. Atque quintò accedunt verba D. Petri, Damiani ex Opusc. 13. de perfect. Monach. capit. 13. vbi, circa præsentem textum, ait: *In angusta se montis Ephrain possessione cohibuit, qui sola B. Benedicti contentum esse Regula de creuit. Sed audi, quomodo te ad montem Iosue nouus impellat, & ad latiora possessionum spacia festinare præcipiat. Regulam (inquit) hanc descripsimus, vt hanc obseruantes aliquatenus, &c.* Atque instanter rem ipse prosequitur inquit: *Ecce mons Ephrain: sed quoniam angustam hic possessionem perpendit, mox ad altiora simul, & latiora transmittit. Cæterum qui festinat (inquit) ad perfectionem, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, &c.* In quo ipse Cardin. non solum anachoritam, tanquam ex REGVLA principaliter intentam, sed etiam alias doctrinas citatas introducit parimodo, & desiderio extendendi & ampliandi vndecumque profectum.

V. *Rursum probatur resolutio.* Sed hæc, aliaque similia, nihil efficiunt, vt ex hoc Cap. aliquam præceptionem, aut obligationem assumant. Primò: Quia si ea quæ in hoc Cap. citat, & adducit, tanquam Regulæ præ-

cepta traderet, esset destruere propriam Regulam iam traditam. Nam cum hæc determinata sit, & in illis, quam plurima diuersa constituantur, iuxta varios Monastichos modos: confusio immanis obseruationum esset, & potius aliorum Regulas, quam propriam condidisse, cuius Magisterio, & obseruantis, nihil detractum iri iubet. Non tamen limitat terminum perfectioni virtutum, ad quarum spiritualem accretionem, & augmentum, exhortationem diuinis, & Chatholicis monumentis instruit. ¶ Secundò, Quia professio nostra, fit tantum sub REGVLA S. BENEDICTI: sed hæc tantum est eius: Ergo cætera, quatum ad professionem, exclusa manent. Qua argumentatione, exclusis nominatim, & adductis, in verbi causa, Basilii, Augustini, & Pachomii, regulis, vtitur in terminis D. Bernardus, lib. de Præcepto & dispensat. capit. 7. in fine. Et ex inde etiam excluditur debilissima alias intentio eorum, qui Regulam S. Basilii, contendunt approbatam esse, à D. Gregorio Papa, qui approbando Regulam hanc, quæ in hoc ultimo Cap. memorat illam, videatur simul eam approbare. Quod somniū adhuc hinc eluditur, quia hoc vltimū Cap. vt sic, verè non est Regula, seu lex præceptiua, de qua ipse B. Benedictus, capit. 58. dixerat: *Ecce lex sub qua militare vis, &c.* Tertiò: Quia instantiæ adductæ, num. præcedenti, nihil in contrarium efficiunt. Nam quedam non indigent hoc alieno supplemento, (vt dixi ad capit. 18. num. 9. & 10.) ad hoc, vt intelligantur inclusa, & comprehensa in Regula, absque aliqua adiectione. Quædam verò quæ in ipsa non includuntur, etiam si hoc Regulæ Caput extet, tanquam finalizans clausula eius, non tamen inde aducuntur, quasi ex Regula, in obseruationem: Ergo hinc, nulla illius nascitur obligatio. Atque vtrumque incunctanter declaro.

Nam nulla est Regula Religiosorum, etiam prolixior & longissima, aut B. Basilii, aut cuiusuis alterius. Si forte alia

*Diluuntur obiectiones.*

alia est, quæ & interrogationum & disputationum duplicatione, diffusior sit, in qua omnia exprimantur; quin in ea aliisque, plurima per Constitutiones indies adiecta sint; tunc quidem in Regula fundamentali Legislatoris omissa, & postea excogitata; quæ non est necesse, vim præcepti Regulæ habere. Hinc est quod plura sint admissa & practicata, in Religione Benedictina, non quia fiat aliquo modo iussa, aut instituta Regulæ, sed quia vel ipsi consonant, vel non reluctantur ei. ¶ Talia sunt, quæ de Hospitali seu Xenedochiali cura dixi ad capit. 53. num. 3. & quæ adducuntur ad idem ab Hæftenno, lib. 2. disquisit. Monast. tract. 7. disquisit. 5. simul cum redimendorum captiuorum cura, quam etiam à nostris Monachis exercitam probat, ut cum

*permissio ut Antonio Yepes in Chron. ad annum cūque nō est Christi 680. concludat, REGVLAM S. Benedicti, accommodatam esse finī, & scopo diuerforum ordinum: Quod, nō de orationis & contemplationis præcipuo & primario fine, intelligendum est; sed de secundariis, & adiunctis, ad quos admittendos, & exercendos, nō est opus à Regula exprimi & imponi, sed satis est, ab illa non prohiberi, aut vetari, ut bene docuit noster Lorca, num. seq. citandus, estque doctrina D. Thomæ, 2. 2. quæst. 187. art. 1. & Bonifacii Papæ in Cap. sunt nonnulli. 16. quæst. 1. ut professioni Benedictinæ, ex REGULA denegata non sit prædicatio, infidelium conuersio; Sacramentorum functio; actiuæ vitæ suo modo exercitium; Eremiticæ & solitariæ disciplinæ conueniens praxis, aliaque similia; quæ, ex quadam non repugnantia, aut explicata permissione REGVLÆ, nihil in oppositum disponentis proueniunt, non vero ex aliqua dispositione Regulari, intellecta cum illius obligatione. ¶ Nam cum tali onere conscientie in REGULA, solum intelliguntur, etiam si non exprimantur, ea quæ pertinent ad legem Dei, & obligationem Christiani, idque præcisse, cum propria tantum, & præsupposita obli-*

*gatione, sicut declaratum est, in introduct. Artic. 6. per totum, scilicet, quia super illud NECESSARIUM Matth. 19. serua mandata, edificat Religio, adiungens VOLUNTARIUM ad id, si vis perfectus esse, &c. consilia ea scilicet particularia, quæ ex Euangelio eligit obseruare, & quæ per professionem, iuxta modum Regulæ conuertuntur in præcepta, prout aliàs iam explicatum est in superioribus. ¶ Ex quibus Euangelicis consiliis, illa tria essentialia votorum status Religiosi, expressa censentur in professione, quantumuis Silerentur in REGULA. Ut de voto castitatis, cuius, licet præter, capit. 4. vbi non semel inter instrumenta bonorum operum inducitur, nulla alia mentio fiat, eam tamen peculiarem & distinctam non fecit; vel quia ut Galat. 5. manifesta sunt opera carnis: Et in abnegatione sui, quam tota REGULA inuehit, quid manifestius insonat? Nec in REGULA filieri, quidpiam detrahit professioni, ut in introduct. Art. 7. dictum est, vel fortè Beatiss. BENEDICTVS adeo alienum reputauit Monachum à libidinis contagio, ita à sensualitatis peste abhorrentem, ut tamquam negatum carnali voluptati, nec de castitate diseruit, nec in tota REGULA fœminæ vel nomen (quod mireris) intulerit.*

*De cetero autem, etiam si Superior, exigens à subdito obedientiam voti, possit præcipere ea, quæ conformia sunt Regulæ, siue expresse in ea contenta, siue implicite, siue directe ad eam pertineant, siue indirecte, dummodo supra illam non sint, nec præter illam, ut docet Lorca aliàs citatus, in 1. 2. sect. de Legibus, disp. 14. dub. append. & latius Sanchez, lib. 6. summ. à capit. 2. &c. nihilominus actu, ex ipsius Regulæ, secundum quod scriptum habet, obligatione, præcepta non sunt, nisi quæ ab ipsa, ut talia, exprimuntur. Quoniam quæ non exprimit non præcipit, cum adhuc in expressis, modus verborum, & alia inspiciantur, ut præcepti obligationem, taliter, vel taliter ob-*

*Omissio de castitate cur?*

## VI.

*Non scripta in Reg. eius præcepta nō sunt.*

*III*

*Necessario  
intelle et a in  
Regula.*

obtineant, vt in *Introduct. Artic. 6. à num. 13.* dictum est. Quare Lorca vbi sup. disp. 3. membr. 2. apte dixit, vt aliquid censeatur permissum, sufficit, si nihil circa ipsum disponat lex.

VII.  
Confirmatur  
authoritate  
P. Damiani.

Et in confirmationem huius doctrinæ, quam aliquoties, pro nostra REGVLA, in hunc locū remissimus stabilendam, opportunis testimoniis: profero ea in præsentia. Et Primò ex Card. Petr. Dam. vt verbis ex eo supra adductis, ipsemet satisfaciatur: hæc enim, citato *Opusc. 13. cap. 7.* ait: *Author sacre Regule, librato discretionis examine, alia ex autoritate præcipit, alia propter imbecillitatem fragilium ex necessitate permittit. Nam cum dicit (cap. 40.) licet legamus vinum Monachorum omnino non esse, &c. & alibi (cap. 49.) licet omni tempore vita Monachi Quadragesimæ, &c. & multa similia, quid est aliud quam si dicat: Alta quidem vobis ostendo, sed pœnitibus teneris adhuc vos claudicare conspiciens, per plana deduco. Si cui autem possibilitatis vigor accesserit, deserat ima, quæ inuitus indulgeo, teneat alta, quæ volo. Nimirum melius est quidem saluari animam in Segor, quam sulphureo igne consumi, melius est nubere quam vri: sed quam gloriosius est, ad montana conscendere, quam in parvula segor obscura ignobilitate iacere, &c. Et statim paulo inferius, dilucidè ad propositum, sic: Ac si promulgator sanctæ Regule suis auditoribus dicat: suscipientes quidem quod indulgeo non peccatis, sed non suscipientes, mercedem habetis admiffa siquidem misericordia, non incurritis pœnam, sed propter Deum omiffa, pertingitis ad coronam, &c. Quod si ita sentit de iis, quæ dearticulate insinuauit desiderare, & indulgendo omiffit: nõ minus dicendum est, de hiis quæ etiam sine insinuatione præterit.*

VIII.  
Item Theodemarij  
Abbatis.

Ad idem facit, quod Theodemarius, Abbas Casinensis, scribit ad Carolum Regem in Epistola, cuius rationem dedi sup. cap. 38. n. 15. vbi loquendo de arctiori forma vitæ, à Monachis Franciæ, tunc susceptæ, ait: non esse impediendos; rationemque reddit, sic: *Nec enim*

*credendum est, hoc B. Patri Benedicto displicere, sed potius gratum esse, si quis supra id quod ille, propter amorem Dei, in laudibus instituit, adijciendam esse curauerit, &c. Quod licet ipse dicat, de adiectione cantandi in choro, & adiectione ad diuinum officium, de quo cap. 18. permittebat Regula aliter ordinari: tamen in quacumque materia obtinet ratio: saluo tamen, in omnibus Religionis debito ordine & modo. Exinde autem constat, quam longe sit obligatio eorum, quæ REGVLA non disponit: siquidem & aliquid arctioris vitæ, addidisse, sub verbo non displicet, consentit & approbat.*

Concordat vero clarius, in hoc, S. Hildegardis, in explicatione REGVLE, §. 6. illis verbis: *Quæ enim fieri recusat B. Benedictus, ea aperte interdicit, & quæ fieri exhortatur, illa aperte manifestat. Hæc autem de quibus tali modo reuertitur, arbitrio & discretioni Abbatis & fratrum remittit. Quod licet peculiari-ter dicat, circa c. 8. vbi de parvissimo interualla, inter Nocturnos & Laudes, & cap. 11. vbi, de nullo interuallo, fit mentio: de quo sentit, etiam si interuallum notabile sit, non prohiberi reditum ad somnium, vt notauit ad cap. 8. num. 13. & 15. tamen generaliter id censit, de tota REGVLA, aliis locis. Atque ita, iuxta supra dicta tenendum est.*

Quod denique Sanctiss. Legislator hanc Regulam suam, *minimam inchoationem* vocet, sancta quædam attenuatio est, & humilis proprii operis deiectionio, præferenti maiorum in virtute profectuum desiderio, & æstimatione præcedentium exemplorum, atque sui- met contemptu & despectione. Ita notemus, nostrum vniuersalem omnium Patrem BENEDICTVM, cum se ad antiquiores illos Sanctos confert, tepidum, vt cap. 18. & hoc cap. in desidijs, & male viuentibus, atque negligentibus, quibus rubor & confusio sit, semet numerat, & appellat. Ita ex Benedicti salua, peculiaris etiam noster P. BERNARDVS, ad illum se comparans, in eius serm. exclamat: O Abbas

IX.  
Et S. Hilde-  
gardis.

X.  
Humilitas  
S. Bened. &  
aliorum.

Et Abbas! Nomen vnum, sed in alio  
sala magni nominis Umbra, & quæ inde  
cum rubor: Et timore prosequitur. Ita  
gultum sentiendi, loquendique propi-  
nauerat Apostolus, qui t. Tim. I. mundi  
huius peccatorum, sibi primatum ad-  
scribere, cunctatus non est, à magiste-  
rio CHRIS TI, ex cordis humilitate,  
phrasim oris addiscentes, & nobis ver-  
bum bonum eructantes.

XI.

Imitatus est  
S. P. Dam. S.  
Benedictum

Ipse etiam Card. Petr. Damian. qui  
aliquali emulatione (sancta licet) ex  
iisdem huius Cap. verbis, quasi ad ho-  
minem, argumenta, nonnumquam de-  
sumit, vt suum Eremiticum institutum  
suprà Coenobiale S. Benedicti exaltet,  
vt notauimus, ad Prologum, nu. 8. Et ad c. 1.  
n. 8. tamen non potuit non imitari mo-  
dum; qui in Regula Eremitarum suę  
Congregationis, c. 32. ad finem, ita con-  
cludit: Nos etiã spiritualis infantie cre-  
pundias teximus, & lactantis adhuc E-  
remitæ (vt ita fatear) incunabula fabri-  
camus, dum debiles quosque, nostrique  
consimiles, per plauiora deducimus, ex-  
pedite precipinctos ab ardui montis ascen-  
su minime prohibemus, &c. Et sicut ipse  
non ob id, suos Eremitas ad alium or-  
dinem, aut professionem trãsmittit, sed  
ad latiora & altiora virtutum, vt sup. n.  
3. suis verbis contestatur: ita S. Benedi-  
ctus, in hoc Cap. non intendit transitũ  
ad Eremũ, sed suos, quos instruit, Coe-  
nobitas, ad virtutum ascensionem dilatat.

¶ Nec certè diuinari potest alia in-  
tentio suppositis iis, quę de hoc dicta  
sunt, ad cap. I. n. 9. & 15. & 16. & in In-  
trad. art. 3. n. 2. &c. Eodem namq; mo-  
do inuitat ad Collationes Patrum, &  
eorum instituta, & similiter ad Regulã  
S. Basilii & pariter ad doctrinas & li-  
bros Sanctorum, & Catholicorum: nũ-  
quid ideo trãsmittit nos ad tenendũ  
instituta Casiani? Aut S. Basilii Regulã?  
nequaquam: sicut nec ad alias doctri-  
nas & libros, simili modo relatos: nisi  
quatenus hinc & inde, proficua lectio-  
ne, documẽta & exempla elici possunt  
egregia diuersarum virtutum: ad exe-  
quendam propriam Professionem, cũ  
multipharia adiectione perfectionum,

quibus ipsa spiritualis vita ( prout de  
vite, dixit Plinius, lib. 14. cap. 1. ) nullo fi-  
ne crescit. Atque id Sãctus LEGISLATOR  
DVX & MAGISTER noster, cum deside-  
rio eximie discipulorum perfectionis,  
in sua Regula locum habere manife-  
stat, nulla alia, Regulari, ex hoc, obliga-  
tione specialiter adiecta, vt dictũ & pro-  
batũ est, sup. a n. 2. & c. & c. 58. a n. 11.

Addiderim autem hic ad hoc po-  
stremũ Caput, in quo præfata sit B. Ba-  
silii mentio, & honorifica, tum Regulę,  
tum Authoris, sub titulo Patris nostri,  
nominatio, & ex quibus, quã nihil  
assequantur Basilienses Monachi, quo-  
rum improbabilia themata nos aliã  
repulimus, sup. in NOTIS, ad cap. I. Reg.  
a n. 11. ostenderuntque alii efficaciter:  
addiderim, inquam, deffensionem meã,  
quam ibidẽ omissam, n. 17. huc remissi,  
circa exclusionem Regulę S. Basilii, nõ  
solum à professione B. Benedicti (vt  
tenui ibi & probaui) sed etiam, circa  
ipsam REGVLAM S. BENEDICTI, quã co-  
nantur esse mutuã & trãslatã ab  
illa, ita vt præripiat sibi auctoritatem  
propriã, & nomen: quasi non sit pro-  
prius & genuinus Sanctiss. BENEDICTI  
fãtus, quem & Deo inspirante conce-  
pit, & diuino spiritu obstetricante edi-  
dit, & Verbo incarnato promouente,  
in omnem terram inuexit. Quem etiã  
fẽtum eius, tot Romanę Ecclesię Põ-  
tifices Legitimum cognouerunt: tot  
Concilia reuerenter venerata sunt, cũ  
Authore: tot Coenobia amplexata sunt  
cum eius generosi nominis gloria: tot  
Cõgregationes & Religiones, vel pri-  
mẽua origine, ab omni alia linea regu-  
lari distinctę: vel nobilissimi instituti  
participio, & cognatione, gaudentes,  
constentur. Et quod vndecim seculis  
& amplius nulla pagina prodidit: nul-  
la lingua musitauit: nulla cogitatio  
admissit, in eo post mille, & cen-  
tum annos constantis rei: & verita-  
tis pacifice possessę: vel singularis im-  
postura, vel credula deceptio, vel au-  
dax ignorãtia, vel cęca, & pertinax pas-  
sio, aut ( quia Religio est nemini tantã  
adscribere temeritatem ) nescio quæ

III

Indicibus

XII.  
Defensio. Au-  
thoris huc  
remissa.Hęc Regulã  
alteri tribue-  
re quam ab  
sonum.-da man-  
-abba nra  
-ant-  
-ant-

III

-da man-  
-abba nra  
-ant-  
-ant-Cõkursus ad  
imitationem  
equalis.

iocossa vocis echo, aut vecors loquentis imago, inepté, & inconcinne susurrat: sic enim excusari crimina puto, & cupio. Profecto in his, aut nimio defectu, aut acri stomacho opus esse, æquus inspector iudicabit.

XIII.  
Indicatur  
ratio huius  
defensionis.

Ego autem ab utroque suo modo, ne modum excedam, abstineo: nec refellendi istius modi vanitates & insanias falsas, prouintiam assumo: cum eã iam alii susceperint, gnauiter ea functi: inter quos etiam accerrimé Mag. San-Vitores: ex eius de hac materia scriptis rom. 1. pralud. 3. c. 1. n. 15. didici, prædicatos Patres Ordinis S. Basili, seu qui, pro cis, Author est libri, cui titulus, *Fenix de Grecia*, illam sententiam comprobare, etiam testimonio adducto, ex meo *Poëmate Hispano*, cuius iam sup. in *Introd. Art. 1. nu. 20.* rationem dedi. Et licet ipse Reuerendiss. Mag. & propugnator, sicut aliis obiectis, etiã huic parauerit solutionem, simul & (quam ipse vocat) defensionem mihi; tamen ego propius ad meam rem, & robur solutioni, tâquam testimonii Author,

adiiciam, & defensionem consulam & meditantibus ex illo iuuari, constabit illud quod alias, suis præfixit libellis Martialis: *Improbé facit, qui in alieno libro ingeniosus est.* Et possim melius dicere: *Abfit à simplicitate nostra malignus interpres.*

Illud veró *Octasticon*, quod ex mea *Benedictina*, excerptum ad propositum, fuit, habetur *Cant. 4.* ubi, introducitur D. Benedictus, iuxta historiam, D. Gregorii, lib. 2. dial. c. 3. assumptus in Abbatē cuiusdam vicini Monasterii, & maxima Monachorum eiusdem importunitate, à Sublaco discedere compulsus: à quorum etiam improbitate morum, sancti Abbatis vitam per venenū aggrediente, demum eisdem relictis, vt ad suam rediret solitudinis securitatem & quietem, declinauit: Cum ergo curam, & strenuitatē Vigilantissimi PRELATI, circa Monachos illos, describerem, & quæ exempla & monita, in eorum reformationem proferret, decantarem, sic modum modulabar:

XIII.  
Quid presertim  
abuti  
verbis  
Authoris.

No sigue los decretos de Pompilio,

Comunicados con la nimpha Egeria;

Que no està en la Ciudad, por quien Atilio

Sintió del Africano la miseria:

Imita la coluna de Basilio,

Que ya traspone á la nacion Esperia,

Preceptos de vn Ioachim, Pacomio, Onofre,

De quien haze su pecho, archiuo, y cofre.

Quam ab-  
surde addu-  
cant testimo-  
nium.

Ex cuius quinto versu, ansam sumptere ad suum assumptum, & ansam satis frigilem, tenentes quidquid occurrit ad manum, etiam nullius præsidii futurum, ad instar eorum, quos *periclitantes in aquis*, considerat. D. Bernardus, *ser. 1. de Aduen.* ¶ Ita ergo inde arripiunt inutiliter & sine delectu verbū *Imita*: Quasi imitatio virtutum alicuius anterioris Sancti, cuius, sicut omnium qui præcesserunt exempla, & doctrina, instructio est succedentium: transcriptio, seu translatio Regulæ dicenda sit, aut reputanda. Aut quasi recentiorum SANCTORUM opera, licet, in aliqua senten-

tia, consentiant cum antiquioribus, illorum non sint habenda propria. Aut quasi ipsa S. Basili Regula, sicut & aliorum Fundatorum, vel vetustioris Monachatus, vel renascentium Ordinum, non sit desumpta, ex Euangelica, & Apostolica veterumque doctrina: quod ipse pro omnibus suis Regulis ætheticis, & fustioribus & breuibus, ante ipsius Æthica, distinctè ait: *Quacũque in nouo testamento, diuersis in locis, vel vetera inuenimus, vel iussa, hæc studiose operam dedimus, vt in cõpendianas quasdam Regulas redigeremus.* ¶ Nec tamen inde id obstat, quominus propriæ

Multi ingi  
exemplo cõ-  
stat.

genuinæ Regulæ Basilii censeantur & sint, sicut futere, etiam ante ipsum S. Basilium quam plures, vt indicauit ad c. i. n. ii. & ipse facitur, in *Epist. Apolog. 63. ad Clericos Neocesari*, & post ipsum, specificant alii & norunt omnes. Quæ licet inter se, in pluribus, vt pote Religiosi status, necessum est conueniant; tamen propria Antonii, propria Pachomii, Propria Augustini, &c. absolute numerantur, impermixtè, & intranslatè: ne dum Regula S. Benedicti, inter quam & S. Basilii licet in aliquibus opus sit cõuenire Monachatum, sed immanè quantum, & in omissis & in expressis distet: Et cum aliquo similiter consentiat, cum Regulis supra numeratis Regula nostra, nullius tamen illorũ, dicta vnquam fuit. Quid ergo amplius habet ex S. Basilio, nisi deceptionem, aut ignorantiam recenter somniantium, quam in hoc clarissimè detegit citatus San- Vitores? Neque mihi amplius incumbit, nisi propriam auctoritatem, ab illorum inscitia & aliis calumniis vindicare.

XV. *Declarat se Author ipse.* Ea autem semel vindicata est, eo solo, quod ego Author testimonii, legitimus interpret illius, sensum proferam & declarem. Nec alium declarare possum, quàm quem tenui, & quem proprium esse illorum verborum constans est scilicet, attribuere S. Benedicto, virtutis & sanctitatis antiquorum Patrũ, in Religiosa perfectione celebrium, imitationem, exempli considerationẽ, doctrinæ studium, quatenus inde suos aliorumque mores, ad Deum meliũs, & oportunius dirigere valeret. Quod alienissimum est à transcribenda, vel assumenda D. Basilii Regula, cuius nec imaginatio mihi venit in mentem, vt vere testor, nec alicui mente sano venire, rebus, perspectis, potuit. Hec mea declaratio. Apage cuiusquam alterius, vel malignam, vel improbè ingeniosam interpretationem.

XVI. *Declaratio probatur.* Nullum autem alium sensum, etiã vi illata, verbis induci posse: Patet: Primò, ex ipso verbo *imitandi*, quod nihil aliud sonat. ¶ Secundò, ex ipsis, cit-

ca quos, ea imitatio versatur, quæ non Basilium solum, sed Ioachimũ, sed Pachomium, sed Onuphrium; & subinde alios plurimos, quos etiam nominatim *Cant. 8.* protuli, & quos innominatos sub expressis comprehendere, & quorũ cum sit par imitationis ratio, æqua omnium assumptæ Regulæ disparitas est. ¶ Tertiò, ex ipso P. N. Benedicto, qui imitator eorum constituitur, ad eum modum, quo Apostolus sepe, ait: *Imitatores mei estote, & sub verbo emulamini, 1. Corinth. 12. Sectamini charismata meliora.* Quo etiam modo ipse S. Bened. hoc *ultimo cap. Regulæ*, nos mittit ad *exempla & instrumenta virtutũ Sacræ pagine; Sanctorum & Catholicorum Patrum; Eorum Collationum; & institutorum, etiam Regulæ S. Basilii, sed (vt supra n. i. dixi) vno & eodẽ prorsus tenore, vna phrasi, vno sèsu Basilium, sicut vnum de pluribus, in imitatione, & exemplificatione sua inuoluens. Igitur suos Benedictinos Monachos, quibus Regulam, eamque tanquã *Magistram* in omnibus sequendam (cap. 3. &c.) imponit, in congrue ad aliam transferret, & ineptè (si eadem esset Basilii;) tanquam ad aliam mitteret: nisi solum adiungendo generalem virtutum doctrinam, cum omnibus aliis Catholicis & Religiosis libris, & monimētis ex quibus abũde suppeteret sanctitatis imitatio. Itaq; talis imitatio, est quæ in ipso P. N. Benedicto, omimodis lectioni, & studio virtutum addicte, præcessit sèper, & amplius eotẽpore, de quo loquitur Hispanũ exacticon adductum. ¶ Quartò: Quia imitatio ibi expressa, non est alia, quam quæ in omni Prælato requiritur, in communi doctrina Sanctorum, de quo D. Gregorius Papa, *lib. 1. Epist. 24.* expendens illud, *Exodi, 52.* de Rationali Aarõ, in eius figura, ait: *Adscriptos Patres semper inspectore ferre, est antiquorum vitam, sine intermissione cogitare. Nam tunc Sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indefinenter intuetur, cũ sanctorum vestigia sine cessatione considerat,**

rat, &c. Hoc autem maximè tunc, quando B. Benedicto prima Monasterii prælatura obtigit, ei non defuisse certissimum est; & nõ minus certum quam diuersum, ad interpretandum, de trãslatione Regulæ inextissime hinc excogitata. ¶ Quinto: Quia quo tempore loquitur testimonium, agebat B. BENEDICTVS annum quasi trigessimum, viginti ferè annis ante quam REGULAM scriberet, iuxta receptam & certam veritatem historiae: quorsum

ergo intèpestiua præposteraque opinantis, & abutentis testimonio, insipida interpretatio? ¶ Sexto: Quia si de Regulæ translatione, aut scriptiõne eliciendum erat testimonium ex nostro Poëmate, adest suo loco, suo tempore, suis verbis, suis marginalibus auctoritatibus, semel *Can. 8.* dum anticipatiõne poëtica, & per profopopeiam, data persona *Religioni*, ab ea quasi vaticiniũ canitur sic:

Que el bello libro, que en su pecho ardiente

Luze con piedras, y el esmalte fino,

Es la Regla Santissima eminente,

Que dictará muy presto, en su Casino:

Que ilustrado, con rayo refulgente

De aquel que en lenguas desde el cielo vino,

Dará la Regla del viuir, y el modo,

Con quien reforme al Occidente todo.

Quod per sequentia Octastica dilucide profequor. Atque iterum *Cant. 10.* cum ipse Sanctiss. Pater introducitur, Regulam suam mirabiliter condens, ita poëma in re perspicuum pango:

Quiere (scilicet Deus) darla (nempe Regulã) en Casino refulgente,

Y que lleue BENITO este tropheo,

Qual dio su ley, en el Siná eminente,

En las dos tablas, al linage Hebreo:

De alli quiere se estienda al Occidente

La clara antorcha, para que el desseo

Del conuertido, y justo, no se anegue,

Mas hasta el puerto celestial nauegue.

Habla al Nursino, en el interno pecho,

Y el inspirado toque, en el reciue,

Y adiuinando nuestro gran prouecho.

A la labor las manos aperciue:

Affiste el sacro Espiritu, en el hecho,

Y por la mano de BENITO escriue

Vn modo de viuir, Regla perfeta,

Docta en palabras, y en saber discreta.

Eademque laudatio per plures versus dilatatur. Adestque in re ipsius sanctiss. P. Benedicti miraculosum de propria sibi Regula testimonium, quod *infra num. 18.* & vlt. profero.

XVII.  
Confirmata  
respōsione 1.  
data alia re-  
pellitur.

Ex quibus quisquis pro infante B. Baſilio, ex hac parte, perperam delirat, quod imponit mihi, confuſſus deponet. Firmatur & inde optima reſpōſio, quam interrogatione negante, adhibet loco citato Reuerendiſſ. Mag. San-Vitores: *Porque imitō ſu modo de Viuir, tras ladō ſu inſtituto regular?* Quasi dicat: *Minime gentium, & rectē: Sed repellitur in caſu, alia ipſius interrogatio qua ait: Pero guiada la pluma del furor Poético, que verdad ſe halló ſencilla en ſu boca?* Et quod addit, de incompoſſibilitate veritatis hiftoriæ cum poëſi: & de violentia cadentis conſonantiæ, cōtra dictamen. Hęc omnia, quam ex hac parte acceptam non fero ad defenſionem mei pace ipſius, neceſſaria non ſunt, vbi, & loquutio propria, & dictamen ſincerum, & narratio vera conſeruantur, quæ nullo modo, à poëſi quæ ſeria ſit & ſancta, temeranda veniunt, etiam ſi idiomate vernaculo, quod parum ad rōm intereſt, canat. Dolendum autem, quod poteſtas quidlibet audendi, quam Picloribus, atque Poëtis Horatiana adſcripſerat lyra, alios etiam fermone ſcribentes ſoluto peruadat, vt tot propugnationibus (prout ipſe ſtrenuè præſtat) paſſim opus ſit. Nec facile vereatur, in hiftorico ſimul & ſancti obiecti poëmate, ſic poëticum præuale- re quem vocat furorem, vt veritatem deſerat, violentia cadentia coactum. Non id pro merito ipſius poëſis, quæ ei tot floſculos miniſtrauit, quibus vt apte, ita & gaudenter æſtimo aſperſiſſe opus. Nam pro meo à Deo mihi dato genio, in illa ætate, qui in conſonantiis & cadentiis patriæ linguæ fortè poteram dicere, quod alter in Latina: *Spōte ſua Carmen numeros veniebat ad aptos, &c.* & qui non inuita Minerua, aliquo die (quod & non ad vanitatem mihi,

teſtari compellit) ad quod ingentes illius operis verſus profuſiſſe meminerim. Atque cum verè mihi acciderit, quod ipſe Naſo tametſi de aliis materiis, expreſſit: *Multa quidem ſcripſi, ſed quæ vitioſa putant: Emendaturis ignibus ipſe dedi, fateor, id ipſum potiùs feciſſem, de eo Poëmate, ſi quod in honorē tanti PATRIS noſtri, ſpecialiſſimi mei PATRONI, ac omium PATRIARCHÆ, minus, meo vitio, honorificum euaderet: Quod ſimiliter de præſenti libro pronuntio, vt eius honoris & laudi totus cedat.*

Ex quo iam receptui canendum eſt, ſed illud in fine tubicinandum, & crebro ſemper claugore, noſtris auribus increpare oportet, quod Adreualdus, lib. I. *miraculorum S. Bened.* in quadam eius miraculoſa apparitione, conceptis ſuæ promiſſionis verbis, protuliſſe ait: *Si præceptis omnipotentis, curā adhibueritis obediendi, REGVLÆ, quoque per me à Deo vobis traddita mandata exequuti, haud ſegniter fueritis: cūctā aduerſa fiet proſpera, inimici amici efficiuntur, gratiā que ſuam, fautor omnium bonorum, in nullo negavit, &c.* Quæ & adiectio eſſe videtur, ad illa verba, quæ tanquam ipſius S. BENEDICTI, afferuntur adhuc à S. Hildegardi, & aliis, terminantia textū REGVLÆ, ſcilicet, *Facientibus hæc, regna parebūt æterna*, prout etiam in fine dedimus. Cui felici fauſtoque vndequaq; promiſſo, SPONSOR diuinus adeſt, qui relinquentibus omnia, ipſumque ſequentibus, & centies tantum nunc, & in futurum æternitatis gloriam pollicetur IESVS CCHRISTVS, verus Dei FILIVS, & cum PATRE, & SPIRITV Sancto vnus DEVS, cui omnis honor, & gloria ſit ſimul, ac eius intemeratæ ſemperq;

Virgini Matri MARIE Domine  
noſtra, Amen.

XVIII.  
Promiſſio S.  
Benedicti.

FINIS.





INDICVLVS

# LACINIÆ

ADDITÆ AD  
VERSVS PLACITA. R. P. D.

IOANNIS CARAMVELIS ABBATIS  
MELROSENSIS, ORDINIS  
CISTERCIENSIS.

PLICATVRA PRIMA.

DE OBLIGATIONE REGVLÆ.

- Segmentum I. De occasione, materia, & modo huius additionis,*  
*Segmentum II. De eo quod Regula S. Benedicti, obliget in conscientia*  
*probatione desumpta ab ipsa Regula.*  
*Segment. III. Probatur idem ex sensu aliorum, maxime D. Bernardi.*  
*Sement. IV. Probatio ex discussione cuiusdã argumentationis Aduersarij.*  
*Segment. V. Præcluditur effugium de lege pænali.*  
*Segment. VI. D. Bernardus ab impostura oppositæ sententiæ liberatur.*  
*Segment. VII. Probatur ad hominem, & alijs argumentis.*

PLICATVRA II.

DE OBLIGATIONE OFFICII CANONICI.

- Segment. VIII. De congruo opinionum & probabilitatum moderamine.*  
*Segment. IX. Obligatio officij Canonici, in professo non initiato sacris, de-*  
*fenditur, & probatur ex præcepto.*  
*Segment. X. Amplior præcepti huius probatio ostenditur.*

Seg-

Segment. XI. Probatur determinate obligatio, sub mortali.

Segment. XII. Probatio ab autoritate, & ampliatio asserti.

### PLICATVRA III.

#### De Officio B. Virg. Mariae & Defunctorum.

Segment. XIII. Propositio impugnandorum, & eorum ex parte animadu-  
uersio.

Segment. XIII. Remouetur obstaculum diffinitionis Cistercij.

Segment. XV. Illustratur magis firmitas obligationis nostrae, ad officium  
Marianum.

Segment. XVI. Ex historia, ad rem, non omittenda comprobatio.

Segment. XVII. Infirmitas Scholastici processus oppositi confirmat idem.

Segment. XVIII. Moralis & iudicialis Commentarius, quatenus inof-  
ficiosus erga Virg. Dei genitricis officium.

Segment. XIX. Ampliatur doctrina ad officium defunctorum.

### PLICATVRA III.

#### De quibusdam alijs animaduersionibus.

Segment. XX. De quibus tamen omittenda sit nobis animaduersio.

Segment. XXI. De attentione necessaria ad officium diuinum.

Segment. XXII. Probatur vltcrius etiam ab intrinseco, eadem attentio.

Segment. XXIII. Proceditur in eadem probatione, & refutatione.

Segment. XXIV. De alijs, circa diuinum officium animaduersionibus.

Segment. XXV. Amplius de animaduersionibus eisdem.

Segment. XXVI. De alijs materijs non nihil animaduertitur.





# LACINIA

## ADDITA

### NOTIS LITERALIBVS

IN REGVLAM S. BENED.

**A**DVENIT tractatio hæc, librique auctuarium, toti operi, nostris integrato NOTIS LITERALIBVS; & quasi talari togæ; seu vestimento notulis scutulato, & pendulâ vsque ad talos defluentia perfecto, in ornatum & firmitatem, opportune connectendum. Ideo á me LACINIA vocatur in titulo, tamquam assuenda vesti, vt ad extremam oram addita, muniat & ornet indumentum: sitque benè cohærens, *textum* ( vt aiunt ) *cum simbria* ex qua illud etiam iudicari valeat: ne, ex opposito, si ei nouæ doctrinæ, rudis assuatur pannus, & ornamentum desit & peior scifura fiat. Vtinã hinc & decencia, & munimentum ita accédant, vt gloria Dei, intus, in totius operis vestitu deaurato, existens, haud disimili luce, in simbris etiam aureis, resplendeat.

#### PLICATVRA PRIMA.

#### DE OBLIGATIONE REGVLÆ.

**L**ACINIOSAM, amplamque vestem, Plicaturas habere necesse erat, in quas, iuxta diuersas & præcipuas materias discutiendas, tractatio ista diuiditur; quæ adhuc distinguetur minutius, per Segmenta, vt & tedium legentibus minuatur, & ex eorum titulis, particulare, in quolibet rei agendæ, argumentum innotescat.

## SEGMENTVM I.

De Occasione, materia, &amp; modo, huius additionis.

I.  
Operis I. Ca-  
ramuel. titu-  
lus.

**A**M præcedēte NOTARVM, in sanctam REGVLAM, opere á lituris ad emaculatiores paginas translato, & ferè a deudendum transferendo; peruenit ad me, ingens quoddam opus, in eandem Sãctiss. P. N. BENEDICTI REGVLAM, Brugis anno 1640. impressum: recrearusque præsentia corpulentiore sum, simul & reuerentiam ingessit, iuxta iunioris Plinii sententiam, lib. I. Epist. ad Corn. Tac. dicentis: *Quim & voluminibus ipsis, authoritatem quamdam, & pulchritudinē, adijcit magnitudo.* Resignauit ac aperui librum, in cuius prima frõte, ingenioso ænigmate ære subtili inciso, delineata affabre titularis inscriptio, hæc erat: *Cõmētarius in D. Benedicti Regulã, Historicus, Scholasticus, Moralís, Iudicialis Politic⁹, Legi, & penè successit reuerentiæ timor; hærentique suggestit memoria Lyricum: Quid dignum tãto feret hic promissor hiatu? Sed perlecto Promissore, scilicet: Authore D. Ioanne Caramuel Lobko vvicz, Dunensi Religioso, Ordinis Cisterc. S. Theologiae Doctore Louaniensi, & Melrosensi Abbate: ab excitato timore placor, vt pote quia & posset cuncta promissa vadari: Et quia vir, cognitus Nostratibus, qui eum quàm viuidi ingenii, quam multi ingi studio tinctum, quàm Religiose moribus imbutum, apprimè norunt; vt pote nostrę Cõgregationis OBSERVANTIÆ Hispanæ conuictu, à tyrociniõ vsque ad Collegii promeritam lecturam per honorificos gradus, haud segni fauore prouectum. Poterã autē sperare de eo, non solum egregiã eruditionis copiã; sed & consentientes cū propria Religione sententias. Illam vero haud quaquàm desiderari; vbi curã adhibere & operam, pro operis pretio, frequenter contigit, gratulor: sententias tamē à nostris discrepantes, imò, & à pluribus*

Religiosis Magistris dissidentes, offendisse, quibus & multorum quieti, feruori & deuotioni offendiculum pararetur, & huius mei OPERIS nonnullis resolutionibus, noua opus esset propugnatione; non ex animo indoluissè non potui.

Quapropter iusto dolori, aliquid est indulgendum, si intra strictiorem silentii clausuram me non contineam: nec parcam malè mutus verbis: quibus nõ vt dolorem inferens, acceptum rependam; sed vt meum simul & pudorem, amica leuem animaduersione, Religiose & reuerenter vtar. Neque curiosus apicum indagator, vel insectator morosus existam; vt quæcumque mihi dissona sunt, in medium proferam; cum probè sciam, non omne ad meas cymbalum aures, esse debere; nec ex meo palato cunctorum reprobandos esse sapores. Sunt enim aliqua, quæ in quæcumque versentur partem, & siue funiculos extendas, siue contrahas, non multum interest, & in vtrumlibet latus te veritas, dispendium non est. Quare has voluntarias assumere altercationes, nec libet, nec vacat. Talis esset (vt aliquam in exemplum adducam) circa antiquitatē Monachatus. Nã quidã nõ sunt cõtenti, ab Apostolis, ipsoq; Christo Dño habuisse (quod præcipue omninò verum est) principium. Sunt deinde quidã, qui pro Monastico initio, ad Ioan. Baptistã, in clitū eremi Colonū transeunt. Nec sistunt ibi plures, sed ad Heliseū, & Heliã, filiosq; Proferarū recurrunt, quibus consonat Tertullianus. *Ad Martyres, ibi: Hoc præstat carcer Christiano, quod eremus Prophetis.* Quod satis presse, & pluribus contendit Author, citatus in NOTIS, ad cap. I. Reg. num. 6. Atque inde nihilominus ad anteriores Nazaræos (Num. 6. & Genes. 49.) appellant alii.

II.  
De eo loquē-  
di venia.

Omissibiles  
quæstiones,  
vt de anti-  
quitate Mo-  
nachatus.

Eius notitia  
& laus.

Dolor ini-  
ctus.

Ac

III.

At verò I. Caramuelus, & olim & nunc (si ipsi non displicet) Noster, in Cōmentario Regulæ, n. 113. & 123. prætergressus vniuersos, ad ipsum humani generis Parentem Adamum reuocat initium, inquit: *Adamum vere fuisse solitarium, non dubito, cūque eum in toto orbe terrarum, Monachum videam, quid ni Monachum asseram?* Post quem solū restat, vt alius ante Adam, & ante omnia tempora, idē addat, nec sine fundamento ipsius, qui n. 1325. dub. 5. ad *communitatis*, seu *Conuentus* formā, requirit tres personas. Vnde Deus, cum vnus sit & solus, vt in scriptura sapius: *Tu es Deus solus*, & ex ipsa etiam & fide, verè *Trinus* triumq; personarum: primo mo

do *Monachus* erit, & secūdo *Cōuentus*: & virtute verborum Authoris, ita elicitur. Sed quæ huius farinæ sunt, quis nisi valde feriatu prosequatur? Non mihi ad similia ocium. Discurret in his vnusquisque, vt voler, ludatque significationibus vocum: quod haud intacū reliquit Hæftenus, lib. 3. tract. 1. *disquis.* 2. etiam de Adamo, eo quod, *Monachus solum*, aut *solitarium* dicat. Ego hisce parco, vbi postquam multum Hæbraizando, aut Græcizando dixeris, nihil momenti dictum est. Seria magis & vttiliora pulsant animum, quæ propulsare intendo, & quæ in hunc locū, discutienda remissi, in *introd. art. I. n. II.* & sequuntur vt promissis stem.

## SEGMENTVM II.

*De eo quòd Regula S. Benedicti obliget in conscientia, probatione desumpta, ab ipsa Regula.*

I.

Proponitur  
altercatio.

T autem ab vniuersaliori & præcipuo, vnde alia plura proficiscuntur, incipiā, exordior ab ea sententia Authoris præfati, per quam adimit *REGVLÆ* omnem moralem obligationē; ita vt in omnibus transgressionibus regularibus, nulla conscientiæ culpa sit, cuius oppositum statuimus in *Introd.* ad *NOTAS* Regulæ, *Art. 4.* & *Art. 8.* & aliās sæpe, consequenter ad stabilitā ibi doctrinam: Quæ vt solidius firmetur, exigit (sicut in aliis) præ oculis habere, quæ, dictis locis, & aliis (si oportuerit) citandis dicta & adducta sunt: ne in eodem volumine, eadem inaniter repetamus. At exigitur in super, ad nouam propugnationem instruendā, vt aduersantis in hac re dogmatis modum, ex ipsius Authoris verbis, aperiamus.

Afferit igitur & defendit, a num. 76. & sæpe alibi, quod *REGVLÆ S. BENEDICTI*, non est moraliter imposita, sed imposita, ab ordinario prælato. Vbi & semper, moraliter, accipit pro eodem, atque

in conscientia, seu sub culpa. Rursus, n. 79. interrogans: *Verum in Regula S. Benedicti, reperiatu aliqua præcepta?* Respondet *Negative*. Ablato autem, aut non existente præcepto, certum est obligationem auferri. Præterea, num. 89. ait, quod: *Regula præceptibilis est, non præcepta.* Adhuc, & num. 88. præmiserat: *Quod Regula est pure pœnalis*, vt præter pœnam, nullam agnoscat culpam. Demum, n. 90. inquit: *Ex his patet, ad ea quæ sunt in Regula, Benedictinos non teneri, nisi adsit præceptū Abbatis*: Quibus omnibus modis intelligit, nihil in *REGVLÆ*, prout ex *REGVLÆ*, esse præceptum, nec obligare ad aliquam culpam; sed vt obliget, esse expectandum, vt à Prælato actualiter & determinate præcipiatur; & tunc iuxta grauitatem materiæ, obligare ad mortale, vel veniale. Quæ omnia tamquam aliena à communi omnium sensu, & opposita nostræ doctrinæ, reuincenda sunt: simul cum aliis quæ ex D. Bernardo perperam adducit, & quæ in discursu adducuntur.

Et

II.  
Sententia  
Caramuelis

III.

Refellitur ex  
ipsa Regula.

Et in primis, reuincitur ex REGULA ipsa; in qua, propria reperiri præcepta negari, vel ipsa reclamare, non potest. Nam ipso lumine Prologi, ait: *Ausculata o fili, præcepta magistri, & ad monitionem pij Patris libenter accipe.* Vbi in genere ponit, & ostendit S. BENEDICTVS, quæ traditurus est in REGULA, quam scribere, aut scriptam tradere promittit: Ergo in illa, ipse, qui eam condit & ordinat, agnoscit esse præcepta. Deinde in ea constat: cum sæpe procedat, per verba præceptiua: *Nullatenus liceat, interdiciamus, ordinamus, constituimus, faciat, ieiunet, legat, operetur, &c.* Quibus & similibus modis, in aliis Regulis, & in ipso iure, intelliguntur præcepta traddi, & iuberi à lege, & constitutione Superioris: Ergo eandem vim, & rationem præcipiendi, debent habere in nostra sacra REGULA. Cõsequẽtia, ex paritate rationis, irrefragabilis est, neque quoad formam præceptiua, potest excogitari rationabilis euasio.

III.

Euasio præ-  
cluditur.

Sed quam nemo excogitauit, ipse Author contrarius inuenisse sibi videtur, & argumentum declinare, dicendo, num. 78, & 80. ea verba: *Ausculata fili, &c.* referenda esse, non ad ipsum S. Benedictum Legislatorem, sed ad Abbatem ordinarium; vt sit idem ac si diceret: *Consulo tibi, vt optemperes præceptis tui Magistri, id est Abbatis ordinarij.* Quod sane effugium, in primis ipse sibi fabricatur, dum ad libitum concinnat paraphrasim; quod si licet, totius Regulæ sensum inuertere, facile erit. At minimè licet, apertam vim inferendo verbis, contra mentem omnium, intelligentium referri, ad ea quæ traditurus est in Regula, quam tamquam Magister & Pater, S. Benedictus propositurus erat. Quod immediate constat dum ait: *Ad te ergo meus sermo dirigitur, quisquis, &c.* Vbi sermonem vocat suum ipsa, quæ obedienda sunt, præcepta, ad quæ, *Obedienciæ forissima atque præclara arma* assumenda requirit, quæ solum circa præcepta, exercitium habere constat, & in eis obedientia versatur.

V.

Voluntaria  
& inanis  
ostenditur.

Scio, me notasse ad locum illum Regulæ, in NOTIS ad prolog. num. 2. ex Cardinali S. Petro Damiano ibi citato, S. Benedictum, non se illis verbis, vocare Magistram & Patrem, sed Spiritum sanctum cuius erat organum. Visum enim fuit Damiano, non ita conuenire cum maxima S. Benedicti humiliate, se in sua persona vocare Magistram, pro quo etiam est, Christi apud Marth. cap. 23. documentum: *Nec vocemini Magistri, à quo non discessisse arroganter S. Benedictum, bene & certè dictum esse debet: Sed tamen Cardinalis non aliorum diuertit sensum, quàm ad Spiritum sanctum, cuius vicem, tamquam organum & instrumentum gerens, ministerialem sibi tantum functionem adscribens, nihil principalis causæ, & authoritatis spiritualis Christi magisterii, amitterent ordinata per eum, quasi creditam sibi legatione fungens. Quapropter, si per verba propria & apta, vt iudicetur esse præcepta, inueniuntur in Regula, voluntarie omnino dicitur, quod non sunt præcepta.*

VI.

Præceptum  
non obligans  
præceptum  
non est.

At vero cum præceptiuam formam admittere, cogant ipsa verba, dicere quod præcepta non reperiantur in Regula, non aliter potest Aduersarius, nisi auferendo omnem moralem obligationem actualem; qua si careat totaliter præceptum, vere tale non est, sicut aurum falsum, non est aurum. Ob hoc ipse ait, quod *Regula non est moraliter imposita, sed imponibilis, & requirit, quod adsit, actuale præceptum Abbatis.* Hoc autem etiam est contra ipsam expressam Regulam, quæ cap. 3. & alias, ex iniuncto Legislatoris, dicit: *In omnibus igitur omnes Magistram sequantur Regulam, &c.* Ipsam scilicet, ordinantem & præcipientem, prout scripta & promulgata est, legitima authoritate, vt probatum est, in introduct. ad Notas, Artic. 4. & 8. Neque est, vnde talis potentialitas, aut requisitum ponibilitatis, ad id quod ex sua vi & natura habet lex, somnietur. Nec expectat ab alio suæ obligationis effectum

Etum, sine quo ipsa consistere nequit: quidquid sit de aliis circumstantiis adiunctis, quæ adesse & abesse possunt.

Vnde ea sententia est cōtra omnes, qui loquuntur de legis vi & natura: ea enim sufficienti autoritate condita & publicata, nullatenus requiritur, quod Prætor, vel Prælatus actualiter iubeat, quod semel in lege Superioris iniunctum est, & illud ad obligandum requirere, rideretur, vt singularis chymera. Est consequenter contra omnium praxim, tūm subditorum, qui, vt obligatos se iudicent per Regulam, in expressis ab ea, nullus expectat iussionem Abbatis: tūm etiā cōtra praxim Superiorū, quibus nec in mentem venit, necessarium esse, ab ipsis ea iuberi: vt professi subditi teneantur in conscientias nisi quando aliqua maior obligatio, aut pœnæ accretio, adiicienda videtur. Est & contra ipsius Opinantis intentum: dum statuendo illam ponibilitatem, aut præceptibilitatem, vel ipsam destruit, vel ad obligationem, quam negat, cogitur redire. Quia si REGULA non est præcepta, sed præceptibilis, idem est respectu subditi, sicut respectu Abbatis, nam ad omnes, Regula scripta & data est: Ergo sicut Monachus, ad obseruationem in conscientia non obligatur, nisi actu ab Abbate iubeatur (à quo, iuxta Regulam, in sensu Opinantis, iubendum est) etiam Abbas non obligabitur iubere, nisi alterius iussio accedat. Atque de illo dicemus idem, quia nullus habet præceptum ex

Regula, sed præceptibilitatem; & deueniemus in ea ad iussionem Summi Pōtificis, vel ad ipsum Christum Dominū, quod est ē medio tollere Regulā quasi non scriptam, & remanentem semper, in illa ponibilitate.

Negabit tamen ille, dari huiusmodi processum: Quia Prælatus ratione officii tenebitur, ex iustitiæ debito, Regulæ siue legis, ad præcipiendū, quod obseruandū à subdito fuerit, & quomodocūque admittat (quod necessario admittendum est) nō expectato alio Prælato actualiter precipiente, Abbatē constitutum in officio per Regulam, ad eam, & ad suum munus moraliter obligari: idē admittēdū est in Monacho, qui per professionē, eodē effectu, constituitur verē subditus legis seu Regulæ, cui non minus, ex conditione subditi, incūbit moralis subiectio, quā Abbati moralis iussio: & vtrique sua propria, in cōscientia obligatio. In quibus existimo, haud quaquā discessisset, contrariū asserens I. Caramuelus, à cōmuni omnium sensu: si benè perspectam haberet potestatem iurisdictionis, cuius virtute, legi aut Regulæ communicatur propria obligatio: aut vel ignorans, vel obliuiosus non Confunderet illam, cum potestate dominatiua, ex voto proueniente, ex quarum recta distinctione, si non proceditur, labi necesse est: ideo ad earum necessariam notitiam, recurrendum est, locis citatis, in *Introduct. ad Notas*, & ad capit. 71. à num. 14. &c. & præ oculis habenda.

VIII.  
Præoccupatur responsio ac renuncitur

*Probatum idem ex sensu aliorum, maxime D. Bernardi.*

## SEGMENTVM III.

I.  
Præcepta esse ex aliorum sententia.



ED eadem veritas specialiter cognita, & asserta ab aliis est, ex quorū mente & autoritate probatur. Quia omnes qui de Regula S. Benedicti loquuntur, licet disputēt, aut querāt de obligatione eius: omnis quæstio est an sub mortali, an sub

ueniali: nec est aliquis qui nō agnoscat legē esse obligātem, ac proinde, & præceptiuā, sicut ceterę leges, quæ potestate & iurisdictione superiori feruntur, in cōscientia obligatorię sunt: Ergo falsū est dicere, in ea nulla reperiri præcepta. Pro hac parte, licet breuior probatio esset, affirmare, omnes eam tenere,

uno excepto Caramuele, tamen ne forte deceptum aliquem sequacem habeat, inferius eos adducam. Interim, quia intentat habere fautorem D. Bernardum, ab hac impostura liberum imprimis exhibebo, & omnino cōtra ipsum.

## II.

Ex D. Bern.  
probat.

Ipsē itaque S. PATER, formalibus verbis, toto libro de *Præcepto & dispensatione*, rem declarat. Nam *capit. 1.* proponens difficultatem, ait: *Queritis, scilicet de Regula, vtrum cuncta quæ continent, putanda sint esse præcepta, an consilia tantum?* En sensus quæstionis, de præceptis ipsius Regulæ est. Et in eo sensu, *cap. 2.* ad quæstionem respōdens, exceptis iis, quæ continentur in Regula, pertinentia ad charitatem & alias virtutes, de quibus, vt pote præsuppositis ex lege Dei, dicit, *non tam ipsum Benedictum instituisse, quam Deum*: de reliquis, inquit: *Non profitentibus, monita tantum, seu consilia censenda sunt: profitentibus autem in præcepta fiunt.* Sic eadem, toto libro, vocat, *præcepta, mandata, Iussa*, & vt pote à consiliis diuersa, verè obligantia, eorum preuaricationes, alias leues, alias graues ostendit.

## III.

Amplius ex  
eius verbis.

Ad quod luculenter ostendendum, *capit. 14.* legitimis vtitur exemplis, de quibus aliquid libere oportet. Nam vt doceat, in Regula esse graua præcepta, vt quæ pertinent ad tria vota: & esse leuia, pertinentia ad alias obseruantias professionis, in quibus, aut ex genere, aut ex materia, aut ex contemptu, &c. potest esse differentia culpæ, sic fatur: *Sed numquid forte in lege quidem diuina habenda est hæc consideratio grauioris, leuiorisque inobedientia, non autem ita, & in Regula nostra? Sed quis sane plus dicat tribuendum humanis, quam diuinis traditionibus? Plurisque, quod per suos Deus, quam quod per se ipsam imperat, æstimandum?* Et demonstrans idem expressè in Regula, progreditur inquit: *An non denique & apud S. Benedictum propria & distincta ab inuicem sententia inueniuntur, alia de leuioribus, alia de grauioribus inscripta*

*culpæ? Qualis autem est leuior culpa, nisi leuior inobedientia? &c.* Aliisque vtitur exemplis, quæ nunc omitto, & quia nunc non necessaria, & quia infra tangenda sunt, in declaratione testimonii, quo vtitur, quasi fundamento suæ nouitatis, recens iste opinator.

Ea autem omnia, & cætera quæ loco dicto adducit D. Bernardus, eo tendunt, vt veram doceat doctrinam, esse scilicet in ipsa scripta Regula etiam præcepta, quæ non obligent ad mortale, sed ad veniale tantum. Et ita id probat ex ipsis verbis REGULÆ, & per comparisonem & similitudinem ad legem Dei, præcipientem plura, quibus, vt pote Superioris scilicet Dei, debetur obedientia: tamen in aliquibus est tantum leuis; vt idem intelligatur in REGULA præcipiente; cui etiam, vt legi Superioris, ex vi talis, debetur obedientia, quæ (sicut ibi) generaliter circa præcepta versatur. Nunc ergo, quæso, hæc præcepta vbi sunt? Disertè, in *nostra Regula*, ait: Ipsam REGULAM agnoscit præcipientem, in ipsa inuenit ea scripta de grauioribus, & leuioribus culpæ. Ad instarque legis Dei, in qua non præceptibilia, & expectantia alicuius iussionem, sed præcepta, & vt scripta obligantia. Ita ea, in REGULA, agnoscit BERNARDVS, ita nominat præcepta, cum propria obligatione morali: ad quam, vt sic, nec petit iussionem expectandam à Prælato, nec requirit exigentiam voti, quod quando adiicitur, verbaliter à Prælato, iam scriptum præceptum in Regula, cum sua legitima obligatione præsupponit, & adiungit nouam vim, culpæque rationem.

Accedit, ex eodem D. BERNARDO, vrgentissima, contra opinantem probatio; si vir iste aduertat, vel ipsius libri inscriptionem, qua dicitur: *De præcepto, & dispensatione*: De qua dispensatione præcipue tractat, à *cap. 3. cum sequentibus.* Rogo igitur, dispensatio de quo est? Vtique

## III.

Premittitur  
vlt.  
terius.

## V.

Adhuc vrgentius.

ea de præcepto datur. Atque ita recte in titulo præmissit: *De præcepto*, & addidit *de dispensatione*, quia hæc non nisi super præceptum, obligans moraliter, cadit. Vtcrius interrogo, de quibus præceptis dispensandis loquitur? Certè non de aliis quam REGULÆ, de qua, *vt sup. nu. 2.* agit. Sit exempli gratia & claritatis: *Non comedere carnem*. Igitur hoc, vel est præceptum Regulæ, vel nō. Hoc secundū asserit iste Opinator, ex quo infero: Ergo si non est præceptum, neque erit dispensatio: sicut si non est peccatum, nec absolutio; & vbi non est aliquid ligatum, nec erit quid soluatur. Dicit, est præceptum ponibile à Prælato: Ponatur. At tunc erit præceptum morale Prælati, ad cuius deobligationē, non dispensatione, sed reuocatione sui mandati agendū est, vel omittendo præceptū ponere, vel positū amouēdo. Restat igitur, quod tale præceptū præexistat in Regula obligatorium, vt vera ratio dispensationis in illud cadat: & habeat locum tota Bernardi doctrina, quæ omnino de præceptis Regulæ est.

VI. Hoc etiam constat, *ex c. 2. eiusdē lib.*

*Vegetur rur de Præcep. & dispens.* Nam vbi dixerat, *Consilia transire in præcepta profitentibus, vocans illa, propter professionē, necessaria, vt non inuolueret necessitatem votorum ( quæ ab Abbate indispensabilia sunt, & quomodo à Papa? sua quæstio est ) de aliis obseruantis, addidit: Ita sane necessaria dixerim, vt ex eis minime præiudicetur necessarijs rationabilibusque dispensationibus.* In quo similiter sēsu, *c. 8.* dicit: *Necessitas quippe non habet legē, & ob hoc excusat dispensationem.* Igitur, & agnoscit præcepta esse in Regula, & illam esse legē obligantem, in quam rationalis cadat dispensatio. Quod qui non videt, mero meridie cæcutit. Alioqui, ad quid tot Pontificia priuilegia, solū continentia dispensationes Regulæ? Vt quid, ab initio nascentis Regulæ & Religionis, recursus subditorum ad Abbatem, pro licentijs & dispensationibus aliquarū obseruantiarum, repræsentatis necessitatibus? Omnia ista sine necessitate,

Caramuele vno ne quicquā absoluēte? Apage ista sicut & similia continentia ipsis, apud quemcumque: Quare ferenda non est loquutio illius, qui *indicem* concinnauit, *10. 1. Solis Occidentis*, dum verbo, *Regla de S. Benito*, ait de ea: *No tiene præceptos*, quod absolute dictū, est falsum, & cōsentiens cum Caramuele, à quo in re distat omnino Author cum alijs, qui vt cumque obligationem cōscientiæ tametsi veniale admittunt, vt iam aliàs de eisdē tetigi, *in Introd. ar. 8.*

Et pro nostra sententia, numera (vt dixi) omnes, qui siue venialem, siue maiorem asserant obligationem: moralem, quam eleuat vnicus iste, nullus negat. Ex his, pro sententia, quam tenui, præcitata *Introduct. ar. 8.* adduxi ibi, *num. 11.* etiam cum D. Bernardo. Card. Turre-crematam. Archiepisc. Florentinum Anton. Episcop. Vrgell. Bartholomeum à S. Fausto. S. Thomam, Syluestrum, &c. Adde nunc Cardin. S. Petrum Dam. *Opusc. 13. cap. 6.* vbi ait, *Benedictus sua quidem præcepta Monachis edidit, & obligationem pro illis ex Regula cognoscit, tam ibi, quā, opusc. 10. capit. 7. & lib. 6. Epist. 12. ad I. Abb. Valentia, 2. 2. disp. 10. q. 4. pun. 5.* ex D. Tho. & Caiet. Suarez, *tom. 4. de Relig. lib. capit. 3.* Sanchez, *lib. 6. summ. cap. 4. num. 68.* & alii plures generaliter loquendo, sed in casu proprio nostro, agentes de legibus, à quorum doctrina omnino stabilitur nostra, quos etiam dedi vbi *sup. Ar. 4.* & possem nisi onus esset superfluum, augere numerum, ac deniq; in terminis nostræ Regulæ Professor ipsius Ascanius Tamburinius, *tom. 2. de iure Abbat. disp. 21. quæst. 1.* vbi quantum ad præsens, benè distinguens obligationem *dominativam*, vltra eam, adstruit, cum Suarez, Vazquez, & alijs: quam nos ex iurisdictione Ecclesiastica, & Superiore prouenientem, ad obligandum in conscientia, etiam ex fide admittendam, statuimus, *vbi sup. Ar. 4. & 8.* & Paulus *ad Rom. 13.* alte fundat. Quidquid sit de confusione & abusu nominis *consilij*, vt citatis locis notatum est in aliquibus Authoribus.

VII.

*Authores nostræ sententiæ.*

*Probatio ex discussione cuiusdam argumentationis Aduersarij.*

SEGMENTVM IV.

I.  
*Discursus  
Caram.*



D hanc etiam probationem pertinet, discutere fundamentum, quo ducitur, ut variis modis, hanc inferat plagam Regulæ. Nam *num. 88.* ut prober prohibitionem carniū, non esse præceptum, & ieiunium regulare & similia, utitur ea argumentatione: *Quia est impossibile præceptum, quod obliget ad culpam leuem, si materia sit grauis:* sed efus carniū, & ieiunium regulare est materia grauis, & non obligat ad mortale, ergo non est præceptum sed consilium obligatione. Quæ consequētia, in sententia sua & ex vi illationis, formalis non est: nec tamen id curo: Omittoque nunc, quod de consilio infert, redarguendum infra cum aliis, ad hominem, *Segmento 7. num. 3.* De cætero mirum est, virum strenuum, & in vsu opinionum ambidextrum, ita se ea argumentatione patienter premi, ut qui posset accedere, sine dispendio, ad probabilissimam, imò & veram sententiam, consentientem, in legibus, quæ à libera legis voluntate dependent sanciri, aut non sanciri, posse liberè, si sanciantur, in graui materia moderari culpam ad leuem tantum; patiatur, nulla certa impossibilitate, aut implicatione cogente, se deuenire ad improbabilem & inauditam, & incidat in scyllam cupiens vitare Caribdim; aut in ipsum ignem, ut cinerem fugiat.

II.  
*Leuis obligatio in materia graui.*

Ego autem imprimis, illius argumentationis maiorem propositionem nego, & oppositum tenui, & ostendi in *Introduet. Artic. 4. num. 3.* tum à paritate Consuetudinis, quæ in obligatione vim legis habet, & modificatur voluntate introducentium eam, etiam ad leuem obligationem, in materia quæ aliàs posset esse grauis præcepti. Item à similitudine voti, quod legis particularis rationem habet, & ex voluntate voventis, accipit etiam in materia graui,

leuitatem culpæ. Atque ex aliis fundamentis, quibus ducuntur Authores ibi allegati optimæ notæ, & ut numerum augeas, exhibeo tibi Ioannem Sancium, in *disputationibus selectis, disput. 15. numer. 16.* qui ex Nauarro, Medina, Caiet. Tolet. Castro, Vega, Valentia, Sairo, Antonio Fern. Carbon, Salas, Rodriguez, Villalobos, Suarez, Thom. Sanchez, maximè veram censet sententiam. Nec vnquam, aut conuinci ab aliquo, aut à proprio discursu, de impossibilitate, quidpiam inueni; sed potius aptitudinem, rationem, & congruentiam profus potiorum, ac pro meo genio, & eorum quos retuli, difficultatibus cōuenientiorum.

Deinde Minor etiā illius sillogismi, negari in casu præsentis potest: ut non solum ex Maiori, sed neq; ex Minore, ex neutra scilicet præmissa cōuincatur docilitas opinantis. Nā quis illum, in tantas redegit angustias, ut respectu priuati Monachi, vel ieiunium regulare non seruare, vel carnes die nō prohibito ab Ecclesia edere, vel omittere aliquas similes obseruantias, quasi supererogatorias, & decenter ad statum Religiosum velut Parerga votorū essentialiū, in suū decorē accidentaliter assumptas: tanta velit inuoluere grauitate, ut necessario illis sit affigenda lethalis culpa? Dixi autem respectu priuati Monachi: nam respectu communitatis, & eorum qui manuteneri debent obseruantiam, alia est vrgētior ratio: ut traddidi in *Introd. ar. II. n. 1.* quā etiā ipse, sine distinctione loquendo, videtur destruere, ne dum, in ruinā obseruatix regularis, debilitare.

Sed quod posset tutò negare Minorem propositionē, & mitius metiri illā grauitatem: ipsius, in aliis, modus discurrendi suadet: qui sic in octo cuplas partitiones metitur, ac ponderat peccatorum materias, ut etiam in delectationibus venereis, partitionem

III.  
*Grauis materia consideratio.*

III.  
*Ad hominē confirmatur.*

mediteretur; ibi designet paruitatē materiae, vbi tot Authores, non solum assignare detrectant, sed excludunt. Qui etiā, in officio Canonico Benedictino, vtrāque horam Sextam, & Nonam, simul, solum venialis culpae materiam decernit. Qui alia huiusmodi, sic largiter mēsurat, proportionē illa qualitātū intensibilium, & terminorum minimi & maximi, vt a Phisicis ad moralia, notabiles paritates, & materiā graduationes, constitutionesque non horreat. Poterat certe non multum herere in admittenda ibi culpa veniali, nec aggravare illam cum impossibilitate praecepti, nullo alio fructu, quam vt praeceptum tollat; & ob id solum ibi augere obligationem, vt omnem exterminet obligationem a Regula.

Atq; vt tutius fecisse constet, profero verba Francisci Suarez, *to. 4. lib. 2. c. 3. n. 3.* qui stando in terminis nostrae Regulae, sentit: *Nullam obligationē ad mor-*

*tales peccatum inducere, quantumcumque verbis praeceptiuis, vtatur, nisi vel aliquo speciali verbo, ostendat ferre praeceptum sub virtute voti obedientiae, vel talē addat poenā, quae planē indicet lapsum grauem (puta censurā excommunicationis, &c.) vel nisi consuetudo fuerit, ita Regula interpretari: nihilominus tamen obligare ad omnia, quae in ipsa continentur sub veniali: Nēpe dum sunt modo aliquo praeceptiuo. Quod iudicium viri, tum fere totius Christiani Orbis plausu & estimatione doctissimi, tum in omni materia Religiosi status versatissimi, plurimi faciendum erat; vt aptatis aliis quae Regulae in eundem sensum adstipulantur, eam ingenua & propria intelligentia, & acceptata mente, confuetoque omnium iudicio confoueret; & non post centum supra mille annos, a tandiu possessa sententia, sermonibus inauditis, deturbaret.*

## SEGMENTVM V.

*Præcluditur effugium de lege pœnali.*

**I.** **I**N omne felatus versat infirmus noster, quod haud firmę valetudinis indicium est. In Regula iam praecepta esse, negat, iam concedit, sed ponibilia, iam consilia esse vult, iam praecepta penalia esse concedit, quod notauimus *Segmento 2. num. 2.* in quo, asserens Regulam esse pure pœnalem, vult omnem moralem obligationem excludere; & admissa satisfactione pœnae, liberum in conscientia ab omni transgressione pronuntiat. In quo rursus se inuoluit in eo quod negat. Quia quod lex pœnam imponat, dum lex *praeceptiuis* est, obligationem in cōscientia infert, nec ab ea eximitur per adiectionem pœnae. Quod probatum est, *in introduct. Artic. 4. num. 7. & 8.* & ostensum ex ipsa Regula. Atque modo ibi statuto, ultra ibi citatos, disertatione efficaci,

tuetur idem Soto de *iust. & iure, lib. 1. q. 6. art. 5.* cum D. Thoma, & Bonacina, *tom. 2. disput. 1. de legibus, quæst. 1. pun. 7. §. 2.* cum Suarez, Toletto, Clau Regia, Salonio, Azorio, Salas, Laymam, Filiucio, aliisque. Idque dum lex sit, siue sit mixta, siue pure pœnalis.

Et vt amplius id conuincatur, in primis de legibus pœnalibus mixtis, quae explicando praeceptum, aut prohibitionem, simul adiungunt comminationem pœnae, non est quaestio cum opinante; qui bene agnoscit, tales leges afferre obligationē culpae, & pœnae, dum, vt culpam auferat, *REGULAM*, non de mixta loquens, ait esse pure pœnalem, qualis est lex, quae in verbis nullum explicat praeceptum, sed solum pœnam: Cuius exemplum adducitur, vt Exod. 22. *Si quis furatus fuerit bonem, &c.*

**II.**  
*Explicatur exemplo.*

**V.**  
*Item optime ex sententia Suarezij.*

**I.**  
*Quod lex sit pœnalis non excusat culpam.*

quinque boues restituet, &c. & alia simili forma. In quo exemplo constat eā præcipiendi formam, ex se non excludere culpam; nam siue in ea imponeretur determinatio pœnæ, siue non, furum necessario erat culpabile, & obnoxium pœnæ, arbitrio Superioris, aut iudicis imponendę, dum per legem nō taxatur, aut imponitur. Quod igitur addit, legem esse pœnalem in ea forma non est quod non inuoluat præceptū in ea, nam vere inuoluitur, siue aliās actio punienda intrinsicè mala, aut alia præsupposita prohibitione, culpabilis sit, siue non: Sed quod addit expressiōnem pœnæ determinatę, vel ingenere, vel in specie. Quo pacto continet implicite & virtute, præceptum, aut prohibitionem sub culpa, nisi aliud explicet Legislator, aut interpreteretur consuetudo respectu malefactorum, aut transgredientium actionem prohibitam: & insuper continet, quantum ad pœnam, præceptum respectu Superiorum, à quibus imponendę sunt pœnæ. Quod sicut in legibus imponentibus pœnas, ita & in proponentibus præmia, pariter tenet Molina, *tom. 6. de iust. disput. 46. num. 26.* & de virtuali cōtinentia præcepti, Soto, *de iust. lib. 1. quæst. 6. artic. 5. ad 3. argum.* & alii.

III.  
Distinctio legum pœnaliū Reg.

Et quidem loquendo de REGULA, segregemus ea, in quibus disceptatio esse non potest, nisi ineptis rundamus capita verbis. Quidquid in primis in Regula est, aut sub formalibus votis, eorumque vi cadens, aut in aliis materiis, seclusa Regula, culpæ obnoxium, sub quavis forma legis mixtę, vel pure pœnalis, certum est transgressionem includere culpam. Atque ea omnia, etiā si in Regula expressa non sint, & tantū attingant venialem culpam, censere sub ea conscientię obligatione, quam ex se habent, prohibita, aliās monui: & in *introducēt. Art. 6. probani*, & distincte aduertit Molina vbi sup. *disput. 72. num. 3.* & quod respectu Christiani, vt sic, negari non potest, inuisum esse respectu Religiosi, in quæstionem verti-

Et de illo modo legis pœnalis ferè tota Regula plena est, imponens disciplinam, aut vindictam Regularē, aliasque pœnas graues, & leues murmurantibus; habentibus proprium; contententibus proterbe cum Abbate; negligentibus rem familiarem; recipientibus eulogia; superbientibus, & similibus: quibus, quacumque forma verborum Regula procedat, non potest esse lex pure pœnalis in sensu opinantis, volentis culpam excludere.

Restant igitur alia, de quibus, vbi sup. Molina, loquens in genere de Religionibus, addit. Quam plurima, quę in se opera sunt supererogationis, in eis Congregationibus præcipiuntur, interdum sub culpa lethali, interdum sub veniali, & interdum sub nulla culpa, atque cum potestate Superiorum, pœnitentiis eos afficiendi, qui illa transgrediuntur, &c. Atque ibi, *disput. 46. num. 30.* loquens de sua propria Religione, quam inter alias non obligantes ad culpam numerauimus, in *introd. Artic. 4.* specificat, id esse ex præscripto ipsius societatis auctoritate Fundatoris & Pontificis. Vnde seclusa hac Legislatoris necessaria declaratione, leges & Regulas Religiosas, etiā si, adiectis pœnitentiis, pœnales sint, eas cum obligatione culpę, vel lethalis, vel venialis agnoscit. Consentitque cū aliis adductis; nec potest vllus ab hoc discedere, dum legem pœnalem à ratione verę legis non extraxerit: at non extrahitur ab ea ratione, dum præceptionem explicat, aut includit, nec aliud contrarium declarat; ergo stat in illis firma & inexcusabilis obligatio.

Igitur loquendo de supererogationibus, seu regularibus obseruationibus, contentis in Regula, perlustrat eam diligens inspector, & inueniet, quod licet, in genere pœnæ designentur, pro maioribus, vel minoribus culpis, vt inde modus in castigando teneatur, quod sufficiens erat, vt culpam præsupponere intelligatur, vt notatum est sapius: tamen ferè omnia, quę legali & regulari suo modo disponit, ordinat, & præ-

III.  
In quibus  
stet quæstio,  
& soluitur.

V.  
In Regula  
re nulla pure  
pœnalis.

scribit S. Benedictus, in particularibus materiis, est sine adiectione pœnæ, sed purè præceptiuè. Quæ ineptè dicerentur leges pœnales, ad excludendâ culpæ obligationem, licet quia in forma purè præceptiuæ sunt, proinde obligatorix, reatum pœnæ habeant. Deinde exiis, in quibus pœna exprimitur, vt in plurimum, pœna adiicitur, explicata prius prohibitionè, aut præcepto. In quo deficiunt à pure pœnalibus. Sic *capit. 42. de silentio, ibi: A completorio nulla sit licentia cuiquam loqui*, en iussionem: & statim pœna, *inuentus quisquam præuaricari hanc regulam, grauiori vindictæ subiaceat*. Sic *capit. 51. Fratres non præsumant foris manducare*. En præceptum, statim pœna: *Si aliter fecerint, excommunicentur*. Et similiter in aliis, quæ utpote mistæ, iam non sunt inter purè pœnales computandæ.

VII. Restat de illis, quæ non declarato modo prohibendi, aut præcipiendi, solemnino nullo ad factum adiungunt pœnas: & la probatur. eo schemate fere vnum, aut alterum inuenies. vt *capit. 45. Si quis dum pronuntiat Psalmum, &c.* & *capit. 46. Si quis dum labore quouis in coquina, in cellario, &c.* Quæ, & si quæ sunt alia, ad eum modum formari videntur, sicut exemplificauimus sup. num. 2. Vbi, de his vidimus, adhuc virtualiter includere præceptum, vt non euadant obligationem. Quod maxime in nostra Regula dicendum esse, & perperam, eo sensu, facere illam purè pœnalem; ultra iam dicta, suadent plura: Primò: Quia licet gratis daremus, has prænotatas esse pure pœnales; tamen propter duas, aut tres obseruantias, malè diceretur ita tota Regula, à quàm minima particulas supra denominatione. Secundò: Quia non solum virtualiter ibi continetur præceptum, quod sufficiens erat: sed expressum, dum sic procedit ad pœnam indicendam, sicut illa ponitur, pro peccato, vt furto, murmuratione: & in eo sensu accepta est ea castigationis indictio, tanquam auersantis culpam transgressionis. Tertiò: Quia eam culpam

(vt suo loco tetigi) in prædictis illis exemplis, non constituit, aut in defectu pronuntiationis, aut in casu fractionis valis, &c. quæ quandoque ineuitabilia sunt; sed in eo quod omittat petitionem veniæ, per regularem ceremoniam statutam: & hoc auersari & prohibere, etiam adiectione correctionis, satis expresse verbis ostendit, adhuc in prædictis. Quartò: Quia non erat, cur hæc duo, vel tria, ab aliorum obligatione secerneret, etià si illis verbis: *Si quis dum pronuntiat, &c. Si quis dum in labore, &c.* vtatur, que breuitatis causa, vbi intentio, & intelligentia conueniunt, sufficientia sunt, ex similitudine & paritate cum aliis, à quibus ratio exceptionis non est.

Demum nam opinantis argutia, in hoc modo dicendi, ea est: Quia, iuxta ipsum, lex pœnalis resoluitur, tamquam propositio hyppotetica in duas, quarum vna sufficit impleri, sicut de alternatiuis diximus, in *introducet. Artic. 10. vt v. g. Qui lignatus fuerit in nemore, aut silua, soluat quinque numos: vt sit idem ac si dicat: Aut non lignetur quis in silua, aut soluat quinque, vbi soluere quinque (ait) satis est, vt licite & sine culpa lignetur*. Quæ quidem, accommodari Regule, nec debent, nec possunt. Primò: Quia si ea verba continent eas duas propositiones, quâto potius vnâ, quæ dicat. Nullus lignetur in silua sub pœna quinque numorum? In qua explicatur prohibitio, quam ibi ipse includi fatetur, & simul pœna, ex quo lex euadit non pure pœnalis, sed mista. Secundò: Ea resolutio non potest sustineri, in illa forma legis. Nam eadem formam habet illa: Qui furatus fuerit bouem, restituat quinque boues: in qua & similibus absurdum esset dicere, aut non fureretur, aut restituat quinque, ita vt adimplendo hoc, liceat illud, quod in exemplo & similibus, hæreticum esset. Vnde constat talem formam legis, non absolueri à culpa: sed aliunde id habendum, scilicet à voluntate Legislatoris, in materia libera, aut consuetudine interpretante, &c.

## VIII.

Argutia cōtrarij euacuatur.

## VIII.

Declaratur  
amplius.

Præterea si ad eam formam disjunctiuam, vult reduci leges mixtas, poterit & alias, quæ mixtæ non sunt, sed propriè præceptiuæ, nam & istæ explicant præceptum, & virtualiter continent penam, sicut ergo in illa pure pænali, quæ explicat penam, & non præceptum, inuenit resolui in vtrumque sub disjunctione, pariter ibi resolute. Vnde confunditur omnis lex, pro libito explicantis, & inuertentis ad suum sensum, verba mentemque Legislatoris. Quo fieret, vt nulla lex cum vera eius obligatione consisteret, deuenireturque in eis, ad eas leges, quas Soto, Bonacina, & alii, conuentionales, aut pactiones vocant; quia non tam sunt leges, quam pacta partium, aut Principis Legislatoris, volentis non obligare ad culpam (quod vere aliquo modo constare necesse est) sed contentum esse, aut supplicio, aut pecunia & lucro pænali. In cuius etiam impositione, sua diuersitas est, quo pacto obliget, nã

vel per modum tributi, vel recompensationis damni, vel acceptæ vtilitatis, vel per modum debiti iuris, vulgo *De-rechtos*, non eodem modo, committitur in conscientia satisfactio, sicut per modum pœnæ delicti, cuius executionis obligatio, expectat actionem exigentis illam. In quibus inuoluuntur plura, quæ à materia, modo, & verbis legis, & à voluntate Legislatoris, & ab vltimo & consuetudine videntium dependent. Quæ omnia longe absunt à Regula, & ab eius auctore Sanctissimo BENEDICTO, cuius intentio cognita, cuius obligatio probata, cuius intelligentia admissa, cuius consuetudo recepta, cuius verba non transfmutanda, vt expresse cauent Pontifices, nec ad alienos sensus retorquenda. Qui non conuentionalem Regulam condidit, non per eam lucrum intendit, nisi spirituale, quod non in irrogandis pœnis, sed in promerendis præmiis, & declinandis transgressionibus legis Dei, & regularibus, semper constituit.

## SEGMENTVM VI.

D. Bernardus ab impostura oppositæ sententiæ liberatur.

## I.

Verba D. Bernardi integre  
ponuntur.

**N**ON satis est, quod Segmento 3. ex D. Bernardi verbis, tam alienum esse vidimus ab opinantis præfati intentio; sed denuò opus est, illum defendere ab eodẽ, qui deceptus imponit Sanctissimo Patri, lib. de præcep. & disp. dixisse in transgressione Regulæ, dum Monachus pœnitentiam subeat, omni culpa carere: & ita tueretur ex eo, Regulam esse legem pure pœnalem. Verba quæ ipse citat, ex capit. 16. ad suum sensum, sunt hæc: *Illum sane dico securum, qui etiam si interdum obedientiæ limites præterit, consilium non respuit pœnitentiæ, Regulares namque terminos, & si sæpe deliquerit, non euadit, qui censura, quæ ex Regula est, disciplinam non subterfugit.* Huc vsque opinans Caramuel protulit, sed prosequendum est, quod sequitur: *Pars si quidem Regulæ est, regu-*

*laris correctio; & in ea reperitur, non solum bonæ vitæ instructio, sed etiam emendatio prauæ. Inueniuntur in ea & præcepta obedientiæ, & in obedientiæ remedia, vt ne peccando quidem à Regula recedatur, &c. Quæ omittenda non erant, vt melius percipiuntur, quæ dicenda sunt, & constet suo se iugulare gladio. Nec, sicut Rex, Balac, probat Prophetam (Numer. 23. ad locum vnde partem Israel videat, & totum videre non possit, nam toto viso, apparebit, ne vestigium quidem esse, retorquendi BERNARDVM in suam opinionem, in suam inquam dceptionem; nam neque opinionis nomen adipiscitur huiuscemodi singularitas, etiam si suas syntheses, duobus Doctoribus Louaniensibus, vt cumque fulcire sategerit, sed quibus, ad hoc, & similia, sit baculo arundineo inniti, sua aliàs (vt par est) salua auctoritate Louanio.*

Vt

II. *Diversitas præceptorū.* Vt autem verus sensus constet, & eo cognito, frater noster, ac in Christo R. Pater, melius sapiat; obseruo S. Bernardū, eo libro id agere, vt Monachos, quosdam Carnotensis Monasterii, vexatos scrupulis conscientiæ, & de sua salute sollicitos, circa obligationem Regulæ, quasi reos grauis peccati, se circa omnia, in ea contenta timentes, instruat, doceat, sedet, & peccatos reddat. Ad id ergo primò distinguit in REGVLA præcepta, ex charitate & virtutibus, ex lege Dei, iurisque naturalis & diuini: quæ immutabilia sunt. Alia etiã præcepta, quæ & si aliàs essent consilia, tamen per professionem trium votorum, fiunt in præcepta: quæ etiam necessaria vocat, postquam voluntariè subiecta sunt votis. Deinde tamen exiis, quibus se quis per voluntatem professionis, & status mutationem, subiecit: sunt alia non comprehensa in tribus votis, quæ ipse, sic necessaria præcepta vocat, vt rationabiliter dispensabilia sint. Sic Sanctus, *capit. 1. & 2. illius libri*, atque ratione horum vltimorum præceptorum, de dispensationis modo, tractat. *capit. 3. & sequentibus.*

III. *Limites professionis.* Secundò circumscribit terminos professionis, & obedientiæ; quam debet præstare Monachus, in obseruatione, tum eorum, quæ expresse continentur in Regula: tum eorum, quæ potest Prælati & Superior exigere & præcipere, siue ex iurisdictione propria superioritatis, cui vt tali, generalis obedientia, in materia cuiusque virtutis, debetur; siue ex peculiari obediētia voti, quo insuper professus virtute Religionis, obligatur. Atque eam obediētiam intra metas in Regula scriptas, coarctat: vt nec vltra, nec citra, extendendo, aut restringendo, eas transfiliat Prælati, à quo *nec vltra extendi potest, nec contrahi citra, &c. vt capit. 7. &c.* Suis verbis, docet Bernardus.

III. *Clarissima manifestatio præceptorū Regulæ.* Tertiò docet & ostendit, c. 14. non omnis præcepti violationem esse crimen, id est peccatum mortale: sed esse

in REGVLA plura, quæ præcepta sunt & leuia, & eorū violatio tantum venialis, citra contēptum, quem vbique lethalliter damnat. Quæ licet iam & in *introductione ad Notas.* & in hac adiecta *Lacinia* satis dicta sint, adhuc perpetuus in ea doctrina, sic ait: *Nō video cur ita omnem inobedientiam & transgressionem, vel minorem quorumlibet mandatorum, exagerandam putaueritis, &c.* Loquitur enim cum Monachis illis Carnotensibus, & addit infra: *sicut non omnia, vnius esse constat vel necessitatis, vel vtilitatis, vel dignitatis: sic non vna, de omnium transgressione, fertur sententia &c.* & subiūgens exemplum, ait: *Nonne Veritas in Euangelio, sub nominibus trabis & festucæ, graues leuesque discernit inobediētia culpas?* & loquēdo de illis differentiis Euangelii, *Reus iudicij, & reus gehennæ, de hoc dicit, si criminen, cui gehennalis illa pæna assignatur.* At de alio, cui grauitatem criminis non inurit, ait: *Non distebimur esse reatum, quod si reatum & peccatum.* Porro omne peccatū contra Dei mandatū præsumitur, quod autē contra mandatū præsumitur, inobediētia dicitur: Ex quibus colligit, inquiring: *Hinc colligitur, quod irasci fratri, & inobediētia sit: & crimen non sit, hoc est non sit mortale.* Quæ insuper ampliùs probat, & subinducit ipsam REGVLAM loquentem, de grauioribus & leuioribus culpis, adiungens: *Quid est aliud leuior culpa, nisi leuior inobediētia? Vt omnem suam doctrinam in REGVLA esse, eique conuenire, qui non videt, oculis carete videatur.*

V. *Sensus D. Bern. quoad transgressionē Reg. ex voto.* His præsuppositis, accedit B. BERNARDVS ad docendum; quomodo, licet huiusmodi in obediētia, & leues culpæ, quas in totum cauere impossibile est, in talibus transgressionibus interueniant; imo & licet quandoque graues etiã culpæ, in grauioribus præceptis cōmittantur, (de omnibus enim in hoc loquitur) tamen ne illi Monachi, anxii in his deficient, aut despondeant animū, duplici via spem erigit, & cōsulentes consolatur. Vna est, quātum ad

ad culpam, quæ prouenire potest ex obedientia voti, ostendendo, eam non interuenire ex vi professionis REGVLÆ præcissæ. Tum quia nemo per votum, promittit, se numquam in REGVLAM peccaturum; quod probat. cap. 16. dicens: *Alioqui aut periurat qui ita iurat, aut sanctior est illo, qui ait in multis offendimus omnes*, vnde, & votum de seruandis omnibus, & de non peccando tamquã de re impossibili, nullum esse probat Sanchez, lib. 4. summ. cap. 5. nu. 10. Tum etiam, quia, vt ait PATER SANCTVS, eod. lib. c. 20. & adduximus alias. *Nemo cum profitetur, spondet REGVLAM, sed determinate secundum REGVLAM: Quod expendi in introduct. Art. 6. & 8.* & vt cumque semper intelligitur, ita vt, votum obedientiæ, non cadat immediate, supra illa contenta in REGVLAS in qua nunquam inuenitur formalis exactio Voti, per verba formalia & expressa, ad id necessaria; sed mediante præcepto Prælati qui expressè, ex interuentione & vi voti, præcipiat. Vnde omnis transgressio regularis, vt sic, abest à sacrilegii culpa, vt probaui citatis locis in *Intrud. ad Notas*, stãdo in hac præcissione & modo, licet alias citra sacrilegiũ, culpa sit.

VI.  
Pœnitentiã de  
qua B. Bern.

Cum autem ex alia parte, etiam secluso voto, in omni lege aut præcepto legitimi superioris, ex potestate iurisdictionis dimanet obligatio parendi, etiam in REGVLA, ad modum legis Dei, aut Ecclesiæ, cuius transgressio etiam inobediencia dicitur & est, vt in exemplis adductis à D. BERNARDO constat, & pariformiter agnoscit & fatetur in Regula, & satis à nobis probatum. Vt occurrat solacio illorum Monachorũ, & omnium, vndecumque proueniat culpa, adiungit alteram viam; eam que exprimit, Cap. 14. inquit. *Et si omnis inobediencia inexcusabiliter sit culpabilis, nulla tamen æternaliter damnabilis, nisi quam remedium pœnitentiæ non sanat.* Vbi in eo quod ait: per pœnitentiã expiari culpam grauem, vtpote æternaliter damnabilem; docet generalem

fidei de Pœnitentiã doctrinam; Adiungitque de præceptis regularibus, de quibus specialiter agebatur, & de inobediencia aut transgressione illorum sic: *Nulla est lethaliter criminalis, nisi quæ contemptum superbiæ non euitat*; & concludit generaliter: *Magna igitur securitas filiis obedientiæ, & reuera pax hominib' bonæ voluntatis, quãdo in omni inobediencia sola damnatur in pœnitentiã.* In quibus docet; vt siquidem peccauerint, nec enim est homo qui nõ peccet, adhibeant remedium pœnitentiæ, cuius & virtus & Sacramentum, (quod etiam pœnitentiã dicitur) est propriũ remedium post peccatum, ad tollendam & excusandam damnationem. Atque dum hoc non respuat Monachus, non in totum constituitur voti, vel Regulæ præuaricator, quia adhuc, admissa pœnitentiã in ea retinetur pars Regulæ, etiam si alteram partem peccando infregerit; & præuaricator simpliciter non nisi secundum totam iudicandus est talis, iuxta illud *Casij, l. 23. ff. de legibus in civile est, nisi tota lege perspecta, vna illius particula iudicatur.*

Hoc vero sic declarat manifestè, cap. 16. dicens: *Partienda est nobis in duo vniuersa hæc obseruantia regularis, in præcepta videlicet, & remedia.* Itaque vtraque complectitur Regula, & ita præuaricatio totalis, per vtraque debet esse, quia: *Præceptis instituitur vita contra peccatum, remedijs restituitur post peccatum innocentia.* Cum ergo vtrũque connectat Regula, & vtramque dictam partem tamquam Regularem, & si quis, peccando, partem violet, sed dũ pœnitentiã, quæ est remedium, adhibet, ab ea totaliter non recedit. Vbi nota semper peccatum & remedium contraponere: quod si remedium est, vt tollat peccatum: ergo semper peccatum præsupponitur in transgressione. Et remedium, illud præstat, scilicet, non, vt non fuerit culpa, sed vt, que fuit, deleatur, quia *restituitur post peccatum innocentia.* Quod si restituitur innocentia, igitur antea ablata erat, & non

VII.  
Sensus aper-  
tus D. Berna-  
lienus à Car.

non

non nisi per culpam. Quid itaque magis absonum à sensu & mente D. Bernardi, quam, ad titulum legis pœnalis, omnem Regulæ obseruantiam eximere, ab obligatione culpæ? Eam enim semper præsupponit: *Et si saepe deliquerit, &c. Vt ne peccando, &c.* & tertio quoque verbo, idem repetendo.

Sed audi denique ipsū, in eo quod subiungit, rem totam disertè explicantem, dum ait: *Sic ergo vtraque ista complectitur nostra professio. Vt professus quisque, cum in aliquo fortè regularium mandatorum deliquerit, si ad remedium æque regulare confugerit; & si conuincitur transgressor mandati: non tamen pacti preuicator. Quod si attentè legisset contrarius, deprehenderet verba, quæ immediate sequuntur, & ipse ad*

suam imaginatioem decerpit, ne dicam truncavit, oppositum probaret & nihil minùs, quam quod ipse colligit. Solum aperte declarat S. BERNARDVS, ex REGVLA esse vtrumque æque regulare, scilicet, præceptum contra peccatum, & remedium pœnitentiæ ad peccatum: & ita etiam si transgrediendo præceptum, Monachus peccet seu deliquerit: si tamen adhibeat pœnitentiam, eiusque satisfactionem, & cum dolore remedium, non profus remanere preuicatorum, nec omnino recedere à REGVLA, quia hoc etiam sicut & illud, ex Regula est. Vt eminus exterminetur inuentum legis puræ pœnalis, secludentis obligationem moralem, à finibus Regulæ, & à doctrina Bernardi.

## SEGMENTVM VII.

*Probatur etiam ad hominem, & alijs argumentis.*

I.  
Improbabilis  
iuxta Caram.



VNT & aliqua, in eiusdem rei comprobationem, quæ per argumentum (vt vocant) ad hominem, ipsius rationes infirmant. Et ad primum præsuppono, quod ipse in suo Commentario, n. 56. ait: *Quod illa ab extrinseco sententia est censenda improbabilis, cuius opposita habet plusquam octocuplam auctoritatem. Item ibidem: Vnus Author maximè dignitatis, æquivaleret quinque authoribus nominis magni. Rursus descendens ad singula, ait: Præter paucos (quos nominat, Lorca, Vazquez, Manrique, Suarez, & Basilium Pontium) omnes Doctores censeo moraliter æquales esse. Quæ ideo adduco ex eo, non vt approbem huiusmodi auctoritatum libramenta, & authorum pondera I. Caramuelis bilance tutrinata, à quorum pensilatione, cum videam alias ipsum discedere, minus staterè dolosæ credi potest: & vtrumque aliorum me potius arbitrio, & iudicio credam, qui non sapientes amplius quam oportet sape-*

re, sapiunt ad sobrietatem: Sed vt retorqueam in illum quæ in his argutè, aut palmo metitur, aut vnciatim librat, ideo prædicta produxi.

Ad quod reduco, vt comparatione faciam, omnem illam Authorum congeriem, quam attuli pro nostra parte sup. Segment. 3. num. 7. & addam, in eandem sententiam non deesse Lorcam, & Manriqueum, quos inter alios quintuplici valore commendat: & adesse alios literis, & prudentia conspicuos Patres: nec denique sensum esse solius nostræ Congregationis, sed omnium S. Benedicti Congregationum cōsensum, nisi quam, de tan candida sinceritatis massa, particulam fermentauerit, & veritatis azima, Opinantis deceptio corruerit. Atque tunc, collatione facta, videat si non solum ex octacupla, sed ex vicecupla auctoritate, sit censenda improbabilis sua singularis assertio, feratque etiam ab extrinseco, improbabilitatis damnationem, quam ipse sibi met, suis verbis, parauit, & extruxit, & nullius ponderis sententia remaneat.

II.  
Ipsa sibi cō-

Aliun-

III. Aliunde rursus, eodem schemate, arguo, recolendo ipsius argumentationem, de qua sup. *Segment. 4. num. 1.* ubi per consequentiam intulit, esum carniū, aut ieiunium regulare, non esse præceptum, sed cōsiliū. Insuper memor sit, quod in suo *Comment. num. 1060. circa, cap. 68. Regulæ*, in quo multum sub obedientiæ obligatione, ipsi visum est compræhēdi, dixit: *Hinc colligo, illa, quæ in cap. 4. expenduntur, ni aliis obligent, habere vim solius consilij, non quidem dati, sed dabilis quia ex vi Cap. 4. non remanent præceptibilia, sed consulibilia.* In quo interim, dum retorqueo rationem, attende Lector Religiose, quod nec consulentem actu velit REGVLAM; & quod omni libro sacro, vel sanæ doctrinæ tribuitur, ab ipso S. BENEDICTO, *cap. vlt. Reg.* imo & quæque lectio sancta ex se habet, vt cuilibet legenti, monita & consilia suggerat, præbeatque, & data intelligantur, ea in Regula sint solum dabilia, & expectent ab alio dari, cum tamen si cōsilia sunt, nec dabilia, nec data inducant obligationem moralem, quam ipse tantopere fugit.

III. Tamen ad propositum, in sententia Opinantis, esus carniū, & ieiunium regulare, & similia, non sunt præcepta, sed consilia, consilia autem Regulæ non sunt præceptibilia, sed consulibilia: Ergo illæ obseruantie excluduntur, non solum ab actuali præceptione Regulæ, sed à potentiali Abbatis. Maior & minor propositio sunt ipsius, & consequentia est manifeste contra ipsum, ad minus asserentem, præcepta Regulæ obligare ad culpam, si à Prælato præcipiantur, vt vidimus ex ipso, sup. *Segment. 2. num. 2.* Et vrgetur, nam si v. g. non esus carniū, & ieiunium regulare, solum habent rationem consilij, & consilia non sunt præceptibilia, non restat aliquid obseruantie in Regula, quod præceptibile dicatur, comparatione esus carniū, & ieiuniorum, quæ ipse tamquam grauiora, tenet non posse præcipi, nisi sub mortali. Dissonum autem omninó est, dicere, silentium,

posse præcipi & esse præceptibile à Prælato, & ieiunium non posse præcipi, sed esse tantum consulibile, de cuius ratione est, quod postquam consulatur, maneat in ratione consilij absque vlla obligatione. Quæ omnia ex præmissis Opinantis, per consequentias eliciuntur, & eius inconsequentiam arguunt manifestè.

Præterea contra ipsum, etiam, ad hominem, potest esse instrumētum, quod ipse aliàs, pro se profert, & à nobis valide discutiendum est infra, & eo vtortamquàm ab eodem producto. Illud autem est, diffinitio Cistercii totius ordinis Matris, seu diffinitiones factæ in eius Capitulo, anno 1618. quas ipse I. Caramuel, ad finem operis excussit, ubi sunt declarationes quædam, de obligatione, qua tenentur Monachi, in aliquibus ibidē enumeratis: Ex quibus, tamquam ex aliena pharetra, educo vnā, qua declarat, *Ieiunia ordinis, & abstinentia à carnibus, diebus in ordine consuetis, & ab Ecclesia non indictis, ad veniale obligant.* Quod testimonium, vel solum, in hac materia, poterat reuereri, propter autoritatem declarantis Capituli; quod & si semper, apud Sacrum Cistercium, literis, Religione & prudentia niteat, illud tamen, anno illo prædicto, celebratum, vltra solitum, viris doctissimis refertum commendat, qui quidem ea, quæ ipse, iam præceptibilia, iam consulibilia, iam nihil, vult esse; tamquam propria REGVLÆ, præcepta ex ipsa, ad venialem culpam obligantia recognoscunt.

Ex quibus omnibus tandem conficitur ratio, quæ in omni euentu & casu, quocumque modo inceperit REGVLA, quocumque processerit, habet vim & efficaciam, ad probandum intētum; quā adhibui in *Introduct. ad Notas, Artic. 8. num. 9. 10. & 11.* quæ desumitur ex consuetudine pro hac parte. Hæc enim antiqua, tot seculis transactis Hæc vniuersalis, nulla Congregatione, aut Monasterio, quod S. Benedicti REGVLAM profiteatur, eius obligationem negante. Hæc necessaric, sic intel-

V.  
Diffinitio ab ipso adducta est contra ipsum.

I  
liberum

VI.  
Ratio generalis ex consuetudine.

tel,

tellecta legislatoris intentione. Hæc á principio adepra iurisdictionis necessaria vim, ab ordinariis Episcopis: & successu temporis in eodem obligatorio sensu à Sede Apostolica: tum per ipsum ius Canonicum, in quo, præter Põtificias approbationes Regulæ, eius plura, cum obligationis effectu sunt inserta; tum per privilegia Pontificum, continua serie incumbentium, in obseruationem illius, vere iniungendo & præcipiendo: omnia in hanc veritatem cõspirant.

Nec opus est in medium adducere, ea instrumenta: & quia nota, & quia plurima, pro singulis Cõgregationibus. Sufficit pro Cisterciensi illud Eugenii III. anno 1152. vbi ait: *In omnibus Monasterijs de ordine vestro, sicut in Cisterciensi Ecclesia B. Benedicti Regula, perpetuis temporibus obseruetur, & in lectione ipsius, nullus ordinis vestri professor, præter simplicem & communem intelligentiam, quemlibet alium sensum inducat, sed vniformiter, & sicut quaque diffinita noscuntur, intelligantur ab omnibus, & inuiolabiliter obseruentur, &c.* Ut videat nouus Author, quo pacto inducatur sensus cunctis incognitus, & à tam communi, & vniuersali intelligentia alienus. Atque eandem obseruan-

tiam tamquam propriam, & præceptã obligatoriè à Regula, præsupponunt ad eam hortantes alii, vt Calixtus II. Benedictus XII. Innocentius VIII. Ob id Obseruantium Monachorum scrupulis, qui non nisi ex obligatione conscientia generantur, occurrunt: quo pacto alii, *tom. 1. privileg. nostrorũ*, vbi & præcitata inueniuntur, & *tom. 2. priuil. 10.* Eugenius III. super scrupulis, & dubitationibus Regulæ. Ac sic, fere omnes, antiquam obseruantiam regularẽ, tamquam iniunctam, affectant, vsque ad Clementem VIII. *vt eodem tom. priuil. 36. & 37. & deinceps.*

Numquam itaque euadit obligationem legis, quantum se in omnes formas, Vertumus hic noster vertat. Regula, lex est, Consuetudo eandem legis vim habet, & eius condiciones. Vtraque, solum per aliam legem legitimam, aut per aliam consuetudinem deuenientem ad eandem legis vim, aboleri potest. Neutraque est, quæ quidpiam de obligatione declarata diminuat. Stet ergo inconcussa, quãtumuis chimericis adinventionibus arietata, ne dum sagitis paruulorum impetita, ipseque legifer eximius BENEDICTVS, suæ legis defensor adsit.

VIII.  
Conclusio  
dictorum.



# PPLICATVRA

## SECUNDA DE OBLI- GATIONE MONASTICA

OFFICII CANONICI REGVLARIS.

*Plicaturæ  
applicatio in  
bonum.*

**M**Utatur materia, & ita diuersam Plicaturā offert, & parat hæc assuenda Lacinia. Inuenio autem Plinium, lib. 7. cap. 51. Inter signa lethalia computasse, in furoris morbo, risum; sapientiæ vero ægritudine, fimbriarum curam, & stragulæ vestis Plicaturas. Auertat Deus utramque lethalem significationem, & nomina in melius ita vertat, ut illum risum in legētibus moueam, quo rideant in die nouissimo; atque sic Antagonista noster, in suæ sapiētiae ægritudine, has fimbrias, Lacinia de Plicaturas, acurate palpet: ut sanitatē veram unanimiter in omni doctrina, idē sapientes portēdamus. Sed Segmenta ad rē prosequor.

### SEGMENTVM VIII.

*De congruo opinionum, & probabilitatum moderamine.*

**I.**  
*Censura quæ-  
dam pro opi-  
nionibus pro-  
babilibus.*

**S**UCCEDIT igitur alia animaduersio, circa Officium diuinum, in quo aliqua diuersimodè in Notis statuo, ac ipse, in quem animaduertimus Author. Et quidem esse poterat multiplex, iuxta plura, quæ in hac materia, ille profert, sicut & in aliis; mihi tamen non omnia pariter incumbunt, & licet, quæ vitare possum omitam, non tamen silentium aut omissio mea, subscriptio illorum sit, sicut nec damnatio. Ipse autem eo sine gradi videtur, ut quantum potest funiculos conscientiae extendere, tantum dilatet, laxetque omnem moralem doctrinam. Quapropter in suo Commentario, n. 69. Sugillat, damnatque, quod: *Prælati quispiam, ut melius suos regeret, docuit peccare illos mortaliter, qui sequabantur tales, vel*

*tales opiniones, quæ re vera erant probabiles.*

Circa quod, ego nõ approbo, quod sententiæ, aut opinioni, denegetur probabilitas, si quam habet: & licet mentiri non debeat quis de eius probabilitate, falso adscribendo illi peccatum, aut culpam siue grauem, siue leuem, quam re vera non habeat: tamen oportet, quando ad id ratio, & auctoritas adsunt, non omnibus opinionibus locum dare, neque permittere eas, vel doceri, vel sequi, aut practicari. Memineritque ad hoc, quod nu. 1052. ut cuiusdam argumento responderet, dixerit: *Nam opiniones probabiles interdici possunt, & solent laudabiliter, cum causa exigit: Quod negari non potest, cum videamus exēpla, ut de opinione Conceptionis B. VIRGINIS in originali macula, quæ meritò prohibita est do-*

**II.**  
*Moderatio  
censura.*

ceri, etiam autoritate Pontificia. Similiter Generalem Societatis IESV Aquanuiam, in sua Religione fecisse, de opinione paruitatis materię in venereis, testatur Diana, 3. p. tract. 5. Miscell. Resolut. 1. Est que conueniens in aliis, quę moribus nociui laxamenti præbent ansam, & laborant incommodis, vt tetigi supra ad capit. 36. num. 29. & 30.

Preterea non ita de probabilitate plaudendum est, vt ipsi vndequaque immittendo hauenas, regimen morũ efficiamus effrene. Video aliquos in hoc adeo insudare, vt videantur velle, ne vllus, vel minimum, in adimplenda Dei lege defuder: & hoc non aliter quam tollendo legem, nam perinde videtur in pluribus, vbi vtraque pars cõtraditionis, ex opinione, licet. Quod quantò plus se extenderit, ad conformandos mores, per opiniones contrarias probabiles, cum lege, aut præcepto; eo plus nos difformes inter nos, & ferme exleges facit. Quæ tamẽ, & quæ addidero, dixerim, absque censura (quę alterius iudicii est) doctiorum virorum, qui bono zelo, & haud dubium quin secundum scientiam, id præstiterunt. Sic Ioannes Sancius, in *Selectis disputationibus*, vbi que plura, & disput. 44. peculiariter, de vsu opinionis probabilis, vsque ad æcomium de opinionum varietate procedit, num. 70. vt inde. *providentia Dei, maxime effulgeat, & iugum CHRISTI suauiter sustineatur.* Cum tamen, licet suavis, & misericors providentia Dei, laudabilis semper existat, ipsa tamen, permissioes admiscens, vtatur quandoque malis, vt cooperentur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti; nec tamen ob id, mala laudem merentur. Sic etiam, Antonius Diana, qui ex professo promittit, casus conscientia resoluendos *benigne*. Sic alii, qui licet id non promittant, in re vbi materia sustinet, ita præstant, & rationabiliter semper in id magis propendendũ est. Qui omnes dum veritatis viam sectantur, pro viribus, & pro suo munere

obsequium Dei intendentes, laudandi sunt, nec renouo.

Nihilominus scio, quia Deus veritas est, & inde, a quo omnia, veritatem esse vnam: opiniones vero, vt plures, ab illa deficere. Ex ignorantia itaque nostra, & cognitionis imperfectione, nascitur sentiendi diuersitas: malum ignorantia in causa est multitudinis opinionum. Peius si aliunde esset, ex contentione videlicet, quod 1. Corinth. 1. obsecrans execratur Apostolus: *Obsecro vos fratres, per nomen Domini Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis scismata, sitis autem perfecti, in eodem sensu, & in eadem sententia.* Ab hac autem vnitatis sentiendi & loquendi, proferendique sententiã nemo, cognita veritate deficere potest: de quo enim, tantum piaculum præsumeretur? Sed anhelantes illam, quod quisq; pro sua virili portione, sine praua contentione, aut præsumptione vana, melius habuerit, communicare debet. Atque adhuc hoc stante, inde est, quod in eadem re, vnus asserat, alius neget, & in ipsa affirmatione, aut negatione, differentia est, & quo magis in renouo excogitantur modi dicendi, maior veritatis scissura fit, dum omnes partes opinabiles relinquuntur.

Et licet hinc, vt cõsiderat æcomiastes ille, pluralitatis opinionum Ioan. Sancius, latior aperiatur via, imo plures fiant viæ gradientibus, verum tamẽ quantus labor in illis cognoscendis sit, quantus selectus cum discretione faciendus, quantum in statuenda probabilitate difficultatis, & post statutum, etiã in collatione opinionum, quænam probabilior, quænam tutior, quænam decentior, quàm operosum sit, experietur quispiam. Nam equè tutam quamlibet opinionem affirmare, etiam si quoad imputationem, aut excusationem peccati, liberaliter concedatur: verum in modo operandi, quis, si cum consideratione opperetur, non experimento proprio conperiat, circa innatam opinionis formidinem, & incertitudinem, quam diuer-

III.

Ignorantia  
nostra pluri-  
ficat opinio-  
nes.

III.  
Declaratur  
sine præiudi-  
cio incommo-  
dum.

Ab alijs e-  
tenim.

IV

V.

Quantus la-  
bor in multi-  
plicitate opi-  
nionum.

simodè, vna opinio, præ alia, animum sedet, & securiorem reddat: vel ex rationum pondere, vel ex Doctorum autoritate, vel ex obiecto opinionis, si sit in materia, quæ solum a Deo dependeat, & quidquid edisserant & asserant opinantes, nihil, nisi quod verè institutum est, habet effectum, vt in Sacramento: Vel quæ pendet à voluntate aliorum in valore actuum: vt dum iurisdictio exercetur: cuius potestas adhuc in re sub opinione versetur. Vel in aliis, in quibus & si facti, vel in facti periculum non sit, contra conscientiam operantis: simul in veritate rei, potest interuenire tertii damnum: & interdum singultus de eo pulsat, vellatque, num ex vera opinione processerim. Quæ discrimina, & timores, quantumcumque operari liceat (quod non nego) ex opinione verè probabili, animum tangere, manifestum quidem est, & sæpe viros cordatos, in huiusmodi casibus, cautiones adhibere.

## VI.

*Nocet vnitati conuincitium.*

Atque in his, non satis est labor ipsius ignorantia, in multiplicitate opinionum, quæ eandem propositionem affirmant, & negant, aut variis modis distrahunt: sed acrescit haud minor molestia, non solum in statuendo probabiles, & prærendo probabiliores opiniones: sed etiam in vsu & praxi earum non paruum incommodum adest, maxime inter eos, vbi, cum sit *tam bonum & incundum habitare fratres in vnum.* (Psal. 132.) ex voluntate eius, qui *habitare facit vnius moris in domo.* (Psal. 67.) tamen occasione opinionum, ab ea iucunditate & vnitatem morum, quâdoque disceditur.

## VII.

*Coagmentatio probabilitatis.*

Nam de priori statuendo, scilicet, quid constituat opinionem in vera ratione probabilitatis, cum ad probabilitatem, concursum habeant rationes, & autoritates, & vtræque non repente, simultate temporis existant: necesse est, vt inceptionem habeat opinio. Hæc autem inceptio, aut principium, fortè fuit ab vno Authore, proprio capite, proferebat sententiam: cui succe-

dere potest è contra, aliter affirmans oppositam. Deinde adiunguntur rationes excogitatae ab aliis: superueniunt & alii soluentes illas, indiesque horum & illorum augetur numerus, cuius licet nõ sit terminus, quotidie hinc inde fautoribus additis: acquirit tamen opinio statum, in quo, & rationum pondere, & Authorum qualitate & numero, fieri queat collatio, & iudicari de probabilitate pari, aut maiore. Quem statum in principio fortè non habet: ita vt nec possit appellari opinio, sed placitum singulare nullius, aut diminutæ fidei, ad sufficientem probabilitatem non peruenientis. Atque siue in hoc principio & inceptione, siue in illo statu, videmus ab iis, qui de opinione probabili disceptant, tot modis traddi probabilitatem & improbabilitatem eius, vt (sicut alias dicitur) plus remediis, quam morbis laboremus.

Inde est, quod detur opinio probabilis ab extrinseco: quæ ommissa rationis argumentatione, solis Authoribus innititur: similiter detur ab intrinseco, quæ seclusa autoritate, fulcitur rationibus. In his cum esse possit multiplicitas, & robur: iam de pluralitate rationum desumitur: iam de roborè vnus, quæ efficacior reputatur: & hæc quomodocumque habeatur, siue obiter ab alio dicta, siue in argumentum adducta, siue incidenter inuenta. At in illis, scilicet Authoribus. Cæteris paribus, quasi suffragiis agatur, pluralitati deferunt. Si pares in qualitate non sunt, etiã in paucitate præferunt insigniores, vel eos qui ex professo & non transeunter tractauere materiam, peruenientes etiam ad vnicum Authorem probatæ autoritatis, cui saltem via inceptionis, & quandiu alius non surrexit, qui aut melioris notæ, aut potioris rationis opponatur: quantum ad dictum principium, quod tamen non cadat supra sententiã bene fundatam, concedendum videtur, cum illis, quos citatus Ioan. Sancius citat, vbi sup. num. 61.

Et nihilominus post omnes hos status opinionum, etiã in opinione adulta, quam

## VIII.

*Collatio opinionum.*

## IX.

quam adultam voco, quia per argumē-  
ta & numerum Authōrum adoleuit, ad  
huc in eo statu, sæpe non iudicatur ha-  
bere probabilitatem in sententia alio-  
rum, qui eam, tamquam falsam impug-  
nāt, vel in probabilem expressē pronū-  
tiant. Licet aliqui mitius agentes, proba-  
biliorem asseuerent propriā: ex quo  
venatores probabilitatis, in fauorem  
alienæ arripiunt verbum, & vna pro-  
nuntiata probabiliore, aliam probabi-  
lem, exinde haberi, deffiniunt. Aliqui  
verò amicabilibus, problemate pacifi-

cante, vtrique parti probabilitatem æ-  
quæ concedentes operaturis per eas,  
vt amphibia viuere permittunt. Atque  
in omnibus perpendendum est, quā  
frequenter, eo ipso quod opinio solū  
ad veniale damnat, tamquam libera  
omnino habeatur: vt à quocumque v-  
surpetur in praxi, nulla peccati venialis  
habita ratione, cū verè offensa Dei do-  
lenda, & delēda necessariò sit aggregā-  
dis eorum gremio, vbi nihil admittitur  
coinquatum. Quod tamen vitium, in  
hoc, non docentium est, sed vtentium.

*Obligatio officij Canonici, in professo non initiato sacris, defenditur, &  
probat ex precepto.*

SEGMENTVM IX.



Rædicta itaque omnia in  
memoriā reuocauerim,  
quia existimo, cohibēdā  
esse liberā, & intrepidam  
cuiuslibet audaciam, qui  
non solum, vbi prudenti & matura me-  
ditatione, ac fundamento, probabilitas  
apta & conueniens conciliata est opi-  
nioni, aut conciliari in ædificationem  
corporis Christi valet; quod omninò  
amplectendum est: opinione suggerūt:  
sed quantum minimum crepusculum,  
cubiamq; lucem, per alicuius hiātis, &  
male solidi ædificij rimulā, lincei con-  
spexere, totum quod ordinis, quod ob-  
sequii, quod obseruatię ædificatū erat,  
funditus euertere (prout apparētia in-  
dicat) aggrediuntur: præsertim absolu-  
tē proferentes resolutionem, quę non  
omnibus conuenit absolutē. Ex iis er-  
go est ea, quam prædictus I. Caramue-  
lus, num. 1359. post alia, in materia  
præsenti, disceptata docet, dicens: *Ma-  
neat, igitur liquidū, Religiosos iuniores Or-  
dinis Benedictini, nondū sacris initiatos,  
non teneri ad lectionem priuatam. Qui-  
bus ordinem aliorum adiunge, qui non  
vi expresse legis, sed consuetudine, ad ta-  
lem lectionem obligari dicuntur.*

recitandi horas Canonicas nitatur, præ-  
supponens obligationem, ex cōsuetu-  
dine præcisse ortā, ita explicat, num. 1358.  
inquiens: *Nescimus qualiter introducta  
sit hæc cōsuetudo. Superest vt in hac ma-  
teria philosophemur probabiliter, aut sal-  
tē dubitemus. Si probabiliter, iuniores ab  
omni morali obligatione soluētur, quia ad  
hoc mera probabilitas sufficit. Si dubita-  
mus etiā debent absolui. Quia secundum  
Soariū, lib. 7. de legibus, c. 15. n. 13. & Dia-  
nā, tract. de leg. Resol. 30. dum ambigitur  
an consuetudo introducta sit animo se ob-  
bligandi, an ex mera deuotione, præsu-  
mendum est, nō esse obligatoriam. In quo  
aduertere est, quod licet prædicti duo  
Authores sic doceāt, loquendo in ge-  
nere & abstractè; tamen perpendere  
poterat, qui eos citat, aliquid amplius  
inueniri in casu proprio, siquidem ipsi  
met, qui suæ doctrinę inconsequen-  
tiam non patientur sugillari, absolutē  
(vt videbimus) obligationē sub mor-  
tali affirmant, Diana 2. par. tract. de Ho-  
ris Canon. Resolut. 17. & Suarez, tom.  
2. de Relig. lib. 4. capit. 27. num. 6. Vt  
constet mirus affectus ad probabilita-  
tes arripiendas, in laxamentum obli-  
gationum; qui omissa sententia eo-  
rundem in specialibus, & propriis  
terminis vult ex iis, quę in genere*

quod ex col-  
lone iudi-  
cium.

I.  
Quorsum su-  
perius dicta  
sint.

Afferunt  
Caram.

II.  
Fundamentū  
illius.

Obiter re-  
darguitur.

disputauerunt, illis adaptare contrariam, quasi ipsi ex iisdem principiis à se positis, non Philosophati essent.

III. Si totum momentum probationis, in hoc duplici teste collocet Aduersarius, satis inane redderetur, suo duplici testimonio contrario, in materia propria, expresso; cui standum est in omni iuridica probatione. Sed ego, ut debite rem meam agam, secerno à quaestione alias Religiones, ut non inuolnam, quod vnde quaque haud agnosco in pluribus: & quod in vna Societatis IESV, nouiori iure, praxi, & ratione sciam statui, ab his qui ferè nascentem nacti sunt Religionem suam. Et quamquam inter Benedictinas, solum peculiariter hic agam de mea Hispanæ Observantiæ Cisterciensi Congregatione, subinde tamen adiciam, quod senserit de aliis S. Benedicti Congregationibus. Atque pro aliis Religionibus, ex iis, quæ adduxero, constabit, quid illis in hoc obligationis incumbat, iuxta principia & probationes, quibus utar, & quæ omnibus proderunt.

III. Pro quo imprimis, etiam si quantum ad meam Congregationem necessarium non sit, ut præfatum opinantem refutem, tamen quod eam, simul cum aliis Benedictinis, statuo obligationem ad horas Canonicas in conscientia, quo ad omnes Monachos etiam in sacris non Constitutos, semper fuisse, interueniente præcepto. Hoc primum assertum mihi, ex Regula, persuasum, & notum est. Nam in ea nihil magis accurate ordinatur, nec magis impense præcipitur, tamquam præcipuus finis obseruantia Monastica à S. Benedicto instituta, quam *Opus Dei*, hoc est, *Officium Diuinum*, sed REGULA obligat omnem Monachum, ex quo sub illa professionem Monachalem emittit, etiam si sacris initiatus non fuerit: Ergo præcepto interueniente, obligantur ad illud. Video ab homine negari maiorem, qui num. 375. dicit id, quod melius non dictum esset. *Cistercienses Monachos destinatos ad chorum, non teneri ex professione ad officium, nisi id. Prælati præ-*

*cipiat.* Nempe procedit, in errore vano auferendi omne præceptum, & omnem obligationem à Regula, quod satis supra refutauimus, & ita tota doctrina tradita in hac Laciniæ, Plicatura 1. & in *introduc. Artic. 6.* ampla probatio Maioris est. Minor autem constat manifeste: Quia tunc, fere omnes non initiati erant, & rari qui ad ordines promouerentur, nec in Regula fit aliqua exceptio, nec fundamentum excipiendo ab obligatione non initiatos: igitur semper extitit præceptum obligatorium, tamquam à Regula & lege, à Superiore legitimo statuta, ordinaria & Ecclesiastica iurisdictione, ut probatum est, locis citatis, & aliis in *Introd. & Notis, ibi, Art. 8. n. 4. & 5.* in his ad *capit. 19. num. 1.*

V. Prædictum assertum, de obligatione officii Canonici, ex vi Regulæ in non initiatis ordine facto, satis in confesso est profertibus Regulam Minorum S. Francisci, ut ex Emanuele Roderico & eius Compendiatore Hieronymo, *Resol. 24. num. 22.* constat, ultra obligationem, quam generaliter habet omnis Regularis, ratione status Ecclesiastici irrevocabilis, impediens matrimonium, & ad chorum addicti, de qua in sequentibus agetur.

VI. Sed propius, in probatione præcepti, in nostra Regula, in ipsa & ex ipsa agnoscit & affirmat generalem obligationem omnium, Magist. Antonius Perez, Episcopus Vrgell. qui Congregationis Benedictinæ Valli-soletanæ Generalis fuit, & ex præscripto Regulæ, eam docet in *Comment. ad cap. 19. num. 18.* Atque ad specificam quaestionem descendens, de Religiosis nondum sacro ordine initiatis, præmittit, num. 28. hanc conclusionem: *Ut obligatio recitandi sit in aliqua Religione mortalis, oportet quod vel formaliter, vel virtualiter saltem reluceat præceptum, ad recitandum obligans, respectu Monachi nondum in sacris constituti, de quo loquimur.* Et addens num. 30. aliam conclusionem, ait: *Professi Religionis, in qua redolet recitandi præceptum, tenentur ad*

V.  
Respectu Minorum constat.

VI.  
Respectu Benedictinorum probatio 2.

Eius probatio 1.

Assertio 1. nostra.

De quibus procedat quaestio?

III.

ad illud sub mortali adimplendum, etiā si nondum sacris sint initiati. Item num. 31. adiungit aliam sic, ubi præceptum de re aliqua solemniter introducta, non est formale, & explicitum & ad sensum patens, in tantum habendum est & credendum esse implicitum, in quantum, vel transgressores illius graviter plectuntur, & reprehenduntur, vel in quantum cōmuniter, & regulariter, viri docti & probi reputant opus illud, sub præcepto

obligare. Quas omnes conclusiones probat, ac demum adiungit, num. 32. ultimam dicens: *In nostra hac Benedictina Religione omnes professi Monachi, etiam ad sacros nondum promoti ordines, sub mortali tenentur ad officium divinum.* Ex quibus constat, præter consuetudinem de qua inferius dicemus, etiam ex præcepti ratione adesse fundamentum talis obligationis.

SEGMENTVM X.

*Amplior præcepti huius probatio ostenditur.*



**A**TAMEN præfatus Episcopus Vrgell. ad probationem & stabilimentum suæ doctrinæ, imò, & nostræ, contentus est cum præcepto solum virtuali & implicito; quod ut ille ait: intelligitur, ex acerbissimis, quibus transgressores afficerentur pœnis: & ex sententia maiorum, à quibus hoc semper audivimus. Addens insuper ad rē. *Et quidem cum professio nostra, nostrumque institutum potissimum sit, interesse choro, & proinde infallibiliter observatum, etiā ab his qui extra chorum, utique in agro, aut in via sunt, prout in Regula sancit, cap. 50. dubium esse non potest, quin aliquod interluceat, in re tam gravi præceptum, & proinde sub mortali obligans.* Et sane eandem probationem adiungo, pro mea, & similibus Congregationibus, in quibus & transgressores graviter puniuntur, & omnes viri docti & probi talem obligationem reputant, ex acceptione maiorum: attamen præceptum quod ipse implicitum vocat, & interlucens, ego expressum & apertum dixerim.

nium, & singulorum servitutis penso, quod non est aliud, nisi debitum servitij cuiusque. Debitum autem servitutis nascitur ex obligatione iustitiæ, tãquam ab hero imposita seruo. Id sane satis apertum est. Deinde ipsa præcepta *Communicatis etiam personalia esse debere, sua proportione, cenfeo, quatenus à personis subiri possunt.* Perpendat ad hoc quispiam, curam S. Benedicti, de hac materia omnibus observanda. Cap. 43. *Ad horam officij divini mox relicti omnibus, curratur, & nihil Dei operi præponatur.* Cap. 22. *facto signo absque mora festinent, se prævenire ad opus Dei.* A cap. 8. vsque 19. nihil aliud prestat, quam ordinem officij. Cap. 16. diei noctisque enumerat horas, *ut servitutis officia persolvamus.* Cap. 18. licet aliam officij dispensationem permittat, sed pensum ad minus præcipit, *ut in hebdoma Psalterium ex integro agatur, sua facta distributione Psalmorum: Igitur accurata dispositio & fere totalis institutio monastici muneris, præcepti obligatione carebit, in REGULA, in qua minora non carent?*

Sanè non alio schemate, ut præcepta habentur, observatiæ, quæ iniunguntur pro hospitibus suscipiendis: in operibus manuum: in occupatione lectionis, in abstinentia à carnibus, in ieiuniis regularibus, & similibus. Hæc re-

I. Probati ex præcepto implicito.

II. Ad quod facit Cap. 50. Regule, quod ipse optime citat: ubi absentibus à Choro, vel in labore agri, vel in via, præcipitur, ubi ait: *Agant ibi opus Dei.* Si ibi sancitur de absentibus, præceptum utique est de omnibus. Nam illa sanctio est, ut non excipiantur à cōmuni om-

III. Declaratio ex professionis.

putat præcepta D. BERNARDVS. Super his mandatis altercantur Cluniacenses & Cistercienses. Vt se defendat in his obligatoriis obseruantis, quã pluribus vtitur responsis, Petrus Venerabilis in suis Epistolis apologeticis. De illis est communis phrasis & colloquutio: hæc iubet Regula: hæc præcipit P. N. Benedictus: & *Opus Dei* institutum præ omnibus, sancitum ante omnia, intentum super omnia, dicitur præceptum implicitum & virtuale? Ego expressum censeo, non solum pro omnibus collectiue, sed distributiue, ita vt sua obligatio singulis correspondeat. Sic esus carniũ negatus à Regula. Sic ieiunium iniunctum. Sic alia, quorum obseruantia & adimpletio, ita pro cõmunitate Monasterii ordinatur, vt singulos vbique sua proportione obligatio pariter afficiat: & in vniuersali præcepto, quo vitam & conuersationem cunctorum præscribit, singulares comprehendit: nec nisi vbi data opera declarat, aliquem vult esse immunem.

III.  
Trepidatio  
vana Epif-  
cop. Vrgell.

Quod verò prædictus Episcopus Vrgell. non fateatur expressum huiusmodi præceptum, ea forte ratio est: quia aliquo modo cõsentit cum Card. Turrecremata, quasi concedere, aliquid esse præceptũ, sit eo ipso obligare sub mortali, quod impugnauimus & reiecimus, in *Introd. Art. 6.* Cumque ipse Episcopus tenet, nihil in Regula præter tria vota obligare ad mortale, refugit concedere præceptum absolutè, vbi cumq; non interuenit materia & transgressio voti. Et cum in officio diuino, non admittatur obligatio ex voto aliquo, inde præceptum non admittit esse de illo, ne in aliis inferatur culpa sub mortali, in quibus ipse, cum communi veniale solum concedit. Quæ omnia, distinctius procedendo, melius coherere possent. Propterea in eo sanè (vt alibi indicaui) trepidat, vbi non est timor, & necessario debet concedere, quod refugit. Quia si aliquod incommodum est, in concedendo præcepta Regule, præter obligantia vota, idem est de præcepto formali ac de virtuali,

& quod de vno inferatur, inferetur de alio: Nam si ex virtuali nascitur obligatio, & obiurgatio culpe, in sententia eorum, qui eam committi, sentiunt: idem præstat formale & expressum. Præsertim, quia cum REGVLA, licet exprimat præceptum, non declarat determinate sub cuius culpe obligatione (de qua & nostra restat probatio) ad idem iudiciũ recurrendum est, vt iuxta praxim, & sensum consuetum, aliasque rationes (quibus in simili vfi sumus & vtemur) sit leuis, aut grauis culpa præcepti in REGVLA positi, siue mandati, quod idem est, vt *infra segm. 14. num. 6.*

Verũtamen in nostra doctrina, nihil incommodi est, cum satis, & loco citato, & in hac *LACINIÆ, Plicatura 1.* Ostensum sit, esse præcepta graua & leuia, neq; ex ratione præcepti inferri necessario culpã grauem, sed vtrãlibet admittere, iuxta modũ rei. Quapropter obseruatio est Authorũ, circa D. Tho. sepe determinãdo obligationẽ moralem alicuius præcepti, dicere solũ, sub peccato esse, aut cõtra facientẽ, peccare, nõ explicãdo an venialiter, an mortaliter: quia potest esse veniale: & hoc ex aliis, quã ex eo quod præceptũ sit, debet iudicari. Propterea licet in Clem. *Exiui. de verb. sign.* determinetur, ea obligare sub mortali, in Regula Minorũ, in quibus exprimitur verbũ *præcipio*, & inde trepidandi aliquibus occasio fuit: tamẽ id non esse in vniuersum, est cõmunis & certa sententia, vt & nos notauimus citatis locis. Atque id solũ esse singulare in Regula S. Frãcisci, cuius specialem obligationem, iuxta proprium textum, aggressus est ibi Pontifex exponere, & determinare autoritate sua Apostolica, animaduertit Suarez, *rom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 7.* Deinde quod, seclusa voti transgressione, quã in omissione officii, & in aliis similibus fatemur non esse, REGVLA nostra obliget ex propria vi legis, & superioritate, cuius iurisdictioni tenetur parere proficiens, iuxta modum legis, cui se per mutationem status subdit: iam vt probatum sæpius, repetere non oportet.

V.  
Declaratur  
in nostra do-  
ctrina.

## SEGMENTVM XI.

*Probatur determinate obligatio sub mortali.*

I.  
de mortali  
probatio 1.



**S**TATVTO ergo, quod officium dispositum in REGVLA, sit præceptum ipsius, sicut & alia præcepta regularia, quorū propria est obligatio dicta, præter illā quæ induci potest ratione voti, si aliās sub illius formali obedientia præciperetur: restat hac via specialiter probare, quod ea obligatio sit sub mortali, cum adeo generaliter dictum sit, obligationem REGVLÆ, seclusis votis, atque aliis præceptis diuinis, aut humanis præsuppositis ad REGVLAM, & ex se, suo modo obligantibus, solum esse sub veniali. At illud probari facile deprehendet, qui recoluerit, quæ dixi supr. *Segment. 4. num. 5. & quæ in introduct. Artic. 8. num. 4. & 5.* Ex quibus constat, illud generale dictum, esse verum, nisi aliter, vel ex grauitate poenæ, vel ex legitima consuetudine comprobetur: sed in casu Officii diuini, de quo loquimur, & poenæ, quæ tamquam de re grauissima iniungerentur, & consuetudo sic sentiendi communiter ab omnibus, sicut de Benedictinis suis affirmat Episcop. Vrgell. inueniuntur in nostris Cisterciensibus, & similibus, ergo propter peculiarem rationem, quæ in hoc militat grauis culpæ in transgressione est intel ligenda.

II.  
Probatio 2.

Sed quia non vna tantum via, stabilendum est assertum, quod obligationem, quam declaramus sub mortali: Ideo probatur constituendo hanc obligationem officii, eo modo quo in *Introduct. Artic. II. n. 13. & cap. 70. num. 3.* notauimus, esse aliqua, in quibus se habet REGVLA vt conditio, vel vt constituens munus, aut statum, quo posito, in persona, resultat obligatio ex iustitia, ratione eius, secundum materiam, in qua munus illud versatur: vt constat exemplis ibidē adductis. Quæ

doctrina in præsentī non minus valet. Quia etiam si præceptum obligans de officio diuino, abesset à Regula: sufficit per ipsam eiusque professionem, constitui personam in statu Religiosi, destinati & professi ad munus diuini officii: ergo eo ipso resultat in eo ex iustitia obligatio, ad implendum proprium munus, iuxta propriam materiam: At materia horarum Canonicarum est grauis, & fere totalis talis professi: Ergo grauitate obligat, obligatio autem ex iustitia, non est aliud quam debitum, ex diuina lege, adimplendi quod ipsa, vel immediate, vel mediate disponit.

III.  
Confirmatur  
probatio.

Confirmaturque: Nam in Religiosis laicis, seu conuersis, non alia ratione negatur ista obligatio officii, nisi quia eorum munus non est Chorus, nec Canonicum officium, sed labor manuum, aut opus alicuius artis, seu ministerii, cui exercendo destinatur: at in his si aliquis esset, qui omninō absque causa, vellet non laborare, nec aliquid vnquā operari, haberetur tamquam reus lethalis criminis contra iustitiam, qua tenetur, suum minus implere: ergo potiori ratione dicendum est, in officio non mechanico, sed altioris obligationis & meriti. Nam & hæc ratio differentiæ militat pro Religiosis, diuinis officii addictis, vt excusentur ab opere manuum in sustentationem, à quo nō ita excusantur laici, vt tractat Suarez, *tom. 3. de Relig. lib. 8. capit. 8. num. 19. & 20.* Nec ab hac paritate obligationum dissentire potest Ioā. Caramuel. iuxta ea, quæ tradidit de Monachis & conuersis, *n. 861. & antea, n. 407.* si bene recolit, & perpendit.

III.  
Probatio 3.

Præterea principaliter probatur, secludendo prædictos modos præcepti in teruenientis ad obligandum. Et sumendo obligationem ortam à cōsuetudine non

non habente in suo principio præceptum expressum, aut implicitum: siue ignoretur, siue dubitetur de tali præcepto. Ad quod præmitto, vt certum, & notum, consuetudinem tunc obligare, quando vim legis dicitur habere, & non habere vim legis, nisi quando, tãquam præcepti obligantis vim habet. Atque hoc pacto proprie, & vere dicitur, non obligare consuetudinem, quæ præceptum non redoleat, aut præceptum in ea non affulgeat, nam ipsam habere vim legis, est deuenisse ad præcepti vim. Tum sic: sed hoc habere potest consuetudo, seclusa alia lege, aut præcepto expresso, vel tacito, vel ignorato, vel dubio: Ergo habet quod necessarium est ad inducendum obligationem. Minor probanda est, nam cetera sunt manifesta.

V.  
Probationis  
confirmatio 1.

Ad eius probationem adduco, quæ dicta sunt, ad *cap. 18. num. 16.* vbi dedit etiam verba Suarez docentis, quod potest nasci obligatio ex consuetudine, quæ quando incepta, solum fuit per actus factos sine obligatione alicuius præcepti, sed vsus eorundem paulatim aliquo accidenti, aut consideratione, mutat iudicium, & intentionem operantium, & processu temporis, ea mutatione dictaminis, tandem deuenit ad statum, in quo viri prudentes, & probe se iudicant obligari. Ergo quidquid fuerit de primo initio, siue ignoretur præceptum, siue dubitetur de illo, stat certa consuetudinis obligatio. Sic etiã Salas cum Soto, aliiisque, tom. *de legib. disp. 19. sect. 11. num. 92.* tenent, consuetudinem per solam deuotionem inceptam, obligare postea tamquam legem, si accedat ad existimationem obseruationis, voluntas Superioris, quomodo cumque indicata. Quam nec expresse, nec implicite esse necessariam, ad tribuendam vim obligationis, sed sufficere eam, quæ iuridica, aut legalis dicitur: & adesse potest in scio Principe, ne dum in scio, ex ipso iure præscriptionis consuetudinum: docet, cum ipso Salas, & aliis pluribus citatis Bonacina, tom. 2. *dispur. 1. quæst. 1. punct. ult. §. 3. num. 31.*

& Reginaldus, cum Azor, & Suarez, *lib. 13. num. 247.*

Confirmatur etiam: Quia operatio præsentium, non est regulanda nisi iuxta præsentem obligationem, hic & nunc currentem: Ergo frustra requiritur scire, quod initio extiterit præceptum, vel non. Antecedens probatur: Quia quæ præterierunt antiqua, potuerunt diuersimode, se habere, secundum mutationem rerum, quæ & in legibus, & in circumstantiis, & in moribus contingunt, nec potest esse notitia certa priorum: sed operatio petit certam notitiam, & circumstantias actuales, ex quibus induenda est actio, & vnde bonitas, aut malitia desumenda est: Ergo præsens, & actualis status est requirendus.

VI.  
Confirmat. 2.

Confirmatur rursus: Quia consuetudo potest abolere obligationem legis & præcepti, illudque tollere: Ergo & legem præceptiuam introducere. Pater consequentia. Quia in vtramque partem habet vim, vt varia exempla conuincunt. Item ipsius consuetudinis possunt esse varii status, vt quæ vno tempore viguit, alio deficiat: & quæ aliquando non extabat, postea subintret, perficiatur, & existat: sed agens non operatur nisi secundum actualem potentiam, & virtutem: Ergo nec consuetudo consideranda est, secundum vicissitudines, quas aliis retro temporibus habuit, aut habere potuit: sed secundum statum præsentem, & virtutem vimque actualem obligandi.

VII.  
Confirmat. 3.

Confirmatur adhuc: Quia quando, per consuetudinem, aboletur obligatio præcepti, quod in principio erat, operans non respicit illud principium, in quo viguit obligatio præcepti, nec modum per quem introducta est deobligatio: sed statum, quem de presenti habet consuetudo ad deobligandum: Ergo eodem modo non est respiciendum principium, in quo obligatio præcepti non erat, sed quid in tempore præsentis roboris, adquisierit consuetudo, ad obligandum. Paret consequentia, quia contrariorum eadem est ratio. Et

VIII.  
Confirmat. 4.

vtrum-

Non princi-  
pium cōsuetu-  
dinis, sed sta-  
tus præfens  
attenditur.

utrumque constat exemplis. De ante-  
cedenti sunt innumera, quorum obli-  
gatio extitit in principio, vel per iura  
vel legem, vel præceptum, quæ cū per  
cōsuetudinem derogata sint, & desie-  
rint, nihil aliud quàm præsentem illius  
vim excusantem attendimus. Sic & de  
consequenti adduxi in *Introduct. Art.*  
*8. num. 5.* ex Bonacina & aliis exemplū  
de ieiuniis, quorum nullum præceptū  
fuit in principio, vt omnes fatentur. In  
ieiunio Vigiliæ Pentecostes, & neque  
in REGVLA iniungitur, vt patet, *cap. 41.*  
nihilominus, ex consuetudine intro-  
ducta, hodie obligat sub mortali.

Consuetudi-  
nis & trad.  
ditionis con-  
sensus.

¶ Quam obligationem si quis vellet  
eludere nunc, vel defectu *expressæ legis*  
vel quia, *nescimus qualiter introducta*  
*sit*, quæ sunt Ioan. Caramuelis argutiæ  
exhiberetur ab omnibus. Esset enim e  
medio tollere omnem vim consuetu-  
dinum, in perniciem omnis gubernii,  
quod tantopere ab illis dependet; &  
cum discrimine abolēdi Traditiones,  
quæ consuetudinibus cognatæ, parem  
eum obligatoria lege sortiuntur effica-  
ciam. Atque de non requirendo prin-  
cipio, vt inde necessario pendeat obli-  
gatio in simili, etiam infra videbitur.  
*Segment. 17. num. 2.* & de consensione  
consuetudinis cum traditione Ter-  
tullianus, *lib. de Corona Milit.* Solerter  
dixit: *Consuetudo sine dubio de traditione*  
*manavit, &c.* Et rursum: *Traditio*  
*(rei) auctrix, consuetudo confirmatrix,*  
& item: *Consuetudo pro lege suscipitur,*  
*cum deficit lex, &c.* cum annotatis à  
Rhenano, & Pamelio.

III  
IX. Probatio 4.  
ex requisitis  
cōsuetudinis  
& 2.

Propterea partem nostram probat  
efficaciter consuetudo, si suis requisitis  
constet, quæ breuiter percurro. Requi-  
rit enim quod sit de materia habili ad  
legem, nam cum legis debeat habere  
vim, legis materiam requirit, sicut lex.  
Et hoc requisitum manifeste adest, cū  
sit de re bona, & satis rationabili, & cō-  
grua statui Monachali. Deinde requi-  
ritur quod introducta sit per personas  
potentes introducere consuetudinem,  
in quo petit, vt sint capaces legis, & ad  
legis onera, quando ad abrogationem

illius proceditur, teneantur. In qua po-  
tentia & capacitate, etiā mulieres ad-  
mittit Bonacina, *de legib. disp. 1. quæst. 1.*  
*punt. 17. §. 3. num. 15.* ne dum viros,  
plusquam puberes. Nā qui & per suos  
actus possent abrogare legis obligatio-  
nem, adiunctis aliis adminiculis, eodē-  
modo poterunt eā subire, de quo am-  
plius infra. *Segm. 12. num. 5.*

Item requiritur, quod fiat per actus  
voluntarios. Tales autem sunt quos  
quis exercet, visis rationibus & moti-  
uis alicuius boni, prout ab aliis intelli-  
git & concipit; vt in præfenti, decentia  
cōformitatis cum REGVLA, quam pro-  
fitetur; cum munere proprio status; cū  
consensu aliorum eiusdem instituti: cū  
exemplo similium, vt subdiaconorum  
secularium, qui secluso Monachatu, cū  
sola consecratione perpetua ad statum  
Clericalem, obligantur: Quam conse-  
crationem, ex ipsa Monachatus profes-  
sione, habent destinati ad chorum, &  
& alia similia: Nec enim requirendum  
est quotidie, à quolibet operante, quo  
animo, aut voluntate operetur: sed tra-  
ctu temporis & operationis, dictamina  
firmantur, & iudicium fit, vt infra do-  
ceo, *Segm. 17. num. 2.*

Requiritur etiam quod sit longe-  
ua consuetudo, nec enim aliter coag-  
mētari posset eius obligatio. At de hoc  
respectu Benedictinorum Hispaniæ, fi-  
dem facit prædictus Episcopus Vrgell.  
*sup. Segment. 9. & 10.* Respectu Cister-  
ciensium nostrorum eandem fidem  
præstamus: nam qui hodie supra 50.  
annum in Religione exegi, ita vidi  
practicari, & sic nos docuere alii, qui  
ab aliis accepere, vt sine memoria in  
contrarium, sit in hac Congregatione,  
cuius principium excedit plusquam,  
200. annos, & in casu, in aliis, ad 500.  
& ad 1000. se potest extendere. Quod  
licet possit uē probari nequeat, sed dū  
oppositum: à nemine probatur, consue-  
tudo iam introducta possidet, nec nisi  
per aliam consuetudinem, aut legiti-  
mam auctoritatem Superioris poterit  
abrogari. Cum tamen consuetudo, vt  
præscribat, quando non est ad derogā-

X.

Ex requisito

3.

XI.

Ex requisito

4.

dani

dam aliquam legem, aut ius alienum, sed ad obligandum se in aliqua re spiritali, vt in præfenti, quàm exiguum tempus sufficiat, traddit Molina, *de iustit. disputat. 77. num. 3.* & alii iam citati.

## XII.

Ex aliis requisitis.

Omitto alias conditiones, quæ ad abolendam legem, per actus contrarios, requirunt aliqui de voluntate Principis, aut Legislatoris, cum tamen in ipso iure præscriptionis contineri admittatur, vt vidimus, *Segment. isto, num. 5.* Hic autem agitur non de abolenda lege, sed statuenda per consuetudinem, cui accedit Superioris, vel ordinis potentis vim legis dare, iudicium, & voluntas, non solum iuridica, & legalis in

præscriptione contenta, sed expressior & formalior, à tali iudicio & obligationis intelligentia, non discrepans. Vt non desideretur, requisitus quisque consensus Principis: quam tamen, in quacumque immemoriali consuetudine, omnino includi, etiam ad effectus illos abrogandi, resoluit cum aliis Salas, *de leg. disp. 19. sect. II.* Atque ita ex communi sensu ordinis, & eius Capitum, iudicant inferiores Prælati, qui transgressores tamquam præcepti obligantis violatores castigantur; & ipsi castigati parati sunt sustinere pœnas, tãquã promeritas, seque si officium omittant reos lethalis culpæ, in materia sufficenti fatentur.

## SEGMENTVM XII.

*Probatio ab autoritate, & ampliatio asserti.*

## I.

Probatio ab autoritate.

**D**enique autoritate probandum est, ferè omnium qui in nostram sententiam, quã statuimus, in *Notis ad cap. 18. nu. 5.* conspirant, dum eam siue profectã à præcepto, siue ab existimatione, siue expresse, siue implicite admissa obligatione, iam consuetudine interpretante modum, is præualet & extat, quem asserimus, de obligatione sub *mortali.* Hęc sententia tamquam communis, generaliter tribuitur Canonistis & Theologis. Ex his autem, loco citato, adduxi specialiter quos præcipuos, & satis ad rem esse duxi: & ne paginas onerem, compendio vtar, vt apud paucos ingens aliorum numerus inueniatur. Nã Diana ibi citatus, adducit plusquam viginti Authores, quibus ipse licet benignissimus, nõ potuit non subscribere. Thomas Sanchez in hac sua tuenda sententia, numerositate Authorum, vt semper, abundat. Stephanus Durantus alios adiūgit, similiter Azor, & alii ibi citati. Suarez etiam cū Diana citauit *sup. Segment. 9. nu. 2.* & Vazquez, *Opusc. de Benef. cap. 4. §. I. art. 1. num. 10.* Valentia, *2. 2. disp. 6. q. 2. p. 1.*

*cum communi DD.*

Item Bonacina vbi sup. adductus, qui de Subdiacono, & de Religioso professo, asserit *parem esse rationem*, ita vt disputet, an professus eo die quo profitetur, teneatur integrum officium recitare? Resoluitque teneri, ab hora in qua professionem emisit, non ad antecedentes illius diei. Sicut in Subdiacono ab hora susceptionis ordinis sacri, parificans in hoc vtriusque destinationem obligationis: per susceptionem ordinis sacri, & per emissionem professionis. Nec mirum, quia & in illis, plures, præmentes difficultatem, solum ex consuetudine, quam obligãtem nemo negat, constituunt obligationem officii; nec amplius requirendum in Religiosis, de quibus agimus, in quibus nõ minoris vis est cõsuetudo, quã in aliis.

Ad Monasticos verò Authores, Episcop. Vrgell, iã testificatũ & alios, adiūge F. Bernardũ Gutierrium, Authorem Cõpendii nostrorum priuilegiorũ, qui & vbi sup. citatus alios citat, & pro nostra Congregatione antiquus testis, quĩ id & vniuersalis Ecclesiæ obseruantia, manifestum esse ait. Concinuntque

## II.

*Etiam à paritate.*

## III.

*A peculiare autoritate Monastica.*

no-

nouiores Afcanius Tamburin. de iure  
 Abbat. 10.2. disp. 10. q. 1. & ab eo citatus  
 Bartholomeus á S. Fausto, cum aliis,  
 hic Fullienfis, ille Vallis-Vmbrofanus,  
 vterque Benedictinus, qui obligationē  
 assertam fatentur. Nec deest in hac  
 parte testimonium ipsius Cistercii, ita  
 generaliter sentientis, nam in diffinitio  
 ne anni 1618. quam ad aliqua laxiora  
 (vt dixi) adducit ipse I. Caramuel, de-  
 clarans quę officia, aut onera ordinis  
 ad solum veniale obligarent, numerat  
 is ad vnguem aliis, etiam circa cōuer-  
 sos, & iuniores Monachos: hos nulla-  
 tenus liberat à communi aliorum Mo-  
 nachorum sacris initiatorum obliga-  
 tione: sed eam, nulla declaratione, vt  
 pote quę esse non poterat, adiectā, ra-  
 tam, firmamque reliquit.

Sic ergo sentiunt omnes relati, sic  
 & alii, quos non minoris fidei, & au-  
 thoritatis, tamen si non scripta, immen-  
 sum esset numerare, vno aut altero ex-  
 cepto tantum, quorū vnus, nescire con-  
 suetudinem: alter, dubitare de illa di-  
 cunt, & inde ansam sumit dictus Cara-  
 muel, vt cum ignorantia, aut dubitatio-  
 ne duorum, resoluat ipse in re tanta, cā  
 absolute, & liquide contrarium eius,  
 quod tot rationes fulciūt, tot viis argu-  
 menta conuincunt, tot testes, tum do-  
 mesticos, tum extranei concedunt, ad-  
 stipulantibus omnibus signis præcep-  
 ti, & obligationis, in ipsa consuetudi-  
 ne, cuius introductioni tot adimnicu-  
 la extiterunt, cuius progressus, & valo-  
 ris tot fuere adiumenta, de cuius statu  
 & vigore clarissima fulget notitia, vt ti-  
 mere possit, ne dum inter anseres, olor  
 canens videri cupit, é contra eueniat  
 potius, & argutos interperstrepere an-  
 ser olores, videatur.

Ex eisdem denique, amplianda est

doctrina, vt quod de Religiosis profes-  
 sis ad Chorum statuimus, idem pro-  
 portionaliter fit de sacris Monialibus  
 Choro destinatis: in quibus eędem ra-  
 tiones militant, eadem fundamenta, &  
 ex eisdem principiis similiter affirma-  
 tur & resoluitur ab authoribus. Posse-  
 que Monialium consuetudinem intro-  
 ducere legem, expresse tenet Salas, 40.  
 de legib. disp. 19. sect. II. num. 91. & in  
 eis, sicut in aliis vtriusque sexus Reli-  
 giosis habere omnino locum omnia,  
 quę dicta sūt, maxime in materia, quę  
 nec iuri, nec legi ordinis, aut Superio-  
 rum quidpiam derogat, aut aduersatur:  
 sed potius consonat & coheret. Adeo-  
 que generaliter, sub hac obligatione  
 ad mortale asseratur ab omnibus: vt  
 præter eos, quos in *Notis Reg. ad capit.*  
*18. num. 5.* adduco: Ipse etiā Diana, loco  
 ibi citato, post duos supra viginti nu-  
 meratos Authores, & ipso addito, abso-  
 luté tenentes hanc resolutionem, so-  
 lummodo inuenerit duos, aut tres, post  
 diligentem, quam adhibere solet, cu-  
 ram, cuiuslibet benignitatis, seu latitudi-  
 nis, vel ex quolibet recondito angu-  
 lo eruendæ, qui non resoluunt, sed de  
 consuetudine, de qua nullum est du-  
 bium, dubitare dicuntur. Nam & si  
 quid dubitatur, vel nescitur de princi-  
 pio, nihil derogat statui præfenti, vt sa-  
 tis, *Segment. præced.* visum est. Neque  
 ipse sanctimoniales hoc pensum de-  
 trectant, nisi quę cratum loquutoria  
 potius, quàm chorum frequentant. A-  
 lioqui quę differentia destinationis, ad  
 diuini officii cultum, præ aliis fœminis  
 laicis, ministerio seruili destinatis? Of-  
 ficium proprium professionis deserit  
 lethaliter, quę Canonicum, & obliga-  
 torium suę Religiois non

implet.



Mm PLE

III.  
 ditorum  
 obligatio.

V  
 ampliatio  
 moniales.

Propositi-  
 dicitur eis  
 videri.

# PLICATVRA

## TERTIA . DE OFFI-

### CIO B. VIRG. MARIÆ; AC

#### DEFFVNCTORVM, ET EORVM

#### OBLIGATIONE.

**N**ON Solum in stragulis & laciniosa veste, Plicaturas protulit Plinius, ut vidimus in precedente; sed eas admittit in nauibus; quas apud Aethiopiā, plicatiles, humerisque translatas, memorat, lib. 5. cap. 9. ad fin. Quarum forte materia fuit papyrus, de qua ipse, lib. 13. cap. 11. ait: Ex ipsa quidem papyro nauigia texunt Aegyptii, quae tamquam materia originaria, ex qua parabantur chartæ, diuiso acu, in prætenues, sed quam latissimas philuras, propriissimas scriptoriae artis patitur Plicaturas: sic enim, plicas papyraceas, vulgò, Pliegos de papel, dicimus. Illud autem inter has vellem euenire nostris, quod, graduando illas, addit ipse Author, cap. 12. Principatus medio, atque inde scissuræ ordine. Hieratica appellabantur antiquitus, Religiosis tantum voluminibus dicata: Ut vere appareant, Diuino cultui, ac Religioni consecrata, opuscula nostra: & hæc præcipue, quod de immaculata DEI GENITRICIS obsequio procedet Plicatura, principatus papyri sit, & de medio corde profiliens specialiter hieratica.

### SEGMENTVM XIII.

*Proposito impugnandorum, & eorum, ex parte, animaduersionis.*

I.  
Proponitur  
discussio etiā  
remissive.

**D**E præfenti difficultate obligationis, Officii parui B. V. MARIÆ limitatè, & determinatè loquentes, egimus, & resoluiimus, pro nostra Hispaniæ OBSERVANTIÆ Congregatione Cisterciensi, in Notis ad Regul. cap. 18. à num. 8. &c. & quia de aliis mihi non est contentio assumenda, nisi quod ipsæ viderint ex nostris fundamentis eisdem qua-

drare, quadrabunt tamen multis, præcipue illis, quas (citato in Notis loco, num. 11.) memorauimus: & quia ibi, plura dicta sunt, in terminis, atque insuper aliqua, quæ sup. Segm. 11. & 12. adducta sunt, eidem proposito deseruiens; paucioribus opus erit ad intentum. Quod solum versabitur, in amouendis obstaculis, quæ postmodum, ex recentiori editione Ioan. Caramuelis emerferunt.

vt contentus sit propinquos sibi interpellare, nos autem quibus vale dixit, valere, & in pace dimittat.

II.  
Obstacula  
contraria.

Vt igitur innotescant obstacula, hæc potissima inuenio: Nam nu. 1360. instruit disputationem 104. *Virum Officium Beatiss. Virg. Mariæ, & defunctorum priuata lectio* (id est recitatio) DD. (id est Monachos) Cistercienses, obliget sub mortali? In qua quæstione resoluit: Vt probabilius, & aliquo genere euentus moraliter certius, non obligare nisi ad summum sub veniali. Fundamentum est, quædam diffinitio Cistercii in Capitulo generali, anno 1618. quam ipse adducit, vbi inter alia, quæ declarat, solum sub veniali obligare, est: *Officium B. Mariæ quotidie recitari solitum: Officium defunctorum ordinarium.* Hæc ibi.

III.  
Alia eiusdem  
Authoris.

At vero addit, num. 1361. inquit: Ex hac doctrina constat maiores nostros noluisse introducere consuetudinem, qua obligarentur legere parua hæc officia sub peccato mortali; voluisse tamen se obligare sub veniali, sed hæc vltima voluntas est inefficax, quia & si voluerint nõ potuerunt, cum non sit possibilis obligatio leuis, vbi materia est gravis: Qualis est Marianum Officium, & defunctorum. Et concludit. Esto igitur liquidum, hæc duo officia, nec dum sub leui culpa, Dominos Cistercienses obligare. Denique num. 1364. ait: *Peris Virum hæc declaratio* (scilicet diffinitionis adductæ) *faueat Hispanis, qui credunt se non esse subditos Generali Capitulo, vt sunt alij nostri Ordinis Religiosi?* Respondeo (inquit ipse) id non obstare, quominus illis hæc declaratio prosit. Quia hæc nõ est dispensatio practica, sed speculatiua resolutio, seniorum & Doctorum Abbatum & hæc subditis, & non subditis fauet. Hispani enim non introduxerunt nouam consuetudinem, sed corinuerunt antiquam, quæ in ordine erat, ante Reformationem. Hanc ergo declarant Patres fuisse introductam, a non habentibus animum obligandi se sub mortali. Prædictis itaque faciendum est satis, idque mihi iacumbit.

Sed interim, dum ad ea retundenda deuenio, noto, prædictum Authorem, num. 1361. producere quasi facultatem, qua possent Patres Capitulo Cistercij, tollere officia illa, & obligationem, de quo ait ipse: *Ostendunt aliqui diploma concessum à Iulio 2. anno 1437. in quo committitur Abbati Generali, & Capitulo, omnia alterare, & inuertere, & modificare, exceptis substantialibus Regula, & ex illo sic argumentatur. Officium B. Mariæ & defunctorum, non solum ad substantialia Regule non pertinent, sed neque ad Regulam ipsam: ergo in dictis officijs potest Generalis & Capitulum valide dispensare.* Adiungit vero statim rationem non admittendi hoc argumentum, in fauorem Capitulo Cistercij, dicens: *Verum hæc ratio non vget, quia diploma illud Pontificiũ, non est concessum Comitibus generalibus, quæ aguntur Cistercij: sed Prouincialibus, quæ ab Abbatibus Hispanis, nunc in Monasterio de Palazuelos, prope Vallis-foletum celebrantur.* Et quantum ad hoc vltimum recte sentit, & respondet.

Verumtamen impingit. Primò: Dū tribuit diploma Iulio Secundo, & expeditum ait anno 1437. cum ille non federit Pontifex, vsque ad annum 1503. Diplomaque non est nisi Eugenii IV. sed authenticatum, post sexaginta, & nouem annos, à Iulio II. sine vlla adiectione roboris, quod an & quomodo habuerit, extante alio priuilegio eiusdem Eugenij IV. expedito eisdem, die mense & anno, quæstionem parit, quæ discussi, in meo tract. *Monast. capit. 6. a num. 2.* Secundò: Impingit, in relatione concessionis, quæ circa Regulam tribuit facultatem, *saluis Regula substantialibus declarandi, dilucidandi, interpretandi & dispensandi, non amplius. Quod verò, alterandi, inuertendi, moderandi & reuocandi, concedit, est circa statuta & diffinitiones, quæ diuersum quid sunt à Regula, in hoc, dum à Pontifice ritè confirmata non sunt, prout, in eodem tract. vbi sup. & alijs. Tertiò: Impingit in ratione, propter quam nõ admittit argumentum. Nam etiam si diploma illud*

III.  
Quædam obiter  
adducta  
ab ipso.

V.  
Quatenus in  
illis labatur.

esset concessum Committis Cistercij, inane erat eo titulo. Quia concessio dispensandi circa REGULAM, est de contentis in Regula, sed per arguentem, & vere, officia B. Virginis, & Defunctorum non continentur in illa; Ergo vsus priuilegij non cadit super illa, nec aliquid extra Regulam concedit. Non adicio quartum, quia nescio an fortè Cistercium careat priuilegio extensionis,

quod quam plurimæ Religiones, & Congregationes habent, & mirum esset à Cistercio non haberi, sed & miror habitum à nemine exhiberi. Nam si illud haberet, nihil obesset, Hispanis Committis fuisse concessum, vt communicaretur Gallicis. Prædicta verò notauerim, vt appareat, qua attentione, quandoque res inspiciantur, in stabilendis, aut redarguendis doctrinis.

## SEGMENTVM XIV.

*Remouetur obstaculum diffinitionis Cistercij.*

I.  
*Labefactatur ipsius contrarij verbis.*



**P**RIMUM obstaculum est diffinitiones Cistercij, declarantis officium B. MARIE obligare ad veniale. Ad quod remouendum, non vtar euasione qua ipse, *num. 413.* vtitur, & vtendam tradidit, vt cuidam Reuerendissimi Edmundi à Cruce, Generalis Cistercij, decreto Pontificia facultate facto, sufficienter responsum esse reputetur. Ait enim: *Detur nobis copia authentica edicti, vt fidem adhibeamus, vnde enim scimus id esse verum? Et adiungit statim: Hoc dixero, vt in similibus casibus, facili negotio, se queat Lector à difficultatibus multis expedire quæ nascuntur ex decretis Pontificum, aut Cardinalium, quæ si non sint authentica obligare non possunt, alias enim liceret vnicuique fingere sibi decreta, vt sua partem probaret.* Quod responsum ego confirmare potero, ex decreto Urbani VIII. quod Consilium sanctæ Inquisitionis Hispaniæ, in simili de Declarationibus Cardinalium, excudi, & obseruari conformiter iussit. At totum id si applicetur obstaculo Authoris, suo proprio ictu, dissipatum ruit, cum ipse authenticam copiam diffinitionis nõ exhibeat.

II. Non tamen sic declinanda est difficultas, vbi fictio nullatenus est credenda. Quare admissa ex fide ipsius existentiæ diffinitionis illius, declarantis officij

capitulum B. Mariæ obligare ad veniale; hoc ad meum intentum assumo, & quod maiorem obligationem non agnouerit, aut indixerit, meum non est, aut reprehendere, aut impugnare, neque os meum in cælum ponere. Ipsum enim Venerabilissimum Cistercij Capitulum, perspectâ, suo debito modo, habebit obligationem propriam, atque domesticam; rebusque & rationibus maturè perpensis, nõ dubito quin Monastico sui ouilis gregi, atque pleno iure sibi subditis, vbi eam declarationem locum habere viderit, prouide consulet, quod rectius & salubrius arbitrabitur. Discrepat tamen ab eo Ioan. Caramuelus, qui nec venialem obligationem sentiri à Religiosis viris patitur, quod pro ipsis, indiscusum non relinquam.

Nec opus erit multis, suppositis iis, quæ dicta sunt, *supra Segment. 3. num. 2.* Nam quomodocumque sumatur hæc obligatio, siue prouenire à præcepto & lege, siue à consuetudine, & ex legislatoris voluntate, probatum est, superque in grauiori materia stare posse leuis culpæ obligationem: & etiam si grauior fuerit in principio, per vsus, & consuetudinem posse moderationem habere, vt in *Introduct.* & sæpius constat. Atque si fortè in casu, nec præceptum, nec consuetudinem attendi velit, sed merè voluntariam susceptionem illius officij Ma-

III.  
*Impugnatur diminutio obligationis declarata.*

iani

iani recitandi, veluti Rosarii calculos orarios recitare: hoc si quis Deo vouerit, ea declarata & posita intentione, vt solum leui obligatione adstrictus esset, & non alia, sane non alia, ex vi voti illius teneretur, prout ratio voluntariè sibi imponentis onus in re omnino libera conuincit, & probatissimi quique Authores fatentur: Ideo negari id deuotis, liberè & voluntariè sibi obligationem venialem tantum imponentibus, caret omni probabilitate, & tum speculatiue, tum etiam in praxi, reluctantur innumera exēpla. Et similiter hoc quod præmanibus habetur, cuius leuè culpam, cum tot, quos senes doctos & Religiosos laudat Caramuel, in conscientia actu sentiant, ipse solus impossibilem esse contendit. Quo fiat, vt in eius Philosophia, non restet, nisi quod ab actu ad potentiam consequentia non valeat, id enim efficitur, dum illi actu habent obligationem culpæ, quam misse pronuntiat impossibilem. Maneat ergo in sua propria vi, quod protulit instrumentum.

III. *Authoritate nihil contra Hispaniam.* Cum autem ego non agam impugnatorem illius obligationis, sed propugnatores eius, quæ meæ Congregationis est, manifestum est ei nihil de rogare. Nam in primis iam ipse fateatur, illam declarationem generalis Capituli Cistercii, Hispanis non prodesse, prout dispensatio practica, quæ respectu subditorum, vt talium, solum habet, ritè facta, locum: Quem effectum dispensandi, nec circa proprios Galliarum subiectos videtur habere posse declarationem illam, tum ex modo quo neque imponendo nouam obligationem, nec diminuendo antiquam, procedit, sed solum exprimendo & referendo actualem, tum quia declaratio ex se id habet, scilicet non inducere nouam legem, sed clare proponere, quod obscure habebat, & declarationes quæ tales sunt, à principio insunt legibus. Vnde plures, quos adducit Salas, disp. 21. sect. 12. corol. 5. censent, non egerè promulgatione legem declaratoriam, quia nouum non editur, licet ipse in dubiis ege-

re sentiat, argumento, cap. 1. de in iuramento calumn. & aliis, quibus vitur, disp. 10. sect. 9. num. 68. vt confirmet doctrinam, quam ibi tradidit, quod quando vna lex declarat aliam, obligare sub mortali, ita sentiendum sit. Atque ita sentio, in casu ibi indicato, de Legislatore, ad quem pertinet authoritatiue declarare propriam legem, quæ est interpretatio vim legis habens in subditos. Quomodo, nobis non subditis eius, ea declaratio Cistercii nihil prorsus conducit.

At, quod nec speculatiue, quod insinuat Caramuelus quidpiam faueat, inueniet, quisquis fundamenta, quibus nitimur, perpenderit, locis citatis sup. Segment. 13. nu. 1. de consuetudine, cuius nature, & conditionis, vt nisi de ea cognoscatur modus, progressus, status, vigor, in loco, aut Republica determinatè, iudicium iuxta aliorum consuetudinem, erit prorsus cæcum & inutile. Mores enim & consuetudines, pro Prouinciis, pro opidis, pro communitatibus, ne dum pro Regnis diuersis, possunt diuersimode vigere, nec ab vna ad aliam valet quidpiam cōsequentia. Concilium Tridentinum ex parte respuit Gallia, Hispania admittit integrè, quid quæso proderit spontaneæ obedientiæ Hispanorum, reluctantia Galorum? Cistercium de sua iudicet consuetudine Galliarum, & non parum erit rectè iudicare, tum propter difficultatem materiæ, tum propter iudicium ipsius Caramuelis. Nam qui insinuat declarationem eorum venerabilium Patrum, tamquam nescientium inefficaciam voluntatis, ad se obligandum sub veniali, & in hoc, quod cognita facilius est, fuisse deceptos; minimè poterit Vadari, eos in re obscurissima, de vigore consuetudinis, infallibiles esse.

Ait vero ipse Hispanos non introduxisse nouam consuetudinem, sed continuasse antiquam, & hanc Cistercienses Patres declarant obligare sub veniali: ipse vero sub nihilo. Si arguunt, conuenire inter se debent prius, nam in terminis contraria inuoluunt. Ci-

V.  
Nec speculatiue.

IV  
Nec speculatiue.

VI.  
Incertitudo argumentationis contraria.

tercienſes dum obligationem moralem etiam venialem admittunt, conſentiunt a deſſe præceptum, & vim legis obligantis, vt notum eſt, & probatum. Nam quod Antoninus dixit præceptum dici de re graui, mandatum de re leui, qua ratione aliqui forte veriti ſunt, concedere præceptum, vbi non eſt niſi leuis obligatio, at hoc ſatis impugnatum eſt à nobis, in *Introd. Artic. 6. num. 16. & ſup. Segment. 2. 3. & 4.* atque id, tamquam quæſtionem de nomine, & nullius discriminis, reiicit Salas de legibus, *diſp. 10. ſect. 10. num. 74.* Lorca, Vazquez, & omnes. Igitur Caramuel, qui omnem obligationem tollit, conſequenter & omne præceptum, imo & omnem conſuetudinem, aut traditionem, quarum, ad rem, nullum eſt eſſe, ſi nulla eſt obligatio: & ita pluſquam toto cælo diſtant, nam inter eſſe, & non eſſe, maior diſtantia eſt, quam toto cælo, nec minus diſconueniunt,

Dum Verò diſidium hoc, inter ſe ipſi componunt, de quo non contendo: ad illud aſſumptum Caramuelis dico: Hiſpanos continuaffe antiquam cōſuetudinem, ſi forte, vt nos cenſemus, & quæ dedimus in *Notis ad capit. 18. à num. 131.* indicant, antiquior ſub graui obligatione fuit: vt etiam materia ipſa ſuadet, quæ pondus, & momentum habet, ad grauem obligationem ſubueniendam. At verò ſi forte obligatio antiqua fuit, vel nulla, vt vult indulgentia Caramuelis, vel tantum venialis, vt exigit reuerentia declarationis Cisterciensis dico non continuaffe, ſed introduxiſſe.

ſe nouiter, quoad augmentum obligationis ad grauem culpam. Cui reſponſo nihil eſt quod refragetur, & cum conſtet talis obligatio præſens, vt alte probata eſt locis citatis, imo & probabitur: obtinebit *doctrina* tradidita, oſtendendo aptitudinem & poſſibilitatem, quã nulla implicatione reuincere poſſit.

Et poſſibilitas eſt manifeſta, ex parte temporis. Nam reformatio noſtræ OBSERVANTIÆ Cisterciensis Hiſpaniæ, exordium habuit, ab hinc pluſ annis ducentis elapſis: Ergo habuit conſuetudo tempus ſuperabundans, quo & naſci, & adolere, & ſtatum ſumere, & præſcribere potuerit. Ex parte ipſius conſuetudinis nihil magis poſſibile, quam tractu temporis, ex deuotione, aut deobligatione, tranſire ad obligationem, & ex minori obligatione ad maiorem. Nam per hos gradus aſcendere poſſe, nemo negat, ſicut & retrogredi pariformiter conceditur, & exempla vtriuſque aſcenſus & deſcenſus ſuppetunt, vbique plurima: Ergo vtrouis modo, ſiue continuando eandem, ſiue introducendo nouam, ſtabit obligatio aſſerta inter noſtros. Quam bene perſpectam habuere Committia noſtra generalia in ſua Declaratione reiterata, vt protuli in *Notis ſup. 18. num. 19.* Vt vel hinc, totus abſiſtat fauor illius declarationis, in præſentia huius, que propria, que legitima, que vndeque & vera exiſtentia conſuetudinis, & autoritate declarantium ſubſiſtit.

VIII.  
Reſpoſionis  
probatio.

VII.  
Tamen ei  
occurritur.



SEG

SEGMENTVM XV.

Illustratur magis firmitas obligationis nostrae ad officium Marianum.

I. Presuppositio ad dicenda.

**R**ONVNCIATVM nostrum, quoad hanc obligationem, eiusque modum, ut in nostra Congregatione, quotidie, intra & extra chorum, quoad omnes professos, sub mortali sit; praesuppono, cum aliis, & etiam, quae in Notis citato cap. 18. a num. 8. usque ad finem dicta sunt. Vbi fere res, tota acta erat, nisi quae se se nouiter opposuere obstacula, opus esset amouere, aut dissipare. Amoto autem a via scandalo iniecto a praedicto recenti Authore, de diffinitione Cistercii, caetera quae, vel inde, vel alitudo in hac materia restant, si mihi adsint Angeli, qui scandala de regno Dei colligunt, (Math. 13.) similiter tollentur. Ad quod discurramus per munia, quae se, in frontispicio Operis, gesturum dictus Commentator ipse pollicetur, quae & in hac Lacinia, Segmenti. 1. num. 1. exhibuimus: in quibus fere omnibus, defecisse constat erga obsequium, quod Dei genitrici, ac semper Virgini Mariae, Nos debere contendimus. Eaque in maiorem asserti firmitatem, quoad potero, breuiter perillustrado, sigillatim edisseram.

II. Vt historicus redarguitur Carum.

Et in primis qui se *Historicum* pollicetur, videat in hac parte, quae non parum ab historia pendet, in cognitione principii, antiquitatis, & progressus huius obligationis, quam parum ad duxerit. Adducit tamen aliquid, dum agens de Communitatis obligatione in officiis paruis, scilicet B. MARIE, & DEFUNCTOIVM, num. 1322. memorat diploma Pii V. in quo anno 1568. coecedit Cisterciensibus, quoties priuatim, aut publice, officium B. MARIE recitauerint, iuxta ordinis institutum, seu consuetudinem, centum indulgentiae dies, quoties vero DEFUNCTOIVM officium, aut Poenitentiales Psalmos, quinquaginta

dies. Atque inde colligit Auctor, dum coniungit in concessione publicam recitationem, cum priuata, & officia parua cum Psalmis Poenitentialibus, quod credebant Monachi, eodem modo obligari: & cum de Psalmis poenitentialibus non extet obligatio, saltem priuatim, sub culpa, idem vult esse de aliis, de quibus tandem, neque instituto, neque consuetudine, adesse obligationem aliquam moralem resoluit, sed esse meram deuotionem liberam. Crisim faciat, ex hoc, medicus, quali febre laboret agrotus, qui licet ex R. E. V. L. A. (quod manifestum est,) officia illa parua non sint, negat institutum, quasi instituta Cisterciensia, praeter RUGYLIAM in sola charta charitatis Cistercii inuenienda sint, & non in aliis monumentis, quae ostendemus. Negat etiam consuetudinem obligantem, vel publicae, communitatem: cum adhuc fortius obliget publica recitatio, quam priuata. Et quantum ad difficultatem, quam versamus, in sipide, ex concessione indulgentiarum, colligit paritatem obligationis, de qua Pontifex nihil determinat, sed utcumque illa recitentur, gratiam indulget. Quia potius hinc sumitur manifesta differentia obligationis. Nam apud omnes Nostros, constans, & cognitum est, Psalmos Poenitentiales, qui sextis feriis cum Litanis recitantur conuenienter, non esse obligatorios sub culpa: & ita senioribus perspectum & iunioribus, qui in ipso limine Religionis, id norunt: sicut & Psalterium, quod in hebdomada sancta similiter legitur, & similia: Sed e contra de Officiis paruis euenit, horum obligationem, cum Canonico officio numerantibus: Ergo rata existimatum, in iudicio, & dictamine differentia, manifesta est existentia diuersae obligationis. Quae apud nostros indubita

III. Insipida collectio illius.

Retorquetur in eum.

tata sunt: & eodem argumento vitur in proposito Siluest. verb. *Horæ*, num. 7.

Sed adducit etiã Historicus, ad eandem rem, n. 1323. De consuetudine recitandi huiusmodi officia, consuluisse aliquos seniores Hispanos, qui fatebãtur se ignorare exordium illius, sciebãt tamen non excedere quadringentos annos. Circa quod, quam superabundans tempus sit ad introducendã consuetudinem obligatoriam, iã vidimus, *Segm. præc. n. 8.* & per se est notum. De inde etiam excedere 400. annos, comperiet ex dictis de eius initio, quantũ ad officium Marianum (de quo nunc agimus, licet idẽ, de officio Defunctorum agentes infra, concludemus,) ex dictis inquam in *Notis ad cap. 18. citatum*, & ex dicendis infra, pro maiori cognitione historica.

Addit autem Author ibidem: Aliquos in Belgio audiuisse, hæc parua officia introducta esse, ad excusanda rustica exercitia & pro labore manuum: aliquos verò propter esum carniũ, & loco talis abstinentiã. Hoc secundum reputat improbable, quia talis cõmutatio, est aliena ab innumeris Pontificum diplomatibus, non commutantibus, sed indulgentibus & dispensantibus in abstinentia carnis. In quo obiter nota incautum hominem, admittentem in innumeris privilegiis, dispensationem abstinentiẽ carnis, cuius non admittit esse præceptum, de quo debet esse dispensatio, vt notabamus, *Segm. 3. n. 5.* In re vero præsentis, & primum, & secundum est improbable. Nam de priori commutatione pro labore manuum, nullum est vestigium, nisi quod ex ipsa diuersitate temporum, & augmento diuini cultus, & aliarum occupationum, necessario sequebatur minuẽda esse opera manuum, vt vidimus, *ad cap. 48. in Notis.* De posteriori in Regno Franciã, supra Psalmorum pẽsum Regulã, adiecta fuisse aliqua Officio diuino, testimoniũ protuli in *Notis*

ad cap. 73. num. 8. Et similiter apud Galias, supra horas statutas, alios adhuc Psalmos appositos fuisse propter auctã anonam supra taxam Regulẽ, verba produxi, *ad cap. 39. num. 10.* Quẽ maiori fide potiuntur, quam aniles illã narrationes Belgij.

At nihil ex his prodest Caramueli, nec Casui præsentis. Nam prius testimonium, quod est Theodemari Abbatis Casinẽsis, manifeste indicat esse supererogationem deuotam illorũ Monachorum, eo tempore, quod fuit ad annos 787. Posterius est ex Petro Damiano, qui specificẽ, de aliis Psalmis additis, loquitur, & cum ipse fere habeatur Author officii B. Mariã, fortẽ ante annum Christ. 1000. etiam vtriusque tempus, distat immane ab indicato origine à Caramuele. Cui nihil patrocinator ad intentum, excusandi communitatem, ab obligatione officiorum paruorum. Quod verò ad hoc extendat illam diffinitionem Cisterciẽ de qua *Segment. præced.* actum est, vt intelligatur etiam de recitatione conuentuali in choro: mihi violenta extensio videtur, tum quia omissio officii soliti à tota cõmunitate grauius quid videtur & est, quam à priuato omitti, tum quia consequenter ad se venialem culpam, sub qua obligari priuatim Monachos, fatetur declaratio & ipse non admittit, etiam publicẽ & conuentualiter admittere non deberet, vt consequenter & inconsequenter absurda non deuitet. Quod tamen ipsi Patres grauiissimi viderint, quos ille vult doctissimos, & aptissimos pro declaranda consuetudine officii, absque intentione obligandi se ad mortale, & nõ vult tales pro declaranda ea cum veniali. Præfata itaque sint, quã ipse historicus ad præsens adducit. Videamus quẽ propius ad rem, aut non meminit, aut nesciuit, aut reticuit, & quod certum est omisit.

III.

Idem de Hispana consulatione.

III

Idem de Hispana consulatione.

V.

Audiciones alia annales.

Nota inconsequentia.

VI.  
Respondetur.

SEGMENTVM XVI.

*Ex historia, ad rem, non omittenda comprobatio.*

I. defectus hi  
storiae in re  
notatus.



**A**Duerro in opere Ioan. Ca-  
ramuelis venerationem &  
laudes R. P. Magistri Fr. An-  
geli Manrique, & gratulor,  
ab illo promeritam reuerentiam ho-  
norifice exhiberi. Eius autem tantę au-  
thoritatis viri, requirat opus nuper edi-  
tum, Annalium Cisterciensium, & ad  
annum 1103. cap. 3. inueniet in fine te-  
stimonium, quo ego nunc vtor in prin-  
cipio huius Segmenti, vt constet quid  
sentiat de defectu historiae, in hac re.  
Nam postquam antiqua & egregia te-  
stimoniam, quorum aliqua & nos dedi-  
mus, in *Notis ad cap. 18. num. 9. & se-  
quentibus.* Protulit, de obligatione of-  
ficij B. Mariae, quam nos statuimus ibi,  
& nunc defendimus, concludeas idē  
ait: *Quod summē vellim eos animadu-  
tere (extraneos tātum alloquor, nec enim  
vlli dubium inter nostrates) qui dum mo-  
nialium confessions audiunt, ambigunt  
de huius officij obligatione. Quod ex  
sola ignorantia historiae oriri potest. &c.*

IIV  
ob 21118

II. officij B.  
Mariae ini-  
tium.

Vt ergo aliunde incertos rumuscu-  
los non emendicet. Originem officij  
B. Virginis habet, loco citato in *Notis*  
Reg. Ex Ioanne Monacho, & Petro Da-  
miano, & Card. Baronio, Laurentio Su-  
rio, Petro Venerabili, Antonino Flo-  
rentino, Nauclero, Genebrardo, Ruti-  
lio Benzoni, & Urbano 2. in Conci-  
lio Claramontano, vbi maxime & vni-  
uersaliter firmata est recitatio illius of-  
ficij: Quorum omnium loca ibi dedi,  
nam in refricandis iam semel dictis,  
quoad potest fieri, compendio vtendū  
est. Deprehendet autem ex praedictis  
Authoribus, obseruantiam accuratam  
& stabilitam inter Monachos, maxime  
inceptam tempore Card. B. Petri Da-  
miani, & ab ipso statutam inter suos, ad  
alia Monasteria extantam, & propaga-  
tam quam Urbanus 2. in eo Concilio,  
deducendam ad Clericos decreuit, a

quibus non solum pie susceptam, sed  
ad laicos etiam tam viros, quā mulie-  
res deriuatam. Quae Urbani institutio,  
in illo Concilio, fuit anno 1195. scilicet  
triennio fere ante fundatum Cisterciū,  
cuius ordinem ipse confirmauit.

Quoadmodū officij inueniet sic in-  
stitutum, vt quotidie totidē horae sicut  
in Canonico recitarentur. Hoc constat,  
quia Concilium praescripsit horarias  
praeces, & laudes Dei Genitricis, iuxta  
modum Monachorū Eremitarum in-  
stitutionis Petri Damiani, a quo mos  
iste profluxerat. Modus autem constat  
quoad numerum horarū, ex integrita-  
te ipsius officij, & consensu omniū &  
expresse Genebrardus in *Chronolog.*  
ex Antonino & Nauclero, &c. ait: *Cum  
iam esset statutū, vt Clerici septē Horas  
Canonicas quotidie dicerent, totidē insit  
in Concilio apud Claramontē, anno 1196.  
recitari quotidie in Laudem D. Virginis,  
& instituit ipsum officium in Sabbatis.*  
In quo, & de numero ordinario horarū  
& de quotidiano penso determinatur.  
Sic ipse Petrus Damian. in *ser. Annū-  
tiar. V. Mariae*, ait: *Hac est ad cuius no-  
men corpus humiliter inclinatis, cuius ho-  
ris reuerenter assistitis, &c.* & apud Su-  
rium, tom. 7. in eius vita cap. 12. de *sump-  
ta ex lib. 5. Hieronymi Rauenatis histo-  
riographi* habetur sic: *Quod pœne oblite-  
ratur antiquū institutū de horarijs pra-  
cibus, quibus quotidie diuinae Mariae Virgi-  
ni Christiparae debitus cultus exhibetur,  
renocauit, &c.* In quo cōueniūt ceteri.

III.  
Modus illius

V  
comp. b. d.  
1111111111

Quod vero Urbanus Papa praeci-  
pēdo illud, decreuerit, ostendūt verba Cō-  
cilij, & Authorum, quae dedi in *Notis ad*  
e. 28. n. 11. & vltērius Genebrardus nu-  
per adductus, *insit in Cōcilio*, ait: Ita Hie-  
ronym. Rauensis, ad verba, num. *preced.*  
relata, *insitque Pontifex*, ab omnibus  
qui sacris essent initiati, quotidie persoluē-  
das. De quo & Nauarrus, qui adeo so-

IIII.  
Preceptum  
Urbani de  
illo.

V  
ob 21118  
1111111111

ler-

lertur, & studiose tractauit materiam, in *Enchirid. de Horis Canonico*. semel in cap. 10. num. 3. inquit: *Præcepto antiquo, qui tenebantur recitare Horas Canonicas, tenebantur etiam recitare Horas minores B. Mariæ Virginis, quæ sunt pars horarum Canonicarum, &c.* Idque ex præcepto Urbani II. cuius præcepti usum, quomodo variauerit consuetudo, docet cap. 22. n. 99. expresse. Itaque præceptum, & ad modum alterius officij Canonici, sanxisse & prædicti agnoscunt, & etiam Antoninus, & Baronius, quorum verba dedi vbi sup. ad c. 18. num. 9. & II.

V.  
Ad quos  
peruasit.

Ad quos autem peruasit tunc illud præceptum, fateor non conuincere expresse, nisi ad Clerum, Clericos scilicet sacris ordinatos, ac proinde obligatos ad aliud officium Domini, & Canonicum, ad quod adiectio ista parui officij fiebat. Verumtamen id fuit supponendo ipsius officij institutionem, seria & graui obligatione statutam, apud Monachos Eremitas Monasteriorum Petri Damiani, vt ex ipsius narratione apparet, *Epist. 32. num. 6.* cuius testimonio vtitur Baronius, vbi constat, quam magnas, & irremediabiles clades perpessi sunt, in poenâ omisi instituti officij, & quam maximo dolore errati, & penituntine non seruatae obligationis, iterum accepta, & instaurata fuerit. Quorum exemplo eandem obseruationem plura Monasteria susceperunt, atque accedente Papæ Concilijque decreto dicto, omnia peruasisse non est dubium, quando & a secularibus & laicis admissam deuotionem, produunt historiæ. De quibus hæc maxime desiderabantur in Historico, vsque ad initium Cisterciensis ordinis, quod cum institutione ista, huius officij per Verba num concurrat, vt ex Cisterciensibus Exordiis constat.

VI.  
Continuatio  
inter Cisterc.

De cætero, quod sequitur ab eo tempore vsque ad nos, continuationem perpetuam huius acceptati, & instituti obsequij, perpetuo seruati, modo dicto, à Cisterciensibus, probat prædictus Angelus Manrique, num. 1. citatus per sin-

gula secula, propria producens testimonia, *Ex lib. Exordij Cist. 1. cap. 40.* ex Cesario, *lib. Dialog. cap. 6.* & *lib. 7. cap. 51.* Ex diffinitionibus Cisterciensibus in Capitulis Cistercii statutis, anno 1237. & 1254. & 1307. & 1318. ex priuilegiis Pontificum, seu diplomatibus, Eugenij IV. & Sixti IV. quæ habentur inter nostros *tom. 2. priuil. 10. num. 18.* & *tom. 1. priuil. 103. num. 3.* Ex mandatis visitationis factæ per Commissionem Innocentij 8. & auctoritatem Capituli Cisterciensis ad annum 1491. & alia, quæ ne actum agam, ibi extent ad rem in terminis. Et de eodem officio, priuatim, & publice in choro, num. seqq. & infra *segm. 19. num. 3.*

Ex eisdem tamen liberabo fidem, quam dedi sup. *segment. 15. num. 2.* & 3. ostendendi statutum, quod Caramelus negat, & num. 1322. sui Comenarii petit sibi ostendi de recitatione officiorum paruorum. Nam de paruo B. Mariæ (de quo nunc agitur) diffinitiones citatæ, aliquæ disponunt, aliquæ supponunt dispositionem illius, ordinando aliquid circa illud. Diffinitiones autem statuta sunt. Item Cesarius loco primo citatus refert statutum Cisterciensium: *Quod hora B. Mariæ (quæ hæctenus à singulis seorsim recitabantur) in infirmatorio dicerentur omni tempore.* Quod mutuatum esse à Cluniacensibus, & exemplo eorum, constat ex simili statuto, quod ex Petro Venerabili retuli in *Notis, ad cap. 18. Reg. num. 9.* & lucem affert, loco & verbis Exordij Cisterciæ quæ *ibid. num. 14.* attuli, de publica recitatione huius officij, non dum a principio inter Cistercienses introducta, sed tamen impense obseruata priuatim.

Quod vero tunc ad infirmatorium, eius ve sacellum, per statutum deductum est similiter translatum ad chorum, sine statuto non esset. Atque ita fuisse, probant quoad nostram Congregationem, in eius principio, verba Eugenij IV. *priuileg. 10. citato. 10. 2.* vbi concedit ei, quod iam antea, ipsi Capitulum Cistercii concesserat. *Vt quilibet Abbas possit dispen-*

VII.  
Statuta Or-  
dinis de eo.

VIII.  
Confirmatio  
eiusdem.

spen-

spensare cum Monachis, quod cum non sequuntur Chorum, vel etiam cum sunt extra Monasterium, possint, licite post completorium dicere horas defunctorum, & horas Beatae Virginis. Igitur si statutum, & definitum non esset, non erat in quo dispensaretur. Atque Sixtus VIII. priuileg. 103. citato, tom. I. non solum praesupponit institutum, sed precipit, dum etiam Abbatibus Commendatariis iubet, in Monasteriis eisdem, sollicitè, & deuotè diuinum Officium, tam in

horis Canonicis, quam B. Mariae, & defunctorum, more deuotè, & integrè, eiusdem ordinis ceremonijs seruatis; competentibus, & debitis horis, persolvere. Vbi & institutum agnoscit, & instituit, & cum officio maiori Canonico parua officia parificat. Vt non dubiter, simul cum consuetudine, statuta praecessisse: Atque hinc videat de paritate obligationis, aptius argumentum sumi ab Historico, quem se promittit.

## SEGMENTVM XVII.

*Infirmas Scholastici processus oppositi confirmat idem.*

I.  
Indicatio  
genera'is.

**N**VNC iam dispiciat Author an in discutienda huius officii obligatione, se verè Scholasticum praebat, dum illam aufert, discurrendo praepostere ad nouas conclusiones eliciendas, & ignorando principia, & facti, & iuris: vnde caetera sunt deducenda, atque faciendo iudicium de rebus, secundum statum, aut esse, quod non scit, omisso statu & circumstantiis, quas cognoscimus, relictisque pluribus substantialibus, ex quibus iudicandum est, & assumptis inuilibus, nihil verè, & solide ad intentum inferentibus. Nam & ea quae in praecedentibus, plicat. 2. dicta sunt generalius, de obligatione officii, Canonici, pro Monachis, non constitutis in sacris, militant de hoc B. Mariae officii, pro omnibus nostrae Congregationis, & quae fuerint in hoc similes.

II.  
Ad id praemittuntur aliqua.

Et vt aliqua, in assertionis, seu defensionis nostrae probationem, indicem: certum est, loquendo de obligatione alicuius actionis, v.g. recitationis officii parui, de quo agimus: Etiam si a principio extiterit praecipuum, vt de Clericis constat, non esse necessarium, vt ipsum praecipuum, aut lex exprimat, sub qua culpa leui, ne an graui obliget, nec vllus vnquam id requisit: sed lex simpliciter iubet, aut prohibet, & inde, vel

ex materia, vel modo, vel receptione, & vsu, prudentiumque iudicio, elicitur obligatio. Quae iuxta vtentium consuetudines subest vicissitudini, & varietati temporum, & locorum, vt crescat, aut minuatur, aboleatur ve, vt Segmēt. praeced. num. 4. ex Nauarro vidimus, in praesenti casu & exemplo, quod omnibus illis varietatibus afficitur. Et ita aut de re in diuersis locis, & Ecclesiis, aut ex vsu talis Breuiarii, aut statuto, aut ex consuetudine docet Bonacina cum aliis, de Horis Canon. disput. I. q. 3. pun. I. num. 12. & disp. 2. quest. 4. pun. I. num. 5. Atque, similiter, quod de obligatione per institutum, aut legem dicimus, euenit in consuetudine, in cuius principio, non est opus, vt vtentes expriment, sub qua obligatione id faciant, nec enim conuocanda est respublica, aut populus, vt contententur se tali, vel tali intentione operari, neque figillatim interrogandi sunt, quo pacto quispiam operetur. Nam id non esset iudicare de consuetudine, quae non constatur repente, vt cum Panormit. & Syluestro, notat Reginaldus, lib. 13. num. 243. estque notum, sed currente tempore congruo, vt consuetudo verè & propriè dicatur, in quo statu ferendum est iudicium, & cognoscendum de obligatione, vnde cum fuerit principium, & sine eo, quod requiratur sciri, aut scrutari de eo, vt tenet Soto, lib. I.

Obligatio legis, aut consuetudinis qualiter pensanda.

de iust. & iure, quæst. 7. art. 2. ad 2. cum Caiet. & Syluestro, quos sequitur Reginaldus dicto lib. 13. num. 248. & confirmat Lessius, lib. 4. dubit. 7. num. 50. Quod sup. segment. II. num. 8. & 10. in simili adducebamus.

## III.

Prenotatur  
alia.

Deinde iuxta doctrinam, quam dedi sup. dicto segment. II. num. 5. Sunt etiã notanda verba Reginaldi citati, num. 244. vbi de consuetudine introducta ob deuotionem, docet accidere, vt crescente deuotione transeat in præceptũ, & obligationem: vel populi consensu, vel Superioris mandato, quorum alterutrum præsumendum est in dubio, &c. Et Lessius, lib. 4. cap. 2. num. 50. Atque (inquit) consuetudo ex opinione orta, inducit obligationem, non minus quã lex vniuersalis: non enim alio modo, id quod antea non obligabat, incipit esse obligatorium per consuetudinem, nisi quia homines putant se obligari, &c. vt communiter à Doctoribus traditũ testatur. Atque Confirmatur ex quodã (iuxta ipsos) indicio, inter alia, ad cognoscendum, quando consuetudo censetur abrogasse legem, antea obligantem: scilicet, cum operantes contra eã legem, communiter sic faciunt, sine scrupulo, aut remorsu conscientie: ergo idem dicendum est de inducta obligatione per consuetudinem: cum scilicet operantes contra eam, non audet facere, nisi cum scrupulo, aut remorsu conscientie, cuius sentiunt reatum & obligationem. Vt maxime constat experiẽtia delinquentium, & iudicantiũ in vtroque foro, respectu officii B. MARIE inter nostros, toto cœlo diuersimode à Psalmis Pœnitent. & similibus.

## III.

Recapitulatio  
fundamentorum.

Constat igitur, officium B. MARIE, inter Monachos, inceptum ante tempus B. Petri Damiani: ab ipso instauratum: cum exemplo, quod mouere potuit Pontificem Vrbanum: à quo, cum obligatione, institutum est, iniungendo illud Clericis in sacris constitutis, quibus parificari Monachos, vel sola professione Monachatus, vidimus cũ Bonacina, segment. 12. num. 2. sup. Fuit

que institutio cum incunabulis, & lacte deuotionis erat ordo Cisterciensis, cuius studium erga huiusmodi officium, tot monumentis & diffinitionibus comprobatur. Quis ergo neget principio adfuisse verisimiliter præceptum? Vel si ex deuotione cepit, eam, ex feruore amplexantium consuetudinem, & ex conuiuentia, & plausu Superiorum instituentium, aut prosequentium hanc recitationem piissimam, & exemplo præcepti Cleri, vim obligationis obtinuisse? Quæ sicut in Clericis diuersimode se habuit, propter varietatem temporum, & mores vtentium: ita inter Monachos, & Religiones. Quapropter in nostra Congregatione, suis legitimis passibus, & circumstantiis, consuetudo sancta inualuit, modo quo declaratum est in *Notis ad cap. 18.* & in præsentis apertis fundamentis defensum.

Ab his autem deficit *Scholasticus*, qui ex eo, quod nesciat principium, negat progressum & statum consuetudinis, sicut si negaret quis flumen, quod pleno albo patenter currit, quia scaturigines ortus ignorat. Deficit deturbando consuetudinem à possessione obligationis, quam habet de præsentis: que nõ inualidatur, quidquid fuerit de principio: in quo fallitur reducendo rem tamquam ad causam, ad non causam. Deficit denegando consuetudini eaque ipsius natura & ratio, & iura prescriptionis concedunt, & adesse præsumunt, quando certo non sciuntur, aut omnino ignorantur: ne dum quando, vel coniecturis, aut indiciis innotescunt, aut monumentis historicis, quibus adhibenda est fides, manifesta sunt. Deficit inferendo, contra id quod inter nostros obligat, ex consuetudine agens ex alia, aut intellectu aliorum, cum inter consuetudines diuersorum locorum, de eadem re, consequentia nihil valeat, de quo oportune, cum pluribus, *Salas de legibus, disput. 19. sect. II. num. 91.* Nam, & inde est proloquiũ, cum fueris *Roma, &c.* quia propria consuetudo, non nisi propriis deseruit. Deficit in

## V.

Peculiares  
defectus  
Scholastici  
indicantur.

## II

219 bi b2  
vnum  
caplo

vſu teſtimoniorum, argumento factò à diſparatis, vt ſunt indulgentiæ con- ceſſæ à Pontifice Pio V. qui & inſtitu- tum, aut conſuetudinem præſupponit, & quomodocumque, indulgentia ni- hil immutat obligationis: nam etiam cum illa, in officio Corporis Chriſti conceſſa eſt ab Urbano IV. &c. ſimili- ter diſparatè ſe habet diſſinitio ſeu de- claratio Ciftercii, tum quia reſpectu

noſtrorum, nec præctice, nec ſpeculati- uè valet quidpiam: tum quia illa eſt de obligatione veniali ſuorum; quorſum inde arguat de nulla noſtrorum? ſi nõ habet authoritatem & vim in proprio caſu, in quo declarat, quomodo in di- uerſo & alieno habebit? Hæc extra ſcholam abigenda ſunt huic etiam ſcholæſtico, ad quem etiam quod *Seg- ment. ſeq. num. 2.* obſeruo, pertinet.

SEGMENTVM XVIII.

*Moralis & iudicialis Commentarius, quatenus inofficioſus erga Virg. Dei genitricis officium.*

**N**ON ſolum in officio Hiſto- rici, & Scholæſtici, defeciſſe Authorem iſtum noſtrum depræhendo, dum ſe inoffi- cioſum exhibet officio ſacro B. MARIÆ eius ve obligationi, quam nec paruam in Cifterciensibus Galliæ ſponte eam conſitentibus, nec magnam in Hiſpa- nis, haud potentibus eam diſſiteri, pati- tur, ſed etiam in aliis titulis commen- tarii *Moralis, & Iudicialis.* Nam de *Pol- litico*, cum induerit nomen equiuocas ſignificationes, & in aliquibus non be- ne audiat, in eis nihil dico, quia nimium, nec dicere, nec cogitare præſumo, in viro Religioſæ profeſſioni addiſto, cuius intentione credo ſemper intra verita- tis, virtutis, ac pietatis cæcellos cõtētã.

At dũ ſe *Moralè* proſtetur, cũ dupli- ci modo moralitas accipiatur, vt in *in- trod. ar. 2.* dixi, illa quidem quæ in con- ſideratione verſatur bonitatis, aut mali- tiæ moralis actuum humanorũ, non diſcedit à munere Scholæſticiæ diſci- plinæ. In qua licet non eſſe imponen- dam conſcientiæ obligatione, ſine ſuffi- cienti fundamento ſciã: ſed cum illo iã impoſitã, ne nimium fauētēs libertati, eã auferamus, magna cautio adhiben- da eſt. Atq; in præſenti interuenit ob- ſequium Dei, in cultu eius Genitrici exhibito, per officium proprium par- uum interuenit, & maius meritum, ex parte acceptantium illud, cum præciſſa aliqua obligatione; Ergo ſine vrgenti

fundamento, vtriq; parti præiudicari non debet. Antecedens eo modo pro- portionaliter probatum reputatur, quo conſtat, opus ex voto factum, ma- gis extenſiue, & intenſiue, merito- rium eſſe, quam ſecluſo voto, vt cum D. Thom. probat *Valentia 2. 2. diſp. 6. de voto, q. 6. punt. 3. affert. 3.* adductis Auguſt. & Anſel. &c. Nam etiam per opus admiſſum & aſſumptum, vel per obligationem, & onus ſibi vltro impo- ſitum, vel à præcepto legis, aut conſue- tudinis inductum, magis firmatur vo- luntas, magisque ſubiicitur, atque ad- dicitur deuotæ ſeruituti. Cur ergo *mo- ralis* Theologus non debeat cauere, in ſuis reſolutionibus, ne Religioſum ob- ſequium obligatione aliqua adſtrictũ, cum iniuria eius cui præſtatur, & eorũ à quibus præſtatur, nihil fortiter cogē- te, diſſoluere, aut potius illata vi abrum pere videatur? Nam & quod de voto dictum eſt, etiam cum aliis tenet Sua- rez, & in terminis de operante ex- præcepto, & obligatione, *tom. 2. de Rel. lib. 1. de voto, cap. 17. num. 14.*

Altera vero *moralitas* eſt, qua de- nominatur ſtudium eorum, qui ad bó- nos mores promouendos informan- dos, & perficiendos, virtutesque, & exercitia earum perſuadenda, inten- dunt; vnde & D. Gregorius, opus in Iob, *Moralia* appellauit, & quod ex facris, & bonis literis, hinc inde, ad hunc finem tractatur, *Morale* dicitur

III.  
Alterius mo-  
ralitatis re-  
por.

V  
I. Pre-  
ſentis ti-  
tuli. b. r. n.  
ca.

II.  
Vnius mo-  
ralitatis de-  
fectus.

IV  
Vniuersalis  
in præcepto

a Cōmentatoribus. In quo genere quis nesciat, primas tenere partes Diuinum cultū & honorē, in se & in sanctis suis, inter quos primatū obtinet B. Dei Genitrix & Virgo MARIAM, ut quoad fieri possit, eius honorificentia & veneratio non deferueat, & à calore, quem aut Superiorum institutis, aut deuotorum necessariis obsequiis, adquisiuit, non cadat. Deterreat eum, in hac impugnatione Mariani officii, quod in casu omisionis illius retulimus ex B. P. Damian, in *Nor. ad c. 18. n. 9.* & quæ referre recentiora possemus. Alliciat etiam eū, ad amplectendum motiuum, quod in statuēda, aut admirtenda huius pii officii obligatione, habuerūt antiqui illud quod in statutis Cluniacensibus, exprimit B. Petr. Venerabilis, *statuto 76.* de Antiphona illa *Salve, &c.* decantanda, vbi sicut in aliis statutis, reddens rationem eius, ait: *Causa huius instituti fuit, nulla alia, quam summus & maximus amor ab omni rationali creatura, quibuscumque modis rationabiliter fieri potest, exhibendus, post Authore omnium, Matri Authoris vniuersorum.* Hæc itaque si sapit, cum satis rationabiliter possit, loquatur & exhortetur, vt *Moralis*, placeat Deo & hominibus, Cōmentarius.

Denique in eo, qua *Iudicialis* dicitur, iudicium desideratur, vbi eius cui nullus dignè valet, (vt cum Augustino loquar) iura gratiarum, adquisita iura quotidianę laudationis, ruptis titulis instituti, consuetudinis, traditionis, & præscriptionis denegatur: & etiam vbi partes, quarum intererat, consentiunt: ipse tamen non permittit. Possidet B. Virgo horarias laudum preces: & in quavis re, beatus qui possidet, prædicatur: à quo iure nisi euidenti probatione contraria nullus deiicitur: & à possessione hac deturbatur: Quis hoc iudiciū dicat. Similiter optima fide, præscriptionem longissimi temporis præterdit, etiam immemoriam, quę titulum legitimum, omnem, oppositam actionē interimētem includit: & ius hoc, quod de incognito principio, magis stabilitur, ob illud dubitatum, aut ignoratum

opprimitur: Quid magis ab equitate alienum? Negat Aduersarius titulum, & obligationis instrumenta, & nos proferimus; incumbit illi omnimoda probatio, & exhibetur à Nostris: pronuntiat sententia ab eo semel & iterū *liquidū est, &c.* contra inauditam partē B. Marię. Nam perinde est, ignorare Historiam: non credere instrumēto, quod ipsemet adducit declaratorium Cistercii, nescire etiā quod proprium nostræ Cōgregationis in mediū damus. Quo pacto ista cum iustitia cohærere possunt? Rectè iudica fili hominis, qui *iudicalem* inscribis Commentarium.

Nec sigillo Authorē illius, quasi minus cultor & obsequiosus Dei Genitricis sit ille, qui omni honori, quolibet modo ipsi Virgini Matri delato, non acquiescit. Nam & si valde honoranda sit Mater Domini, sed, vt aliquando ad id respondit, B. Bernardus, *honor Regine iudicium diligit, & virgo Regia falso non eget honore, veris cummulata honorū titulis, infulis dignitatum,* sic ille, *Epist. 174.* dum non acquiesceret, tunc temporis, modo quo celebrabatur festiuitas Conceptionis Deiparę, à Canonicis Lugdunensibus. Ac forte similiter excipiat Commentator iste iudicialis, vt iudicium faciat, de cultu & honore: vt quia coacto & inuoluntario non eget Virgo beata, sic liberam omnino velit deuotionem asserere. Attamen in primis intueatur specimen D. Bernardi, qui de repētinis nouitatibus causatur, & de defectū authoritatis, & declarationis Ecclesię, in re ipsius examinis, & determinationis propria, & deinde omnia quę discurrendo disputat, & proponit, *absque præiudicio sanè sanius sapientis dicta esse vult,* paratus, authoritatis debitæ iudicio, emendare quidquid aliter saperet. Atque hoc modo, honorem MARIÆ diligere iudicium, & æquitatem amare docet, & profequitur.

Quapropter in obligatione officii, Mariani, quā defendimus, videat, nō aliquid repentinū, aut nouum induci, sed vetustate summa pollens; nō quod au-

V.  
Præoccupatio ex D. Bernard. ne obstat.

III  
Responsum ad Bernardum de honoribus & dignitatibus

III  
Responsum ad Bernardum de honoribus & dignitatibus

VI.  
Explicatur in proprio casu.

III.  
Iudicialem partem non implet.

III  
Responsum ad Bernardum de honoribus & dignitatibus

thoritatis labore defectu, sed ea maxime suffultum, non quod careat declaratione authentica, sed potius eam habeat legitimam a superioritate nostri Capituli, potentis eam prestare. Atque ideo iudiciu pro cultu, & honore, debet esse non tanquam de coacto, sed tanquam de debito. Nam quod debitum est, vel ex voto, vel ex precepto Superioris, vel obligatione assumptae consuetudinis, non coactum dicitur, aut inuolutarium, sed debitum, cui se quis, vel voluntate praesupposita, ut in voto, aut alio proposito oneroso costringit, vel superioritate praesistente, aut sublimiore potestate in subditos exercit, submittit, & subiicit. Haec autem debita exigere, non est, quia indigeat honor **MARIAE** his obsequiis, indigentia enim nostra est, sed quia iudiciu & equitas petit, ut debita persoluamus. Atque si dignitate pensemus obsequiorum, quod debita sunt & obligatoria, eo ipso potiora sunt, & praeposenda liberis, & indebitis, ut vidimus *sup. num. 2.*

**NE** Coeli, quod **D. BERNARDVS**, qui etiam admirans, nouam induci celebritatem, quam ritus Ecclesiae nesciebat, ratio non probabat, non commendabat aut qua tradidit, (iuxta ipsum); tamen sanius sapienti cedit, authoritati dat locum. Imo & omnibus illis extantibus pro suo iudicio, adhuc *disimulabat parcens deuotioni, quae de simplici corde & amore Virginis procedebat.* In presenti autem omnia adstant iuri, honori Deiparae Virginis parto: Celebritas officii toti Religioni, ac nostrae Congregationi, modo explicato, scita: rationibus & auctoritate comprobata: consuetudinis vsu commendata, & antiqua traditione: ubi nullum de deuotionis veritate formidinis periculum, sed notorium meriti, in excellentiori obligatorii obsequii praestatione, clementum, cum spiritualium temporaliumque bonorum lucro, ipsa semper patrocinate Regina Virgini, coniunctum. Cedat ergo, non mihi, qui nullius precii sum; sed eis, cum quibus sanius sapientibus sentio, & dictum quod non liquidum sed inane esse constat, lubens recantet.

VII.

Reconuenitur  
ex D. Bernar.  
& concluditur  
disceptatio.

Vnde restat, ut idem specimen praebeat Author, in iudicio honoris **REGI-**

SEGMENTVM XIX.

*Ampliatur doctrina ad officium defunctorum.*

I.  
Assertio eadem de officio defunctorum.



**Q**VM in sua resolutione, praefatus Author, cum Mariano officio inuoluat etiam quod Defunctorum est, & certis diebus, certoque modo dispositum, secundum usum & consuetudinem receptam, ego in nostra Congregatione, similiter sub lethali culpa, obligare asseruerim in *Notis ad Reg. c. 18. n. 7.* idem in presenti, consequenter ad dicta de officio **B. MARIAE**, pronuntio, teneo atque defendo. Atque in confirmatione huius partis, sunt omnia, quae de consuetudine, dicta sunt, *Plicat. 2. per tota.* de obligatione officii Canonici, a professis non initiatis recitandi; & cuncta quae peculiariter, de officio **B. MARIAE** allata sunt, loco citato in *Notis*, & quae in presenti exceptis iis quae de

Concilio Claromontensi & Urbano II. adduximus, cuius institutio, de officio defunctorum, nihil disposuit. De cetero autem reliqua, eadem vi & efficacia, siue differentia procedunt.

Solum potest ab aliquibus desiderari, quod in Declaratione diffinitionis Cistercii, adducta *sup. Segm. 13. n. 2.* expressè ponitur, *defunctorum ordinariu officiu*: at in Declaratione diffinitionis nostri Capituli Hispani, adducta in *Notis ubi sup. n. 19.* solum de officio **B. Virginis**, declaratur. Ad quod, in proptu est responsio: Scilicet Capitulum occurrisse rumusculo subrepenti, vnus praesumptuosus scioli, derogantis, aut in dubiu vocatis obligatione officii parui **B. Mariae** & forte Caramuelizantis, ob id itaque Capitulum solum de illo officio decla-

III  
II.  
Occurritur tacito obici.

rauit, idem declaraturum, si de altero mulitari sentiret. Sed non oportuit præsupponere dubitationem, ubi nulla erat esset enim id excitare quiescentes, aut remedium valentibus, quibus medico non est opus (Matth. 9.) adhibere.

Quoad alia, non minora inueniuntur subsidia veritati & obligationi. Nam in antiquitate, duplici seculo cum dimidio, antequam inuenitur distincte officium DEFUNCTORVM, vt constat, ex adductis, in loco citato in Notis, & in ordine Cisterciensi, vt constat ex antiquo libro Vsum (ante annum 1188.) extat iam officium defunctorum cum ceremoniis, dispositione Psalmorum, & modo, quo nunc fit, vt habetur, ibi: cap. 50. *Officium defunctorum quotidie agitur, exceptis diebus duodecim lectionum, &c.* Quo tempore, iam inuentum fuisse choro, multo antea quam officium B. MARIE, quod tardius in choro fuisse admissum, iam indicauimus, ad Cap. 18. *Reg. num. 14. & sup. segment. 16. num. 7.* constat. Nec enim Concilium Claromontense de Chori recitatione præcepisse videtur: sed iuxta illud, a singulis cepit obligatio, cui se postmodum cõmunitas ex iniuncto subiecit, & ordinavit ceremonias, & modum: quem in horis B. MARIE peragendis, congrue recipi posse à Carthusiensibus & Cisterciensibus, scripsit Radolphus Riuus, Tugrensis Decanus, iuxta Pamelium in *Copilationis suæ præfat. in fine.*

Quod vero obligatio hæc grauis, in recitatione huius officii defunctorum, iuxta dies & modum, quo talibus diebus dispositum est, non sit singularis in nostra Congregatione, docet Siluester *verb. Hora num. 7.* qui ait: *In Ordine Predicatorum omnes tenentur ad illud defunctorum officium) semel in anno, & semel in hebdomada ad nouem lectiones, quando in Ecclesia est dicendum, tñ quia ista est consuetudo communis, qua etiam communiter fratres se credunt obligatos: tum etiam quia quisque ad officium tenetur, secundum Ecclesie cuius officium dicit ordinationem, quæ in proposito, ab hoc officio nullum excipit. Præterea Bo-*

nacina de *Horis Canon. disp. 1. q. 3. pun. 1. n. 12.* præmittens eos, qui non vtuntur Breuiario Pii V. teneri seruare consuetudinem sui loci, & Ecclesie, eo modo quo consuetudo recepta est, pluribus citatis, & communi, infert dicens: *Ideo Sacerdos Mediolaneusis, dum Mediolani commoratur, peccat mortaliter, nisi recitet officium defunctorum tempore feriarum, iuxta consuetudinem Mediolanensis Ecclesie, &c.*

Sic alii, ex eisdem principiis, tenent eandem sententiam, neque nos ex aliis Philosophamur in nostro casu, & ita non minus certa & admittenda est. Neque declaratio diffinitionis Cistercii, quam adducit Caramuel, vt vidimus, *Segm. 13.* quidpiam cõtra hoc valet, quæ simili modo reicienda est, sicut in Præcedentibus, quoad officium B. Mariæ dictum est. Imò, & in his quæ defunctorum onera sunt, maiorem ingerunt difficultatem, ea, quæ talis diffinitio continet quoad Missas Lambertinas, & anniuersariorum, & earum, quæ pro quouis Religioso defuncto dicuntur, & similitum. Nam omnis, in his, materia grauis valde: omnis iniuncta, & imposita, ab habente potestatem obligandi à principio: & (quod magis vrget) in quibus obligatio iustitiæ rigorose, & commutatiuæ interuenit, præcipue in illis, in quibus reciproco onere & lucro soluendæ sunt missæ, tamquam ex pacto, quod pro mea Congregatione, specialiter prosequutus sũ, alibi, *tract. Monast. c. 29. n. 3.* Quod vero attinet ad Cistercium, quid sibi voluerit in ea diffinitione aliter declarante, apud suos, eã obligationem ipsius Capitulares & Patres, sibi viderint. Sicut & in aliis Congregationibus, aut Religionibus.

Quare quod ad meum intentum, restat solum aduertere, circa ea, quæ dicta sunt in Segmentis huius Plicat. 3. de obligatione officii B. MARIE & DEFUNCTORVM, quoad meam Congregationem, intelligenda esse obligare omnes professos ad Chorum destinatos, vtriusque sexus, eo modo quo

V.  
Missæ ordinis quatenus obligent.

III  
recognitionem  
cap. de  
concordia  
diuina  
officij  
anno

IV  
officij  
ab  
defunctorum

VI.  
Quinam tenentur ad officia parua.

di-

III.

Potior & antiquior memoria officij defunctorum.

III.

Grauis obligatio eius.

dictum est, *Segment. 12.* de officio maiori Canonico, in professis nodum sacro ordine initiatis, & propter eadem rationes ibidem assignatas. In aliis Religionibus, aut Congregationibus peculiaria Breuiaria habentibus, iuxta illa & proprias consuetudines, facile erit discernere, quo genere obligationis adstringantur, & quomodo, ad hæ officia parua: applicatis iis, quæ a nobis, pro nostro peculiari Breuiario dicta sunt: & quæ, pro Romano, generaliter tradduntur, prout ex probatissimis Authoribus, & eorum recto discurrendi modo, insinuata sunt: qui modus vno Caramuele repugnante, perturbā-

us non est. Adde autem & dicis, n. 5. & 6. de obligatione Missarum defunctorum in nostris Sacerdotibus, eodem modo tenendum esse de Religiosis nō Sacerdotibus, qui loco missarum, Psalteria quædam recitare tenentur, ad ea sub ipso onere iustitiæ in graui materiæ quantitate, grauius etiam obligari: & eo certius, quo magis constat in æqualitas: dum benignissimum contractum, aut amicæ conuentionis modum deformius violant, si qui Præbiterorū Missas sibi vendicant, & ipsi Psalteria, & orationes inferioris valoris alioqui defraudant.

(? ? ?)



Nn 3

PLI

SEGMENTVM XX.

## PLICATVRA

## QVARTA.

## DE QVIBVSDAM ALIIS

PRO OFFICIO, ET REGVLA  
ANIMADVERSIONIBVS.

**P**RÆCIPVVS obstaculis, & maioribus impedimentis amotis, in tribus præcedentibus, huius additæ Laciniæ Plicaturis, quartã adiungo: in qua breuius, & veluti indicando saltem, necessariũ est, nonnulla animaduerti; ut fiant aspera in vias planas, & rectas seruemus semitas Regule nostræ. Attamen quamquam leuiori brachio, & quasi ad finem opere properante, offendiculorum tædio, opus ipsum leui densæ speciem videatur exhibere: nollem tamen ob id, hanc Plicaturam cartaceam, à hieratica in emporeticam degenerare, de qua idem Plinius, in alijs citatus, lib. 13. cap. 12. dixit: Emporetica inutilis scribendo, inuolucris cartarum fegestriumque, in mercibus vsum præbet. Nam eundem vsum, suo etiam libro, post scriptum, timuit Marcialis, lib. 3. Epigram. 2. Ne thuris piperisque, esset cucullus. Patiuntur & hoc quandoque optimi libri: sed tamen mihi, nunc maior, de rationabili horum, quasi Aduersariorum, postrema cura, quæ sequuntur.

## SEGMENTVM XX.

*De quibus tamen, omittenda sit nobis Animaduersio.*

I.  
*Omittuntur  
plura.*

**N**ON eo inficias, plurima ab Antagonista nostro (si sic licet, diuersimodè à nobis sentientem P. Caramuelũ appellare) erudite, plura acute, multa sententiose & doctrinaliter, moribus etiam opportuna traddi, acumen tamè peculiaris ingenii, & recentioris ætatis ardor, nescio an ad expetitam sæpe singularem nouitatis adorem, quandoq; rapiant, ut curratur velotius, cum eo periculo, *Prouerb. 19. Ut, qui festinus est, pedibus offendat.* Nihilominus etiam si

aliqua, tamquam pro meo defensionis, iure, propellere cogar: simò & pro cõmuni REGVLÆ, Religionisque meæ causa, ne ab ea cadat, propulsare tento, aut fortiores propugnatores inuitare cupio: tamen quam plurima illibata re linquam, à quibus reuerenter abstinẽbo, ac lubens declinabo, vt *Segm. I. n. 2. proposui.*

Quædam quidem, licet erudita, aut doctrinalia (vt dixi) omitto; quia quid- *Redditur ratio de aliquibus.* quid diuersitatis in sentiendo sit, meo assumpto non obstant: & quamuis eius

ge-

generis optima quæque suspiciã, & consentientiat mecum, possem adiungere nostris; tamen careo libenter subfidio, mihi ad probationem suspecto, cuius in præcipuis & cardinalibus operis sententiis, & fundamentis, improbo authoritatem; nec opinabilitate eius, aut iudicio moneor. Quædam etiam omittenda necessarió sunt mihi (fateor) quia ignoro, scilicet Hebraicam, Syriacam, Græcamque linguam non calleo, & ita intra Latii limites, me contineo. De aliis autem tamquam de coloribus coram cæco, poterit quispiam, quoad me, audere quod volet. Erit enim, quod Paulus, 1. Corinth. 14. ait: *Si nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.*

III. *Itē de alijs cum laude.* Alia præterea, mihi perscrutanda nõ sũt, quæ Historica simul & Sripturaria, latè & acuratè disputat, de Monahis & Monialib' sacris, eorũ ve præludiis iniitiis, & progressibus, ab origine mundi, vsque ad CHRISTVM, quia ea omnia nihil nostrum institutum lædunt, potius antiquitatem Monasticam commendant, Hæreticis inuisam, & Catholicis quaqua versus amplectendam: atque ideo, de laboriosa speculatione, potiùs gratulandum Authori. Idem dico de Christiano Monachatu à tempore Christi Domini, & Apostolorum, vsque ad Sanctis. P. N. BENEDICTVM, eiusque REGVLAM, & Religionem: imo & deinceps: vnde quaque defendens, vnitatem Ordinis Benedictini in Cisterciensibus, continuatam & perseverantem, pluribus, & rationibus, & testimoniis insignibus. Quod quidem, & sanctione Monastica, viget in Hispania; & de promiscuo vsu cucullæ nigræ, aut albæ, cū vel ad assistendum choro, vel ad concionandum ea opus fuit, testis sum & expertus, in Cisterciensī meo Superaddi Cœnobio, & in percelebri Compostellano S. Martini, sæpius vicissim, & hospitio recipiens, & receptus, ac multa semper cum benevolentia & honore (quod gratanter refero) tractatus, & etiam alibi.

Ad hæc adhuc aliqua mihi omittenda sunt, quæ ferè non intelligo. Exemplum sit, num. 42. vbi proponit casum: In quo: *Prælati iussit rem grauem sub præcepto, explicans se nolle illo præcepto obligare mortaliter, sed venialiter solum: addit tamen se iubere cum intentione obligandi ad mortale, de quo querit, quomodo maneat obligatus inferior?* Et respondet: *Quod manente subdito in dictamine opinionis, quæ in materia graui non admittit præceptum leuiter obligans, quod dictamen non tenetur mutare, etiam si Prælati intēdat quod subscribant opinioni contrariæ in tali casu: Subditus inobediens, nec mortaliter, nec venialiter, peccare potest.* Non venialiter, quia supponitur materia grauis, in qua esse non potest culpa leuis, iuxta ipsius opinionem: nõ mortaliter, quia ipse explicat mentem suam de veniali. Vnde concludit: *Sactio illa solum maneret consultiua, non præceptiua.*

Hic quæso, alius melius intelligens aduertat casum, & videat quomodo stare queat illa implicatio: *Explicans se nolle obligare mortaliter, addens tamen, se iubere cum intentione obligandi ad mortale.* Nam nolo obligare ad mortale, & volo obligare ad mortale, in mea patria, contradictoria sunt, & additum, quod velit ad veniale, nihil refert, ad contradictionem duplicis actus volendi impossibilis. Deinde resolutio casus alia deberet esse: & malè reducitur ad consilium, contra omnem intentionem præcipientis. Nam etiam stante eo dictamine subditi, supponitur Prælati verè præcipere, & in materia capaci grauis culpæ: Ergo stante veritate præcepti, quibuscumque verbis leniat obligationem, præceptum retinebit propriam & naturalē vim, quæ iuxta ipsum, est obligare grauius in materia graui: præsertim accedente declaratione intentionis, *obligandi ad mortale*, quæ est conformis opinioni subditi, & insuper verba verè præcipientis, etiam si aliàs inepta videantur, intelligenda sunt, vt habeant effectũ, quo

III.  
Quædam in intelligibili-  
lia.

IV  
mortaliter  
subdito

V.  
Explicatur  
in explicatio  
casus.

meliori modo possunt. Vt in simili probaui in *Notis ad capit. 71. num. 19.* & 20. Quæ tamen eiusmodi sunt, nec satis intelligibilia, ne Andabatarum digladiatio sit, relinquenda decreui.

Alia etiam sunt, quæ ostentationem ingenii solum videntur præ se ferre: in quibus, & ingenium desideratur, & utilitas non inuenitur. Exemplum sit, *nu. 1420. vbi art. 2. illius disput. quærit: Vtrū qui, Vespere, Matutinas, & Laudes recitat, duorum dierum obligationi satisfaciat?* In quo, vtramque partem argumētis instruit, & eisdem pro vtraque respondet, neutramque resoluens, ait: *Totius Ecclesiæ praxis fauet parti neganti, & c. cæterum an sit probabilis sententia affirmans, esto aliorum iudicium. Scribent iuniores, nouæ rationes inueniuntur, nouæ resolutiones, & sic olim quæstio decidetur, quæ in presenti vix potest.* Consideret obsecro Religiosus Lector, necessitatem problematis, impotentiam resolutionis, & arrisionem (quæ irrissio forsitam melior esset) probabilitatis, quam pro affirmante sententia, quasi propinat. Sed dum facultatem facit iunioribus scriptoribus ferendi iudicium, ego licet ætate senior in scribendo alia, tamen quoad ista iunior & nouior, cui propter eius causam, hanc occupationem pessimam, seu laborem improbum referandi alios, dedit mihi Dominus; resolutionem breuissimè dicam.

Igitur in hoc biuio, parum hærendū est: sed omninò præferenda pars negatiua, cum sana praxi, sensu, & consuetudine totius Ecclesiæ, ita vt opposita pars, ne vestigium quidem probabilitatis habeat, imò, neque quæstionem apud aliquem, quæ solum, apud Caramuelem, vidit, *Vtrum?* Ratio est notissima: quia præceptum obligatorium, & ad implendum de officio Canonico, nunquam cadit præcisse, nisi tantum in

vnum diem, computatum per 24. horarum spacium à media nocte in mediā noctem, in quo transgressio, seu ommissio, peccaminosa est. Quod verò à vespere pridie, possit recitari illud nocturnale officium, satisfactorium & impletium præcepti, quod præcisse non obligat, nisi pro sequente die; permissio est & indultum Ecclesiæ, quæ, certis rationibus, admittit eam cōsuetudinem, non accumulans, aut penetratiue ponens obligationem duplicem, in vno die, sed acceptans anticipatam solutionem. Quæ eo ipso, quod anticipata est, non satisfacit pro illo die in quo reuerat fit, & in quo reuera non currebat præcisse obligatio: sed pro eo, ad quem anticipatur. Alioqui, dies proprius, cuius est legitimum debitum, ex ea parte, sine satisfactione maneret.

Neque argutiæ in contrarium, quæ ad intentum, aut falsitate, aut fallatia laborant, ea sunt, in quibus infumendū sit tempus, ad iudicandum de casu, qui omni sano capiti citra dubium semper fuit. Atque hæc & similia superuacua, & solum proficua ad perturbandā pacificam possessionem iustæ, certæ, & indubitatæ obligationis diuini officii, nullo alio lucro, quàm contentiosæ & inutilis velitationis: certè relinquenda sunt. Erant quidem alia quæ discussione & cognitione sunt digna, sed si cūcta connexa cum statu regulari, in vno Regulæ commentariolo essent tractanda, in immensum cresceret volumen, & ideò in proprias materiarum Classes sunt remittenda. Quare interim solum aliqua animaduertam, quæ nocuentū inferre Regulæ; & doctrinæ solidiori, ac receptiori obstare videntur, ne iuxta explicatam sinceriter, in *Notis*, sine præhabita notitia, aut preuenta cautione aduersari, aliquid mali patiantur.

SEG.

VII.

Ostentatio  
inutilis relin-  
quenda.

VIII.

Soluitur no-  
dus.

IX.

A superua-  
cuis ad nece-  
saria trans-  
eundum.

## SEGMENTVM XXI.

*De attentione necessaria ad officium diuinum.*I.  
*reformatas  
sententia.*

**D**E hac re, plures licet insuda-  
uerint, mihi prætermittenda animaduersio non est, quam ad *capit. 19. in Notis Reg. num. 1.* promissi in recentem nostræ REGVLÆ Commentatorem, qui non contentus ab ipsa Regula, iniuste auferre debitam obseruationis obligationem, etiam ex hoc sublato requisito attentionis, non solum *Operi Dei*, seu officio diuino, quæ præcipua REGVLÆ cura & obseruatio est, machinatur ruinam: sed & vniuersalis Ecclesiæ Canonico officio, præiudicium ingerit. Ita sane, vt non sit veritus verè doctus & Religiosus vir, Franciscus Suarez, *tom. 2. de Relig. lib. 4. de hor. Canon. capit. 26. num. 15.* asserere, talem doctrinam, eiusque fundamentum, esse: *Contra totius Ecclesiæ consuetudinem, & contra omnem rationem, & pietatem.* In qua doctrina, non solum est Caramuel, sed & illam, vltra censuram promouet & auget, dum, *num. 61.* ait: *Probabilius est nõ requiri in officij diuini lectioe attentionem intrinsecam: in cuius consequentiam, num. 1374. in eadem sententia, inquit: Ideò qui contemplans ideam Amasie, officium recitat, peccat contra sextum Decalogi præceptum, & nullo modo, contra diuini officij obligationem.* Et addit fundamenta, & absurda, quæ insinuabo in sequentibus.

IV  
II.  
*Vel in modo  
egre ferèda.*

Interim autè, haud ferè possum, *probabilior* dici sententiam, quæ secludit attentionem ab obligatione graui officij diuini, quod infra euidenter probabo. Nec fero recitationem vocari *lectionem*, quatenus legere, viderur sonare minus quam *orare*. Quia vera diuini officij functio, ita est lectio, vt siue memoriter siue per librum fiat, debeat esse oratio vocalis, quam *recitare* appellamus, eo sensu quo Hispanè dicimus *Rezar.* Et horæ Canonice orationes

sunt, quod ex sacris literis, sanctis, ac iure constat, & maxime ex ipsa B. Benedicti Regula, de qua ipse citatus Suarez, *vbi sup. num. 14.* ait & vere: hæc officia, esse officia orandi, explicari latissimè, per totam Regulam, quod vel duo illius, *cap. 19. & 20.* post ordinationem officij, manifestant. Et quocumque modo, minus ferendum est, exemplum contemplationis Amasie: quod etiam si vera esset opinio, propter pietatem saltè suppressendum erat viro Religioso, vel ex eo, ne defectus deuotionis & decencie appareret, in tam præpostero obsequij diuini modo, vt obligatio debite soluendi, ac faciendi diuini Operis, cū turpi & libidinosa cogitatione cohæreat. O bellum commentatorem S. Benedicti ad *Cap. De disciplina psallendi*, vbi præsentiam Dei & Angelorum ingerit! & ad *Cap. de reuerentia orationis*, quam maiorem omnimodis debere esse, quam cum hominibus cuiuscumque dignitatis loquimur! & utroque modo quam aptè conueniat, vt contemplatio Amasie, nullo modo, lædat moraliter illud: *& sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostre.* Quis quæso ista æquanimiter ferat?

Sed ad primum reuertens, ostendā quam falso attribuat maiorem probabilitatem suæ potius improbandæ sententiæ, idque de vtraque probabilitate: & in presenti, prius agam de extrinseca, ab authoritate. Ab ea autem procedens Diana, *tract. de Horis Canon. Resol. 2.* resumpto etiam animo, ad deponendum timorem, non ausus est dicere nisi tantum, *probabilem*, nec amplius potuit dicere, in præsentia triginta & septem Authorum, quos expresse citat, pro nostra & vera sententia: atque de aliis adductis pro sua & Caramuelis, qui eisdem vritur, & quoad paucitatem, & modum, fiet infra iudicium. Accedunt

III.  
*Probabilior  
de attentione  
Veritas ab  
authoritate.*

dunt

dunt vero ad supradictum numerum Authorum alii citati à Bonacina, *to. 1. de hor. Canon. disput. 1. quæst. 3. pun. 2. §. 2. num. 4.* Filius, Giralduus, Layman, superioribus addendi, & *quæst. 5. pun. 2. num. 17.* firmans sententiam etiam in ordine ad obligationem restitutionis beneficiatorum; ita vt sine attentione dicat, & benè, *perinde esse, ac si non recitasset,* cum Barbofa & aliis. Adde insuper ad prædictos, etiam excessum authoritatis illorū, quos ipse Caramuel, *num. 56. loco miraculi recensuisse,* ait, scilicet Lorcam, Suarez, Vazquez, &c. qui pro nostra sententia sunt accerrimi, & de quibus *num. 53.* dixerat: *Hos literarum Principes nullius iniuria nominauerim, si alios æquales ipse videris, illis adnumera, & sine scrupulo illos sequitor, contra quoslibet alios Dectores, quia iuniorum plures, ex his transcribunt, quæ nomine diuulgant proprio.* Vnde eisdem annumerare est Angelum Manriquium, quem inter alios digne celebrat, & quales alios poterit æquus estimator adiungere, vt & numero & qualitate crescat pondus authoritatis, etiam ipso teste, & confitente.

## III.

*Authores oppositi & modus eorū.*

Cōducit tamen ad idem, videre quibus, & qualiter, oppositæ sententiæ fautor, suam probabilitatem tueatur: & quidem pro se, *num. 1387.* adducit Authores numero decem. Angelum, Antoninum, Durandum, Egidium Coninch. Dianam, Henriquez, Valerum, Layman, Medinam, Victorelum, Adde Lessium, quem etiam Diana citat, & ex eo deprehendes, simul & ex Laimā, quo gestu, alii consentiant, vt sunt Henriquez, Medina, & alii ex relatis. Nam Lessius, *lib. 2. de iust. & iur. capit. 37. num. 63. cum seqq.* optimis rationibus assertor est firmus nostræ partis, solum, reuerentia aliquorum Authorum: non denegata eis probabilitate; quod quādoque fere gratis, solet, cum omnimoda oppositi approbatione concedi. At verò Layman, *lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 10.* in hæc verba sentit: *Hæc sententia non caret omni probabilitate, & saltem ad id Confessario inseruiet, vt beneficiatis*

*horas Canonicas, sine vlla attentione interna per solventibus, fructum restitutionem non imperet.* Itaque hi, & similes, qui citantur pro ea sententia, non est, quia eam teneant tanquam propriam & approbatam à se, sed tanquam alienam & longe incertiore: Quam tamen cum vtrumque, etiam liberales, probabilem nominent, qui probabilitates aucupantur, arripientes verbum de ore Authoris, eo contenti sunt, vt probabilem pronūtiat, vt sæpe benignus Diana, & alii, de sua benignitate plus nimio participantes, vt noster Caramuel.

Sed procedo in attentione authoritatis illius. Nam vterius, ex illis Authoribus, computari non debent, qui ambigū & confusse loquuntur, quales sunt Durandus, Paludanus, Antoninus, & si vis, Siluester, quem addo ad rem cum Superioribus, quos, vt benè obseruauit etiam Salas, *tom. de leg. disp. 9. sect. 1. num. 24.* & legenti constabit, inuenies ferè confundentes intentionem, cum attentiones; qui dū illam sub mortali requirunt, & adiungunt alia, quæ propria sunt attentionis, hanc non minus cēsantur asserere. Vnde & pro ea, pariter citantur: Vt expresse Paludanus ab Adriano, *quæst. 8.* & à Francisco Suarez alii, cum Caietano & Nauarro, qui expressi sunt in nostra sententia, *to. 2. de Relig. lib. 4. de Horis Canon. cap. 26. num. 17.* Quæ quidem ambigua & obscura authoritas, omnem certitudinis eneruat fidem, ne probabilitatem conferat alicuius præti.

Solū igitur restare videtur authoritas Egidii Coninch. cuius fundamentum de impossibilitate præcepti actū internorum, commune est fere omnibus contrarie oppinantibus, excepto I. Medicina, *C. de orat. q. 16.* qui præssus difficultate, diuerticula alia quæsiuit, quæ Salas & Suarez citati & alii, satis occlusere. Et quidem de fundamento ipso tangam inferius, nunc enim solum ago de probabilitate extrinseca, de qua ipse Egidius, *de Sacram. quæst. 83. artic. 6. num. 291.* fatetur solum præferre

## V.

*Plures ambigui.*

## VII

*hæc illud*

ferre eam sententiam cæteris, propter authoritatem D. Thomæ ab eo citati, 2.2. *quest.* 100. *art.* 13. vbi loco inspecto, nihil habet Angelicus Doctor, contra sententiam, tenentem, posse præcipi actum internum, concomitantem & componētem externum. Potius id notat ibidem Caietanus, qui nostram tueretur sententiam, eam eo loci locum habere, pro qua citantur alia loca eiusdē D. Thomæ, & cuius esse, asserit Laimā, supra adductus, citans ipsum in 4. d. 15. *quest.* 4. *artic.* 2. ad 2. cum aliis quos ipse sequitur. Vnde nullus Angelici Doctoris respectus intererats quo semoto, ex verbis ipsius Egidii computandus veniebat, inter ingentem illam multitudinem Authorum, nostræ sententiæ.

Sed tamen fuerit voluntaria electio eius, & approbatio vnus Egidii remanebit authoritas, quæ licet mihi nullatenus inciuiliter parui pendenda, sed tamen cum delectu inspicienda, nec æstimanda tanti, quanti tam copiosus Doctorum numerus, tantæque autho-

ritatis: vt quamuis fieret accessio aliorum, quos vel solum pro permissua probabilitate allegatos, vel in Doctrina ambiguos & incertos, aduocat loā. Caramuel, nulla possit esse comparatio. Nec potest, non esse verum illud, quod Christus Dominus, (*Luce* 14.) prudentiæ documentum parabolizat de Rege, qui iturus committere bellum aduersus alium Regem, sedens, prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se. Quod si superior declaratur virtus, victoriæque, in viginti, respectu decem; quid in triginta? quid in quadraginta & amplius, vt infr. *Segment.* 22. *num.* 4. cogitare debet sedens? Quid inspecto robore impugnantium, contra quoslibet alios Doctores, ex confessione ipsius? Quid cū sint omnes, per ipsam orationis animam, scilicet attentionem diuini officii, inuocantes in nomine Domini? Vtique, vt ipsi, cum obligati sint ad idem, reluctantes cadant, nos autem surgamus & erecti simus.

## SEGMENTVM XXII.

*Probatur Alterius etiam ab intrinseco, eadem attentio.*

I.  
Quædā sup.  
ponenda.



IN hac igitur attētionē, quæ esse necessariam sub mortali horis Canonicis adimplendis defendimus; supponendum est intelligi, salua paruitate materiæ, cuius quātitas excuset à mortali: dum pro paruitate non assignetur hora integra Canonica, quantumuis parua: Quod non dico, vt liquido determinem quantitatem, quæ & si ad totum diei officium, per vnum præceptū extendatur, tamen respectu distinctionis horarum, qualibet deficiente, notabiliter mutilum & truncatum iudicatur officium, ad cuius horam orationis nonam, quæ ex minimis est, tam sedulo ascendebant in templum Apostoli, *Act.* 3. Sed id dico, vt discedam ab illis opinionum monstruis, relatis à Cara-

muele *disput.* 102. à *num.* 1329. de vna obligatione & peccato officii diuini omitti, vel ad vitam, vel ad annum, vel ad hebdomadam, & distem ab ipso etiam Caramuele, & aliis assignantibus liberius paruitatem materiæ, vt notauit de eo, *sup.* *Segment.* 4. *num.* 4. adhuc in diario officio. Ego enim adhærens REGVLÆ, octo horas Canonicas numero, vt tenui in *Notis ad cap.* 16. n. 1. vbi *Vigilias à Laudibus*, tamquam noctem à die distingui: si quidem *Vigilias* nocturno, laudes diurno tempore deputat, illas tenebris, has luci diei. Atque perinde quoad obligationem grauem, reputandas censeo tamquam duplex hora, vt quælibet integritatem, in adimplerione petat, & quælibet, cum dicto respectu distinctionis horarum, par-

Paruitas in  
officio.

paruitatem admittat in consideratione totius dialis officii.

II.  
Suppositio  
altera.

Suppono etiam, ut cumque ea prudens taxatio paruitatis fiat, quantum ad quantitatem præceptam: attentionem, quam sub mortali requirimus, esse interiorem, mentis scilicet, adiunctam voci, iuxta triplicem attentionem, vel ad literam, vel ad sensum verborum, vel ad Deum, ut sufficiat quælibet sine exclusione aliarum: & satis sit virtualis, quando actualis inuoluntariè deest. Nam impedimentum & occupatio impossibilis cum attentione interna, etiam si per distractionem inuoluntariam, exterius apponantur, in omni sententia vitiat adimpletionem officii, & fatentur (ut videbimus) contrarii. Cætera verò omnia supradicta cum D. Thom. 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 13. & Caietano ibi & aliis, communiter, & piè, & verè recepta sunt, & eo pacto procedit sententia nostra.

III.  
Ex fundamentò  
to à fortiori  
plurium pro-  
batur.

In hac igitur exigentia, & necessitate attentionis, ad implendum præceptum diuini officii, & obligationem eorum, qui ad illud tenentur: in primis conueniunt omnes, qui sentiunt actum mere internum posse directè præcipi. Nam licet id totum, non sit necessarium ad nostram sententiam: sed eam, à fortiori, amplectuntur & sustinent. Huiusmodi sunt Adrianus *quodlib.* 8. qui & citato pro se Petro de Palude, loquens in terminis quæstionis, satisfacit obiectionibus. Item tenent idem fundamentum plures, quos citat Salas *de legibus, disp.* 9. *sect.* 1. *num.* 1. quorum plures Canonistæ sunt, Baldus, Roxas, Catarenus, Cornelius, Tiracquelus, Azeuedo, Ancarranus, Panormitanus, &c. alii etiam Theologi, Albertus Pighius, Rosella, I. Medina, Corduba, Maior, & alii, quorum citationes, & loca, apud ipsum Salas inuenies, sicut & alias quæ in simili omitto, expresso solo Authore, cæteros citante. Hæc enim potius indicando, quam extendendo percurro, & vitandæ prolixitatis causa. Nec dissentit ab eisdem Paulus Laiman citatus sup. qui ait id absolute

negari non posse, licet non sit veritatum nec conueniens, internos actus, ut sic, directè præcipi, quod & alii fatentur, & Nos.

Præterea, pro nostra sententia, propriè, & in terminis illius, sunt omnes illi, qui tenent, posse præcipi actum internum indirectè, ut coniunctum, & complementem, aut connexum cum externo, prout in oratione vocali, de attentione cum voce inuenitur. Hi sunt ferè innumeri, nam præter relatos *supr. Segment. præced. num.* 3. Ex Diana & Bonacina, possunt ex Salas nuper adducto, adiungi alii quindecim, distincti ab aliis: atque Laiman etiam addit Garfiam & alios, quibus fere ad sexaginta peruenit numerus, ut & excessus probabilitatis extrinsecæ ab autoritate, quam *in fine præced. segment.* notabam, crementum capiat, ne dum intrinsecè à rationibus & fundamentis, quam in præsentem prosequimur.

Prædictum autem fundamentum, quam solidum sit & acceptandum, cogit Suarium, eiusque cum modestia zelum, illa verba proferre, quæ dedi *supr. Segment. 21. num.* 1. Cogunt & absurda ex opposito sequentia: ut auferatur non solum præceptum audiendi Missam, quod non nisi humano aduertenti & attento modo fit: sed & præceptum confitendi, aut ministrandi & recipiendi Sacramenta quæ in verbis, sine interno actu ad externum pertinente, non constant. Cogunt similia exempla præceptorum, quorum aliqua Sedis Apostolicæ, prohibitionem habent, illatis, ipso facto, pœnis, quibus ab omnibus iudicantur comprehensi, ut in sequentibus tangam. Cogit demum, & absurdum præsens, quod nulla oratio, sit præceptibilis ab Ecclesia, si quidem, secluso interno actu, nulla existit oratio in esse talis.

Suadens oppositum Caramuel, *nu.* 1375. sic conficit vnum ex fundamentis suis: *Apud omnes oratio diuiditur in mentalem & vocalem, atque rationes differentiales non sunt communes, ergo oratio vocalis non requirit aliquam attentio-*

III.  
Itè ex pro-  
prio funda-  
mento.

IV  
v. oratio  
us supram  
m. m. m.

V.  
Fulcitur ab  
incommodis

I  
quæst. sup.  
ab. m. m.

VI  
m. m. m.

VI.  
Oppositum  
fundamentum

VI  
m. m. m.

*nem mentalem, quia alias à mentali nul-  
latenus distingueretur. Patet consequen-  
tia, quia mentalis oratio potest omnino  
fieri sine voce, oratio autem quæ voce  
& mente concipitur, non vocalis pura,  
sed mixta est.* En argutiam, de qua di-  
cere fit, nemo vos seducat per Philo-  
sophiam & inanem gloriam, aqua inani-  
tate & fallatia cauendum, iubet Apo-  
stolus, *Colos. 2.* Nempe eo deuenit Au-  
thor hic, vt inferendum sit, orationem  
vocalem, sola & mera voce constitui,  
velut es sonans, aut cymbalum tinniens,  
aut sicut picæ, vel psitaci voces. Quis  
non rideat, à nullo mortalium huc vs-  
que dictum! & quis non doleat, homi-  
nis orationem & colluquutionem cū  
Deo, tintinabulis & Turdis parificari?  
Interrogarem, ego hominem, qui ora-  
tionem per differentias incommuni-  
cabiles diuidit, an genericam rationē  
determinet ad suas species? Quo con-  
cesso, vt tenetur, inquirā vterius; quo-  
modo ratio generica, quæ per ipsum  
est oratio abstrahat à mentali & voca-  
li, & inueniet nullo modo abstrahi pos-  
se, quod necessarium erat, vt esset ge-  
nus diuisibile per illas, quas vocat diffe-  
rentias. Et rursus, si oratio mentalis,  
& vocalis, sunt species, per illas meras,  
& non communes differentias consti-  
tuta: Ergo in qualibet inuenienda est  
ratio generica, scilicet, oratio, sed absq;  
mentē vox non est oratio: remanet er-  
go species sine ratione generica. Quā  
metaphisicam, seu potius rudimenta  
logicalia, ego censeo Louanii non do-  
ceri.

VII.  
Retunditur  
amplius.

Sunt autem omnia illa absurda, &  
fallacia: Quia secundum conceptus in-  
adæquatos, quales sunt differentiales:  
dantur differentia communes in spe-  
ciebus contentis sub genere, non vlti-  
mo determinabili, ad speciem vltimā:  
aut determinabili, per duplicem diffe-  
rentiam. Exemplum prioris constat in  
prædicamento substantiæ, contrahibili-  
lis per differentias, communes specie-  
bus subalternis, in quas diuiditur ge-  
nus. Atque si id locum haberet in ora-  
tione, vt esset genus ad mentalem &

vocalem, similis posset esse subdiuisio  
per illas differentias communes: vt vo-  
calis, ad priuatam, & publicam, &c.  
mētalis ad eas quatuor Pauli 2. ad Tim.  
2. numerantis, *precaiones, orationes, po-  
stulationes, gratiarum actiones.* Exem-  
plum posterioris, vt in prædicamento  
quantitatis, cuius coordinatio & diui-  
sio fit, tum per differentias, continui &  
discreti, tum permanentis & successiui,  
& communicando in duplici differē-  
tia, constituuntur species sub eo gene-  
re, iuxta aliquos Authores Philosophi-  
cos. Quæ prolixius enucleare superua-  
caneum est: cum neutrum exemplum,  
in rigore, possit adaptari orationi, quæ  
genus proprie non est in ea diuisio-  
ne.

Magis verò accedere posset simili-  
tudo, Phisice consideratis speciebus cō-  
tinuæ quantitatis, quæ constituuntur  
per tres dimensiones, longitudinis lati-  
tudinis & profunditatis: in linea, super-  
ficie, & corpore. Quæ tamen ita Phi-  
sicè sunt species, vt se non excludant:  
potius per additionem distinctę dimē-  
sionis coalescant. Quatenus extensio  
puncti, in lineam; lineæ dilatatio, in su-  
perficiem: superficiem profundatio, in  
corpus euadit. Quo pacto oratio po-  
test esse alia mentalis, quæ solo inte-  
riori actu cōtinetur, & alia vocalis, quæ  
non excludit interiorē, sed adiungit  
actum externum: qui, in gubernatione  
visibili fidelium, necessarius est. Sic e-  
nim *Rom. 10.* requirit Apostolus, *Corde  
creditur ad iustitiam, scilicet mēte, ini-  
tiatiuē: & addit, ore autem confessio fit  
ad salutem,* adiungendo scilicet vocem  
confessionis non secludendo mentem,  
sine quā fides non esset. Et sicut fides  
interna & externa, seu fides cordis &  
oris, quæ vera fides est, non est diuisio  
duorum excludentium se: sed fidei cor-  
dis, quæ interius completur, parata ta-  
men suo tempore exterius confiteri: &  
fidei oris, quæ per adiectionem externę  
vocis fit: ita & in oratione.

Quapropter explodendus est talis  
abusus sophismatum, in rebus quæ so-  
lidis & veris rationibus docendæ sunt,

VIII.  
Explicatur  
confutatio.

IX.  
Responsio in  
forma.

in bonum & ædificationem fidelium, & Religioforum; quorum plures simplicitati etiam columbinę assueti, huiusmodi captiunculis, velut vmbra circumvolantis milui, perturbantur. Nam ad verba sophismatis, est notoria responsio ex dictis: *Oratio diuiditur in mentalem & vocalem*: distinguo: tamquam in duas species sub genere excludentes se, per differentias vltimas incommunicabiles, negatur: tãquam in duas differentias, aut status, aut modos eiusdę orationis, occultę, & manifestę; inuisibilis, & sensibilis, interioris, & exterioris, aut (quod est idem) mentalis & vocalis, conceditur. Sic enim etiam peccatum diuiditur, in cordis, oris, & operis: & diffinitur, quod sit factum, dictum & concupitum, contra legem Dei, ex

*Illustratur exemplo.*

Augustino, lib. 22. *Contra Faust. cap. 27.* & aliis, cum tamen solum cõcupitum consumetur interius; attamen non excluditur a dicto, vel facto, quę sine interna voluntate peccata non essent: sicut nec verba somniantis, aut interius non attendentis, essent illius oratio. Unde cessant omnia quę assumit, & infert & subinfert, subsumens falsissimum dogma, quod sicut oratio mentalis potest omnino fieri sine voce, ita vocalis omnino sine mente. Quod qui concederet, satis sine mente esset, & contra mentem ipsiusmet Authoris, si plura recolat, quę de oratione dicit à num. 1090. & 1098. & disp. 72. à num. 1104. & id optabilius in tali fundamento doctrinę, vt non sibi constet, quò melius veritas constet.

### SEGMENTVM XXIII.

*Proceditur in eadem probatione, & refutatione.*

I.  
*Probatio præcipua.*



*Cõfirmatio I*

**Q**VIN & procedendo in eadem probatione, ex dictis sumitur apud doctissimos viros efficacissima. Quia præceptum de officio diuino, est de tali oratione: sed sine interna mentis attentione explicata, oratio non est: Ergo non ad impletur opus præceptum. Cõfirmatur. Primò: Ex iisdem Authoribus, qui præcipue defendunt probabilitatem contrariam, ipsi enim (vt tetigi supra) dicunt attentionem non esse necessariam, ad impletionem officii diuini; tamen affirmant esse sub mortali necessariam intentionem; sed intentio pariter est actus internus, ergo incidunt in eandę sententiam, quã videtur, negare. Quod si de affirmatione intentionis falluntur, nec de negatione attentionis fidẽ faciunt. Et si intentio, non de impletionem præcepti, quę forte non præcipitur, vt sic, sed de animo orandi sit; in idem redit. Cõfirmatur. Secundò, ex eisdem, concedentibus esse morta-

le, si quis extrinsece apponit impedimentum, aut exercitium incompatible cum attentione: Ergo si prohibetur distractio exterior propter internam sub mortali, non minus prohibita erit interior. Patet consequentia. Quia propter quod vnum quodque tale & illud magis, vt tenet notum axioma. Cõfirmatur. Tertio: Ex eisdem, affirmantibus, & verè, quod qui pingit, aut scribit, dũ recitat officium, peccat mortaliter in præceptũ, quia volũtariè exercet opus incõpatibile cũ attentione: sed qui volũtariè distrahitur in aliis rebus, etiam si honestiores sint, quàm obiectum Amasię, eodem modo ponit impedimentũ, & opus incõpatibile cũ attẽtione officij, ergo eodẽ modo peccabit. Etenim prohibitio nõ euagandi, præceptio est attendendi, cum in contradictorio oppositis medium non sit. Cõfirmatur. Quarto: Quia oratio etiam non præcepta, ex sua natura, in communi omnium sententia, obligat ad attentionem in conscientia, &

3

.IIV

4

& sub culpa faltem veniali. Quod ipsa ratio dicitur, cum sit ascensio quadam mentis in Deum, & siue eum laudans, siue exorans, constituat Religiosum hominis cultum ad Deum, quod facere distractè, & alienate indecens & offensiuum iudicatur, sacrae Scripturae & Sanctorum testimoniis: Ergo potiori iure obligabit per praecipuum, & determinationem Ecclesiae quam posse facere constat, vt de aliis Religiosis actionibus, quae similiter imperantur.

II.  
Absurdum  
adiectum à  
Caram. re-  
torquetur.

Attamen tantam vult Caramuel conciliare probabilitatem suae sententiae, & pro ea captare benevolentiam, vt in citato num. 61. non solum probabilior (quod euidenter confregimus) dixeris, sed magis tutam praedicauerit, ait enim, ibi: *Facilius esse operari iuxta opinionem benigniorem, & vix poterit sine peccatis venialibus satisfacere officio diuino, qui sentit, attentionem intrinsecam requiri: ergo haec sententia per accidens est minus tuta, quia est obnoxia pluribus leuibus culpis, à quibus sunt immunes qui sequuntur contrariam.* Haec ille, in quibus aduertè quæso & lauda, si libet, zelum excusandi leues culpas: Sed vide, si sit secundum scientiam. Nam vt excuset culpas, quibus obnoxia videtur oratio cum attentione, per accidens eligit orationem, sine attentione habentem culpas inexcusabiles per se, etiam seclulo praecipuo, vt nuper in 4. Confirmatione dicebamus. Næc cæcus hanc electionem faceret. Et quidem, licet imperfectionibus semper simus, ex fragilitate, obnoxij, nec omnes leues vitare possimus: nihilominus, sicut in aliis, ita & in officio diuino, inuoluntarius in distractione actuali, non peccat, & fructum meriti capit: at verò voluntarius in diuagatione orando, certo peccat, nec inde meretur, quia substantia ipsa operis, est peccaminosa & culpabilis. Vide ergo pulchrum opinionis tuam, vt quis se illi tamquam tutiori credat.

Non ruit semel & iterum hic Author, dum iter deuium & praecipuum intrauit, nam num. 1375. post illam male intellectam diuisionem orationis, instrumentalem & vocalem, adiungit aliam probationem & fundamentum ipsius proprium. Scilicet: Quod quis recitans in Choro, vel cum socio, solum tenetur pronuntiare suum versum, versum vero alterius Chori, vel socii, cum quo recitat, nec attendere, nec auscultare tenetur, & idem defendit rursus, num. 1383. in fine conclus. 5. Tertio quoque verbo inuenies, eiusmodi scandala, seu offendicula, quapropter singula persequi, contentiosa tantum capitatis contusio est, faciusque foret talia contemni, nisi in eis, patientiam silentii damnaret, illud. Isai. 6. *Vx mihi quia tacui.* Istud namque Caramuelis pronuntiatum, non est aliud, quam absolueret recitantem à medietate officii, cum ad integrum quisque sit obligatus: à quo non eo modo liberat alternatio. Nam haec ex communi consensu Ecclesiae, & eius consuetudine, non aliter introducta est in Choro, & inde ad socium in priuata recitatione officii, nisi communicando recitationem mutuam, reciproco pronuntiationis & auditionis ministerio, vt ex utroque, in alterutro est integritas officij. Sic Concilium Basiliense, sess. 21. §. 4. ibi: *sine soli, sine associati, &c.* Et sicut peccaret mortaliter, qui solus recitans, medietatem versuum prorsus omitteret; ita (quod perinde est) qui eadem dicenda, vel ab alio Choro, in publico officio, vel à socio, in priuato, nec attenderet, nec auscultaret. A quo communi omnium docentium, & practantium tramite, vnum deuialse Caramuelum inuenio, & secundum non habeo, nec habuit primum Suarez, tom. 2. de Relig. lib. 4. de Hor. cap. 25. num. 3.

III.  
Aliud simile  
reperitur.

Alternatio  
recitandi offi-  
cium.

Vtitur autem ipse, num. 1374. ad interitum, quod impugnamus, eo argumento, scilicet: Nemo potest praecipere, quod non potest punire, sed non potest punire occulta, ergo nec praecipere, probat-

III.  
Obiectio op-  
posita solui-  
tur.

que minorem, ex communi axiomate: De occultis non iudicat Ecclesia. Hoc quidē vocatur ab Adriano, *quodlib. 8.* debile fundamentum, & ex Palud. respondet distinguendo maiorem & concedit illam, loquendo de potestate puniēdi, ex defectu iurisdictionis, nam qui non habet iurisdictionem, vt puniat, neque præcipere poterit. Negat verò illam, loquendo de potestate puniendi, ex defectu probationis; nam hunc defectum sæpissimè habent ipsa opera externa, quæ occultissima esse solent: ob quod etiam si præcipiantur benè, non tamen possunt puniri, sed relinquenda sunt, cum pluribus, diuino iudicio, cui nihil est occultum, nec indiget humana probatione. Ita hæresis extrinsecus prolata, præcepto & pœnæ excommunicationis subditur: vbi sine intentiori actu, solus exterior, sicut hæresis non est, ita nec cadit sub prohibitione & pœna, & alia plura exempla irrefragabilia. Vnde illa minor argumenti: *Sed non potest punire occulta*: Iudicialiter procedendo, donec, vel ad processum, deficit requisitum fundamentum, vel ad condemnationem probatio, concedo: Tamen potest punire, pœnis afficiendo, vt in exemplo posito & aliis, & ad probationem minoris, respondetur eadem distinctione, qua tota eneruatur argumentatio. Eo magis, quod Nos non in fundamento Adriani, de quo *sup. Segm. 22. n. 3.* sed in nostro versamur.

V.  
Sugillatio  
Glossæ defen-  
ditur.

Restat quod *num. 1376.* explicans in suum sensum. *Cap. dolentes, de celebrat. Miss.* quod est ex Concilio Lateranensi: sub Innocen. III. ait iste Author, his verbis: *Quod si glossographus, agat de alia attentione, dicimus non assequutum animā rextus, nec literæ rigorem explicasse. Ipse est vnicus Author, & non impedit, quominus alij aliter glossare possint. Quæ verba & solutionē sibi applicet, ad plura, in quibus ipse singularis est & solus. De quo, in præsentī, nō potest sugillari glossæ Author: nam dum est recepta communiter à pluribus, tot sunt*

glossographi, quot eam veram, & ad mentem Concilii iudicant, & iuxta necessariam officij diuini rationem, vt oratio sit, & cætera quæ sententiæ nostræ patrocinantur. Ipsaque extrinseca studiositas, extrinsece prolotionis & recitationis, quam ipse cum aliis fugere non potest, cū actus humanus sit, impossibile est, quin fiat ex aduertētia aliqua & attentione, quæ etiam vel actualis, vel virtualis sit, profecta ab aliqua intentione orandi, recitandi, & efficiendi tale opus morale. Ac deniq. inter glossographos, admitti debet ab omnibus, Benedictinis Regulam seruantibus, ipsius Author & vniuersalis Pater Benedictus, qui pro toto diuino officio à se instituto, sensum attentionis requisitæ explicat citato *Capit. 19.* & repetitis à me verbis: *Sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ*: Quo pacto iniunctum, & intellectum & consuetū ante Concilium Lateranense, inde Ecclesiæ adiuncto præcepto, eodem sensu & consuetudine obligatio continuata est, prout ad dictum, *cap. 19. in Notis, n. 1.* indicatum est. Atq. fuit etiam indictū Synodo Sexta generali in Trullo, *Can. 75. ibi: Cum magna attentione, & compunctione psalmodias, &c.* plus 500. annis ante Lateranense: Quod etiam diuinum præceptum censeat Vazquez citandus *infra Segment. sequenti, n. 4.*

Quapropter in hac re, & à probabilitate extrinseca, & ab intrinseca, bene inspecta, sententia exigens sub mortali, ad implendum officium diuinum ab obligatis ad illud, attentionem internam, ab initio declaratam, non solum longe probabilior est iudicanda, sed omninō vera: & opposita non *sine metu*, quidquid eo modo audeat (bona venia) Diana; sed cum plurimo metu adimplerionis moralis præcepti, cauenda. Præter obligationem restituendi, quam incurrun, iuxta probatissimos Authores, ij qui ex omissione diuini officij, tali oneri restituendi sunt obnoxii. De quo, cum in præsentiarum, Monasti-

VI.  
Recapitulatio  
quæstionis.

cas & regulares obligations tractent, à quibus restitutionis onus abest; nihil ulterius urgeo expressè, nisi quantum

ex dictis elici potest, quod ego nec deo, nec possum auferre.

## SEGMENTVM XXIV.

*De alijs circa diuinum officium animaduersionibus*

I.  
*Animad-  
uersio gene-  
ralis.*

**N**ONDVM euadimus terminos diuini officij, nec circa illud meæ animaduersiones satis erūt in ijs, quæ, de eo mouet præfatus Ioann. Caramue- lus, nisi quis, per se, aduertenter legat opus eius, aut aduertenter non legat: vt se, à molestia discutiendarum propositionum illius, omnino liberet: quas non solum à disput. 99. vsque ad 118. sed & alibi spargit. Quas nec ego integro numero colligere promitto, licet aliquas cursim vellicando, si non auellam, decapitabo saltem. Nam quod num. 702. cum sequentibus. Sæpe repetit: Monachum recitantem extra chorum, tunc peccare mortaliter, vel etiã intra chorum, omittendo officium diuinum, si Prælati id præcipiat, excepta paruitate: totum hoc procedit in sententia illa iam reprobata, nihil esse præceptum ex Regula, sed præceptibile; vt ad obligationem, necessaria sit actualis iniunctio Prælati; quod latè impugnatum & auulsum est, in hac *Lacinia Plicat. I. per totam*, ultra adducta in *Introduct. art. 4. &c.*

II.  
*De Sacerdo-  
te iusso reci-  
tare. Redar-  
guitur.*

Circa idem autem, num. 704. hæc habet. Prælati præcipiente alicui sacerdoti legere officium diuinum, tenebitur duplici titulo obedientiæ, & Sacerdotij. Et addit: Sed cum vterque titulus sit obedientiæ, licet grauius peccet, non tenebitur aggrauantem circumstantiam in confessione exprimere. Patet, quia est aggrauans in eadem specie. Hæc ille, sed certè fallitur: quia vel titulus obedientiæ, sub qua præcipitur à Prælati, est obedientiæ peculiaris voti, quod præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ exigit; & hoc modo est distincta specie,

ab obedientia generali, sub qua præcipitur officium omni Sacerdoti, quæ non procedit ex voto, sed ex iurisdictione propria superioritatis. Vel à Prælati præcipitur, solum sub hac communi obedientia iurisdictionis: & eo pacto cum sit tantum repetitio præcepti eiusdem rationis formalis, vtrouque non aggrauat culpam, vt latè probatum est, in *Introd. Art. 6. fere per totam*. Quidquid sit, de obligatione confitendi circumstantias aggrauantes, quæ ipse intra eandem speciem negat, sicut alij, cum quibus nunc, nec consentio, nec disputo, quod ad præsens nihil attinet omnino.

Deinde num. 710. sic affirmat: Prælati præcipiente mutare cantica, & ordinem, aut numerum Psalmorum, & breuiare lectiones, aut responsoria, Monachus tenetur obedire, quia talia mandata sunt secundum Regulam. Ita ibi: Sed hodie hoc habere locum, decipitur. Quo autem pacto liceat breuiare lectiones in Choro, declarauit, in *Notis ad capit. Regule II. num. 6.* Sed illibato & immutato & nullatenus imminuto Breuiario, iam ex concessione Papæ, & ex Capituli Religionis dispositione, pro communi ordinis, aut Congregationis vsu determinato, & iniuncto. Post quod nullus Abbas ausus est eam inuersionem voluntariam facere, atque facultas in hoc, si qua fuit ex Regula, cessauit, vt inferius patebit, num. 4. & 5. & 6. & Segment. sequentibus. Vnde, & in eo peccaret, iuxta maiorem, vel minorem inuersionem, aut truncationem officii: punireturque iustè, iuxta modum peccati; cum quo, certum est, Monachum nullatenus

III.  
*De iusso mu-  
tare officium.  
Cohibetur.*

debere obedire, nec in similibus talem obedientiam esse fulciendam ex Regula, vt multis docet, D. Bernardus, *Epist. 7.* & alibi sæpius, melior certe Regule obseruator, quam iste vir bonus.

## III.

*De communitate libito mutante officii. Frenatur*

Præterea, num. 1300. Sic fatur: *Communitas sine causa, & licentia, violans rubricas legitimas, mutando non quidem Breuiarium, sed officium diei, non peccat nisi venialiter, quia tantum deficit in modo. Et cum licentia Abbatis, nec venialiter. Quam licentiam etiam Abbas potest concedere sine causa.* Sic ille: sed labitur multipliciter. In primis dum Abbati libere concedit, quod iam ex eius voluntate & arbitrio non pendet, vt notauimus, ostendendum. Secundò, quod arbitrium ita liberum, & absolutum concedat Abbati, vt sine causa id licite possit, contra doctrinam D. Bernardi, *lib. de Præcep. & disp. capit. 7.* & adducta in *Introduct. Artic. II. num. 9.* Tertio: Quòd idem permittat Communitati, pro suo libito, sine licentia, & sine causa: Nam etiam si videatur defectus in modo officij, res est grauis (vt ponderabo inferius) quæ nisi in aliqua minutia, & paruitate exiguæ cõsiderationis, vix effugiet culpam grauem. ¶ Nã quando præceptum dat, & præscribit formam, & modum, is ad ipsam substantiam præcepti pertinet, talis autem forma præscribitur in Breuiario, secundum differentias temporum anni, solemnitatum, & dierum, Religioso cultu agendorum quod *Breuiarium* iubetur obseruari, & non, nisi iuxta illud, satisfieri officio diuino, ab iis qui ad illud tenentur, & pro quibus tale Breuiarium determinatur. Qua propter in illo præcepto, de officio nocturno pariter, & diurno, Concilij & iuris, in *capit. Dolentes*, includitur modus & forma, ritè ordinata, & tradita. Quod bene vidit Suarez, *tom. 2. de Relig. lib. 4. de Horis Canon. cap. 23. num. 12.* cum aliis. Atque Vazquez qui præceptum officij diuini cum attentione interna, Diuinum reputat, & sub mortali obligans, etiam à principio ante *Cap. Dolentes*, vt tradidit, *Opusc. de Benef. cap.*

*Forma præcepti de substantia illius est.*

*4. art. 3. dub. 3. & 4. & n. 103.* Similiterque post Breuiarij Pij IV. & Pij V. in iunctionem, quoad eos quibus iniunctum & rite receptum est, ex præcepto. Et quoad exceptos à 200. annis, ex consuetudine, obligationem ad non mutandum officium esse grauem culpam, à qua solum ex obliuione, aut incuria, vno aut altero die, audet liberare, & si semel, ex aliqua rationabili causa, à mortali excuset, verum sine illa, aut sine delectu & communiter, nequaquam. Potius in vno etiam die, mutare officium, solo libito, cum multis huius temporis docet esse lethale: *ibid. artic. 2. num. 57. & 60.* & id in priuata recitatione. Nedum in publica, & communi, & indefinitè, vt audens, plusquam omnes, admittit Caramuel,

Rursus in eodem, num. 1300. sic adiungit: *Reor communitatem qualemcumque, sine particulari licentia, posse vti Breuiario Romano.* Atque inferius idem asserit: *Etiam si contradicat Abbas, nam in tali casu (ait) iniuste contradiceret.* In quo etiam lapsus iterans, excedit. Quia sicut generali Apostolico decreto, & Motuproprio Pij V. ij, quibus iniunctum est Breuiarium Romanum, obligantur in communi, ad diuinum officium modo ibi assignato: ita per exceptionem, firmata est similis obligatio, in illis, quibus *inueteratum ius dicendi, & psallendi officium suum, siue per statutum, siue per consuetudinem, à 200. annis non adimi*, proprium Breuiarium decreuit; nam in vi talis statuti, aut consuetudinis inueteratæ relinquitur. ¶ Hinc fit (quod ad dicta, & dicenda proderit) quod sicut mutato ritè Breuiario Romano, in communi aliqua Ecclesia, aut Religione, etiam priuatim tenetur quis recitare iuxta illud: tum ex præcepto Pij V. de quo *vbi supr.* Vazquez dixit, *rem esse claram*, tum ex communi iure, *cap. De ijs, & cap. Vltim. dist. 12. & cap. conuenit de consecr. dist. 5. & c. vbi, priuatus obligatur, iuxta ritum suæ Ecclesiæ: ita & qui remanserunt*

cum

## V.

*De mutante Breuiarium. Reprimitur.*

*Declaratur in Nostris & similibus.*

cum Breuiario proprio, per Pontificē exceptum, & approbatū in vſu, & modo illo inueterato ( vt nos Cistercienses Obſeruantia Hisp. & ſimiles ) pari modo obligationis ſtatutæ, aut cōſuetę recitare, iuxta illud, in cōmuni, & particulari, tenentur, intra & extra chorū: & ita cum pluribus Alcanius Tamburinius. *tom. 2. de iure Abb. diſp. 10. quaſ. 7.* quem vt nouiorem, & Monasticum Authorem, libentius adduco in re.

VI.  
Etiam priuatum  
Reſeruitur.

Atque exinde conſtat manifeſte, priuatum Clericum, aut Monachum, non poſſe licite abrumpere illam obligationem ſuæ Eccleſiæ, aut Religionis. Quod verò neque Monasterii communitas, ſine Abbate, neque Abbas ſimul cum Monasterio, ſi ſit ex reductis ad Congregationem, ſine eius Generalis, & Capituli conſenſu, poſſiūt vt Breuiario Romano, eſt cautum in ipsis literis Pij V. quibus ait: *ſi hoc forte Breuiariū magis eis placet, dummodo Episcopus & vniuerſum Capitulū conſentiat, permittimus.* Quod ſicut in communitate habente Episcopum & Capitulum, non alio modo permittit, quā cum eorum aſſenſu, illumque exigat: ita eandem authoritatem, proportionaliter & reſpectiue requirit in quacumque cōmunitate, contenta in illa exceptione. Quæ eſt communis intelligentia omnium, cum quibus Suarez, *tom. 2. de Relig. lib. 4. de Hor. Canon. capit. 23. nu. 9.* Et quā aliena ſit Eccleſiæ mens, & Sedis Apoſtolicæ intentio, ab abuſu mutationis Breuiarij, vel officij, oſtendunt declarationes Pontificæ, quas adduxi in *Noris ad cap. 18. num. 15.* vt Breuiarij Romani, ſeu Benedictini vſus, etiam rite acceptatus à noſtris, nihil diminuat obligationis antiquæ, in officiis adiectis, B. MARIÆ & Defunctorum.

VII.  
Perverſio  
quædam  
officij.

Non eſt ſinis laxandi habenas diuini officij, apud Authorem iſtum, ſubjungit enim, citato loco, ſic: *Cuiusque Religionis officium, eſt officium diuinum, & ideo ſi Auguſtiniana communitas cantaret Cisterciense, ſolum peccaret venialiter.* Et rationem remiſſius trad-

dit: *Quia tunc ea communitas non eſſet rea officij diuini, ſet talcitaris.* Et vt non differam adhuc maiorem relaxationem, eamque præcedenti copulem, vt vtramque repellam: hæc habet, *num. 1387.* vbi inquirens ait: *Queritur, an liceat officium mutare? Id eſt, vtrum, quando legi debet officium de Dominica poſſit aliquis legere de Sancto, feria, aut e conuerſo? Respondetque: Quod licet quiſpiam, dedita opera, querat officium totius Breuiarij breuiſſimum, & ſemper illud recitet, ad implet præceptum quo ad ſubſtantiam, & deficit quo ad modum; ac proinde peccaret venialiter, non mortaliter, & citat Authores, qui nullatenus cum ea latitudine loquuntur, nec loqui poſſunt.*

In his omnibus excedit nimium, contra communem omnium doctiorum, & Religioſorū ſenſum, & in modo prædicto, eſt ſingularis & ſolus omnino Caramuel, & ideo repellendus omnino, & reducendus ad terminos antiquos, quos poſuerunt Patres & Magiſtri noſtri, cum his limitationibus. Prima, vt ea mutatio, vel breuiarij proprij, vel officij die vno aut altero die, idque rarò ſit. Secunda, quòd ſit non merè ex libito, data opera, quia volo, vt ſit pro ratione voluntas: ſed cum aliqua occasione, & cauſa rationabili, tamen non exactiſſima & prorsus neceſſitans ſit. Tertia, vt quantitas officij debiti, pro illo die recitandi, iuxta propriam rubricam & formam legitimi ſui Breuiarij, non defraudetur notabiliter ex breuitate electi, ſeu mutati officij. Quibus non ſeruatis, cenſeo eſſe mortale ex genere ſuo contrarium agere, & in officio publico chori, & in priuato: excuſationes autem alias, quæ vel ex obliuione, neceſſitate, aut aliter ſine culpa, aut fere contingunt, non inuoluo.

Sententiam noſtram, prædictis limitationibus, ſeu conditionibus explicatam, tuentur duo ſupra viginti Authores ( quos citat ipſe Diana contrarius, cum quo Dianizat Caramuel ) & licet aliqui illorum adhuc præſius

VIII.  
Nimietas  
limitatur.

IX.  
Probatum  
authoritate.

loquantur, sed cum prædicto moderamine generaliter admittitur, & post eos tenet etiam Thomas Sanchez, *to. 2. cõsil. lib. 7. cap. 2. dub. 25.* Contrarium vero resoluit Diana, *tract. de hor. Canon. Resol. 3.* licet non ita expresserit, in mutatione Breuiarii, Communitatem, sed de particulari resoluat: nec in mutatione officii, expresserit illud, *semper*, nec illud, *totius Breuiarij breuius*, sicut prodigus in his. Caramuel. Verum vtriusque vna erit impugnatio, in sequentibus, sic.

X. *Deteritur auctoritas opposita.*  
 Prima impugnatio: Quia Authores, quibus suam probant sententiam, sunt in ea, ad eum modum, quo *sup. segm. 21. num. 4.* notabam; non quia eam, ut propriam & præcipuam teneant, sed quia eam sub aliqua probabilitate relinquunt, quam fere omnes non absolute admittunt, secludendo prædictas limitationes: sed ad summum vnã, aliãve, pro varietate sententiũ, vnde Laiman, Rodriguez, Filiucius, pro vtraque parte citantur, ex paucioribus quos pro sua aduocat: ceteri nec *semper*, nec *frequenter*, admittunt mutationem officii priuatim, etiam sub veniali, nisi Vega, cuius rationem pro se notat Diana, ut excludat limitationem, de vno, aut altero die, aut raro. Nam, pro quolibet die (ait) est præceptum distinctum, & officium cuiuslibet diei onus illius: ita quod in alium non transit: sicut ieiunium in diebus, v. g. Quadragesimæ: sed vnus diei ieiunium obligat sub mortali: Ergo potius dicendum esset, idem de officio vnus diei: aut de omnibus concedendum sub veniali tantũ. Et apponit alteram rationem: Quia leuitas materiæ non habet hic locum. Nam licet mutans officium, recitet æquiualens in quantitate, non recitat illud, quod debet, sed aliud diuersum, & sic non satisfacit, perinde ac si non recitaret: sicut qui ex præcepto ieiunare teneretur, non satisfacit, aliud æquiualens, aut maius faciens. Hæc contra limitationem, & pro se, quantum ad mutationem officii, loquẽdo priuatim, & non mutato Breuiario proprio, op-

ponunt. Sed pro me.

Secunda impugnatio fit, in soluendis his. Quia si concederemus intentum argumentorum, & efficaciam, quod directe ex instantia ieiunii assequuntur, est contra ipsos, ut nec pro vno die, sine legitima causa, & ratiõnabiliter excusante, liceat: sed sit peccatum mortale, vnus diei mutatio. Quod & plures sentire, notauit, in re, Vazquez citatus *supr. num. 4.* & tenetur sentire Caramuel, tenens eam opinionem, quod in graui materia, sit impossibile præceptum sub veniali. Nam ipse a ieiunio regulari eam culpam excludit, sentiens, esse materiam grauem, similiter in officio Regulæ. Quare consequenter, ex paritate ieiunii, & ex identitate exempli in officio deberet in præsentis (si memor est sui) nullo modo, admittere culpam venialem, sed mortalem, aut nullam. Et cum nullam, nullus sit, qui dicat, & materia habeat grauitatem, quam rationes præ se ferunt, necessario sequitur in ea opinione, & ad hominem, peccatum esse mortale, etiam vnicam mutationem officii pro libito factam. Cuius retorti argumenti vis, inuitabilis est, nisi admittatur modus paruitatis materiæ, quem pro moderamine a me dicto, ostendam in sequentibus, cum disparitate exempli ieiunii.

XII. *Proceditur ad solutionem.*  
 Igitur pro moderamine admittendo, & non sine illo: ultra citatos, pro eo, & nostra sententia, consentiunt in eodem expresse, ex citatis a Diana, Filiucius, Rodericus, Armilla, Bart. a Medina, Zerola & alii. At Lessius, Azorius que, qui indefinitè videntur loqui, expresse agunt de priuata recitatione, & numquam exprimunt, de perpetua, & breuissima, ut ferè ab omni autoritate deficiat talis sententia. Sed quod nihil efficiat: ex rationibus dictis, deprehenditur ex disparitate ieiunii, & officii diarii. Nam respectu ieiunii, grauitas, & ratio tota præcepti, circumscribitur spacio illius diei, & ita aut soluitur, aut

XI. *Retorquetur in ipsos.*

XII. *Proceditur ad solutionem.*

ieiunij dia-  
 & officij  
 ordinarij cō-  
 sideratio.

cessat eo die transacto. At vero graui-  
 tas, quæ ex qualitate & forma officij di-  
 uini continetur in eius præcepto, su-  
 mitur per ordinem ad Religionis virtu-  
 tis cultum, & aptam celebrationem tē-  
 porum, vt Quadragesimalis, Paschalis,  
 Aduentus, &c. item Dominicalis, Fes-  
 tiualis, & Ferialis, & in festiuis, quoad  
 sanctorum Natalitia, & quoad fidei mi-  
 steria: In quibus omnibus ordo, propor-  
 tio: & anni orbitæ decor diuini cultus,  
 seruatur: cuius pondus, & grauitatem,  
 maxime considerandam esse, commen-  
 dant, Sotus, Filiuti<sup>9</sup> & alii plures. Quin  
 & ipsa per se innotescit, in qua Sedes  
 ipsa Apostolica, tanta cura & aduerten-  
 tia invigilat: pro qua, Illustrissima Car-  
 denalium de Ritibus Congregatio in-  
 stituta est: de qua, ad concinnanda, sta-  
 tuenda, designandaque, Clero & Reli-  
 gioni Breuiaria, impensissimum confer-  
 tur studium. Omnia autem hæc, *semper*  
 & *opera data*, cuiuslibet particularis  
 nutu, abrumperere, deordinare, confun-  
 dere, in eodem substantiali præcepto,  
 aut consuetudinis morali obligatione,  
 iuxta omnem rectam estimationem,  
 sub lethali contineri, mihi indubitatum  
 est, cum quam plurimis viris conside-  
 ratis, & doctis.

## XIII.

Explicatur  
 solutio, &  
 distinctio.

Cæterum ad solutionem opposito-  
 rum, contra moderamen, cum eisdem,  
 constat huiusmodi ordinem, proportio-  
 nem, & decorem coalescere, ex respec-  
 tu & proportionem habitudineque mu-  
 tua temporum, dierum ac festiuitatum,  
 in officiis propriis: quem ordinem ma-  
 nifestum est, posse lædi magis, & mi-  
 nus, secundum maiorem, vel minorem  
 inuersionem: neque in quolibet die, de  
 quo aliàs dixit quidam, qui de Factis  
 agebat: *Non habet officium lucifer om-  
 nis idem*, non quidem in vno, aut alte-  
 ro, qui per respectum ad alios, integrat  
 illum ordinem, perit totus, aut notabi-  
 lis læssio censetur & perturbatio. Cum  
 ergo ista perturbatio totaliter inuenia-  
 tur in vno die, sicut fractio ieiunii, sed  
 partialiter, & respectiue ad alios plu-  
 res, componentes illius cultus decoris:  
 inde fit, vt in præcepto siue obligatio-

ne, etiam si ex sua natura, & genere sit  
 ad mortale, cadat ab ea grauitate, prop-  
 ter nocumentum, quod, hoc pacto, ha-  
 bet paruitatem, vt in aliis, excusantem  
 à tanta culpa. ¶ Atque etiam hanc,  
 cum aliis, non prorsus æstimandam cen-  
 seo, ex numero vnus, vel alterius diei:  
 nam si adeo festiui, & solemnes sint, vt  
 grauius cultum illum, pro eis ordina-  
 tum in officio, temerare iudicentur: vt  
 si pro Paschali Natiuitatis diei officio,  
 quodcumque feriale, breue & ineptum,  
 recitasset quis Caramuelizans: eum à  
 graui peccato immunem non conse-  
 bo. Quidquid, ex parte, insinuare videat  
 tur aliquam latitudinem, in hac mate-  
 ria, Leander, *de Sacram. 2. p. tract. 6. de*  
*Ord. disp. 13. q. 27. & 28.* qui licet non  
 excedat quantum Caramuel, adhuc de-  
 bite frenandus & contrahendus est, &  
 consequentius ad ea, quæ melius re-  
 soluit, q. 29. & 30. & 31. &c.

Notandum  
 in re.

## XIV.

Admissa in  
 re ab eisdem  
 doctrina.

Quod verò Diana teneatur, non re-  
 spuere solutionem & doctrinam dictam:  
 ipse se obseruit, *cod. tract. de Hor. Can.*  
*Resol. 10.* vbi de Clerico seculari cen-  
 set, quod si vno vel altero die diceret  
 officium, per aliud Breuiarium à Ro-  
 mano, non peccaret mortaliter, quia  
 cum ea mutatio parua sit, non videtur  
 notabiliter aduersari menti Summi Pon-  
 tificis, citatis Authoribus, & inter eos  
 Reginaldo, *to. 1. lib. 18. c. 12. nu. 171.* asse-  
 rente, tum recitantem mortaliter pec-  
 caret, quando talis permutatio Breuiari-  
 ii, viris doctis, & piis nimia appareret.  
 Quæ autem magis nimia, quam indi-  
 cata à Caramuele, cum ipso? Rursus,  
 & prædictam moderationem admittit:  
*Resol. 36.* vbi, cum resoluat, Prælatum  
 Religiosum, non posse mutare aliquid  
 de Breuiario Romano, cui sit additus,  
 absque licentia Papæ: admittit tamen,  
 quod possit ex causa iusta, dispensare,  
 vna vel altera vice, vt aliquod officium  
 dicatur, extra illud appositum in Bre-  
 uiario pro illa die: cum Authoribus ci-  
 tatis, & inter eos ipso Suarez, contra quæ  
 expressè adducit rationes prædictas,  
*sup. n. 10.* Nempe, dum vndique veni-  
 tur probabilitates, & pro se, & contra

se, eisdem vtuntur; sed cum delectu, & solidè eas admittere oportet.

XV.

*Moderatio  
Diana Caramuelo.*

Quod vt fiat, & ne hinc aliquod subfidiū aspiciatur Caramuel, ad id quod *sup. n. 7.* asseruit, de Augustiana cōmunitate, potente cantare quodlibet officium, v. g. Cisterciense, quia tunc solū deficeret in taleitate: aduerto prædictū Dianam, in casu supra posito, loqui solum demutatione officii, intra propriū breuiarium; deinde etiam si de publica recitatione resoluat, pro vna vel altera vice, addit, hoc ipsum in contrarium decretum esse per sacram Cardinalium Congregationem. Quod mihi valde credibile est, cum sit conforme præcepto Pontificis iubentis Breuiarium, & formam in eo tradidit: à quo non eodem modo excusat paruitatis consideratio, supra adducta, in publica, sicut in priuata recitatione. Nam amplius & principalius premit præceptum, & ratio deordinationis in illa publica, quam in ista, & taleitas non est parupendenda, tamquam modus accidentalis, sed est, in ipsa substantia præcepti præscribentis formam, inclusus: cuius taleitatis partem respectiuam, retinet officium cuiuslibet diei, aptum recipere maiorem defectum taleitatis, ex accessione, aut frequentatione aliorum dierum defraudatorum proprio ritu & forma. In quo, cum pluribus, expresse Bonacina citandus *infra n. 19.*

XVI.

*Probatum de  
quantitate  
supplenda.*

Tertia impugnatione eius sententiæ est: vt locum non habeat, nisi cum tertia limitatione: scilicet, vt in officii mutatione, non sit notabilis differentia in quantitate, quæ si talis fuerit, vt propter paruitatem materiæ non excusaret, alias à mortali, sub ipso supplenda est: neque ex voluntaria officii mutatione, liberatur quis ab obligatione præcissa. Hoc plures cum toto rigore dicto tenent, & Mag. Lorcam cum aliis consultum, ita respondisse, accipio. Plures tamen non audeant imponere tantam obligationem, dum officium, cum aliqua causa rationabili, & bona fide, aut deceptione, aut obliuione, mutatum est, tamen non omittunt monere, vt

repetatur, aut supleatur defectus notabilis, non satis acquiescentes illi defraudationi diarii pensis, in quantitate Psalmorum, & lectionum, aut aliorum, quæ annexa sunt illius diei obligationi, & adducam Authores, *infra num. 19.* in huius rei confirmationem.

Quoad probationem dictæ doctrine, quantum ad Dianam, & eius sequentem, satis erat ipsius resolutio, *41. in tract. de Hor. Can.* vbi ex sententia aliorum, & propria, determinat in horis maioribus & minoribus, quænam pars parua sit, excusans à mortali: & quænam sine illo, omitti non potest: cuius moderationem & taxam modestiorem, posset melius sequi Caramuel, quam in omnibus, semper amplius in veritū conari. Tota itaque illa taxatio quantitativa, cum ea obligatione, non aliud est, nisi ex debito soluendi integrè totum officium iniunctum, sed quilibet dies habet proprium, & determinatum officium iniunctum, vt ipse Diana fatetur, *Resol. 3. vbi supra.* Ergo truncans, aut diminuens quantitatem notabilem, reus erit præcepti, nec liberabitur à mortali, si paruitatem, illud in simili excusantem, excedat. Quæ argumentatio à paritate, & proportionem omnino constat: & in quantitate, vrget amplius quam in qualitate & ordine.

Sed exemplo res fiat illustrior, & in sententia Caramuelis, qui sine limitatione, nec breuiarium timet, nec officii mutationem vllō modo reueretur. Quicum semper, & de quolibet officio Breuiarii breuissimo concedit, idem respectiue de qualibet hora infertur, quia sicut se habet officium ad officium, ita matutinum ad matutinum, & vespere ad vespere. Tunc sic: breuissimæ vespere Romanæ eligantur à Caramuele, quæ in die Cene Domini absoluntur recitato Psal. 116. audebit dicere se sic posse satisfacere, sine transgressione mortali? nec ipse Diana concedet vquam: & nec ipso die Cene Domini, ab eo, cuius non fuerit proprium illud officium ex iniuncto sibi legitimoque Breuiario: atque de opposito, si non

XVII.

*Probatum ab  
eisdem con-  
trarijs.*

XIX

XIX

XVIII.

*Illustratur  
exemplo.*

pu.

pudeat ipsum, stomachabuntur omnes. Sed rursus eligat officium Paschale Dominicani Ordinis cuius Matutinorum hora, trium Psalmorum recitatione maxime continetur, persuadere ne nostris satisfieri ferialibus matutinis, qui eo tempore & aliis, non minus duodenariam, aut festiuis, qui supra duodenariam psalmodiam, totidem lectiones & responsoria, & alia consueta cantica, &c. complectuntur? Quis quantitates has, & alias pro suis differentiis officiorum dispositas, non preceptas, non obligatorias, & non pertinentes admodum in substantiam ipsam, refusum, dicat? Tolle quantitatem, & vide ubi remaneat substantia officii, cuius tantumdem, de substantia & esse, detrahitur, quantum de destinata quantitate curtatur. Et tandem de taleitate & modo, quem sic dat p̄sum iste Commentator Regulæ ipsius, cap. 14. meminerit, quam expresse caueatur ibid.

## XIX

*Confirmatur  
ex Regula.*

Tēdet ista inculcare, Benedictinis maximè, habentibus in ipsa Regula distributionem Psalmorum, numerumque eorum, pro quolibet officio & hora, sic cap. 10. pro ferialibus: *Numquam minus à duodecim Psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicantur, exceptis tertio & nonagesimo quarto Psalmo.* Et reliquis horis pariter assignatur numerus, cap. 11. 13. 14. & 17. Atque cap. 18. etiam si de distributione, & accommodatione eorundem Psalmorum, videatur pro tunc aliquid permittere (de quo dicam *segm. sequenti*) tamen de quantitate nihil remissit, & ita in hoc, nec Abbas arbiter est, ne dum priuatus Monach⁹. Quapropter etiā, casu dato, quo ex sufficienti causa, sub nulla culpa, vel ex aliqua occasione, aut euentu, sub leui, mutatio formę officii fiat: vt

tamē caueatur mortalis noxa, attendendum esse defectum quantitatis, qui regulariter solet in officio Noctis contingere, & utcumque contigerit, suppleendum, expresse exigunt Suarez, 10. 2. de Relig. sup. citatus, Filiucius, tract. 23. num. 228. Raphael de la Torre, 2. 2. tom. 1. controuers. 9. num. 6. Reginal. 10. 2. lib. 18. cap. 16. num. 177. & expressissime Bonacinade hor. Can. disp. 1. q. 3. pun. 1. num. 17. & 18. citatis etiam Garfia, Toletus, Squillante, Laimano, &c. Alii vel omittunt indiscussum, vel indicant sic faciendum, etiam si mitius videantur agere, dum quæstionem leuius premunt, quia ad proprios terminos excessus notabilis quantitatis, non descendunt. Vt Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 12. & Sotus, lib. 10. q. 5. &c.

Imò, & addo ad limitationes adductas, num. 8. & huc vsque stabilitas, pro nostræ Congregationis Cisterciensibus, & idem erit ubi par militauerit ratio: quod hæc obligatio quantitativa, adimplenda, aut supplenda, intelligitur de officio Canonico principali mente etiam salua obligatione alterius officii, vel B. Marię, vel Defunctorum, si iuxta cursum & ordinem proprii Breuiarii occurrat, eo die, cuius mutatur officium. Nam talis obligatio perseuerat, nec ei aliquo modo detrahitur per voluntariam mutationem. Tūm, quia ratio facta omnimodò currit: Tūm, quia ita expresse declaratum est, à Gregorio XV. vt addux in *Notis, ad cap. 18. num. 18.* & alias monui: & nunc etiā in visceribus Christi moneo cunctos, vt plus deferant rationi, & authoritati Doctorum & piorum virorum, quam leui probabilitatum aucupio, maximè in rebus Religionis, tanti ponderis & obsequii diuini

*Et Authoribus.*

## XX.

*Limitatio intelligenda in prædictis.*

## SEGMENTVM XXV.

*Amplius de animaduersionibus eisdem.*

I.  
Indicantur  
aliqui loci a-  
nimaduertē-  
di.



INTVS & á tergo scriptus, nec dum finitus Orestes. Nam á num. 1302. ad 5. vs- que ad disp. 100. tot inuoluit Author iste, siue noster, siue alienus dura, indigesta, & indiscussa; vt reuera si alia, aliaque eiusmodi, articulatim re fellenda essent, necessarium foret volu- men de cuplo maius. Breuiter enim propositio dicitur, & ferè vno verbo sententia promitur; quæ si rationibus & autoritatibus refellenda doctrina- liter est, prolixam expetat tractationē. Nisi in re compendio vtaris, vt quod ille vel nulla, vel inaudita & futili pro- batione profert, nuda etiam negatione repellatur. Pertinent autem, quæ locis prædictis inuehit, maximè ad nostram sacram REGVLAM, & eius alumnos, & ita omnino præterire non potui, liba- bo tamen. Sunt autem hæc potissima. Num. 1302. Canonicum officium non esse, nisi quod Abbas suo arbitrio (cui putat ex Regula, Cap. 18. deferri) dispo- fuerit, nec alio satisfieri obligationi. Num. 1303. Hanc mutationem officij Abbati permissam, cuilibet Monastico Præsidi delegari posse. Num. 1305. Eã- dem potestatem inuertendi officium, & aliter disponendi, & breuiandi, &c. non posse limitari Abbati, nec à Ge- nerali, nec á Capitulo, quia esset man- datum contra Regulam. Num. 1306. & seqq. Neque Pontificem posse eam li- mitare, ita vt valeat, pro actualiter pro- fessis, sed tantum pro professuris, quia esset mutare Regulam secundum quã professi sumus. In quibus omnibus, quot difficultates inuoluantur, quot improbabilia, quot contentiosa nemo non videt.

II.  
Dealys expli-  
catur Scopus  
Circa quæ, totum fundamētum cui innititur, sunt verba Regule, cap. 18. vbi post antecedentem exactissimam dis- positionem officij diuini, sic, humilimè

de se sentiens, subiungit: *Hoc præcipue commonentes, vt si cui forte hæc distri- butio Psalmodum displicuerit, ordinet si meli' aliter iudicauerit, &c.* Quasi hinc, tota dispositio, mutatio, breuiatio, al- teratio sit solius Abbatis, inconcussa, perpetua, & immutabili potestate, sic circumscripta, per professionem Re- gulæ, vt illius professor non sit, qui Ab- batem non inuenerit ordinatorem, & mutatorem officij diuini, etiam Ponti- ce mutante, aut inhibente eam potesta- tem: Quasi etiam multum addat gra- uaminis & asperitatis, aut strictionis supra Regulam, quod non libito suo, Abbas mutet & alteret officium; aut multum decoris sit officij diuini, quod perpetuo & incessanter substet muta- bilitati: subintrantium Abbatum quo- rumcumque.

III.  
Explicatur  
locus Regu-  
le.  
Pro quibus, circa prædictum Regu- læ textum, animaduertat in primis, so- lã ibi Psalmodum distributionem per- mittere, non quantitatem, aut nume- rum, vt notauit, *segm. præced. n. 19.* nam actutum ad id post verba suprãdicta adiunxit: inquit: *dumodo omnimodis attendatur, &c.* Deinde aduertat nihil ibidem committi Abbati expresse, quæ neque nominat, vt aliàs solet, sed, *si cui,* ait, indefinite loquendo, & verba hu- militatis gratia exarando, vt dixi in *Not. ad ipsum, c. 18. n. 2.* vt innotesceret, non ita de se præsumere S. Benedictũ in materia, quæ forte, etiam tunc, ali- qualiter Superiorũ suberat censura, vt omnino de suo placito considerè vide- retur, quin paratus & vltrone' esset me- liori placito alterius, de quo ait: *Si cui forte distributio, &c.* sed cui alteri, quæ- so? Cuilibet Abbati? Cuicumque præ- ficando Monasterijs? Nequaquam: sed alicui superioritatem habenti, in cura Religionis & cultus diuini: qualè tunc habebant Diocesani & Pontifex, vt pote

pote ad quos, pro Ecclesiastici officii munere, pertinebat, approbatio & censura horarum Canonicarum.

III.  
Cōfirmatur  
explicatio.

Neque item is modus permittendi, aut ordinandi aliter officium, fuit, vt perpetuæ mutabilitati, aut alterationi arbitrarię subesset; sed quasi committendo, & vltro consentiendo, vt officium semel á se ordinatum, per distributionem Psalmorum, reuideretur, dū que placeret, extaret & permaneret; sin alia dispositio diuersa exigeretur, ea ritē facta magistraliter & authoritatiue perseueraret, haud quotidianis mutationibus subiecta. Atque sic acceptatum, & approbatum officium, in principio, cum ipsa Regula (sicut probatum est in *Introd. ar. 3. à n. 3. & art. 4. à n. 9.*) tamquam statutum inueteratum & certum, venerati sunt Pontifices, adhuc in mutatione ipsius officii Romani. Quod si Breniarium nostrum & officium non gauderet ea stabilitate, ex antiquitate instituta & consueta, sed Abbas quilibet constitueret officium Canonicum peragendum; non posset comprehendī in exceptione facta á Pio V. qui, eā attentione & præsuppositione, illud mutatione excipit.

V.

Nec aliter intelligere Regulę textū est rationale, nec conforme grauitati & prudentiæ eximii Legislatoris nostri, ne vbi præcipue Regulę Monasticę nervos contendit, scilicet in officio diuino, ibi constituisset id defectibilius & cum periculo incidendi in aliquos, ex tot futuris, in genere Abbatum, rabulas, quibus non caritura, ventura in longum secula, certum erat: Atque insuper id, cum potestate delegandi eam prouintiam Præsidentibus, qui toties, nec zelo, nec scientia abundant. Non sic suas orationis, & Operis Dei, margaritas cōtempnit, æquus præciositatis æstimator Pater meus Benedictus; non sic eas conculcandas exposuit; quibus seruandis & custodiendis, etiam Pontificum cura paternalis simul & reuerens, non defuit.

VI.

Præterea ex alio capite, constat contra Caramuelem, etiam si gratis dare-

mus, illam constitutionem & mutationem officii Benedictini, esse penes Abbatem, tamen optimo iure (vt docui in *tract. Monast. c. 7.*) limitari posse eā potestatem, á suprema Capituli, cuius authoritas ab Apostolica Sede est, cui Apostolicę Sedi á nullo Catholico denegabitur, quin possit in Regulam, que vt regularis lex est etiam ab eo, in omni suo esse, dependet. Neque in creatione Congregationum, & aggregatione Monasteriorū sub vno capite, aut sub vno Capitulo, aliquid est contra Regulam, quæ licet se non extenderit expresse, nisi ad Monasterialem gubernationem, & œconomicam institutionē: non exclusit polyticam, sed adaptabilem reliquit eidem, sicut & aliis non expressis, vt Monialium, & Conuersorum, imo & militum professioni, &c. Fuitque id maxime conforme voluntati ipsius instituentis, & naturę instituti; quæ semper fuere in maius obsequium Dei, & commodum animarum abrenuntiantium seculum, & obseruatia Religiosę addictarum, in quem fructum & vigorem sic sunt tam omnibus Ecclesię votis instituta; aut reintegratę Religiones. Atque plura Monasteria sub vno capite fuisse, omnis Religio á principio experta est: tum sub Episcopo Diocesano, ante exemptionem: tū postea sub Pontifice, & aliis loco Diocesanorum diuersimode subrogatis. Quā subiectionem & indicat ipsa Regula, *cap. 64. & 65. & alias.* Quāuis, nec opus erat indicare, quod ex sua natura habere debebat, nec aliter legitime tūc subsistere, vt in *introd. art. 4. & 7.*

Præterea constat, si quod fuit arbitrium, ex Regula delatum Abbati, circa ordinationem officii diuini, cessasse omnino; delata facultate alterationis ad Capitula iuxta modum indultum, á Sede Apostolica præscribente in suis priuilegiis terminos, intra quos se debet continere; vt in nostris priuilegiis præstat Eugenius IV. & aliæ constitutiones Apostolicę iniungunt. Hoc autem de facto, ita extare, manifestum est ex compilatione, & impressione iterate

Cōclusio di-  
etorū, ex sup-  
positione cō-  
tra Caram.

III  
Cōfirmatur  
explicatio

VII.  
Eadem ab-  
solute cōtra  
ipsum.

Bre-

Breniarij, quę & fit autoritate Capituli, à quo & iniungitur obseruatio illius, cui mandato, aut diffinitioni, nec Monachus, nec Abbas, nec ipse Generalis reluctare, sine culpa potest, iuxta leuitatem, aut grauitatem & modum, quę præced. Segm. insinuata sunt.

Solum obstare poterit in sententia Caramuelis, ea limitatio, quam supra etiam a Pontifice fieri posse, non passus est, eo quod proueniat ex professione, contra quam, aut supra quam, actu professi constringi nequeunt. Verum ex hinc leuiter hæret Author, & in hac parte si non superstitiosus, delicatus apparet. Habere autem professionem proprios limites & terminos, dictum est, ad cap. 73. Reg. n. 6. & in hac Lacinia. Segm. 6. n. 3. & alias. Ex quibus aliisque constat, non esse necessarium, ut omnia quę præcipienda sunt, ab Abbate, exigente obedientiæ votum, aut alias suum præceptum insinuante, expressa sint ad literam in ipsa Regula. Quis enim hoc vnquã requisit? Aut quæ lex omnes actiones singulariter præcipiendas, perstrinxit? Id enim exigere, est contra ipsam Regulam, quæ toties in confusio relinquit, quę præcipit obseruanda. Ita ex sententia D. Bernardi, lib. de præcep. & disp. c. 7. Sonat octauus humilitatis gradus, pro Regula habens consueta & vsitata maioribus, Cap. 48. de opere manuum, non omnia opera iniungenda, declarat, cap. 68. si fratri impossibilia iniungantur. Ea difficilia, quæ nomine impossibilium intelligit, non exprimit, & similiter in

aliis, quę iuxta professionem iudicantur.

Vnde consideratio quæ adhibenda est, ut non extrahatur, aut censeatur extrahi Monachus à professione, moralis & prudens debet esse: ne nimium distet: ne repugnet instituto præcipui finis talis Religionis; ne notabiliter sit supra Regularem tenorem, vel indictum in Regula, vel legitima dispensatione, aut consuetudine diu vsitatum: quod considerabiliter præter cursum ordinis aggrauet. Tale esset, si Benedictinis imponeretur discalceatio, aut itineratio pedestris; si transferretur institutio chori, ad infirmorum curationem more hospitalium pauperum & similia. At vero ei qui ex Regula addictus est orationi, choro, diuinis officijs, lectionibus, operibus manuum: quod Abbas, vel Capitulum, vel Pontifex statuatur officium: lectiones assignet, occupationes distribuatur, quæ omnia secundum professionem sunt, inde nec asperior euadit professio, nec alienior, nec est quid conqueratur Monachus, si onus verè regulare, & proprium suę professionis, per manus Abbatis, aut Generalis, aut Capituli venit: maximè cum in omnibus his agentibus, veniat per legitimam potestatem Pontificis, qui ipso conditore Regulæ verior Prælati est, cum & inde prælatio Monastica, & sub eius approbatione & collatione dimanauerit, & subsistat. Et ita vnde quaque ruunt illa Caramuelis themata, ad meliorem formam reformanda.

IX.  
Termini pro  
professionis de-  
clarantur.

VIII.  
Obiectio de  
professione  
diluitur.

## SEGMENTVM XXVI

*De alijs materijs non nihil animaduertitur.*

I.  
Dicendorum  
ratio.



**A**NIMADVERSIS præcedentibus, quę peculiariter de officio diuino, à Regula specialiter intento, & nostræ professionis præcipuo, oportuit nõ præteriri silenter de ceteris, quæ generalius in obseruatione trium vo-

torum, omnem Religiosum contingunt, minus sollicitus esse debeo, pro meo munere circa Regulam, cum ab alijs Authoribus à me citatis, & suo nomine, & celebritate cognitis, ea materia exacte tractetur. Quibus in præferendis sententijs, & amplectendis potioribus

IV

ribus doctrinis, maior fides adhibenda fit, quàm vni Ioan. Caramuel, quando ab illis, nouiter & singulariter, & absq; solidissimo fundamento discedit. Vnde quæ mihi, pro REGVLÆ exigentia paucissima supersunt, erunt hoc Segmento breuianda, si liceat sic, ab Authore isto quiescere.

In limine, ne vel vna litera æquiuocationem pariat, disp. 36. dum de generibus Monachorum agit, concl. 5. introducit Religiosos, quos nostri Hispani (ait) *Surdos*, id est *sinistros*, nominant: & quod sinistri vocentur, dicit, forte esse, quod *ultima stalla chori sinistri occupet*. Ne tamen notitia hæc noua huius generis Monachorum, alienis inuecta, etiam sinistra sit, aduerte hos Religiosos, inter Nos, non vocari *Surdos*, per S. sed *Zurdos*, per Z. illud prius significat carentes auditu, nec canimus *Surdus*: hoc autem, significat proprie inter nostros, eos, qui laua, seu sinistra vtuntur manu. Et inde, cum quæ dextera sunt, vera, & præcipua, ac præferenda habeantur, respectu eorum, quæ quasi spuria & imperfecta sunt: præsupponentes veros & proprie Monachos esse eos, qui ex professione, Choro & altari destinati sunt, hos, qui præter habitum & tonsuram, veri illius Monachatus nihil habent, tamquam nothos, non aureos, sed deauratos, imperfectos, & apparentes, Monachos *Zurdos* vocamus. Nam quod, ad stalla chori, pertinet, iuxta gradus suos, si plures sunt, in vtrolibet Choro adstant, nec inde vlla denominatio sumitur.

Poterat ad prædictos, in eo genere, accommodare illud, quod aliàs, num. 373. adducit: *Habitus non facit Monachum, &c.* Quo axiomate, probat, differentiã habitus, non inferre differentiam Religionis: & quantum ad intentum ibi propositum, vt cumque transeat. Sed axiomatis inuersio transire non debet in forme quã ipse, illud, vt receptissimũ tradit, scilicet: *Non habitus Monachũ, sed Monachus habitum facit.* Hoc enim posterius admitti poterit, si Monachus sit sartor, cuius est facere, aut confuere

vellem: verum nec verba, nec sensum axiomatis expressit. Nam verba sunt. *Monachum non facit habitus, sed Monastica Regula professio.* Vt sensus sit, non in succeptione habitus consistere veri Monachi, aut Religiosi rationem, seclusa professione, in qua essentialiter completur, & in esse talis constituitur simpliciter. Sic Thomas Sanchez, lib. 6. summ. cap. 8. num. 4. & alij. Sic Panormitanus, & omnes ad text. in cap. ex parte de Regularibus, ibi: *Cum habitus non faciat Monachum, sed professio regularis, idem, cap. Porrectum, eodem tit.* & aliàs. De cætero quod satis latè discutit Hæftenus, lib. 5. tract. 8. disq. 5. *Quid tritum illud Habitum non facit Monachum?* Nihil aliud addens, totũ versatur in auerfanda hypochrisi, vt verus Monachatus, non larua exterius mentiens Deo sit, vt de Sarabaitis dixit S. Benedictus, cap. 1. sed vera interior virtus & Religio: vt de omnibus, adductus cum aliis (qui de hac re sunt plurimi) D. Anselmus canit, *carmine de mundi contemptu*: Quæ omnia licet vera & doctrinalia sint, sed omnino extra sensum axiomatis, quod Hæftenus diminutè, & Caramuel in eo quod addidit, insipide profert.

Digniora tamen animaduersione sunt, quæ num. 597. pronuntiat, scilicet: *Summus Pontifex non potest valide dare alicui Prelato, aut Religioso licentiã, vt sine causa non seruet promissam loci stabilitatem, quæ confratribus & Monasterio promissa est, non Deo, non Pontifici, & in probationem adducit B. Bernardum pro casu simili discutientẽ, Epist. 7. ad Adam Monachum, & posset, eodẽ effectu, antecedentes, 4. 5. & 6. Epistolas adducere.* At totum tangit difficultatem iam discussam in introduct. Art. 7. per totum, de nostra professione, quã non constare, nisi triplici communi voto vidimus, atque in eisdem contineri *conuersionem morum stabilitatem* que non excedere votum obedientiæ perpetuæ, sed cum illa conuerti. Atque ex inde neganda est alia promissio, quæ extra votum (quod proprie fit Deo)

fiat

IV. Animaduersione circa professionem.

II. Quos dicimus Monachos *Zurdos*.

III. Correctio axiomatis cuiusdam.

fiat homini, aut tertio: præter obligationem, quæ velut ex contractu mutuo professionis nascitur inter Professum & Religionem, in qua proficitur, à cuius obedientia, sine legitima licentia illius ad quem pertinet, nec à Monasterio & subiectione Abbatis, sub quo immeditate degit, nec à Congregatione eiusque superiore, recedere potest.

V.  
Stabilitas  
quid?

Hæc autem perpetuitas subiectionis Religiosæ, ac obedientiæ promissæ stabilitas, dum mutatio loci fiat, ex licentia eius, qui iuxta instituta Religionis, eam potest concedere, aut iniungere, semper permanet salua. Nā ratio obedientiæ promissæ, quæ in exercicio, in aliquo loco, & sub aliquo Prælato, iuxta professionem, & ex voto exhibenda est, neutrum determinat, maiore necessitate, quam quæ iuxta voluntatem Superiorum inducitur, seruat talis ordinis regularibus statutis. Quod enim in professionis forma dicatur. *In hoc loco qui vocatur, &c.* non tam est referendum ad promissionem professionis alligandam loco, quā ad factum chartæ, quod vulgò vocamus *fecha*. Sicut in instrumentis, actis vè solemnibus, ponitur tempus, & locus, quando & ubi perficiuntur, de quo notaui *ad cap. 60. num. II.* Cumque de facto, fere semper, ibi exerceatur promissa obedientia, ubi emittitur professio, & admittitur, celebraturque is contractus: ibidem dicitur firmari stabilitas, hoc est votum stabile semper obediendi, quod tamen ubicūque poterat applicari, siue domi, siue rure fieret professio: & sicut in aliquibus Religionibus, fit ab omnibus Religiosis, in vna communi nouitiorum domo, cum non ibi, sed in aliis domibus, aut Monasteriis, exercenda professio fit, cuius stabilitas nihil inde minuitur, iuxta exigentiam voti.

VI.  
Exponitur  
B. Bernard.

Et quidem B. Bernardum, iam explicuimus, *citato, art. 7. à num. 14.* ubi potior erat difficultas: quæ minus vrget, ex Epistolis supra citatis, ubi semper, in Arnoldum illum Abbatem Morimundi, sui Monasterii desertorem, contra officij obligationem, cum scandalo

subditorum, & sine licentia Superiorum, semper inquam inuehitur, tamquam in reum obedientiæ debite, quæ stabilitatem Cistercij, secum etiam deferebat translatus & institutus Abbas Morimundi, qui Abbati Cistercij subiectus, sine eius ac aliorum, quorum intererat, licentia, aut contra voluntatē, non erat ei licitum agere: neque subditis eius, in tali casu ei obedire. Atque id, etiam prætextu licentiæ Pontificis, quæ non excusari à peccato, affirmat B. Bernardus, non defectu potestatis in Pontifice, sed defectu iustificationis & veritatis, in prætendente talem licentiam. Quam obrem exclamat: *O odiosa peruersitas! Obedientiæ virtus, quæ semper militat Veritati, aduersus Veritatem accingitur?* Et infra: *Subiectio Abbati, & stabilitas in loco*, copulanda dicuntur & obseruanda, quod neutrum præpediat alterum, vt videlicet: *Sic testabilem in loco exhibeas, vt Abbati subijci non contemnas, sic obediās subiectus Abbati, vt stabilitatem non amittas.* Amittebat autem is, cum quo loquitur Bernardus stabilitatem, dum sine licentia legitima & iusta, discedens à Monasterio, promissam obedientiam violabat.

¶ Qui sensus planius constat, paulo Clarius ex- inferius, ubi quasi sibi obiectum, ait: *PLICATUR.*  
*Quid ergo tu, de stabilitate tua facis, quæ apud Cistercium firmasti, & nunc alibi habitas? Ad quod respondet: Ego quidē Cisterciensis Monachus, ibidem professus, ab Abbate meo, ubi nunc habito, missus sum, iuxta cōsuetudinem & communem institutionem. Quādiu igitur in eadem, qua missus sum, pace, & concordia perseuero, quietus & subditus, in quo positus sum, permaneo securā conscientia, quod promissi firmiter, &c.* Quæ satis indicant, sensum stabilitatis, cum obedientia perpetua professionis concurrere, nec ad mutationem licitam desiderari aliud, quā licentiam legitimā eius, cui Monachus ex professione & voto subest, eamque à Pontifice, qui supremus vtroque modo Prælatus est, optimè posse dari, in dubium non cadit, vt etiam patet infra, *num. 8.* Quæ ad-

adiungenda sunt dictis citato, *Artic. 7. n. 18.* Nam & verba quaedam huius Epistolæ, scilicet: *Ego sic ipsam decreui sequi semper & vbiq; Magistrum, vt nequaquam à Regula, quam teste ipso, iuravi & statui custodire, deniem magisterio, intelligenda nunc censeo, vt similia ibi, à num. 15. vbi etiam, num. 19. aliquid de Authore isto nostro breuiter insertum est.*

Non omittam quod *num. 404. &c.* videtur sentire, contra Regulam esse, quod in nostra Congregatione fit, scilicet Monachum Sacerdotem, præferri in gradu iunioribus non-Sacerdotibus. Et quidem admitto censuram, quæ *num. 405.* adhibet iunioribus illis, si qui sunt alicubi, qui quam primum Sacerdotio initiantur, Abbatis iussionem nõ expectant, prout humiliter & vrbane debent, & ego semper vidi expectare, vt præponantur aliis antiquioribus, nõ dum Sacerdotio tinctis. Ceterum quod vel Abbas, vel diffinitio contraveniat Regule in eo, licet alia causa, aut ratio non intercedat, quam dignitas, aut qualitas Sacerdotii, non admitto, sed prout declaratum est, in *Notis ad cap. 60. n. 7. cum seqq. & cap. 61. n. 4.* nihil enim contrarium expresse trahit Regula, sed locum omnino dant verba illa, non attendat locum illum, qui ei, pro reuerentia Sacerdotij concessus est, & quæ subiungit, de aliis Clericis, infra Sacerdotium, vt loco mediocri collocentur, si promittit tamen ipse de obseruatione Regule vel propria stabilitate, innuens debere id fieri, post professionem. Et licet semper ad id vitæ meritum adiungat, non ita expetit, vt excludat prorsus considerationem Sacerdotij, quam tanti æstimat, & in Monachatu semper, & vbiq; tantæ æstimationis & venerationis fuit, sed vt eum honorem non demereantur mores. Alioqui secum, ceteris paribus, adducit meriti dignitatē, ipsa collatio Sacerdotii, vt possit recte inter alias rationes, quas permittit Regula, fundare regularem obseruationem talis Congregationis, quæ in Constitutione, aut vsu, nihil à Regula exorbitat,

in hoc. Cum ipso, *cap. 2. de Abbate*, si in diffinitione concedat: *Si rationalis causa existat, vt de cuiuslibet ordine id faciat.*

Offerebant se se plura circa, *disp. 44. 45. & 46.* in quibus Author agit de stabilitate professionis, ac de transitu ad aliam Religionem, vel ad aliud Monasterium eiusdem ordinis: in quibus multa distinctione opus est, neque confundenda: cum in eis interuenire possit materia, quæ partialis, aut modalis dispensatio professionis & votorum sit: vbi, sine causa, etiam à Pontifice non fit licita, nec fortè valida licentia. Hoc autem non interuenit, in casu animaduersionis factæ, *sup. n. 4. & seqq.* vbi Pontifex valide, etiam sine causa, transfert illam stabilitatem obedientiæ, ab vno loco in alium; cum vbiq; remaneat translatus sub obedientia sibi promissa, vt supremo Religiosorum Prælato, quod videtur ignorasse Caramuel, vt tetigi in *introd. Art. 11. n. 8.* Neque dominium illud, quod Monasterium, aut Prælatus immediatus localis habet, in talem Religiosum, est illius generis, quod habet in bona temporalia, sed alterius, per quod traditio, principaliter fit Superiori, vt spiritali domino: licet vt licite fiat, iusta requiratur causa, vt latius prosequitur Suarez, *tom. 4. de Relig. lib. 3. c. 11. n. 6. 7. & 8.*

Itaque in his & similibus, licet mihi ingerat difficultatem modus resoluedi, & licet inuoluant aliquid, è proximo tangens Regulam, vt *n. 593.* quid intelligat B. Benedictus, per Monasteria nota, de quibus, *c. 61.* disponit non esse suscipiendum Monachum alienum, sine literis commendatitijs sui Abbatis: tamen cum omnia ista pertinentia ad transitum Religiosorum, qui per *cap. licet. De Regul.* loquens in causa Cisterciensium, & per alia iura, dispositus est: quibus in eo, quod per peculiaribus priuilegia, & in modo & in numero multiplicia, non fuerit derogatum, standum est, de quo egi latius in *Tract. Monast. capit. 16.* ideo iam amplius non immoror. De eis enim, sicut de alijs ad statum

VIII.  
De transitu à  
Monasterio,  
&c.

IX.  
Alia remif-  
sive.

Re-

VII.  
Animadu-  
ersio circa gra-  
dus.

Admonitio

Religiosum pertinentibus, prædictus Suarez, Sanchez, Miranda, Rodericus, Faustus, Ascanius, & alii consulendi sunt: & à me consulendum legentibus, vt Caramuelem nostrum, in omnibus nouitatibus, quas vel occasione Monachatus Hispani, sibi primitiui, ingerit exteris: vel prætextu transitus Religiosi ad externos, inuehit ad Hispanos: vel ex proprio & naturali ingenio, spargit in omnes: magnam prudentiam & prudentem cautionem adhibeant, vt non à vera & trita Sanctorum & Patrum via, & præcedentium semitis & exemplis deuiant: nec intuitu aridentis laxamenti, & nocentis benignitatis, transgrediantur terminos quos possuerunt Patres nostri.

X.  
Humilis recognitio nostri.

Denique vt nemo, de propria scientia infletur, aut de sufficiëntia præsumat, illud recolendum occurrit, quod Archidiaconus, super cap. non autem, 7. q. 1. num. 1. refert, & adducitur ab Ascanio Vallumbrosano, to. 1. de iure Abb. disp. 5. q. 23. n. 5. & ab aliis, dum difficultas agitaretur: An eiusdē Ecclesię possent esse duo Prælati, & adducto exemplo D. Augustini, qui simul cum Va-


lerio, eidem Ecclesię præfuit, tamquã singularissimo: licet aliunde, solitio huius instantiæ, videatur adhiberi posse; nihilominus eam etiam admittit, quæ continetur verbis ipsius Augustini, de se ipso dicentis: *Epist. 110. Adhuc in corpore posito patre meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo: quod Concilio Niceno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Adiungendū pro hoc cum ijs quæ in *Introduct. Art. 1. num. 14. & 15.* de ipso Augustino, & aliis adduxi, ex quibus tandem cõcludam: Quod si tanta virtutum & doctrinę lumina, ignorantia quandoque nubecula humanæ limitationis obscurat: quid nos subluce, & sæpius, vt non extingamur, emungendę faculæ, non vereamur? Vt ex animo humiliter petamus, benigneque demus veniam erratis. Quam ipse meis, qui pro nostris Crucifixus est, prebeat IESVS CHRISTVS, Dei intemeratęque VIRGINIS Domine nostrę Filius, qui cum PATRE, & SPIRITVS SANCTO, sit honor, & gloria, benedictio, claritas, & gratiarum actio, in secula seculorum.

AMEN.









# CHRONOLOGIA REGII OLIVÆ MONASTE-

RII, AD DEDICATORIAM EPISTOLAM

APPENDIX.

**L**IVA Nomen est antiquissimi Oppidi, in Vasconix tra-  
ctu, re & nomine ab Olite, paronomasia non obstante, di-  
uersi, vt benè, & verè Philippus Ferrarius, in *vocabulis*  
*Geographicis*, assignans è proximo hoc Oliuæ, quod licet non extet,  
reliquit tamen nomen pago, in quo cum Ecclesia Palatium Regum  
Nauarrex, diu permansit, congrua vicini fluminis *Aragonis* dicti, ame-  
nitate, & aliis culturis, campis, & nemoribus instructum, donec in  
territorio ipso, & Palatio, Monasterium successit, primitiuo Oliuæ  
nomine perdurante. Ita Abraham Ortelius, in suo *Theatro*, tab. 16,  
expresse recognoscit: & Pampilonensis Diocesis compræhendit.  
Atque præter alia illius vetustioris Oppidi vestigia, antiquitatem di-  
ctam redolere videtur lapis prægrandis inscriptus, qui diligentiam  
Episcopi D. Prudentii Sandovalis in *Cathalogo Episcoporum Pam-*  
*pilonensium*, fugit, & in Claustro Oliuæ visitur, non sepulchrali mo-  
do, quem & magnitudine excedit, sed in transuersam positionem, ad  
extremum latus iacens, nullo alio officio, quàm partem pauimenti,  
minutis lapillis aliàs elaborati contegere, aut incrustare. Forte inter

NOMEN.

Pp rui-

CHRONOLOGIA  
ruinas Villæ Palatiique, ex quorū ruderibus, fabrica Monasterii præcipue coaluit, insigniori lapidi pepercerunt & inscriptioni. In cuius inferiori parte tribus arcibus, totidemque superpositis dimidiatis lunis sculptis, & in superiore, stella magnâ, cornuatâ lunam inter alias duas breuiores stellas subtus habete, in medio has retinet literas:

PORCIVS  
FELIXS KRESIS  
N. LXX. H. S. D.  
SE. VIVO. FECIT.

SITVS.

**S**ITVS autem Monasterii, in planitie proxima supradicto flumini, aquis ad latus Septentrionale decurrentibus. Habet à fronte, versus Occidentem, ad leucam, Melidam, & fere atergo ad Orientem, ad milliarium, Carcastellum; vtrumque oppidum, quoad iurisdictionis dominium, Monasterii proprium; sicut & cætera excurrens, vsque ad parum distantem Aragoniæ metam plaga, & vergens ad meridiana, Regia Nauarræ pascua, appellata Bardena. Continens etiam Grangias, dictas de Encissa, & Figuerol, olim habitatas, nunc ad pastum & solitudinem redactas, sed singulariter & priuatiue proprias, sicut & alia, quæ cum cæteris, ex præcipuis, Chronologia, que sequetur, & Abbatum series indicauit. In qua, reducta Cæsaris Era ad annos Christi nati, per illos erit supputatio nostra.

Fundatio.

**A**NNO igitur Christi Domini 1134. fundatur Monasteriū OLIVÆ, per Regem Nauarræ D. Garciam Ramirum, anno videlicet primo sui Regni: & in anno vltimo nēpe 1150. rursus ab ipso indicatur, adiecta confirmatione præcedentis alterius dotationis, & expressis Oliuæ terminis, Encissæ, Castilmunii, &c. Quod apparet, dum in ipso priuilegio posteriore, Bertrandum Abbatem Oliuæ, & iam Conuentum Fratrum præsupponit, atque post nominata prædicta bona, adiungit dicens: *Horum donatio locorum eo tenore est à me facta & confirmata, &c.* Vtrumque autem de Fundatore, & tempore, stabilitum altè & defensum est, in *Epist. dedicat.* & exinde suppono.

Cuius ope  
hoc opus.

**E**T quidem prædictorum, ad hanc Chronologiam, instrumenta, propriis oculis, ex Oliuensi tablino vidi, sicut & alia potentiora non nulla, quæ oculariter perlustrare in ipsis originalibus oportuit. Nam quoad cætera, vsus sum studio & labore admodum

dum R. P. Fr. Bernardi de Hubani, eiusdem Monasterii Monachi & in eo, eiusque Congregatione Nauarræ honorificis officiis laudabiliter functi, & in ipsa nunc Reuerendissimi Vicarii Generalis Commissarii, qui iam diu à recentiore ætate, congruis noticiis ad rem imbutus, sic demum huic occupationi se mancipauit, vt nec minimam totius cartularii membranam, cartam ve, aut in carta lineam omisisse constet: vt eius fideliter transcriptis, me tutó crederem, in hac Chronologica serie concinanda. Quam posito prædicto principio, sic prosequor.

**A**NNO dicto 1134. mittitur á Monasterio Scalæ-Dei, *Domnus Bertrandus*, cum duobus sociis, qui primus Abbas, domum Palatii Regii, in habitationem recipiens, cum aliis bonis, & donis, etiam pluribus Sanctorū Reliquiis, intra quatuor annorum spacium, adiectis vndecim fratribus ad præexistentes, & aliis dispositis, inchoata iam Monachalis Cisterciensis conuersatio, numero, ex more illius, & ritu, apto perficitur. Sub huius Abbatis tempore longo, (vt pote, qui quadraginta, & vno annis gubernauit) plura euenere memoranda. Eugeni<sup>o</sup> Papa III. Monasterii protectionem suscipit, eius ferè omnibus bonis expressis, prout, & postea Alexander III. & Clemens III. aliis indultis concessis. Ex priuilegio D. Sancii Regis Nauarræ, vocati Sapientis, qui patri D. Garsiæ successit, obtinuit ipsius dotationis confirmationem & plenam Carcastelli donationem. Sed & D. Raimundi Berenguel, & filii D. Alphonfi, Aragoniæ Regum habuit similia ferè, bonorum, & indultorum priuilegia, quæ vel ex prætensione Regni Nauarræ, vel ex pietate propter vicinimatē, in maiorem soliditatem concesserūt, sicut alii eorum successores, tametsi alieni: quod non esse nouum, in Dedicatoria, etiam adducto congruo testimonio, notauit. Tandem aucta familia Religiosa, & refamiliari in pluribus, simul cum spiritali profectu, atque etiam eodem Abbate agente, & procurante, nouæ (vt apparet) Ecclesiæ magnifica fabrica incepta, aliisque grauius gestis, obiit anno 1176. die tertia julii, omnibus suis posteris relinquens memoriam in benedictione.

**I**P SO anno, succedit per Conuentus electionem, secundus Oliuæ Abbas, *Domnus Guillelmus de Vaxin*, quem non nihil adquisisse in Figuerolis pago constat. De quibus tamen minutioribus, non multum curabimus in hac serie, remittentes ea, quæ plurima sunt, nec breuitati Chronologiæ apta, ad Monasterii tablinum. Decessit è vita anno 1191. die 7. januarij.

**E**ODEM anno, tertius Abbas eligitur, *Domnus Petrus de Prouenza*, moriturque die tertia decima Februarii, anno 1193.

**Q**VO anno sequitur quartus Abbas Oliuæ, *D. Axenarius de Falzes*. Eius tempore, anno 1195. die 13. Julii dedicatur amplissima Ecclesia noua, quæ incepta á Rege Nauarræ D. Sancio, filio Regis Garfiæ, perfecta est ab eius nepote Rege Sancio, cognomento Forti, qui & consequentem Claustris regularis fabricam prosequutus est, ab aliis perficiendam, vt ex armis gētilicis apparet. Mansit autem Veteri Ecclesiæ honor dedicationis, annua celebratione, die sexta Septembris, propter consecrationem illius á septem Episcopis concurrentibus, factam, qui redeuntes à quodam Concilio simul hac via, etiam Ecclesiam Carcastelli, cōsecrarunt. Adquisiuit plura dictus Abbas, & per emptionē in Figuerol, & alibi, & per donationē, partem oppidi de Andion, & Corralizā

Abbatum  
series.

I.

XI

X

II.

IX

IIIX

III.

VIX

la Priora, sic vocatam à donante Priore Iuratorum de Sos D. Lupo Lapeza. Denique obiit die 13. Octobris, anno 1212.

V. Anno 1213. quintus Abbas, *Domnus Pontius de Pampilona*: Quo tēpore Grangia Oliuæ cum Monachis in Exea equitum extabat. Defunctus est die sexta Augusti anno 1215.

VI. Anno 1216. sextus Abbas, *Domnus Raymundus de Sancto Martino*, qui concessit morti, die vigesima secunda Februarii, anno 1223.

VII. Ipso autem anno: septimus Oliuæ Abbas, *Domnus Andreas de Vcar*, cuius tēpore Archiepiscopus Tarraconensis Apostolicus Conseruator Oliuæ, eius Monachos mirifice laudat, & tamquam lampades præfulgentes prædicat, utiq; antea & post fulgente virtute. Constat fuisse tunc Grangiam Oliuæ vocatam Oliuetam, cum Monachis in villa de Vxuesficut similiter aliam in Gallipienzo: sed iam & nomina ipsa obsoluerunt. Emit bona plura Monasterio, & obiit die 17. Ianuarii, anno 1236.

VIII. Eodemque anno successit octauus Abbas, *Domnus Sancius de Artajona*, & extremum clausit diem 24. Marci, anno 1238.

IX. Ipso verò anno, nonus Abbas Oliuæ, *Domnus Martinus de Sarasa*, sub quo fundatur insignis tunc filiatio, scilicet Regium Monasterium vocatum de *Gloria*, iuxta Ciuitatem de Iaca, & portum de Confranc, ad confinia Franciæ, & Aragoniæ, instante eius Rege D. Iaime, atque Domino de Latras, donatis ab utroque nouem oppidis, & præ aliis Cœnobiis electa Oliua in Matrem: Ex qua Monachi cum Abbate D. Petro missi, Monasterium fundauerunt: cuius euentus redibit ad annum 1460. Fauit autem eidem Abbati Oliuæ, & suo Monasterio prædictus Rex in multis pro suo Regno. Sed & Nauarræ Rex Theobaldus, donationem 84. solidorum annuatim soluendorum, ex iuribus, & pedagiis Tutelæ fecit, ad oleum pro lampade Ecclesiæ. Obit vero Abbas die 13. Decēbris, anno 1247.

X. In ipso anno creatur decimus Abbas Oliuæ, *Domnus Petrus de Conches*, qui creditur adstitisse Concilio Lugdunensi sub Innocentio III. & apud eum non parnam habuisse gratiam: Obtinuisseque constat quatuor peculiaria priuilegia, pro suo Monasterio Oliuæ, in cuius Archiuio asseruantur, variis indulgentiis, quæ tamen iam, vel ex communi iure liceant, vel aliter se habeant, viri solartiam, & studium ostendunt, qui vitam finiuit die tertia Martii, anno 1256.

XI. Quo anno vndecimus Abbas, *Domnus Garcia Palacio de Sangosa*, qui breui consumatur, die 13. Martii, anno 1258.

XII. Insequitur eodem anno Abbas Oliuæ duodecimus, *Domnus Petrus Garfia Pampilonensis*, obiitque die tertia Nouembris, anno 1268.

XIII. INDE anno 1269. tertiusdecimus Oliuæ Abbas *Domnus Raimundus de Bearne*, Cui & Conuentui Rex Nauarræ Theobaldus donat omnia nemora, & cætera quæ erant inter Monasterium & flumen, hinc inde, vsque ad terminos Santæ Caræ, quatenus Regalia erant. Defunctus est Abbas die tertia Aprilis, anno 1271.

XIV. ANNO 1273. post biennium, scilicet vacantis, quartus decimus Abbas, *Domnus Petrus Garisoayn*: Ad cuius arbitrium sententiam redduntur ingentes violentiæ, & præsuræ, quas passi sunt famuli & pastores Monasterii, ab oppidanis Castiliscaris inuasoribus, per quam sententiam & præteritis parcat, & futuris prouidet. Dies obitus illius 11. Martii, anno 1280.

REGII OLIVÆ MONASTERII.

**Q**VO Anno succedit quintus decimus Abbas Oliuæ, *Domnus Michael Arreyz de Lizarraga*, sub quo extrabat antiquum ius instituendi iudicem ordinarium, seu *Alcalde* Carcastelli, quem, & quando, & pro tempore sibi placito, & stabilitur Monasterio. Sed postea mutatur, vt infra dicitur in Abbate 27. Pars quedam Melidæ acquiritur, ex testamento D. Ximeni de Aibar, & vxore Milia de Gueuara, ex toto in sequentibus acquirendæ. Possessio oppidi de Andion per emptionem augetur. Nemora ex vtraque parte fluminis, adhuc inreruentu Regum Nauarræ, & venditione per filias Domini de Rada, solidissime firmanur. Cum aliis, quæ strenue disponit Abbas, & migrat è vita die 19. Iulii anno 1304.

XV.

**I**Psoque anno, sequitur decimus sextus Abbas, *Domnus Sancius de Muriella Fruiro*, Cuius tempore Rex Nauarræ D. Luifius Vtin, & Rex Aragoniæ Iaime II. quilibet pro suo Regno, per priuilegia fauent Oliuæ, confirmando antiqua, & aliqua concedendo, quæ non subsistunt: Ideo talia fere prætereunda. Moritur Abbas die tertia Februarii, anno 1310.

XVI.

**A**TQVE in eodem anno, decimus septimus Abbas Oliuæ *Domnus Martinus Ximenez de Aybar*. A quo fiunt nouæ acquisitiones Peitæ de Melida ex permutatione Reali. Oppidani Carcastelli, post iniurias & molestias illatas Monasterio, & post eius Bailem, seu iustitiam interemptum, Abbatis sententiæ, de eius confidentes clementia, se subdunt. Quam pronuntiat, & acceptant, Gubernatorque Regni confirmat. Moritur Abbas die 23. Septembris anno 1322.

XVII.

**A**NNO sequenti, 1323. decimus octauus Abbas *Domnus Petrus de Ponre-Regina*. Hic bellorum ingerentium causa ( prout non semel alios compulit Abbates ) vt mala hostilis inuasionis declinaret, præcabundus Cesarangustam accedens, ab alieno Aragoniæ Rege Alphonso, tamquam à proprio, duplex obtinet priuilegium donationis & confirmationis Villarum, & locorum adiustar aliorum Regum prædecessorum: & etiam protectionis personarum, & bonorum ad Oliuam pertinentium. Obit die 25. Augusti, anno 1331.

XVIII.

**A**NNO 1332. *Domnus Lupus de Gallur*, creatur Abbas Oliuæ decimus nonus, Regis Nauarræ *Consiliarius*, sic non semel honorifice appellatus à Carolo II. in priuilegiis, quæ vsque ad sex eiusdem in fauorem huius Abbatis extant, & postmodum ab aliis inuenitur idem titulus sicut hodie retinent Abbates Oliuæ. Cuius gregis iste nomine Lupus, sed re egregius extitit Pastor & proficiuus Rector in augendis conseruandisque bonis, & iuribus Monasterii. Ipse ei Oliueta & alia bona Tutelæ, ac Regiam domum de Mercadal ex antiqua Regum donatione possessam à contrariis asseruit. Ipse omne ius quod equites de Aibar, cum aliis de Mauleon, & Rada habebant, in dominio, redditibus, & peitis ( vulgo *Pechas*, ) Melidæ, per emptionem & authoritatem Regine Nauarræ extinxit, cesseruntque Monasterio in totum. ¶ Ipse ad annum 1349. rogante Nauarræ Governatore Don Ioanne de Constance, emit villas Morelli del Cuende ( seu del Conde ) & Lodosa cum eius Castello, & oppida de Yberico, & Sancostamiano, cum omni dominio, peitis, & iuribus. Morelum quidem in perpetuum, cætera quasi in pignus, vt possent intra triennium redimi à Rege, fundata Monasterio in perpetuum annuali pensione 200. cassicum tritici ( vulgo *caizes de a quatro robos* ) & 100. librarum monetæ. Pro qua tamen ad medietatē redacta, data est ei Regia Peita Caparrofi, prout hodie possidet Monasterium 400. robos tritici, & septem ducata cum dimidio, omnia soluta & possita suis expensis in ipso Monasterio ( sicut etiam de aliis similibus ) quod ipse Rex suo priuilegio altissime firmat, & ei postmodum supreme

XIX.

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

authoritatis repetitum accessit robur. ¶ Ipse Abbas ab eodem Rege Carolo II. obtinet confirmationem vniuersi domini annue peite, & aliorum iurium Melidæ, atque solutionem cuiusdam pedagii illius, & dotationem olei lampadis, quam fecerat Rex Theobaldus, transtulit in obligationem Carcastelli, loco eanę Regię, ad quam hæc villa tenebatur. A qua tamen solutione, respectu Monasterii, postmodum virtute cuiusdam arbitrarię compositionis, cessauit prout inferius sub Abbate 27. ¶ Ipse etiam ab eodem Rege impetrauit facultatę extrahendi quotidie, seu toties in anno, quot ei sunt dies, ex Regia Bardena currum lignis onustum, cum onere tamen, haud modico vnus Missæ singulis diebus, quę inclusa in hebdomadis de Virgine Maria, & Defunctorum, iam ex antiqua applicatione & modo, pro contracta obligatione soluitur, tametsi indulto nec vtatur, nec indigeat Monasterium. ¶ Denique ipsi Abbati ab eodem Rege expeditum fuit priuilegium in gratiam, & confirmationem emptionis Palatii, domini, pietatę, & aliorum iurium Ville Zizurris maioris prope Pampilonam, in quō imponit Rex Monasterio diuinum seruitium, & *eleemosynam per dictum Abbatem D. Lupum ordinandam*. Atque hinc creditur effluxisse extraordinariam quandam eleemosynam appellatam *Regiam*, scilicet, prout in defectibiliter fit in vespers Natiuitatis Christi, & Resurrectionis eius, vno quoque die erogare ad portam Monasterii 50. robos panis cocti, & sex pecudum carnes crudas frustatim, adiectis etiam numis, concurrentibus ad id vicinorum populorum cateruatim egenis. ¶ Quod si etiam ex hinc (vt autumant aliqui) aliquod principium, aut saltem robur accepit mos, qui laudabiliter viget erogandi cuilibet pauperi ad portam Oliuæ accedenti libram panis, & certis temporibus etiam leguminum, & herbarum ollam pro egenis parandi, & omni tempore quidquid a mensis Monachorum leuatur eisdem distribuendi, ac si pro numero, vel extraordinarie aduenientium non sufficiat, ex nobis cibis & esculentis, vt nulli desit, augendi: quin & ægrotantibus vicinis pauperibus, & annonę subsidiis, & medicamentis Pharmacopolii gratis impensis subueniendi, si inquam ex meliori huius Abbatis dispositione, tam multiplex miseratio formam, aut progressum obtinuit, haud dubium, quod iustitia illius maneat in in seculum seculi, qui è præsentī migravit die 16. Aprilis, anno 1362.

XX. **I** Pso autem anno, eligitur vigessimus Abbas Oliuæ, *Domnus Garfias de Ar-  
guedas*, obiitque die 14. Augusti anno 1372.

XXI. **E** T in eodem anno vigessimus primus Abbas, *Domnus Petrus de Peralta* creatur, qui moderatur peitam ingentem, & reddituum, iuriumque amplitudinem Zizurris maioris, & adhuc nunc ad minus reductam pensionem, ab alio etiam cognomine Peralta Abbate 24. minoratam fuisse. Ob quod licet non bene audiant minorantes, sed tamen audiendi, & credendum id cum suo Conuentu vrgenti ratione fecisse, prout in aliis. Illud vero certum, si Regia illa eleemosyna supra notata, dicti Zizurris causa fuit constituta, iam supra pensionem, aut pietam esse, maximé cum hæc ex emptione facta à Monasterio pro- uenerit. Extabant nunc annum 1377. domus & Grangia S. Mariæ de Oliueta in Vxue, ex locatione, aut emphiteusi huius Abbatis, qui obiit die 14. Augusti anno 1386.

XXII. **E** ODEM anno vigessimus secundus Abbas *Domnus Saluator de Gal-  
lipienzo*, qui biennio Regens vitę cursum impleuit die 21. Septembris, anno 1388.

XXIII. **Q** VO anno successit vigessimus tertius Abbas Oliuæ *Domnus Bernar-  
dus Dossa*, nec diutius gubernans morte sublatus est, die 6. Iulii anno 1390.

**E**T in ipso anno, vigessimus quartus Abbas, *Domnus Ioannes de Peralta*, huius nominis primus, qui domum de Mercadal Tutelæ in perpetuum, sub quinque florinorum Canone, hoc est 40. regalibus, traddidit prout hodie ab equitibus de Beauthmont possessoribus, annuatim soluuntur Monasterio. Peitam de Zizur hic Abbas cum Conuentu rursus diminuit. Bona oppidi de Andion ad Mendigorrenses transfert, cum pensione, quæ iam diuendita in alia bona ex oppignoratis Carcastelli commutata sunt. Sub hoc Abbate, instante Rege Navarrae Carolo III. fit à Papa Benedicto III. annexio Monasterii Monialium de Marcilla, ad Monasterium Oliuæ, cuius exinde remansit filiatio, & Prioratus ab Oliua omnino dependens, obiit Abb. die 9. Nouembris anno 1416.

XXIV.

**A**NNO sequenti, scilicet 1417. vigessimus quintus Abbas Oliuæ, *Domnus Michaël de Gallipienzo*, Ad eius supplicationem & instantiam Regis, autoritate Martini V. adiunguntur, & incorporantur Prioratui Marcillæ seculares Abbatie de Noayn, Gallipienzo, Sada, & Eslaua, vt inde sibi prouideret de omnibus sibi necessariis, & liberaretur Oliua ab ea obligatione; retento tamen iure ponendi ibi quatuor Monachos, & reliquam potestatem, tamquam in filiationem propriam. Sub hoc Abbate ex donatione Martini Ximeniz acquiritur Oliuæ quarta pars putei salis, dicti Ronces-valles, circa Monreal, prout hodie possidetur. Moritur die 24. Aprilis, anno 1429.

XXV.

**E**ODEM anno vigessimus sextus Abbas Oliuæ, *Domnus Ioannes Felix* eligitur, per vota Conuentus, presente Patre Abbate de Scala-Dei, D. Arnoldo, qui vt talis confirmauit electionem. Ipse vero Abbas Oliuæ tamquam Pater Abbas Marcillæ Priorem ei constituit semel Fr. Bartholomeum de Burgi, & rursus Fr. Michaellem Benedictum, vtrumque Monachum Oliuæ professum. Fuit Vicarius generalis, & visitator Monasteriorum Navarrae, autoritate Capituli generalis Cistercii. Extabant adhuc Grangiæ nomine Oliueta in Vxue & Gallipienzo, quarum idem Abbas Oliuæ locationes fecit, moriturq; die 27. Iulii, anno 1449.

XXXVI.

**I**N ipso anno subrogatur vigessimus septimus Abbas, *Domnus Ioannes de Peralta II.* promotus ex Fiterio, antequam Abbatia, exitit Marcillæ Prior, vtpote Oliuæ filius, & more aliorum. Sub hoc Abbate Peita Melidæ, ob quam persoluebat 916. robos tritici, & 20. argenteos, vltra medietatem minoratur, licet adiecto molendino farinario, & certis conditionibus circa ipsum, & circa conductum aquæ vulgo *axequia*. Idem Abbas intentatam à prædecessore restaurationem iurium Oliuæ, quæ ferè persum ibant, contra Carcastelli oppidanos, iuridicis sententiis obtinuit. Stabilita Monasterio iurisdictione ordinaria, cum electione in *Alcalde* vnus ex tribus, & inscriptione propositis, & constitutione *Iustitiæ*, in solidum; & cum facultate plena pascuorum communium Carcastelli, aliisque ordinationibus: sed tamen pensio 14. librarum, in quibus dotatio Olei Regis Theodebaldi includebatur, supprimitur, & peita solitaque 1200. exequibat, vltra duas tertias partes minuitur, adiudicatis etiam ei, per arbitrariam sententiam anni 1459. centum annuis florenis à conductoribus herbarum communium soluendis. Extat hoc tempore certa possessio bonorū plurium Sadabæ & Oscæ, ad Oliuam pertinentium, quorum hodie, nec vestigiū. Bene tamen ius Ecclesiæ, & Abbatie S. Michaelis de Biota, cum suis qualitatibus, & pertinentiis, ex permutatione cum Monasterio de Gloria, quod filiatio erat Oliuæ, quæ ex hinc cum suis iuribus honoribus, & oneribus cessit Benedictinis S. Christinæ. Obit Abbas die, in ipso Oliuæ Capitulo literis annotata, scilicet 10. Iulii, anno 1468.

XXVII.

XXVIII.

**Q**VO Anno eligitur vigessimus octauus Abbas Oliuæ, *Domnus Petrus de Erasfo*; cuius tempore solutio Mediæ annatę, facta Romæ anno 1470. ad 68. aureos florenos constat. Fit ab eo collatio Vicarię Ecclesię S. Michaelis de Biota anno 1474. præstito sibi iuramento fidelitatis, & obedientiæ à Vicario, quod etiam alii Beneficiati debent præstare Abbati, de cuius iure, & forma seruanda, *inferius in Abbate 30. & in ultimo.* Adquirat hic Abbas Monasterio ex hæreditate Fr. Petri Grez in Sansoin de Valdorba, domum & Viciniam Infanzonam, & ius eidem qualitati annexum, cuius hodie præter vestigium instrumenti, aliud non extat.

Obtinet ad sui vitam quoddam immunitatis Monasterii priuilegium, à D. Ioanne de Labrit, & D. Catherina Nauarræ Regibus, à quibus in hoc & alijs instrumentis, Venerabilis & fidelis Consiliarius, & bene dilectus, honorifice vocatur. Quorum Regum coronationi, & vnctioni *assidens*, inter Cistercienses graduatur hoc ordine: Primùm D. Fr. Petrus de Erasfo Abbas Oliuæ, deinde D. Fr. Saluator Calbo Abbas S. Saluatoris, postea D. Fr. Petrus de Baquedano Abbas Irauzu, tandem D. Fr. Michael Peralta Abbas de Hitero, vt constat ex ordinationibus Nauarrę, compilatis, à Licentiato Petro Pasquier, *lib. 3. tit. 34. fol. 188.* & Historia Garibai 3. *par. lib. 29. cap. 17.* Quem locum alias obtentum conseruant semper in generalibus Comicijs Abbates Oliuę, prout infra in Abbate ultimo.

Sub hoc Domino Abbate, vicini Murelli del cuende, qui oppidum deseruerant, iurisdictionem Monasterii & obligationem peitarum detrectantes, petunt à Regibus D. Ioanne, & D. Catherina, vt sibi restituerentur domus habitandi, parati eas reficere, & solitas peitas soluere, & vt à Rege nominaretur eis annualis iudex Alcalde: Quod, concessio priore, denegatum est eis, sed quod ab Abbate, à quo triplici instrumento conuicti fuerunt, nominaretur, prout fit. Ab eisdem autem Regibus confirmantur Monasterio pascua Bardenæ, & facultas lignandi Caroli II. Atque hunc Abbatem D. Petrum Erasfo gubernationem totius Regni tenuisse in absentia Regum, & instrumenta archiui docent, & confirmat Garibai, 3. *p. lib. 29. cap. 19.*

INTER alia quæ huic egregio Oliuæ Abbati debet Monasterium, illud est nempe intermissa à tempore Regis Sancii Fortis ædificia, instaurasse & promouisse & consumasse, vt maiori ex parte Claustra ipsa lapidea Erasorum Gentilicijs desuper insignita ostendunt. Plantationem etiam vineæ & Oliuarum, quæ in Murello del Cuende extant Monasterii prouentibus addidit. Ac tandem sui optimam relinquens memoriam, diem clausit extremam 24. Octobris, anno 1502.

XXIX.

**A**NNO vero sequente 1503. adest electus Abbas vigessimus nonus, *Domnus Annus Fr. Alphonsus Nauarræ*, Consiliarii Regis titulo, consequenter ad præcedentem & alios, expresse in priuilegijs insignitus. Hic vicinos Carcastelli litigantes per obtentes sententias efficaciter vincit, vt præter ius in communibus pro Monasterio declaratum, ab omni iure in grangijs excluderetur, atq; replicantes Carcastellani, etiam cum expensarum condemnatione compescuntur. In Tutela iura non soluendi decimas, aut primitiam possessionum, Monasterio asseruit, contra Decanum, & Canonicos per Apostolicum iudicem, eius sententię tandem iuridicè & solemniter consensum præstantes.

Ad annum vero 1511. idem Dominus Abbas tamquam Pater Monasterii Marcille, inde mortui Prioris Fr. Ioannis de Lubian locum elegit & instituit Fr. Martinum de Rada, Oliuæ professum & Cellerarium, idem ius deinceps, contra volentes introducere electionem solum ab Abbate confirmandam, defendens, & firmans. Sub eodem Abbate dantur Petro de Rada domus turris,

vineę hortus, & prædia, quę Monasterium habebat in Murello de Fruto, perpetua quadam annuali pensione imposta. Carcastellum ære alieno 2280. florenorum, quos Monasterio Oliuę debebat, onustum, cum soluendo non esset, quasi pignoris, aut reddituum ratione, vsque dum debitum solueret, concedit Monasterio ius accipiendi 60. florenos, ex illis centum, qui in conductione herbarum eidem villę adiudicati fuerant *vt sup. in Abbate 27. & infra in Abbate 38.* Ab hoc autem Abbate D. Alphonso de Nauarra Vicariatus, & Beneficia Carcastelli, quę ad nutum erant amobilia ceperunt esse perpetua, sola voluntate & permissu Abbatis, & inde inducta consuetudine.

Fuit iste Abbas vltimus eorum, qui per suffragia Conuentus Oliuę eligebantur á principio, & ex antiquo more, quo, Patre Abbate Scälę Dei cerciore facto de vacante, aut præsidebat ipse, si quando aderat electioni, & eam confirmabat, aut ex eius commissione in Capitulo Oliuę, consueto modo fiebat. At hoc tempore per Papam Adrianum VI. concessa Carolo V. Imperatori, Hispanię Regi præsentatione Episcopatum, & aliarum dignitatum, facta resignatione ab hoc Abbate, anno 1526. & obtenta præsentatione Regia, Bullisque á Põtifice expeditis, diuerso modo Oliuensis prouisio fieri incepta est. Mortuum autem fuisse prædictum D. Abbatem, mensis Octobris die tertiã inuenitur, sed annus ignoratur.

**I**GITUR anno 1526. instituitur Abbas Oliuę trigessimus, & ex Regia præsentatione primus, *Domnus Martinus de Rada*, filius Murilli de Fruto, in vtroque iure licentiatus, qui prius Curię Regis Nauarrę Prętor, seu Alcalde, Monachatum Oliuę inuit, & Religionem professus, eius Abbatiam simul cum Prioratibus de Vxuã, & Arroniz, ex gratia Clementis VII. obtinuit, rexitque per decennium cum magno iurium & possessionum Monasterii incremento. Hoc maximè circa Carcastelli communes montes, & circa Grangias Monasterii sibi insolidum proprias, & iurisdictionem, & circa pastus Bardenę & lignationem concessam á Carolo II. Nauarrę Rege: & circa terminos, & limites de Sos, etiam ad Rotam delata lite: & alia plura in aliis bonis.

Ab eo tamquam á Patre Abbate Monasterii de Marcilla creatur eius Prior Fr. Petrus de Alli, Oliuę professor. Circa Ecclesiam de Biota post prolixiores lites iura Abbatis, & Monasterii iuridice firmantur, qua ratione in ea Abbas Oliuę visitat plene etiam sacram Eucharistiam, olea Sancta, pilam Baptismalẽ, &c. Debet recipi honorifice tamquam Superior, cui obedientiam in collatione præstant, Vicarius, qui ad præsentationem Comitum de Aranda instituitur: & Beneficiati, quos præsentauerit ipsa Villa Biore: & Beneficiatus dimidiatus, quem insolidum Abbas Oliuę ad nullius præsentationem instituit, dum sit ipsius villę naturalis, aut in defectu ex Aragonia. Soluit autem Vicarius in collatione argenti marcum valoris 71. Regalium cum dimidio, & florenum Secretario tituli, cæterorum vero quilibet septem solidos, & dimidium solummodo præstant, Abbati. At ipsa Ecclesia annuatim, & semper Monasterio Oliuę 485. sueldos Iacenses, ab omni subsidio, aut alio onere liberos, & suis expensis in Oliua positos, qui efficiunt 242. argenteos regales cum dimidio. Quando vero ad visitandum fueri P. Abbas Oliuę, tenentur ei, & octo comitibus equæstribus hospiciam cum lectis, & decentem mensam pro prandio, vel cęna instruere, ac famulis, & equitaturis prouidere.

Fabricauit autem prædictus D. Abbas ferè vtrumque dormitorium Monachorum, quibus in Superiore deambulatione carebat monasterium, item, & superiora Claustra dormitorio contigua. Tamdè anno 1536. Abbatiam resignat cū consensu Caroli Imperatoris V. & Nauarrę Regis IV. & bullis Clementis VII. in Sobrinum, Oliuę Monachum iam professum, & antè Monachatum in iure licentiatum.

XXXI.

**I**NDE dicto anno 1536. sequitur trigessimus primus Abbas Oliuæ, *Dominus Fr. Marinus de Rada* junior, seu huius nominis secundus; & secundus ex Regia præsentatione, quæ deinceps continuabitur vsque ad finem huius Chronologiae. Hic Abbas Patruī vestigia sequutus, proficuus Monasterio, in Carcastillo plura bona, in hortis, vineis, & domibus, per emptiones reales acquirit; & in eis præcipue domum, quam ex ædificatam prope Ecclesiam, in Palatium nouum, veteri relicto, habet Monasterium. Item Tu telez domum propriam, ab impedimento intentato ædificii, fenestratæ persule, & parietum, defendit. Delatam ad Rotam, litem contra Sos, de proprietate terminorum Figuerol, &c. confirmatâ arbitraria sententia Abbatis Sanctæ Fidei, diffinitiuè concludit. Similiter ibidem Episcopum Pampilonensem intendentem subsidium charitatum, etiam in expensis damnatum, ab actione repellit, pro Monasterio Oliuæ, S. Saluatoris, Iranzu, & Marcillæ. Iurisdictionem cum iure venationis, & piscationis Carcastelle, Melidæ, & Murelli del Cuende, nobis Regii Senatus Nauarræ executoriis stabilit. Atque pactum Bardenæ à fine Septembris, vsque ad finem Maii solitum, contra ipsum Regium fiscalem in expensis litis damnatum, cum facultate ibidem venandi, etiam per famulos, & commensales Monasterii, eidem asserit.

Huius D. Abbatis tempore anno 1548. mense Octobri, Reuerendissimus Abbas Cistercii Ioannes personaliter visitat hoc Oliuæ Cœnobium. Frater Bernardus Alvarez, sub prædicto Abbate Oliuæ professionem emittit, qui spectatæ virtutis vir, triginta & sex annis Prioris officium acceptabiliter (quod mireris) gessit, & Religionis exemplaris memoriam posteris dereliquit. Ipse vero Abbas murum Monasterii ab antecessore inceptum perfecit, & in Ecclesia, mutato situ Chori, ad meliorem, quam hodie habet proportionem translatis, soloque totius templi lateritio opere incrustato, aliis que ædificiis intra, & extra reparatis, obiit die 19. Octobris anno 1550.

*Intercalaris  
Abbas.*

Ad annum autem 1554. succedit per nominationem Carolis V. Imperatoris, & Hispaniæ Regis, Licentiatus Pobladura, Regii Nauarræ Senatus Auditor, eâ necessaria conditione præuia, Monachatum per habitum, & professionem suscipiendi. Qua nullatenus impleta, ipse licet quoad tempus administrationis temporalis, quam interea gessit, Abbatibus Oliuæ interpositus, sed non in numero eorum computatus. Qui Religioni suscipiendæ, etiam mandatis Regis, non acquiescens, a Monasterio discessit, nactus occasionem, siue iure, siue dolo (de quo apud Oliuenses haud bene audit) asportandi secum, in pecuniis, & argenteo mense apparatus, & aliis, ingentem sumam, & se in Valli-foletum contulit. Vbi primum Regiæ Cancellariæ senator, inde ad Canonicatum Ecclesiæ Toletanæ promotus, tandem id præstitit Oliuæ, vt neque ablata, aut asportata, etiam si iuridice petita, recuperauerit; & Abbatum, vel numerum auxerit nullum, decennio in præfatis consumpto.

XXXII.

**Q**VARE anno 1564. numeratur trigessimus secundus Abbas Oliuæ (omisso intercalari) *Dominus Fr. Michael de Goñi*, nobili familia natus Cintruenigi; assumptus primum ex Canonico Pampilonensi à Rege Philipo II. in Abbatem Monasterii Premonstratensis de Vrdax. Sed ante effectum, vt constat, rursus ab eodem Rege ad Oliuam promotus, vt Monachatu præcedente, à Pontifice tunc Pio IV. Abbatia istius Bullas obtineret, simul cum iure tripartite, tunc primitus introductæ, vt excessibus Abbatum occurreretur: Et quidem diu denegatæ, tandem pro ea vice concessæ; utique per successores prorogatæ vsque ad trigessimum octauum Abbatem, D. videlicet Fr. Michaellem de Sada, in quo, & perpetuitas, & tripartita cessarunt.

Ad annum 1567. constat autentice, hunc D. Abbatem Michaellem de Goñi

REGII OLIVÆ MONASTERII.

visitasse Ecclesiam S. Michaelis de Biora, eique prestita fuisse honorifice, & pacifice omnia, quæ in Abbate trigessimio numerantur prestanda à Vicario, & Beneficiariis. Circa Ecclesiam Carcastelli Iudex Apostolicus officialis Archiepiscopalis Cesaraugustanus pronunciat sententiam, per quam Episcopo Pampilonensi defertur visitatio Sanctissimi Sacramenti, olerum, Pile baptismalis, & Clericorum: Cætera Parroquialia, & ad Ecclesiae servitium pertinentia, Abbati. Cuius est Vicariam quocumque tempore providere: Beneficiarios vero suis mensibus, Marcio, Iunio, Septembri, & Decembri: Capellanum autem, absentias suplètem, quolibet anno nominare die S. Martini: Sacristam libere ponere. Cui Sacristæ ex aceruo dezimarum, primitiarumque competunt 18. robos tritici, Vicario 48. Monasterio ratione Monachi Assistentis 6. quibus extractis ante partitionem, ipsa partitio sic fit, vt v. g. ex viginti robis, 14. sint Monasterio, & 6. Beneficiariis. Per sententiam autem Regii senatus Navarrae statuitur solutio 100. ducatorum, singulis annis facienda à Monasterio, ratione primitiæ Carcastelli, ad luminaria ornamenta, & fabricam ipsius Ecclesiae, quæ quidem quantitas per manus Primitiarii secularis expenditur, & rationem reddit Abbati Oliuensi.

Edificauit prædictus Abbas Palatium, quod nunc est pro Abbate, & Hospiti- bus in introitu Domus ex materialibus, quæ ab anterioribus Abbatibus paratae erant ad diuersas fabricas. Ipse tamen Abbas anno 1579. die 20. Martii decessit è vita in suo loco natiuitatis Cintruenigo, & inde adductus ad Oliuam, iacet in Capitulo cum cæteris Abbatibus.

Vacat Monasterium fere sex annis, delata administratione temporali, secularibus sed melius ad Monachos transfertur à Rege Philippo II. in subsidium Monasterii, ei concedente ob necessitates suas redditus vacantis, quæ extabant ad 4043. ducata.

**A**NNO vero 1585. trigessimus tertius Abbas Oliuæ ex Congregatione Obseruantiae Castellæ, & ex insigni Vallis-Paradisii Monasterio, assumitur D. Fr. Stephanus Guerras munere etiam Regio, ad tempus Calatrae Præpositus. Eo anno perpetuam Regii Senatus executoriam obtinet, vt kalendis Septembris, die scilicet S. Egidii Villa de Caparroso, quot annis intra Monasterium, suis expensis, ponat peitam 400. robos tritici, & septem ducata cum dimidio; aliter possit executio fieri in omnibus, & singulis eorumque bonis, tam communibus, quam particularibus, absque alicuius exceptione. Tèpore huius D. Abbatis perfectum est Altare, seu retablo maioris Capellæ, quod haud minus 3152. ducatis constitit. Domus Tutellæ, plusquam 600. ducata exedificata est. Vbi, & ipse Abbas morbo correptus (Religiosis monitis in scriptura relictis) obiit anno 1588. die 30. Augusti, & inde translatus ad sui Monasterium sepultus est in Capitulo.

**V**Acet Monasterium vsque ad annum 1591. in quo Regia, & Apostolica auctoritate constituitur Abbas trigessimus quartus Oliuæ, D. Fr. Franciscus Suarez, filius Valis-Paradisii in Congregatione Castellæ, & in illa Generalis, & merito. Crux argentea, quæ in processionibus defertur expensis fabricæ fit. Edificatur transitus cum scala lapidea ante Claustrum Regulare, & iaciuntur fundamenta pro viciniore habitatione Abbatum cum Conuentu. Stabilitur ab hoc Abbate ex sua tertia parte, charitatis opus in beneficium Carcastelli, vt tèpore feminandi, ad id, distribuantur inter vicinos ad voluntatem Abbatis, iuxta cuiusque exigentiam 300. robi tritici, quæ quidem charitas magna, maximum recepit augmentum ab Abbate successore immediato, simul cum Conuentu. Resplenduit huius D. Abbatis liberalitas, quippe ex cuius Dono fabrica, & Conuentus ultra 1000. ducata accepisse fatentur: & plures Bibliothecæ libros. Obiit autè die 14. Septembris anno 1595. & sedis Abbatialis vacans fuit, vsque in sequentem annum,

Et

XXXIII.

XXXIV.

XXXV.

**E**T sic anno 1596. eligitur Abbas trigessimus quintus Olivæ, D. Fr. Gaspar Guierrez, ex Congregatione Castellæ, & in ea dignissimus Generalis, & tãquam Pater piissimus, auxit opus pietatis, seu triticum charitatis, simul cū Conventu circa vicinos Carcastelli: addens ad illos 300. robos, ab Abbate antecessore suo fundatos, 700. cum quibus completus est numerus 1000. qui quidem in presenti viget, & fruuntur Carcastellani. Perficitur Bibliotheca Ecclesiastica, destinata ad Chorum, seu libri cantus, quos cepit facere suus etiam antecessor Abbas. Fabricatur magnis expensis sacristia nova: quæ quidem ob pulchritudinem, & magnitudinem operis addit exornationem non parvam Ecclesiæ. Fit etiam pharmacopolium ad medelam: sed cum ad mortem nulla sit, ipse D. Abbas, anno 1605. die tertia Februarii, functus est funerariis suffragiis, qui ipse, & Conventus statuerunt pro quocumque Abbate, & Monacho istius Monasterii defunctis: celebrare scilicet, reciproca charitate, sex missas solemniter cantatas, & septem priuatas.

XXXVI.

**I**N ipso anno eligitur trigessimus sextus Abbas Olivæ, D. Fr. Bernardinus Agorreta, filius huius Regni Navarra, vtriusque iuris Doctor eximius, sed non insignitus Abbatiali dignitate vsque ad annum 1608. quo expedita est Bulla Summi Pontificis ad istam Abbatiam possidendam. Prædictus quidem Abbas obtinuit sententiam Regii Senatus Navarra contra Villas ipsius Monasterii *Carcastillo, Melida, Murillo et Quende*. Ut ipse teneantur vocare Abbatem, aut in sede vacante Priorem cum titulo honorifico, scilicet *Domini*, Hispanè *Señor*. Tẽpore huius Abbatis conficitur organum, quod & nunc perficitur actualiter. Emit & Monasterium dimidium Molendinum Carcastelli. Et alia fecit ipse Abbas, qui & mortuus est, anno 1611. die 22. Aprilis, sepultusque cum Patribus suis D. Abbatibus in Capitulo.

XXXVII.

**S**Equenti igitur anno 1612. efficitur à Catholico Maiestate trigessimus septimus Abbas Olivæ, D. Fr. Ludovicus Diez, *Aux de Almendariz*, ex Obseruantia Castellæ, filius nobilissimus huius Regni Navarra. Pulcher sanguine, sed pulchrior virtute. Nõ dum enim nominatur Abbas, vsque ad annum sequentẽ, qui tunc à Sede Apostolica ad exercitium suæ dignitatis Bullam accepit. Inter Magnifica opera ipsius D. Abbatis, primum locum meruit Sacrarium in maiori Altari, & pone ipsam Chiroloa, opus decens in venerationem Sanctissimi Sacramenti. Redemit suis expensis censum Montis-Aragon: qui quidem quamuis reuera esset census, potius videbatur peita, ob qualitates, & circumstantias solutionis: *Sed sponsus nobilis Abbas nobilitat sponsam Olivam*. Fabricauit D. Abbatibus, infra ipsorum Palatium: Imò, & infra ipsam terram habitationem ad estiuũ ardorem fugiendum, huiusque celi nimiam calidam constellationem: quia Sol in Leone hic rugit. Sed melius profecto Calorem fugit cum celebri puteo niuario, seu gelu. Aliaque plurima felicitis recordationis fecit Sanctus iste noster Antistes (sic nos decet vocare, qui audiuius, & ex nostris sunt, qui viderunt virtutes eius) quamuis in quadriennio: *Sed consumatus in Brebi*, in huius Monasterii beneficium, *expleuit tempora multa*.

ANNO autem 1617. ex Abbatiali dignitate, quasi coactus propter nimiam charitatem, qua dilexit Olivam, assumptus est à Catholico Philippo III. iste noster illustrissimus Abbas in Episcopatum Iacensem. Et quadriennio haud expleto ex ipsa sede promotus fuit ad Virgellensem. Hinc in Archiepiscopalem Cathedralam Tarraconensem ascendit. Deinde ante possessionem apprehensam, ad Ecclesiam Pampilonensem, in sua Patria, & circa sui spetiosam in Campis Olivam electus est Antistes. Et denique sine sui desiderii furtione disunctus est Barchinonẽ, dignissimus Prorex Principatus Cathalonie, & Generalis Dux illius Regni, & quod magis est (si voci populi credimus, quæ est vox Dei) Sanctus euallit

ex hac vita ad eternam felicitatem. O felix Oliua, quæ talem, ac tantum meruisti, habere Pastorem!

**A**NNO 1618. succedit Illustrissimum Episcopum nostrum, trigessimus octavus Abbas Oliuæ, D. Fr. Michael de Sada, ex Castellana Congregatione. Cuius in Romana Curia Procurator fuit Generalis, & in ipsa Obseruantia iterum atque iterum Abbas. Iussu Philippi IV. Regis nostri in Portugalia Ordinis nostri Monasteria visitauit. Qui quidem Abbas, & Conuentus videntes afflictionem, quam creditores ingerebant suæ villæ *Carcastillo*, quæ nimis agrauata erat censibus, & non habebat unde redderet, pactauerunt (presente Auditore Regii Senatus Nauarræ) vt Monasterium solucret omnes census villæ (reductis ad minus redditibus), & sibi à sumeret terminum sui oppidi, ad pasqua vtilem, in gratificationem Beneficii, assignatum. Prædictus quidem Abbas migravit ex hac vita die S. Martini, & inter Abbates iacet in Capitulo: in quo finita est tripartita simul, & perpetuitas.

XXXVIII.

Quadriennio fere integro vacat Monasterium, tempore quo à Rege nostro Philippo Quarto, adipiscitur, cum cæteris quatuor Cisterciensibus Coenobiis huius Regni Nauarræ tan Magnificum beneficium, vt tripartita extirpetur, & perpetuitas auferatur in Abbatibus; isti que sint quadriennales tantum. Regia autoritate interposita, & habita licentia à Cistercio, obrinetur à Summo Pontifice Urbano Octauo, Bullam vnionis istorum quinque Monasteriorum Congregationi Coronæ Aragonum. In quatuor Capellis Ecclesiæ huius Monasterii, hoc etiam tempore, altaria quatuor, eleganti fabrica construuntur: Et inter quatuor, Reliquiarium, opus vndique perfectum refulget. In quo summa cum veneratione collocatum est Lignum Sanctissimi Crucis. Lac Dei Genitricis Mariæ, ossa sex Apostolorum, & S. Ioannis Baptistæ; & aliæ innumerabiles Sanctorum Reliquiæ. Huius sedisvacantis Prior, Reuerendus admodum P. Fr. Antonius Ruiz, filius Regni Nauarræ, & pro eo Primus Visitator in Congregatione Aragonum. Denique à Catholico Maiestate eligitur in Abbatem quadriennale Monasterii de *Marcilla*. Expletoque munere Abbatiali ad suos Oliuenses rediens, obiit hic anno 1646. & requiescet cum Patribus suis Monachis in Claustro.

**A**NNO ergo 1636. constituitur Abbas Oliuæ trigessimus nonus, & primus quadriennalis, D. Fr. *Angelus del Aguila*, ex Congregatione Castellana, celebris Monasterii de *la Espina* filius, qui Pater simul, & Abbas illic extitit. Tempore huius D. Abbatis erigitur super ipsum fornitem prospectus Ecclesiæ magna, ac per celebris turris: non solum ad decorem plateæ, quæ est ante fores ipsius Ecclesiæ, verumetiam ad pulchritudinem totius Monasterii. Finito quadriennio in suam Congregationem rediens, est electus Abbas Collegii nostri Complutensis. Et in ipso antequam triennium exleret; Expleuit & ipse omnes dies vitæ suæ, anno 1645.

XXXIX.

**Q**Vapropter, anno 1641. Abbas Oliuæ quadragesimus, & secundus quadriennalis, assuptus est D. Fr. *Emanuel de Cereceda*, insignis Monasterii de *Huerta* filius, vbi fuit & Abbas. Tempore cuius in venerationem Sanctissimi Sacramenti efficitur in maiori Capella Lampas argentea, spetiosa forma, præciosaque magnitudine. Picturæ sacræ non nullæ conficiuntur, expensis non paruis. Prædictus quidem Abbas ad suos redidit hortenses completo munere quadriennali, vbi & Completus est numerus dierum suorum, anno 1646.

XL.

**D**enique, anno 1645. quadragesimus primus Abbas Oliuæ, & tertius quadriennalis, electus est author huius operis, *Magister videlicet, D. Fr. Nicolaus Bravo*, Superatensis Monachus, filius Castellane Congregationis. In eaq;

XLI.





# APPENDIX II.

**A**D Priorem Chronologiam *OLIVAE*, ex promisso Dedicatoriae debitam, alteram *SVPERATI* vltroneus adnecto, ne cui alia meae Religiosae filiationis pignora dedi, hoc etiam, ex genere suo non posthabendum, desit: atque vt propria Monachus mei domus, particeps sit pinguedinis Oliuae: sub cuius umbra, mihi melius, quam aliis sub vite sua, & ficulnea, pace, & quiete fruente, ad hoc otari, inter alia negotia, licuit. Nec opus est longiori exordio, vbi etiam in assumpta materia: omnino studendum est breuitati.

## CHRONOLOGIA ABBATVM REGII

MONASTERII DE  
SVPERADDO.

**N**OMEN Monasterii nunc vulgo dicti de *S O B R A D D O*, ab ipso principio tractum est, & retentum, vna aut altera litera mutata, dum vel duplici, dd, *Superaddum*, vel, *Superadum* simplici, vel *Superatum*, commutata in t. reperitur. Aduocatio eius Ecclesiae praecipua in principio, *S. SALVATORIS*, nam quae *S. IACOBI*, sicubi aliquando legitur, ex collateralis Capella olim ipsius *S. Apostoli* venerationi dicata, irrepsisse videtur.

*Monasterij  
Nomen.*

*Situs.* Semper inuenitur fundatum duplex, seu duplicatum, viris Religioſis, & fœminis Sanctimonialibus, ſeparata habitatione diſtinctum, quod frequēs illis ſæculis erat. Situs etiã ſemper propemodũ, cum ipſo nomine loci, idem prope fluuium Tamarim, in tabulis Ptolomei Tamara dictum, hodie *Tambre*, cuius ex vicino lacu ſtagnante origo, & ferme per viginti leucas eam partem Galleciæ, verſus Occidentem præterfluens, auctus aquis, eas cum nomine, iuxta portum Noyæ, quæ *Noela* Plinio, *lib. 4. c. 20.* mari committit.

*Dioceſis.* Dioceſis autem ei Compoſtellana, & Archiepiſcopalis hodie, à corpore S. Iacobi Apoſtoli, vulgò vocata *Santiago*, quæ ſucceſſit primitiua Irieſtana, propter eundem primum, & vnicum Hispaniæ Patronum, ad eam Iriæ oram, per vaſtiſſimum aduectum mare, appellata *Padron*. Diſtat Monasterium à Compoſtella, octo leucis: totidem à portu Phari, hoc eſt ciuitate Corrunnæ: ſeptem à Lucenſi.

*Annorum computatio.* Nunc ſupputatio temporis, licet per Cæſaris Eram fuerit frequentiſſima, imò & illis temporibus, in instrumentis ſolemnis, & perpetua, tamen iam, facta nota detractio 38. annorum de illa, per annos Chriſti Dei, & Domini noſtri nati, erit ſupputatio noſtra, in hac *Abbatum Chronologica ſerie*. Atque, pro hac, licet præſens, multa ipſius Monasterii, in tablino, viderim monumenta: tamen abſens multo plura accepi, labore, & induſtria, R. P. Fr. Barnabæ Alphonſi, eiufdẽ ſacræ domus Monachi, & in Monachatu, ferè mihi, in eo iam pluſquam quinquagerio, Synchroni, non ſolum Theologiæ: ſed & optima eruditione præcipui, & quod ad rem attinet, in hiſtoria apprime verſati, & in euoluendis, archiuui reconditis ſcriniis, etiam ad meam importunitatem indefeſſi, vt ſelectum, & coordinationem rerum poſſe facere, in ea. Quæ ſic ſe habet.

*Fundatio.* Anno Chriſti Domini 780. ſexageſimo poſt inuaſſam à Mauris Hispaniam, *Superaddi* duplex Monasterium inuenitur extare, anteriore ignorato principio, iuxta instrumentum productum in *Annalibus Cifterciensibus Manriquianis Illuſtriſſ.* Epifcopi Pacenſis, *tom. 1. ad ann. 1142. cap. 11.* Quod tamen, vt incertum relinquo, arbitrans mendoſam ipſi miſſam temporis relationem, confundit enim nomina Munice, & Gutierre, infra reponenda. Quare.

*Certior.* Anno certo 952. Vere, & clare ſurgit, ſub regula, & nigro habitu S. Benedicti, Monasterium, idibus Maii, fundantibus antiquis Comitibus de Prefares. D. Hermenegildo, & vxore D. Paterna Infanta. Facta tunc carta dotationis amplifiſimæ à Rege Ordonio III. approbatæ, & edem, anno ſeptimo idus octobris, iterata cum ingenti amplificatione: Confirmanda tertio, & augenda, anno 955. ab eiſdem, & filiis eorum D. Roderico Duce, & Siſnando Epifcopo Iriæ flauie, & quarto ad annum 971. per Regem D. Ramirum III. adiecta donatione, & confirmatione, expreſſis bonis, villis, & poſſeſſionibus, intra & extra Comitatum, ſtabilitur: ſuper inductis aliorum plurium Regum in id donationibus, & confirmationibus, cum iuriſdictionibus, quæ hodie exinde perdurant, ferè duodecim parrochiarum (vulgò *feligreſias*) circum circa Monasterium, tractu continuo, præter alias, in quibus omnibus ratione Domini, ſeu quod dicitur *vaſſallage*, morientium percipit *Luctuoſas*, & alia iura ex more Regni nota, & mihi cum ſimilibus Archiuio eiufdem Monasterii, & eius praxi iuxta varias materias, & partes relinquenda.

*Abbatiffæ.* Sed vt me expediam à *duplicitate* Monasterii, ex parte fœminarum ſemel. Anno dicto 952. præſcitur Sanctimonialibus Abbatiffa D. Geluiria, Soror Comitum Hermenegildi Fundatoris, adducta ex vicino Monasterio Arangæ: quibus addita eſt ipſa fundatrix Infanta D. Paterna. Poſtquam Abbatiffam, vſque ad annum 1045. destructionis Monasterii, numerantur aliæ quinque, quarum vltima

REGII MONASTERII DE SVPERADDO.

D. Munia, in qua *duplicitas* ex parte Sororum, non amplius surrectura, cessauit, & ita ad seriem Abbatum procedo.

1 Ante annum 955. iam inuenitur instrumentum Abbatis, D. Didaci, & iam cū Conuentu Fratrum, & ita credo debere assignari annum assignatum primę Abbatissę, aut sequentem, huic primo Abbati, sub quo ipse Comes fundator, adiectus est numero Monachorum, & filius eius Sisnandus Episcopus. Quod retentio Episcopatu volunt aliqui, & discussione eget.

*Prima series Abbat.*

2 Anno 958. inuenitur secūsus Abbas, D. Aloirus, de quo, sicut de aliis, quorum non aliquid prorsus memorabile fuerit iuxta breuitatem Seriei huius, solo nomine in successione contenti erimus.

3 Anno 959. Tertius Abbas, D. Guzintus.

4 Anno 961. quartus Abbas, D. Didacus II.

5 Anno 965. quintus Abbas, D. Petrus, filius Superaddi, qui viginti quinque annis pręfuit, & ad annum 990. eligitur Episcopus Irię flauię, & Compostellę. Cuius tempore Dux Rodericus Fundatoris filius, & vxor eius D. Geloira, Monachatum ineunt, sicut Fundatores. Atque sub eodem, refertur lis Monasterii, cum Lucensi Episcopo Pelagio, & imposita purgatio Caldaria antiqua (de cuius prohibitione Gratianus 2. q. 5. c. *Menuam, & c. consulisti*) & subisse eam illęsum Salamirum, Superaddi Monachum.

6 Anno 995. sextus Abbas, D. Adelfus, sub quo, Monasterium S. Eugenię de Gaudiofa, incorporatur Superaddo.

7 Anno 1021. septimus Abbas D. Gutierrez, vltimus in hac serie, gubernans vsque ad annum 1045. in quo perit Monasterium, vsque ad eremum ferę redactum, tyrannide, & potentia Segeredi, & Adosindę vxoris: vacatque per 97. annos, spoliato tamen tyrano per D. Ferdinandū, Primum Castellę, & legionis Regem, ad eius ditionem deuoluta sunt bona, & inde, certo modo, ad alios, donec.

Anno 1142. donante, & iubente Imperatore D. Alphonso reedificatur Superaddum, sub Cisterciensi instituto, & clareuallensi Patre, Abbate Sanctissimo BERNARDO, missō inde Conuentu duodenario cum Abbate. Constat autem, ex Authographis anterioribus habuisse Monasterium sibi antea annexas, vel iure patronatus, vel fructuū incorporatione, in totū, vel in partē, viginti, & amplius Ecclesias. Ex quibus, Monasteria duplicia numerantur. Septē S. Ioannis de Mera prope flumen Minium sub vrbe Lucensi S. Vicenci de Bifaquis, in territorio Sarrię S. Eugenię de Gaudiofa ad Narlam, S. Pelagii de Aranga ad flumen Mādeu S. Marię de Abelio, S. Saluatoris de Prauio, & S. Martini de Bandogia: simplicia vero, vsque ad octo, tūc cum mesoncio: cęterę seculares Ecclesię. Quas licet non omnes, in reedificatione recuperauerit, sed exinde additę sunt etiam alię, & alia plura, de quibus aliqua in sequenti Abbatum serie.

1 Anno 1142. Primus Abbas Cisterciensis, D. Petrus, missus cum aliis à Claraualle. Ad huius instantiam, dum Capituli, aut alterius causa, rediret in Galia, Diuus Bernardus existens in Claraualle, sanitatem confert Alberto, vni ex Religiosis ab eo missis, existenti in Superaddo Paralitico: vt refertur, lib. 4. *Vita S. Bernard. cap. 4.* Sub eo autem fiunt donationes S. Pelagii de Genrozo, prope *Cascas*, & Ecclesię Sanctę Eulalię Dombrete, & vnio Monasterii Sancti Iuliani, & Basilie. Eugenius Papa III. Expedi Bullam protectionis Superaddi, eius bona confirmans, & fere omnia nominans, quod & alii Pontifices faciunt postea. Fit etiam anno 1147. filiatio antiqui, & insignis Monasterii Montis-feri, per eius Abbatem Munionem, & Conuentum etiam nouo albo Cisterciensi habitu, ab Abbate Superaddi, suscepto.

*Secunda series Abbat.*

2 Anno 1151. secundus Abbas, ex eisdē missis à S. Bernardo, D. Egidius. Sub cuius diuturniore Abbatia, magna fuit spiritualis, & temporalis accretio. Fit

Monachus Superaddi, D. Beremundus, Frater Comitis Trabæ, & trastamaræ nempe Domni Ferdinandi Perezicum iam ambo Fratres cessissent omnia bona,habita á Segeredo tyranno, in reedificationem Monasterii. Obiit dictus Comes, Compostellæ, anno 1155. & sepelitur in Superaddo, iacetque in arca lapidea, inclusa parieti, in maiori capella, cum quo, & frater iacere creditur. Accedunt ex donatione D. Alphonfi Ramon Imperatoris, Ecclesiæ de Pedreira, & Cumbraos, & Ecclesiæ S. Mariæ Albæ, vulgo *Grizalba*, & alia inde, & aliunde, quæ breui numerari nequeunt, & principalia in bonis Superaddi, hodie habentur.

3 Anno 1180. tertius Abbas, ex eisdem Clareualésibus, *Domnus Humbertus*.

4 Anno 1185. quartus Abbas, *Domnus Ferdinandus I.* professus Filius Superaddi, sicut & omnes sequentes, 38. Abbates. Memorantur sub eo donationes Ecclesiarum de Nogueira, Villarino, & Rodeiro, & Monasterii S. Tirsi Zamorensis, quod (sicut alia plura) non possidentur hodie.

5 Anno 1191. quintus Abbas, *Domnus Thomas*.

6 Anno 1193. Sextus Abbas, *Domnus Simon*, fit ei donatio Ecclesiæ S. Iuliani de Villosa, à Rege Legionis Galleciæ Alphonso.

7 Anno 1198. septimus Abbas, *Domnus Bernardus*, sub quo Filiatio Monasterii Vallis-Dei, in Asturia, donante ipso Rege & vxore, illud antiquitus ædificatū, sed tunc funditus euersum, Abbati Superaddi, vt ipsum reedificaret, prout fecit. Ipse etiam Rex, existens in Superaddo, portaticum de Mellida donat in curationem infirmorum, nunc superest inde nihil.

8 Anno 1201. octauus Abbas, *Domnus Pelagius Ouequiz I.* Eius tempore donatio de Sarantes per Comites Galeciæ Albarum, Gonzalum, & Ferdinandum Nuñez Fratres, Comitis D. Nunii de Lara, & Reginæ Tharasiæ filios, Henrici Primi Regis Tutores.

9 Anno 1208. nonus Abbas, *Domnus Elias*. Cui Rex Alphonfus confirmat, & ampliat donationes decimæ portaticus Burgi del Pharo, dum eius urbem Corrunnam ædificaret, & (vt putatur) in terra propria Superaddi, cui eam donauerat D. Beremundus, de quo sup. anno 1151.

10 Anno 1212. decimus Abb. *Domnus Enricus*. Sub quo opidum Betanzorum (nunc vrbs) transfertur ad Castrum de Vnctia, quod erat proprium Superaddi; ob quod Rex D. Alphonfus, qui ad instantiam populi, translationem facit, imponit ei quartam partem reddituum ville, terra, marique, cum aliis soluendæ Monasterio, dato priuilegio, anno dicto, die 14. Februarii. Ex quibus tamen hodie solum durat pensio annualis, 500. marapetitorum, quos ob id vrbs dicta soluit Monasterio. Acceduntque eidem aliæ donationes in Folgoso, Siluela, & Sarantes. Sed ad annum 1216. optima illa donatio de Tibianes, & remissio ingentis pecuniæ ad fabricam Monasterii mutuatæ, per Infantam D. Tharasiam Bermudez, dicti D. Beremundi reedificatoris; & Infanta D. Vrrachæ Alphonfi Primi Regis Portugalix Sororis filiam, cuius perpetua gratitudinis memoria, semper ad finem *Laudum*, intonata *Salue*, perdurat.

11 Anno 1227. vndecimus Abb. *Domnus Gonsaluus*.

12 Anno 1229. duodecimus Abbas, *Domnus Petrus Ianex I.* Cui anno sequenti Rex D. Ferdinandus vocatus Sanctus, cuncta retro priuilegia cõfirmat.

13 Anno 1233. tertius decimus Abb. *Domnus Humbertus II.* cuius tempore, constat extitisse Monasterium Monialium de Templariis, in sito ipso, & terminis, quos hodie habet Prioratus, qui dicitur *Cascas*.

14 Anno 1243. quattus decimus Abb. *Domnus Petrus II.* cognomento Martinus, cui donatio partis Ecclesiæ de Andabao.

15 Anno 1247. quintus decimus Abbas, *Domnus Ioannes Perez II.* quo anno

REGII MONASTERII DE SVPERADDO.

Ecclesiæ de Noguera, Pousada, & Roade, propè Monasterium adquiruntur ei, ex permutatione cum Archiepiscopo, & Capitulo Compostellano. Item alia bona de Reborada, & Touriz.

16 Anno 1249. decimus sextus Abbas, *Domnus Petrus III.* cognomèto Martinus, cui donatio de Ciudadela, & S. Petri de Cardeiro.

17 Anno 1255. decimus septimus, *Domnus Pelagius Ouequiz II.*

18 Anno 1257. decimus octauus Abb. *Domnus Munius Perez.*

19 Anno 1262. decimus nonus Abbas, *Domnus Ioannes Perez II.* cui legatum Couti de Villouriz.

20 Anno 1269. vigessimus Abb. *Domnus Ioannes Enriquez.*

21 Anno 1280. vigessimus primus Abb. *Domnus Dominicus Perez I.* cui cui donantur Monasterium S. Andreae, in Granna Brionis, & alia.

22 Anno 1286. vigessimus secundus Abb. *Domnus Ioannes Ares.* Quo anno Rex D. Sancius vocatus *el Bravo*, liberat vassallos Monasterii ab omni Regia exactione, quod idem postea Regina D. Maria cum filio Ferdinando III. confirmat, & alii. Quod quantum ad seruitium vocatum *Pecho Real*, perseverat in vassallis Ville nouæ, vocatis inde *Fidalgos*, & certa obligatione personali seruentibus Monasterio, si forte inde profluxit consuetudo, quæ saltem pro illis, ex iure Monasterii eiusque priuilegiis firmata est, vt infra ad ann. 1554.

23 Anno 1288. vigessimus tertius Abb. *Domnus Dominicus II.*

24 Anno 1291. vigessimus quartus Abb. *Domnus Iacome.*

25 Anno 1297. vigessimus quintus Abb. *Domnus Dominicus Perez III.* sub quo facta donatio à Regina D. Maria Regis Ferdinandi IV. Mater, quadraginta maiorum Salis, ad conficiendum panem Monachorum, quem ex auenis fieri, memorat priuilegium. Sæpe sepius à Regibus vsque hodie confirmatum.

26 Anno 1303. vigessimus sextus Abbas, *Domnus Petrus IV.* cognomine Pelaez.

27 Anno 1310. vigessimus septimus Abb. *Domnus Ferdinandus II.*

28 Anno 1311. vigessimus octauus Abb. *Domnus Ioannes Garcia I.*

29 Anno 1313. vigessimus nonus Abb. *Domnus Fernandus Ianex III.* Huius Abbatis tempore, anno 1334. legatum testamenti D. Petri Fernandez de Castro, qui fuit Maiordomus Regis Alphonfi, & Pertiguerus totius Galletiæ, qui dedit Ecclesias S. Eulaliæ de Banga, & S. Mamet de Librans, seu Moldes, ad ripam *Auiæ*, cum onere Missarum, quod hodie durat, sicut & ipsæ Ecclesiæ (in quibus cappellanos, seu Vicarios præsentat) cum decimis, &c. annexæ Monasterio. Obiit anno 1343. & sepultus est Superaddi in maiori Capilla, & arca lapidea, hoc solo titulo, *D. Petro de Castro.*

30 Anno 1338. trigessimus Abb. *Domnus Ioannes Garcia II.*

31 Anno 1355. trigessimus primus, *Domnus Petrus V.*

32 Anno 1362. trigessimus secundus Abb. *Domnus Ioannes Garcia III.*

33 Anno 1380. trigessimus tertius Abb. *Domnus Fernandus IV.*

34 Anno 1385. trigessimus quartus Abb. *Domnus Rodericus Alphonfus.*

35 Anno 1390. trigessimus quintus Abbas, *Domnus Alphonfus Ianex.*

36 Anno 1420. trigessimus sextus Abb. *Domnus Gonsaluus Velazquez II.*

37 Anno 1432. trigessimus septimus Abb. *Domnus Didacus.*

38 Anno 1438. trigessimus octauus Abbas, *D. Rodericus Nuñez*, fuitque Capellanus Regis Henrici IV. & vltimus Abbatum Conuentualium, & filiorum Superaddi, in hac serie. Postquam, sequitur tertia series, Abbatum Commendatariorum.

1 Anno 1471. Primus Abbas Cõmendatarius, *Domnus Gondifaluus de Vlloa*, Canonicus Compostellanus.

*Tertia Abbat. series.*

2 Anno 1474. secundus Commendatarius Abbas Domnus Didacus de Muros Episcopus, primó Tudensis, deinde Ciuitatensis; Sobrinus alterius eiusdem nominis, Episcopi Ouertensis, Fundatoris Collegii Salmanticensis de *Ouedo*. Per illum igitur Abbatem Superaddi, facta est ei perpetua unio Monasterii S. Iusti, & accessit titulus etiam Abbatis S. Iusti, annexi qui Prioratus insignis est, septem Monachos cum Priore retinens. Ab eo facta est fabrica fere medietatis Ecclesie Superaddi, vt ostendunt illius insignia. Per ipsum accessit, ex permutatione cum D. Roderico Pimentelio, Comite Benauentano, alterum priuilegium totidem Maiorum salis, datis bonis pluribus, quæ in Castella habebat Monasterium. Tandem anno 1493. factus Episcopus Ciuitatensis, renuntiat vtramque Abbatiam.

3 Anno 1493. tertius Abbas Commendatarius, Antoniotus Præbiter Cardinalis tituli S. Praxedis; qui quinquennio post, renuntiat in manus Alexandri IV. Vtramque Abbatiam, vtique vniendam Obseruantie Regulari Hispanie, iam erectæ, anno 1427.

Anno 1498. die 25. Augusti, vnitur Monasterium Superaddi, simul cum vnito sibi annexo S. Iusti, Congregationi Obseruantie Hispanie in Regnis Castellæ, per Alexandrum VI. reductis Abbatibus perpetuis ad triennales, & reseruata vtriusque, & annexorum media Annata, Camera Apostolica, per quindennia computata. Extabant que nunc, Ecclesie de iure patronatus præsentandi, vel in solidum, vel ex parte, pro Superaddo 35. & pro S. Iusto, insuper ad 10. quæ tablinis vtriusque reseruo cum aliis rebus, vt sunt iurisdictiones, quæ ex parte Superadi, computatis maioribus, & minoribus ad mille vassallos, paulo amplius accedunt. Nam ex parte S. Iusti annexi, in sequentibus indicatur accessio. Et nunc sequitur vltima Abbatum triennialium series.

Quarta Abbat. series.

1 Anno 1500. post biennium, in quo tamquam pro-Abbas præfedit, Fr. Thomas de Saavedra, instituitur primus Abbas, ipse *Domnus Thomas*.

2 Anno 1504. secundus Abb. Obseruantie, *Domnus Fr. Bernardus de Medina*, filius Vallis-bonæ, & anno sequenti obiit *Domnus Sancius Vlloa*, primus Comes de Monte-Rey, iussus ex testamento sepeliri, cum suis Progenitoribus, in Superaddo, vbi iacet, in pavimento Capellæ maioris ad latus Epistolæ.

3 Anno 1508. tertius Abbas Obseruantie, *Domnus Fr. Fulgentius de Cuellar*, Spinæ filius, reelectus rursus altero triennio.

4 Anno 1514. quartus Abbas, *Domnus Fr. Gabriel de Parga*, filius Superaddi.

5 Anno 1517. quintus Abbas *Domnus Fr. Franciscus de Montemaiore*, Superaddi filius.

6 Anno 1518. vtique per mortem præcedentis, succedit sextus Abbas, *Domnus Fr. Martinus de Salamanca*, etiam filius domi.

7 Anno 1521. septimus Abbas, iterum *Domnus Fr. Gabriel de Parga*, & per quatuor triennia successiue reelectus. Instituitur Abbas Superaddi à Clemente V. Conseruator Vniuersitatis Compostellane, ad instantiam eius fundatoris D. Alphonsi de Fonseca Archiepiscopi Toletani.

8 Anno 1533. octauus Abbas, *Domnus Fr. Laurentius Alderete*, domi filius, & per quatuor triennia iteratur eius electio, cuius opera extant, altaris maioris imaginamentum, seu *Retablo*, & chori superioris figurata sculptura, vtrumque præclarum, cum aliis, quæ de illo memorantur proficua.

9 Anno 1554. nonus Abb. D. *Fr. Bernardus Cornejo*, Superaddi filius.

10 Anno 1546. decimus Abb. *Domnus Fr. Placidus de Cãpo*, etiam domi filius.

11 Anno 1547. vndecimus, *Domnus Fr. Franciscus de Oliuares*, similiter.

12 Anno 1549. duodecimus Abb. *Domnus Fr. Paulus Suarez*, filius Vallis-paradisi.

REGII MONASTERII DE SUPERADDO.

- 13 Anno 1551. tertius decimus, D. Fr. Ioannes de Ortega, domi filius.
- 14 Eodē anno, quatuordecimus Abb. D. Fr. Luisius Alvarez de Solis, filius Morerolę.
- 15 Anno 1554. quintus decimus Abbas, D. Fr. Philippus Iofre, etiam Morerolę filius. Quo anno regnante Carolo, & matre D. Ioanna, expedita est executoria iuridica Fidalguix vassallorum villę noua, de quibus *supr. ann. 1286.*
- 16 Anno 1557. decimus sextus Abb. D. Gabriel de Buiça, Nucalensis filius.
- 17 Anno 1560. decimus septimus, Dominus Fr. Illephonsus à Cordoua, Superaddi.
- 18 Anno 1563. decimus octauus iterum, D. Fr. Luisius Alvarez de Solis, iam Generalatu functus, & hinc assumptus à Rege in Priorem Calattauę.
- 19 Anno 1566. decimus nonus Abb. D. Fr. Didacus de Leon, Carrazetenfis.
- 20 Anno 1569. vigessimus Abbas, D. Fr. Angelus Cartagena, Vallis-paradisi filius, à quo Sacraii, seu Sacristię fabrica, rara, elegans, & magnifica. Vtrumque priuilegium salis firmatur à Rege D. Philippo II. Vallisoleti, eius iussu reductum, ad annuam pensionem octingenta millium marapetitorum, vice salis soluendam.
- 21 Anno 1572. vigessimus primus Abb. D. Fr. Athanasius Morante, Nucalensis filius.
- 22 Anno 1575. vigessimus secundus Abb. D. Fr. Alphonsus Ruiz, etiam Nucalensis.
- 23 Anno 1578. vigessimus tertius Abb. D. Fr. Athanasius Morante, altera vice.
- 24 Anno 1587. vigessimus quartus Abbas, D. Fr. Angelus de Vitoria, Monasterii de Huerta filius. Conceditur à Papa Gregorio XIII. indulgentia collateralis; Altaris de anima, à purgatorio liberanda, per Missam de Requie, &c. ibi celebratam à Monachis Conuentus.
- 25 Anno 1584. vigessimus quintus Abbas, D. Fr. Athanasius Corriero, Superaddi filius.
- 26 Anno 1587. vigessimus sextus Abbas, D. Fr. Atilanus à Cruce, Mataplanę filius.
- 27 Anno 1590. vigessimus septimus, D. Fr. Gaspar Gntierrez, Spinnę filius, anno primo triennii electus Generalis Reformator Obseruantię; à quo amotum est Collegium Scholarium à Superado, & restituta obseruans Conuentualitas tantę domui propria. Postea assumptus à Rege in Abbatem perpetuum Oliuę, vt vidimus.
- 28 Anno 1591. vigessimus octauus Abbas, ad residuum triennii precedenti, D. Fr. Athanasius Corriero, secunda vice, qui cepit Nouitiosmittere.
- 29 Anno 1593. vigessimus nonus Abbas, D. Fr. Lupus de Leon, Vallis-paradisi filius, à quo qui hęc scribo sanctum suscepi habitum, Vallisoleti natus anno 1576. & Superaddi renatus, anno 1594. Kal. Sept. & anno sequenti expeditur priuilegium recuperationis Couti Gomaricii, antea ablati à Rege, ex indulto Apostolico auferendi aliquos vassallos Ecclesiarum.
- 30 Anno 1596. trigessimus Abbas, tertia vice, D. Fr. Athanasius Corriero. Rumpitur inopinate latā, & vsque ad profundum albei scisurā, stagnum Monasterio vicinum, & denuo occlusa boragine instauratur.
- 31 Anno 1599. trigessimus primus Abb. D. Fr. Athanasius Velazquez, Monasterii Montis-feri filius, postea anno 1608. Generalis breuiter auferendus obiit enim die 8. Iulii sequentis anni, partem clauistri magni prosequutus est.

REGII MONASTERII DE SUPERADDO.

32 Anno 1602. trigessimus secundus Abb. D. Fr. *Lupus à Leone*, secunda vice.  
 33 Anno 1605. trigessimus tertius Abb. D. Fr. *Athanasius Corriero*, quarto.  
 34 Anno 1608. trigessimus quartus Abb. D. Fr. *Felix martinez*, Nucalensis. Hoc anno obiit venerabilis, & pius dictus Fr. *Athanasius Corriero*, & iacet sub sepulchrali lapide, honoris gratia inscripto. Excreuit numerus Monachorū Superadi, ultra octoginta; nimius, & moderandus.

35 Anno 1611. trigessimus quintus Abb. D. Fr. *Bernardus Grannero*, Morerolę filius. Ad finem triennii, vna ex duabus antiquis frontispicii Ecclesię excelsis turribus, repente, cum ingente fragore ruit, attonitis præ timore in Choro Monachis, & cellis, Abbatiali, & celleraria quasatis, nulli, Deo seruante, damno. Decrescit numerus Monachorum citra octoginta.

36 Anno 1614. trigessimus sextus Abbas, D. Fr. *Ioannes Pazos*, filius Saltus-noualis. Recondificatur diruta turris solidius. Adhuc ei supra septuaginta Monachi.

37 Anno 1617. trigessimus septimus Abbas Magister D. Fr. *Nicolaus Bruno*, Superaddi filius, & ab eo omnes sequentes, in hac ferie, similiter domus filii. Exedificatur pars ex præcipuis domus, dormitorium monasticum clausum, & alia. Erigitur Prioratus, seu grangia de Tibianes, cum manuali secularium cura, per Monachum administranda, solemnī auctoritate Ordinarii, & aliorum. Extinguitur & suprimitur in perpetuum partialis & cumulatiua iurisdicctio Superaddi temporalis Regia, remanente vnica, & integra Abbatiali Merini, ex priuilegio Regis Philippi III. precio, meritis, & rationibus. Minoratur numerus citra septuagenarium, infra hunc, & supra sexagenarium aptius, & diutius in posterum duraturus, iuxta monasterii modum.

38 Anno 1620. trigessimus octauus Abb. D. Fr. *Ioannes de Castro*. Aggregatur iurisdicctio de Noguera, & Pousada, & Roade, emphiteusi primi Comitis de Andrade Vacante, in Comite de Lemos D. Petro hærede, & actuali possessore.

39 Anno 1623. trigessimus nonus Abb. D. Fr. *Paulus Linius*. A quo claustrī Abbatum, & hospitem moderna, & pulchra fabrica incepta est, ex latere meridionali, & per tria sequentia triennia, continuata & perfecta.

40 Anno 1626. quadragesimus Abb. D. Fr. *Iustus Lobonius*. Prosequitur claustrum dictum ad Occidentem. Ornatum Ecclesię & Sacristię pluribus auget. Sub eo etiam acrescunt Prioratui S. Iusti, iurisdicctio & prouentus Couti de Dean, ex caducitate emphiteusis; pariter tunc etiam Olueira, sed huius ex priori parte, sinistro euentu, casanda possessio.

41 Anno 1629. quadragesimus primus Abbas, iterum Magist. D. Fr. *Nicolaus Bruno*. Procedit in fabrica claustrī hospitem, ad septemtrionem frontis, & introitus domus, & ex parte etiam ad Orientale latus residuum.

42 Anno 1632. quadragesimus secundus, D. Fr. *Isidorus de la Cuesta*. Emptio Regalis iurisdicctionis quinque Parochiarum, vulgò *feligresias*, in districtu villę Noiæ, pro Prioratu S. Iusti, antea inchoata, effectum habet, ingenti præcio (tametsi ex censibus) soluto, & possessione traddita. Perficiturque residuum claustrī hospitem ad Orientem.

43 Anno 1635. quadragesimus tertius Abbas, tertia vice, Mag. D. Fr. *Nicolaus Bruno*: Erigitur cum effectu Grangia S. Petri de Solme, vtilitate, & honestate cogente, adiuncto Superiorum placito. Fit in monasterio principalis scalę ascensus lapideus, amplitudine, & pulimento congruis.


44 Anno 1638. quadragesimus quartus Abb. D. Fr. *Thomas de la Espada*. Luit ipse, maiori ex parte, damna ingentia rei vindicatę à colligante Olueirę, id est, illius quasi secularis, sine cura beneficii, cuius tamen Ecclesię patronatus proprius est S. Iusti, cum annua, quam inde percipit, pensione.

45 Anno 1644. quadragesimus quintus Abb. quarta vice, *Mag. D. Fr. Nicolaius Bravo*, eadem damna, ex residua parte luit. Fit Capitulum superius, cum ornatu suo. In Ecclesia vero stratur quadrato lapide solum, & in aurantur altaria quatuor. Surgit a fundamentis opportunum aedificium, inter claustrum hospitum, & furni domum. Dantur officinis fontes, & fontibus aqua, ampliorem accipere paratis. Fundatur dotaturque cum requisita autoritate, festum Corporis Christi, recolendum die Dominica prima Iulii perpetuo eo modo, & aliis annexis, quæ in archiuio Superaddi extant authentica.

Anno 1644. quadragesimus sextus Abbas, *Magist. D. Fr. Placidus de Arbieta* Lector emeritus, & perpetuum inde promeritus capitulare suffragium, sicut & alius eiusdem Monasterii filius *Mag. Fr. Athanasius de Cucho* hodie post Abbatiam de Iranzu, Fiteriensis Abbas, & Nos etiam ex Prædicatoris Generalis officio, idem iamdiu adepti fuimus, & retinemus. Quod simul extare, ad honorẽ propriæ domus, & Dei laudem, pro omnibus, retulerim. De Abbate verò, scio impetrasse autoritate Apostolica Innocentii X. anno 1645. perpetuum Apostolici Notarii officium cui libet Monacho electo, ad præfecturam Archiuui, modo in diplomate cõteto. Audio, & alia præstitisse proficua, & de persona credo.

47 Tandem anno 1647. succedit Abbas Superati quadragesimus septimus, *D. Fr. Attilanus Gonzalez*, qui præ aliis senioribus in dignitatem recenter cooptatus, ipse sibi (vt spero) faciat nomen, in nomine Domini, quo tandem non non appareat, parma in gloriis alba.

*Finita series Abbatum Regalis Monasterij de  
SVPERADDO.*





## ET VERBORVM. IN QVO

NOTÆ AD REGVLAM CITANTVR  
PER CAPITA IPSIVS, ET NVMEROS MARGINALES.

*Introductio*, per Articulos, & numeros. *Lacinia*, verò addita  
in fine, per Segmenta & numeros.

(672)

## A.



**ABBATIS** potestas in dispē-  
sando Regulam. *Introduct.*  
*art. 9. num. 9.* & quomodo  
limitata, *art. 11. num. 6.* &  
7. Abbas nō Sacerdos, quomodo se ha-  
beret in iis, quæ ordinat Regula, *c. 11.*  
*nu. 9. cū ibi citatis.* Quod Abbas habeat-  
tur pro Regula, quomodo intelligatur,  
*c. 1. nu. 15.* & *c. 3. n. 13.* Eius qualitates  
& officium, *c. 2. obligatio, n. 1.* octo præ-  
cipuæ cōditiones, *n. 2.* Eius appellatio,  
*c. 2. num. 3.* Amba, & Abba, & Papa ad  
idem, *n. 4.* Nomen Abbatis in Hispania  
ante S. Benedictum, *n. 3.* An admitten-  
dum in Prælati Monasticis, & respon-  
detur D. Hieronymo, *ibid. n. 6.* Conue-  
nit illis ex Regula, *c. 2. n. 8.* Eius substā-  
tia, & dignitas conuenit ex iure & pri-  
uilegiis, *ibid.* Abbas ventosus, quis dica-  
tur, *ibid.* An ex vi Regulæ necessario  
debeat esse Sacerdos, discutitur latè, *c.*  
*2. à n. 9.* & *alijs pluribus locis, citatis in*  
*Notis, c. 7. nu. 11.* Tempore Regulæ, &  
multo post poterat esse nō-Sacerdos,  
*n. 12. cum seqq.* Ex quo tempore debuit  
necessariò esse Sacerdos, *n. 14.* Esse Sa-  
cerdotem est magis conforme Regulæ,  
*c. 2. n. 17. cum seqq.* Fuisse Abbatē præ-  
biterum etiam ante Regulam S. Benedi-  
cti. fuit in vsu, interdum, *ibid. nu. 20.*  
Abbatis nomen quomodocumque ex-  
pressum, in professione Monachi, ac-  
ceptantis munus gerit, *Introd. art. 7. nu.*  
*8.* & *art. 11. num. 8.* & *cap. 58. num. 7.*  
Ipse etiam sub obligatione Regulæ cō-  
prehensus, *c. 3. num. 11.* & *seqq.* Abbas,

Præpositus, & Decanus, sine præsbite-  
ratu in vsu, *c. 9. n. 5.* Eius quanta cura,  
circa delinquentes, in pœnitentia po-  
sitos? *c. 27. nu. 1.* Nimis addictus officio  
Cellerarii, taxatur, *c. 31. n. 3.* Abbati etiā  
temporalium ex officio competere cu-  
ram, defenditur contra aliquos, & da-  
tur modus, *c. 32. à n. 2. vsque 11.* Excusa-  
tur sepe à choro legitime, & licitè, *c.*  
*32. nu. 11.* & *12.* Abbatis arbitrio multa  
permittuntur in Regula, & quomodo  
eo vtendum? *c. 39. n. 11.* & *12. cap. 41. n.*  
*4.* Chori munia subit, *c. 47. n. 9.* Signifi-  
care horas debet, sed satisfacit per aliū  
*ibid. n. 8.* Quam hospitalis debeat esse?  
*c. 56. à n. 1. vsque 4.* Quos ordines pos-  
sit conferre? *c. 62. n. 2.* Eius electio iux-  
ta Regulam, *cap. 64.* hodie diuersa, *n. 1.*  
Eius muneris pondus timendum, *n. 2.*  
Præcipua obligatio, & obseruatio Re-  
gulæ, *n. 3.* cætera illius remissiuè, *n. 4.* &  
*c. 62. n. 2.* & *cap. 2. n. 19.* Ad monetur de  
puro, & optimo zelo in correctioni-  
bus, *c. 65 n. 10.*

Abbatialis dignitas, quantis præemi-  
nentiis acta? *c. 2. n. 19.*

Abbatissæ iurisdictionem ordinariam  
Ecclesiasticam habere nequeunt, be-  
ne dominatiuam, ex qua præcipiant  
in virtutæ sanctæ obedientiæ, *c. 71.*  
tractatur & defenditur, *à nu. 12. cum*  
*seqq.* & satisfit Thomæ Sancio, *à n.*  
*16.* & *de incept.*

Abstinencia immoderata non proba-  
tur, *c. 39. n. 9.*

Absente Abbate, Præpositus non rema-  
net vere Prælati, bene mortuo, aut  
vacante, *c. 71. n. 5.* & *9. cum seqq.* Di-  
spar ratio absentis, & vacantis, cō-

- tra Llamas, & Sanchez, *ibid.* n. 7.
- Abusus eorum, qui in breuibus absentibus praelati vtuntur autoritate prepositi, *cap.* 7. *n.* 4.
- Acceptio personarum vitanda, *c.* 34. *n.* 2.
- Actum internum directe posse precipi, tenent aliqui, *segm.* 22. *n.* 3. Actus tamen internum, connexionem externi, recte precipi potest, *n.* 4. *cum* *seqq.*
- Admonitiones multiplicantur in Regula, respectu diuersorum, nec sine exemplo, *c.* 65. *n.* 19. Admonitio aut exhortatio vt sic, non inducit culpę obligationem, *Introd.* *art.* 9. *n.* 5.
- Aduentus non meminit Regula, *c.* 49. *n.* 2. 3. & 4. eius principium & ratio, *ibid.* vocatus Quadragesima, ab aliquibus. *n.* 2.
- A edificia Monasterii suptuosa an probanda, *c.* 66. *n.* 5. & 6. excessus in hoc taxatur, *n.* 7. Modi edificandi Monasterii, in Regula, ratio, *n.* 8.
- Albus color, non bene a Monachorum antiquorum vsu excluditur, *c.* 55. *n.* 12. & 13.
- Alleluia Olim in Septuagesima, *c.* 15. eius mutatio, *ibid.* *n.* 1. a quo tempore vsus ultra Pentecostem, *n.* 4. Nomine laudum intellectum ab Isidoro, *ibid.*
- Alternandi versus in choro principium, *cap.* 11. *n.* 2.
- Amen declaratur, *c.* 72. *n.* 1.
- Amma, & amo, quę appellatio fit? *cap.* 63. *n.* 7.
- Amicitie particulares, inuisę in Monasteriis, *cap.* 69. *n.* 3.
- Amoris Dei qui modus? *c.* 7. *n.* 8.
- Amor & charitas inter fratres quam commendata? *c.* 13. *n.* 4.
- Anachoreta prius quam cenobita S. Benedictus, qua indicatione, *Introd.* *art.* 3. *n.* 2. Anachoreta qui, & an idem Eremitę, *c.* 4. *n.* 5. & 10.
- Animaduersiones Monasticę, vt plurimum cum militaribus consentientes, *c.* 44. late, correptio, *ibid.* *n.* 3. cingulum soluere, *n.* 4. stare, *n.* 5. ieiunare, *n.* 6. Panis, & aqua, *n.* 7. in terra edere singulariter, *n.* 8. depositio gradus, *n.* 9. Flagellatio, *n.* 10. Pisci inter otiosos, *n.* 11. Suspensi, & *c.* *n.* 12. Alię ceremoniales, *c.* 45. & 46. vbi de leuiculis negligentibus, *n.* 1.
- Annona, in Regula disposita, de superfluitate excusatur, *c.* 39. *n.* 9. *vsque* in *fin.*
- Anna, quid sit, & significet? *c.* 11. *n.* 2. Dici cum ea, est cantari cum modulatione, *c.* 12. *n.* 1. Etiam sine cantu, remanet recitanda in officio, *c.* 17. *n.* 2.
- Antiquitas Monachatus, secundum aliquos, *Segm.* 1. *n.* 2. & 3. & *c.* *num.* 6.
- S. Antonii, ex D. Athanasio elogium, *Introd.* *art.* 3. *n.* 1.
- Appellatio nominum Monasticorum datur, *c.* 63. Quod non puro nomine, *nn.* 3. Seniores, & iuniores, *ibid.* Frater, seu Fray, *n.* 4. Nonus ex Regula, non Donus, *nn.* 5. Dominus soli Abbati, *n.* 9. & 7.
- Approbationes Regulę Pontificię & alię, *Introd.* *art.* 3. *nn.* 3. & 6. olim ab Episcopis collatę, *ibid.* Quę Apostolica est precipua, *ibid.* *n.* 6. & quanta differētia ab Episcopali? *n.* 3. Approbatio Religionum reseruata Pontifici, quādo? *art.* 4. *n.* 10. Poterat fieri per iurisdictionem delegatam, *n.* 11.
- Aquisgranense Concilium super Regulę S. Bened. *Introd.* *art.* 1. *n.* 5. eiusdem fragmentum de vestimentis illustratum, *c.* 55. *n.* 17. 18. & 25.
- Arbitrium, quod Abbati saepe Regulę committit, quale debeat esse? *Introd.* *art.* 11. *n.* 9.
- Arbor capillaris quę? *c.* 1. *n.* 30.
- Armarii, & Archiuui differētia, *c.* 32. *n.* 1.
- Artifices Monasterii regulares, *cap.* 57. modus, & obligatio, *n.* 1. Moderatio pratii, quoad artefacta, *n.* 2. Mos antiquus eorum, *n.* 3. Quę artes exercebantur? *n.* 4. ante & post Regulam, *nn.* 5. & 6. Reducta ea opera, ad Fratres Conuersos, *n.* 7.
- Attentio necessaria in officio diuino, probatur late, in *Lacinia*, *segm.* 21. *cum* *seqq.* Qualis & quomodo? *Segm.* 22. *n.* 2. Eam ab officio detrahere quam deforme? *segm.* 21. *n.* 11. Quam antiqua & continue iniuncta? *Segm.* 23. *nn.* 5. Virtualis fructum & meritum habet, *ibid.* *n.* 2.

Avaritia cauenda, maxime Monachis, c. 57. n. 2.

*Aue Maria* Anuntiationis Angelicæ, an aliquando stando sint dicendæ c. 41. n. 2.

Augmentum culpæ, non fit ex iteratione præcepti, *Introd. art. 6. à n. 6.*

S. Augustini humilitas in retractat, art. 1. n. 14.

Auscultare quid proprie? *Ad Prolog. Reg. n. 6. & 7.*

Authores pro materiis Regulæ tractandis, *Introduet. art. 4. nu. 1. Commentariorum in Regul. art. 1. per totum, vitæ ipsius S. Bened. art. 3. nu. 1.*

Authoritas personæ, in relaxatione auget culpam, *Introd. art. 11. num. 2. & c. Publica requiritur, in correctione, & castigatione, c. 70. n. 1. Autoritates & exempla respuentium medicinam corporis, cap. 36. num. 11. & 12. & responsio ad ea, n. 13. & 14.*

Authoris, in hoc opere, ex corde submissio, *Introd. art. 1. n. 15. Eius intentio, & ratio assumpti laboris, art. 2. per totum. Eius opus adolescentiæ Benedictinum Poëma, art. 3. nu. 1. & c. 73. à n. 12.*

Axioma illud: *Monachum non facit habitus, & c. Legitimum & proprium, in Lacinia, segm. 26. n. 3.*

**B.**

**B**aculus, & insigne Abbatis, & olim commune gestamen Monachis, c. 2. n. 19.

Balneorum nomina, c. 36. nu. 7. inconcedendis illis indulgentia Regulæ, nu. 8. Hispanis minus in vsu, *ibid.*

Basilienfes Monachi, Regulam S. Basilii attribuentes S. Benedicto, & huius cucullam vsurpantes, repelluntur, c. 1. à n. 12. Eorum de habitu S. Benedicti, superuacua coniectura, c. 55. n. 33. & c. & insipida intellectio poematis Authoris, c. 73. n. 14. & c.

Basilius Pontius negans Sacerdocium S. Bened. refellitur cū aliis, c. 60. n. 10.

Benedictiones variæ explicantur. c. 9. à nu. 3. Plures à Sacerdotibus non impensæ, c. 11. n. 12. & c. 9. n. 5. & 6.

Tales quæ dantur ad lectiones, *ibid. n. 5. & quid istæ sint, ibid. Benedictio datur à maiori, aut Superiori, nu. 6. Etiam Superioritate intentionali, & rationis, ibid. Comedētibz semper præmittenda, c. 43. nu. 6. Quæ potus est, aliquando seorsum à cibo, ibid. Petitur verbo, & gestu, c. 53. n. 21. Accipitur pro ratione, aut collecta, c. 35. n. 10. & c. 11. n. 13. Quæ est pro iter acturis, & absentibus, c. 67. n. 2. & c. Benedicite, in Regula qualiter accipiendum? c. 6. n. 4. & c. 53. n. 21.*

S. BENEDICTVS: Eius vita, ipsius Regulæ cōmendatio est, *Introd. art. 3. n. 1. eius elogium & vitæ Authores, ibid. eius tēpore ab ortu vsq; ad scriptionem Regulæ, art. 3. n. 2. eius in anno triplex festiuitas, & quales? à n. 10. Spiritus sancti organum. Ad Prolog. n. 2. & in Lacinia, seg. 2. n. 5. Magistrū se appellat, sine dispendio humilitatis, ibid. Aliqua eius æconomia, in Notis ad Titulū Regulæ, n. 4. & 5. Cū Baptista collatio, c. 55. n. 34. Non habuit Regulā S. Basilii, nec aliam alterius, c. 1. à n. 12. Eius opusculū regulare, præter Regulam, *ibid. n. 17. Sacerdotē fuisse omnino cōstat, ita ut oppositū nō possit certo affirmari, c. 2. n. 11. idque independenter ab argumentis Regulæ, ibid. defenditur cōtra D. Bonauent. Basilii Pōtiū, & c. c. 60. n. 10. & cōtra Bellarminū, c. 2. n. 20. & c. A vita eremitica incepit, c. 1. n. 9. trāsit ad cōnobialē, rediit ad eremū, deniq; cōnobialē cōstituit, *ibid. n. 12. cū seqq. vide verbo Regula.***

S. Bernard. inter Regulæ Cōmētatores venerādus, *Intr. ar. 1. n. 7. eius humilitas in retractione, n. 14. Explicatus late cōtra I. Caram. ipsū perperā adducētē pro se, in Lacin. seg. 6. per totū.*

Bibliotheca, in Monasterio, antiqua officina, c. 48. n. 16.

Bini an semper, debeant incedere Monachis, cap. 67. à num. 8. vsque in fin.

Braccile quid sit, discatitur, c. 55. nu. 23. 24. & 25. Præfertur expositio, pro braccis, & fundatur, *ibid.*

Breuiarii Romani dispositio, aut altera-

- tio per Pontificem, non intelligitur  
 transire ad Monachale nostrū, c. 18.  
 n. 4. Monasticū quibus, & quomo-  
 do competat? n. 17. Non prodest ad  
 tollendam obligationem consuetā  
 Officii B. Mariæ, & Defunctorum, n.  
 18. Eius mutatio quatenus liceat  
 communitati? *In Lacinia, segm. 24.*  
 n. 5. Quatenus priuato? n. 6. & alia  
 mutationes, *in sequentibus.*  
*Breuis, quid sit in Regula, c. 32. n. 2.*  
*Buccella, quid? cap. 39. num. 3.*
- C**
- C**Amiffia, non solum de linea di-  
 citur, c. 55. n. 18.  
 Campanarum, & tintinabulorum prin-  
 cipium, & vsus, c. 47. n. 5. & 6.  
 Capituli Religionis potestas, etiam ea,  
 quæ ex priuilegio, aut iure, facultati-  
 uè competunt, limitandi, *in Lacinia*  
*segm. 25. n. 6. & 7.*  
 Calceus quid? & an inter indumenta  
 cōputerur? c. 22. n. 19. Calceamenta  
 fratrum, c. 55. Calceatos Monachos  
 instituit S. Benedictus, *ibi, n. 1.* Pedu-  
 les, calige, sandalium, calceus expli-  
 cantur, n. 10.  
 Caligæ an retinendæ in dormiendo?  
 c. 22. n. 19. Quæ ad id forma, *ibid.*  
 Cancellus quid? c. 22. n. 5.  
 Canonici Regulares etiam sub Regula  
 S. Bened. c. 58. n. 21. & 22. & D. Au-  
 gustinus non solum Canonicis, sed  
 & Monachis Regulam scripsit, *ibid.*  
 Confutatur I. Lepaige de Canoni-  
 catu S. P. Damiani, & S. Isidori, *ibid.*  
 Cantoris officium in Regula, *cap. 11. n.*  
*13. & 7. & 10.* Cantare, pro cele-  
 brare, c. 9. nu. 11.  
 Cantus à D. Gregorio reformatus, c.  
 11. nu. 7. Eius modulatio, ex Regula  
 est, *ibid. n. 3. & 7.* Eius antiquitas in  
 Ecclesia, *ibid.* Authores eum ritum  
 commendantes, nu. 4. Cantus *cum*  
*Antiphona*: Significat cum modu-  
 latione, *indirectum* significat vno to-  
 no, c. 12. n. 1. & 2. Organicus, seu fi-  
 guratus an expediatur? *cap. 11. n. 5.*  
 Carnium esus prohibitio, iuxta Regu-  
 lam, c. 36. n. 19.
- Carthusienses, male inter Benedic-  
 nos numerati ab aliquibus, *Introd.*  
*art. 3. n. 15.*  
 Casini mōtis variā nomina olim, *ar. 3.*  
 n. 2. *ibi* cōdita Regula à S. Bened. *ibid.*  
 Casus plures, circa mutationem, & al-  
 terationem officii diuini, referūtur,  
 & taxantur, *in Lacinia, seg. 24. & 25.*  
 Cellam immobilē sibi adscribere Mo-  
 nachū, refragatur Regula, c. 22. n. 2.  
 Sigillatim eam habuisse, etiam an-  
 tiquitus in vsu, n. 7. & 8. Explicatur  
 quid sit *cella super se*, de infirmis, c.  
 36. n. 4. cella pro Monasterio etiam  
 accepta, c. 31. n. 1.  
 Cellerarii officium, c. 31. Nominis im-  
 positio, n. 1. dicitur Diaconia, n. 2. c-  
 lectio eius, n. 4. cōdicionēs, & obliga-  
 tio, n. 5. modus exercēdi officii, n. 6.  
 Ceremoniæ professionis expendūtur,  
 c. 60. à n. 10.  
 Cibi, potusque mensura Monachis, c.  
 39. & 40. An liceāt extra refectoriū  
 aut proprias horas? c. 43. n. 9.  
 Cingulum solemne, inter habitus Mo-  
 nasticos ostenditur, c. 22. n. 15. Non  
 ita inter Benedictinos, n. 16. & 17.  
 Est signum dignitatis, & honoris,  
*ibid. n. 16.* Cinctos dormire Mona-  
 chos, quatenus intelligatur, c. 22. à  
 n. 14. vsque 18.  
 Circumcelliones, qui? c. 1. n. 4.  
 Circumstantias aggrauantes confiten-  
 das, sententia tutior, *Introd. art. 6. n.*  
*9.* Quæ ex perfectione status, vt sic,  
 nascitur, vrget Episcopum, non ita  
 Religiosum, *ibid.* Ex repetitione vo-  
 ti, seu præcepti, non augetur culpa,  
*ibid. num. 5.*  
 Cistercienses Monachi, an nomine Ni-  
 grorum veniant, c. 38. nu. 8. illorum  
 obligatio ad confessiones, & c. ex iu-  
 re, & ex peculiari ordinis onere, dis-  
 cutitur, *ibid. & num. 10.*  
 Chocolate, de nō fragēdo ieiunio, chi-  
 merica, & inepta opinio, c. 38. n. 16.  
 Chori obligatio Abbaris & Monacho-  
 rū, c. 32. à n. 12. vsque in fin. & c. 43.  
 n. 8. Eius cantus, alternando, quādo  
 ceperit? c. 11. n. 2. Eius cātus Mona-  
 sticus commendatus, & defensus, c.

- ii. n. 3. & 4. De organico, quid sentiendum, n. 5. & c.
- Classis materiarum pertinentium ad Regulam, *Introd. art. 5. per totum.*
- Clausura Monachi, adhuc intra Monasterium coarctata, c. 67. nu. 7.
- Clericalis tonsura, à Monachali differt, c. 1. à n. 24. Clerici nomine quid intelligatur? c. 6. n. 2.
- Coenæ hora, & eius variatio, c. 41. n. 14.
- Coenobium, Monasterium, & Arcisterium, idem, c. 1. n. 7. Coenobitæ, qui? & eorum laudatio, *ibid.* ipsis solum descripta Regula, n. 8.
- Collatio in ieiuniis nulla antiquis, *cap. 41. n. 10.* Qualis hodie, n. 11. & 12.
- Collecta, seu oratio, pro eodem atque benedictione, *cap. 11. n. 13.* Aliæ eius significationes, *cap. 12. n. 4.* vsus illius an semper, pro terminatione horæ Canonice? c. 13. nu. 5. & 6.
- Colores vestium Monachorum, vide, *Griseus, & Vestimenta, & Albus*
- Columnæ duæ ante fores templi, quid? c. 66. n. 1.
- Comestio extra Monasterium, cū secularibus, vitanda, c. 51. n. 1.
- Comentatores Regulæ, *Introd. art. 1. à n. 2.* Eorum materia, *art. 2. n. 3. & 4.*
- Communis Monasterij Regula, quæ dicitur in Regula? *art. 11. n. 11.*
- Communita Regulæ, quam obligationem fortiantur? *art. 10. n. 4.*
- Concionantium in translatione S. Benedicti interdū deceptio, *art. 3. n. 11.*
- Communicatio cogitationum cum Prælato, aut Patre spirituali, fuit disciplina Monastica, c. 7. n. 11. id extra Sacramentum fuisse, probatur, n. *seqq.*
- Cui hodie fieri sic satis? n. 70.
- Concilium Aquigranense, vide *Aquigranense.*
- Confessio, non semper dicitur de Sacramentali, c. 7. nu. 14. *cum seqq.* Eius acceptiones, n. 16. Confessionū iteratio imposita Cisterciensibus declaratur, c. 38. n. 10. Cōfessionis frequentia ex Regula, an extet determinata obligatio, *ibid.* n. 9.
- Cōmunionis sacre frequētia, iuxta Regulā, c. 38. nu. 3. & 4. De alio minus, aut magis frequēti vsu, n. 5. *remissive.* Quæ obligatio ad menstruā cōmunionē ex iure, n. 6. & 7. & pro quibus Religiosis iura disponant, n. 8.
- Cōgregationes sub Regula S. Benedicti, *Introd. art. 3. à n. 14.* Correcti Tritemius, & alii de hac re, *ibid.* Numeratur, 84. n. 10. *remissive.* Congregatio Cisterc. Obseruatiæ Hispaniæ perperam duplicata à Tamburinio, n. 16.
- Cōsiliorū, & præceptorū distinctio, sine hæresi negari nō potest, *Intr. art. 4. n. 12.* illa nō obligant, *ibid.* n. 6. Nō omnia cōsilia Euāgelica, sunt materia Regulæ, n. 11. Præter Euāgelica, sūt aliqua Regulæ propria, *ibid.* n. 12. & *ar. 5. n. 4.* Cōsilia materia præceptiuo modo inserta Regulæ, eius præceptū reputatur, *ar. 6. n. 15.* & *ar. 8. n. 7.* vt à præceptis distinguantur cōsilia, non solū ad verba est aduertēdū, *ar. 6. n. 13. cū seqq.* Dū consilii rationē retinēt, ad nullam culpā obligāt, *art. 6. n. 17. art. 4. n. 6. & art. 9. nu. 6.*
- Consilium desumēdum, & quomodo? c. 3. Quo pacto hodie? *ibid.* n. 3. Quæ obligatione, n. 4. & *seqq.* Non sigillatim à quolibet seorsum, sed in simul collectis, n. 5. Quo effectu? n. 6. Quæ modestia dandum? n. 7.
- Constitutiones non obligantes ad culpam, plurium Religionum, *art. 4. n. 2. & in Lacin. segm. 5. n. 4.*
- Contēptus formalis in transgressione, mortalis, *ar. 8. n. 2.* & quis sit talis? *ibid.*
- Consuetudines, non indifferēter à quibuslibet, debent sumere Religiosi, c. 36. n. 29. Cōsuetudo peccādi non est cōtēptus, *ar. 8. n. 3.* Cōsuetudo induxit quædā ieiunia sub mortali, *ibid.* n. 5. Eius efficacia, ad ponedam, vel tollendam obligationē, *ar. 8. n. 9. & 16. & 17.* item ad aliquid probandū, *in Lacin. seg. 7. nu. 6.* obligationē inducit etiam sine principio præcepti, *segm. 10. n. 5.* Ad eam sufficit, etiā in scio Principe, iuridica & legalis voluntas præscriptionis, *ibid.* Eius obligatio expresenti statu, non ex principio, est attēdēda & requirēda *seg. 11. n. 5. & seqq. & seg. 17. n. 2.*

eius requisita, *Segment. II. n. 9. vsque in fin.* A quibus induci possit? *ibid. & Seg. 12 n. 5.* Non fit consequentia vnius consuetudinis ad aliam. *Segment. 14. num. 5. & segment. 16. n. 5.* Quo pacto introducatur? *segment. 17. n. 2. & sequent.* Cōsuetudinis statuenda doctrina, *cap. 18. n. 16.* Potest obligationem grauem reducere ad leuem, & ad nullam. *Introd. art. 4. n. 3.* Consuetudinis cum traditione consensio, *Lacin. segment. II. nu. 8.* Contētio & emulatio, in doctrina, excrandanda, *in Lacin. segm. 8. n. 4.* Conuentionales leges quę? *segment. 5. num. 8.* Conuentus quot constet? *segment. 1. num. 3.* Conuersio morum, in professione quid contineat? *Introd. art. 8. num. 6. & 13. cum seqq.* Conuersorum Religiosorum nomen, ratio, occupatio, & principium, *c. 57. num. 7. & 8. & in Lacinia, segm. II. num. 3.* Coquina multiplex in Regula, hodie contracta, *c. 53. n. 18.* Eius cura & seruitores, *c. 35.* Coram Deo, &c. non semper est forma iurantis, *Introd. art. 7. à n. 15. & explicatur S. Bernatdus, n. 18. & 19. & in Lacin. segm. 26. n. 6.* Corona Monachi quare sic dicta? *c. 1. num. 23. & de eius antiquitate, forma, differentia à Clericali, &c. à nu. 20. & seqq.* Corpus B. Benedicti, vbi quiescat? *Introd. art. 3. à n. 9.* Correctio publica de quibus facienda? *c. 70. n. 2.* Tam publica, quam fraterna, magis premit Superiores, *num. 4.* Correctio scriptori grata. *Introd. art. 1. n. 15. & 16.* Ex ea melius perfectiora noscuntur, *num. 16. & 17.* Correcti Franciscus Coriolanus, *Introd. art. 3. n. 2.* Tritemius, *nu. 15.* Gabriel Penotus, *ibid. & c. 58. n. 10.* I. Lapaige, *ibid. & cap. 59. n. 21. & 22.* Tamburinius, *art. 3. num. 16. & art. 6. n. 17. & alibi.* Franciscus Vaquerius, *ibid.* Turrecremata, *ibid. n. 16. & c. 48. n. 9. & c.*

Llamas, *c. 71. n. 7.* Ludouicus Cerda, *c. 22, n. 13. & c. 47. n. 3.* Molina Cartusianus, *c. 21.* Ioan. Grial Scholiastes S. Isidori, *c. 55. n. 25.* Franciscus Bibarius cum Petro Venerabili, *c. 55. n. 12. & 13.* Ioann. Caramuel, *Introd. art. 7. num. 19. art. 8. n. 15. art. II. n. 1. 5. & 8. & alibi,* & per totam Lacinia additam in fine. Casaneus, *c. 2. n. 19.* Aliique plures & ex eis non semel in discursu videndi. Quorum omnium, non tam correctiones, quam obseruationes meas dixerim, easdē recipere paratus.

Corrigiati Augustiniani fratres, Corrigeri Franciscani, cucullati Benedictini Monachi, *cap. 22. n. 16. & 17.* Cuculla multiplex, & eius nomina, *c. 55. n. 3.* forma diuersa, *c. 22. à n. 14.* An cum ea dormiendū ex Regula, *ibid. à n. 10. & c. 55. n. 6. & 7.* Propria Benedictini habitus, *c. 22. n. 16.* vsurpata perperam à Basilianis, sed interdicta, *c. 1. n. 18.* Culpa ciuilis, sine peccato datur, sufficiens ad pœnam sub illo, *Introd. art. 4. n. 5.* Culpas leues, & graues supponit Regula, *ibid. n. 8.* Culpa abest à Regula dum exortando, monendo, consulendo, narrando ve, vt sic, ipsa ex se procedit, *art. 9. à nu. 1. vsque 7.* Eius grauitas considerata iuxta priuatam, aut publicam personam, aut communitatem transgredientem, *art. II. à n. 1. & c.* Culpa leuis, aut nulla in subdito, grauis quandoque in Superiori, *ibid. à n. 3.* Cultellum ad latus habere antiquum, *c. 22. n. 18.* deponere illum in somno quatenus obliget? *Ibid.* Decentia, & coniectura exinde, *n. 19.*

## D.

Decani significationes, *cap. 21. n. 1.* Quomodo computetur Decania? *num. 2.* Decanos constituere in Monasterio, est conditionale in Regula, *c. 21. n. 3. & c. 64. n. 3.* In quibus Conuentibus locum haberet, *c. 21. n. 4. & 5.* Extensum nomen ad eos,

- eos, qui in Regula non vocantur tales, *c. 48. n. 17.*  
 Decentia seruanda à Commentatore, *in Lacinia, segm. 21. n. 2.*  
 Declaratio legis, vt sic, nouam obligationem nõ adducit, sed quæ inerat à principio, *segm. 14. n. 4.*  
 Defensio aliquando pro vindicta, *c. 69. n. 4. in fine,* defensio alterius, prohibita in Monasterio qualiter, *ibid. n. 1. & 2.*  
 Defunctorum officium quatenus obliget? *Segm. 19. per totum.* Eius antiquitas, *ibid. n. 3.* Antiquius, quam Officium B. Virg. Mariæ, *ibid.* obligat nostros Monachos non ordinatos, & Moniales, *n. 7.* Eorum funera & suffragia, quam antiqua, *c. 18. num. 6.* Annua illorum memoria Kalendis Nouembris, quando & à quo cepta, *num. 7.* Defunctos cum Eucharistia sepeliri mos, *cap. 2. num. 11. confirmat. 3.*  
 Delictõ commensuranda est pœna, *c. 24. à n. 1.*  
 Desertio Religionis, & subiectionis Prælati est formalissima fractio voti obedientiæ, *Introd. art. 7. n. 6.*  
 Desuetudine cessat obligatio, & culpa, *art. 9. n. 8.* Sic abrogata, an possint à Prælato præcipi? *ibid.*  
 Deuotio potest transire in obligationem præcepti, *in Lacinia segm. 11. num. 5.*  
 Deus paruulis & pauperibus scit conferre decorem, *art. 2. nu. 2.* Versiculi: *Deus in adiutorium meum, &c.* Encomium & virtus, *c. 17. n. 1.* Loquutionis, *Deo gratias,* antiquitas & venerationis, *c. 66. n. 3.*  
 Diaconus & Diaconia, etiam non de ordine sacro dicta, *c. 7. n. 17. & cap. 31. n. 2.*  
 Diaconisa & Præbitera, quæ dicerentur? *c. 9. n. 4.*  
 Diei noctisque diuisio in horas, *c. 8. n. 3.* in vigiliis, *n. 4.* in horas naturales, & vulgares, hybernas & æstiuas, *n. 5.* dies abusiui, *ibid.*  
 Differentiarum contrahentium genera ad species, varietas & modus, *Segment. 22. num. 7. & seqq.*  
 Difficilia etiam in Regula inueniri, *c. 68. n. 4.* & iuxta eam etiam respectiue impossibilia tentanda, *num. 4. & 5.*  
 Difficultas in recipiendis Nouitiis, hodie rationabiliter temperanda, *c. 58. num. 2.*  
 Diffinitionum & etiam consuetudinis limitationes, respectu Abbatis, aut etiam Generalis seruandæ sunt, *Introd. art. 7. n. 7. & art. 11. n. 9.*  
 Dignitatis Abbatialis præminentia, *c. 2. n. 19.*  
 S. Dionisi Areopagite, de professione Monastica, expensus locus, *c. 60. n. 13. & 14.*  
 Directanei Psalmi, idem est, ac sine Antiphona, & modulatione cantus, *c. 12. n. 2.*  
 Discalceatæ reformationes S. Benedicti, non recollectio, sed supererogatio Regulæ est, *c. 55. n. 1.*  
 Disciplina correctionis, quid significet? *c. 3. à n. 8. late.*  
 Discretio Regulæ, *ad Prolog. n. 13. & ad c. 29. à n. 9.*  
 Dispensatio in præcepto Regulæ, tollit obligationem culpæ, *Introd. art. 9. n. 9.* & an dispensata possint à Prælato præcipi? *ibid.* Qualiter ex iure competat Abbati? *ibid. & c. 41. à num. 5.* hodie limitata, & limitabilis, *art. 11. n. 6. & 7.* Qualiter permittatur ei aut aliis, *n. 9.* Ea non cadit nisi super præceptum obligatorium, *in Lacinia, segm. 3. nu. 5.* Solum in subditos habet locum, *segm. 14. n. 4.* De tempore fugitiuorum, est iniuriosa, nec facienda, *c. 29. n. 2.*  
 Dispositio officii diuini, quo pacto in Regula permissa alteri? *c. 18. n. 2.* & an hodie liceat? *n. 3. &c.*  
 Distributio rerum Monasterii, iuste debet seruari, secundum debitam proportionem, *c. 34. n. 2.*  
 Diuersarum Religionum diuersa iura, & consuetudines, quibus diuersimo de stabilenda est doctrina, notatur expressis Authoribus, *c. 71. num. 11.*  
 Diuersitas operum manus & lectionis

nis Regule expenditur late, *cap. 48.*  
 Diuitiarum cum nobilitate consensus,  
 vel vulgò, *c. 59. n. 1. & 2.*  
 Docere opiniones probabiles, aut fe-  
 qui saepe non decet, *Lacinia, Segm.*  
*8. nu. 8.* Doctrina commendatur ex  
 vita, *Introd. art. 3. n. 1.*  
 Dominatiue potestatis, & iurisdic-  
 tionis distinctio, *art. 4. n. 9. cum ibi cita-*  
*tis, & c. 71. n. 12. & seqq.* Illa, ex vo-  
 to Religiosæ professionis, compe-  
 tis Papæ, *art. 7. à num. 9. & art. 11.*  
*num. 8.*  
 Dominicis diebus, Marutini, id est Lau-  
 des, qualiter ex Regula agantur, *cap.*  
*12.*  
 Domini, & Doni appellatio dilucidatur,  
*c. 63. n. 5. 6. & 7.*  
 Dormiendi disciplina Monastica, *c. 22.*  
*n. 1. & c.* Ex Regula in communi lo-  
 co, & qualiter cessauerit alicubi, *nu.*  
*3. & seqq.* An cum cuculla sit ex Re-  
 gula, tractatur, *ibi, à nu. 10. cum seqq.*  
*& c. 25. n. 7. & 8.* De scapulari diffi-  
 cultas, *c. 22. num. 10.* Post vigiliis no-  
 cturnas, quatenus liceat dormire, *c.*  
*8. nu. 16.* An cum caligis seu tibiali-  
 bus, *c. 22. n. 19. & c. 55. nu. 10.* Dor-  
 mitorium cum candela, seu lumi-  
 ne, noctu debet esse, *c. 22. n. 9.* Expli-  
 catur illud *Psal. Dormire intermedios*  
*Cleros, c. 35. n. 3.*  
 Duodenarius numerus Monachorum,  
 pro obseruanti Conuentu, satis, *c. 21*  
*n. 6. & longus cathalogus exemplo-*  
*rum de eo, n. 7.*

## E.

**E**cclesia, oratorium, & Chorus, fe-  
 re idem in Regula, *c. 52. n. 1. & 2.*  
 Silentium in ea, *nu. 3.* exemplis illu-  
 stratum, *ibid.*  
 Eiectus, vide, *expelli, & Fugitiuus.*  
 Electio Prapostiti Monasterii ab Ab-  
 bate, an satis sit de digno? *c. 65. à n.*  
*6.* Sufficit dignus, *nu. 7.* idem in aliis  
 officiis, in quibus consultiua vota su-  
 mit Abbas, *nu. 8.* Secus in electione  
 Abbatis, necessario de digniore, *nu.*

*9.* Officia in quibus sat est dignus, *n.*  
*10.* Defectu digni, quid agendum, *n.*  
*12.* Quid in officiis Consiliariorum,  
 & calculatorum Monasterii, quæ de  
 cisiuis votis eliguntur, *n. 13.* De offi-  
 ciis Capituli generalis à Generali,  
 & infra disceptatur, *nu. 14. 15. & 16.*  
 Quid quando electiones restrictæ  
 sunt ad duas, vel plures personas, *n.*  
*17.* Dignitas eligendorum vnde pen-  
 sanda est, *n. 18.* Modus loquendi, de  
 licita omissione dignioris, in aliquo  
 casu, corrigitur, *ibid.*  
 Emporetica carta, aut papyrus, *in Laci-*  
*nia. plicat. 4. ante segm. 20.*  
 Energumenis data communitio, *cap. 25.*  
*num. 2.*  
 Epitichia, seu epicheia, locum habet in  
 Regula, *Introd. art. 9. n. 10.*  
 Episcopus, nomine Sacerdotis, aut Præ-  
 sbiteri, aliquando intellectus, *c. 65.*  
*n. 2.* Eius iurisdictio olim plena erat  
 in Monachos, *art. 7. num. 9. & 12.* &  
 plenè, suo modo, cessit in Generali,  
 & alios Prælatos, per exemptionem  
*ibid.* Eis competeat Superioritas, &  
 approbatio Religionum, *art. 3. num.*  
*3.* Sed limitata suis tantum locis,  
*ibid. & art. 4. num. 9. & art. 7. num.*  
*9. & 12.*  
 Epistola sine licentia, nec danda, nec  
 recipienda, *c. 54. n. 2.* exempla ad id,  
*ibid.* An liceat inuicem intra Mona-  
 sterium, *nu. 3. & 4.* Epistolaris com-  
 municationis laudatio, *nu. 5.* Debitè  
 permittenda, *ibid.* Fallatiæ scriptio-  
 nis explorandæ, *num. 6.* modi earum,  
*ibid.*  
 Equitandi mos Monachis, extra Mo-  
 nasterium ituris, adstruitur, *cap. 67.*  
*n. 10.*  
 Eremita, & Cœnobita, non omnino  
 disident, *c. 22. nu. 7.* Eremitæ proprie-  
 qui sint, *cap. 1. num. 10.* Eremitica an  
 cœnobialis vita quæ præferenda, *c.*  
*1. n. 9.*  
 Errantium in choro satisfactio, *cap. 45.*  
*nu. 1.* Error profitentium non indu-  
 cit maiorem obligationem, *art. 7.*  
*num. 6.*  
 Esus carniū in Regula, quæ culpa?

- Introd. art. 11. n. 1. & seqq. & c. 36. à n. 26. Quis prohibitus in Regula applicatur? c. 63. à n. 19. Ciborum Sabinorum Hispaniæ in Regnis Castellæ. à n. 23. Quorum & lacticio- rum, n. 20. & 21.*
- Euangelium in Choro legere nullum argumentum inducit Sacerdotii, c. 11. n. 8. & sine solemnitate a quouis dicitur, ibid. & n. 10. & propugnatum contra San. Vit. ibid.*
- Eucharistia in Ecclesiâ asseruata semper, c. 52. n. 2. cõtingi à laicis quomodo licuit? c. 2. n. 11. confirm. 3. & inferri in sepultura cum mortuo? ibid.*
- Eugenius III. ex cisterciensibus Primus Papa, approbat scripta S. Hildegardis, Introd. art. 1. n. 7.*
- Excommunicatio, de qua in Regula sæpe, nullatenus fuit censura Ecclesiastica, sed pœnitentiâ quædam regularis, declaratur & defenditur, c. 23. à n. 1. per totum, cap. & cap. 24. à num. 1. & cap. 25. & 26. suis num. & cap. 43. num. 4. & c. & cap. 51. n. 2. & alias sæpius. Eius acceptiones absque censura, c. 23. n. 10. Excommunicationis, quæ censura Ecclesiastica est, authoritas, & vis, c. 25. n. 3. Cõtra proprietarios inter nostros, c. 33. n. 4. illa prior etiam inter pœnas militares inuenta, c. 44. n. 2. Ecclesiastica inferre, & absolui potest, à non ordiato, c. 2. n. 11. confirm. 2.*
- Exempla Regulæ ad aliquos modos obligationis, aut deobligationis discutendos, Introd. art. 5. per totum.*
- Exempla, modus, & distinctio legum pœnaliũ, in Regula, Lacinia segm. 5. per totum. Exempla scripta, scriptura dicuntur, c. 7. n. 7. Exempla timenda desertoribus obsequii B. Mariæ, segm. 16. n. 3. & aliud deuotionis erga illam, ibid. & seqq. Exempla & authoritates non admittentium medicinæ curationem, cap. 36. num. 11. & 12. Responso ad ea, n. 13. & 14. & c.*
- Exemptio Religionum, quando ceperit? art. 4. n. 9.*
- Exhortatio venientibus ad Monachatum, ipse Regulæ Prologus, in Notis ad ipsum, n. 2.*
- Expelli a Religione quatenus liceat, c. 28. à n. 2.*
- Explicatio priuilegiorum, aut Bullarũ ex procemiis maxime sumenda, cap. 43. num. 10. Explicatus B. Bernardus: Introd. art. 7. à num. 15. cap. 32. num. 9. cap. 36. num. 10. & 11. & vide Bernardus. Franciscus Suarez, Introd. art. 6. num. 18. cum seqq. Smaragdus, cap. 11. num. 10. San-Vitores.*
- Expositores Regulæ, Introd. art. 1. per totum.*
- Expulsioni Monachi à Monasterio, quæ incorrigibilitas, & requisita præcedant, c. 28. à n. 1. & c.*
- Extraordinarium aliquid commestibile inferre mensis, vt liceat ex Regula, cap. 43. n. 10. Expenditur de hoc, pro nostris, Motus proprius Clementis VIII. ibidem.*
- Extremities animalium quæ Sabbatis eduntur in Regnis Castellæ, quomodo introductæ, & liceant in Monasteriis? cap. 36. à num. 23. vsque 25. & num. 29.*

**F**

- Fecha de la profession, est illud, in hoc loco, & c. in Lacinia, segm. 26. num. 5.*
- Femoralium vsus, ex Regula, cap. 55. n. 20. & in qua forma, nomine braccillis intellecta, discutitur, nu. 23. cum seqq.*
- Ferramenta Monasterii, cap. 32. Nonfordidè tractanda, ibid. n. 13.*
- Festinatio nimia, lapsui proxima, seg. 20. n. 1.*
- Festiuitas S. Benedicti triplex, in anno, & quales? Introd. art. 3. n. 10. Totidem S. Mamerti, ibid.*
- Finem legis formaliter impedire, pro contemptu habetur, art. 11. n. 2.*
- Flagellatio olim, præambula ad supplicium mortis, c. 44. n. 10.*
- Fœmina cuius iurisdictionis sit capax, cap.*

- cap. 71. a. n. 13. vsque 22. Eius nomē in tota Regula, non inuenitur, c. 73. n. 5. & ibi ratio.
- Forma præcipiendi, non tollit vim præcepti, etiam si erretur in modo verborum, c. 71. n. 19.
- Forma, in virtute sanctæ obediētiae, deseruit obediētiae & ex voto, & sine voto, n. 20. Forma præcepti, ad substantiam eius pertinet, *Lacinia*, *Segm.* 24. num. 4. Forma professionis Benedictinæ & aliorum, *Introd.* art. 7. num. 7.
- S. Franciscus ex humilitate non Sacerdos, S. Benedictus etiā humilis, sed Sacerdos, bona venia S. Bonauenturæ, c. 60. n. 10.
- Fratris appellatio, ipsi S. Benedicto familiaris, in *Notis ad inscriptionem Reg. num.* 3. & propria Regula, c. 63. n. 4. & 5.
- Fratrum laicorum, à Monachis, differentia obligationum, *Segment.* 11. num. 3.
- Fugitiui ultra quater, an ex Regula recipi debeant, c. 28. a. n. 1. & c. 29. n. 1. Tempus absentię illorum, debet esse indispensabile, num. 2. Misericorditer aliās cum eis agendum, n. 3.
- G**
- Genibus obuolui, quid sit? c. 35. n. 9. Genuflexiones, quo tempore cessabant? c. 41. n. 2. Genibus flexis priuatim recitare officium, non est ex obligatione Regula, c. 50. num. 3. & 4.
- Girouagi Monachi qui? c. 1. n. 2.
- Gloria Patri, & c. adiectū psalmis quādo? c. 18. n. 3.
- Glossa cap. Dolentes, defenditur, *seg.* 23. n. 5. & 7.
- Graduum humilitatis, non requirēdus ordo anterioritatis, aut posterioritatis, c. 7. n. 3. & 27. & 28. Collatio cum aliis graduationibus diuersis à Regula, num. 27. & 32. Vocantur inditia humilitatis à Casiano, num. 32. & 33.
- Gradum potiore conferre, Sacerdotii causa, ex Regula, quo modo intelligatur? c. 60. n. 7. cum seqq. & c. 61. n. 3. Gradus anterioritatis in Monasterio, c. 63. triplex modus eius, n. 1. & 2. Defenditur prælatio Sacerdotii, in *Lacinia*, *segm.* 26.
- S. Gregorius Papa, Regulam S. Benedicti approbauit, & eam antea tenuit. *Introd.* art. 3. n. 4. & 6.
- Graphium & tabulæ, scribendi apparatus, c. 55. cum seqq.
- Griseus color, quis, & pullus, c. 55. n. 11. Brunus, & albus, n. 15.
- Grossitudo habitus Regularis, *cap.* 55. num. 16.
- H**
- Habitus distinctio inter Religiones necessaria, c. 1. n. 18. Eius mutatio necessario cauenda, c. 55. n. 15. Secularem non exuebant nouitii olim, *ibid.* & *cap.* 58. n. 4. & 17. Monasticus pelliceus antiquitus, *cap.* 55. n. 32. Qualem dederit Romanus S. Benedicto? n. 33. & seqq. *Habitus non facit Monachum, &c.* quomodo legitime intelligitur, in *Lacinia*, *segm.* 26. num. 3.
- Hemina, mensura vini discutitur, c. 40. num. 2.
- Hieratica, inter genera cartarum, que *Ante Segment.* 13. in capite *Pli-car.* 3.
- S. Hildegardis Sanctitas, laus, & approbatio scriptorum eius, *Introd.* art. 1. n. 7.
- Historiographi de vita S. Benedicti, *art.* 3. nu. 1. Historiæ cognitio quam necessaria, *Segm.* 16. n. 1.
- Honestatis indumenta, femoralia, feminalia, subligaculum, brachiale, brachiale, brachiale, braccę, perizomata, campestria, *capit.* 55. num. 20. 23. 24.
- Honor B. Marię etiam cū inditio, *segm.* 16. n. 3. & seqq.
- Honoratus Abbas, nullius Regulam tenuit, sicut S. Benedictus, *capit.* 1. num.

n. 13. & alia exempla, n. 14.  
 Horę Canonica octo, secundum Regulam, c. 16. n. 1. & quod sint septē, fere quęstio est de nomine, *ibid.* & *Segm. 22. n. 1.* De vigiliis, quod nos *Mairines*, hyemis tempore, c. 8. & 9. verno tempore, *cap. 10.* Dominicis diebus, c. 11. in festis, c. 14. Laudes, quę in Regula dicuntur Matutini, Dominicis diebus, c. 12. Priuatis diebus, c. 13.  
 Horę diurnę, inter quas computantur laudes, c. 16. 17. & 18. Horarum Tertię, Sextę, Nonę, & Vespere explicatio, & modus, c. 8. nu. 8. *cum seqq.* Earum, seu officii diuini significatio *cap. 47. n. 1.* Diuersa instrumenta ad id vsitata, *ibid.* De horis, iuxta nostra horologia explicati loci Matth. *cap. 2.* & Actuum Apost. c. 2. & c. 8. n. 10.  
 Horę prandii, & cęnę ex Regula, c. 41. Hora Nonę, n. 8. Vespertina, n. 9. Lucernaria, *ibid.* Horarū Officii paritas, in *Lacinia, Segm. 22. nu. 1.* Hora surgendi ad vigiliās ex Regula, c. 8. n. 1. *cum seqq.* Horologiorum diuersa computatio, & intelligentia, *ibid.* à n. 3. & c.  
 Horti significationes, iuxta Regulam conuenientes, c. 46. n. 3.  
 Hospitalitas, c. 53. Eius laudatio, n. 1. obligatio, n. 2. & 3. Quā vsitata antiquis etiam ethnicis, *ibid.* Modus in suscipiendis hospitiibus, nu. 4. Oratio pręmittenda, nu. 5. Osculum, & eür hodie omissum, n. 6. & 7. Lectio pro hospite, n. 8. Fractio ieiunii, nu. 9. & 10. & 11. Lotio pedum, & omisio illius, à n. 12. vsque 17. Hospicii, & hospitatoris institutio, nu. 18. & 19. Socius dandus hospiti, nu. 20. & in eo, selectus habendus, *ibid.* Petitio benedictionis qualis? n. 21. Differentia seruanda pro qualitate hospitis, n. 4. & c. 56. n. 3. Vide verbo, *Mensa Abbatis.*  
 Humilitas omni scribenti, quàm necessaria, art. 1. à n. 13. exempla illius, nu. 14. Duodecim gradus illius, c. 7. Eius summarium, & obligatio, *ibid.* nu. 1. Gradualis ascensio haud requi-

renda, in coordinatione, n. 3. & 18. & 33. Distinguuntur per exercitia diuersarum virtutum, & modorum earum, & explicantur à nu. 4. & de *inceps.* Qualiter sumpti ex *Casiano*, nu. 33. Humilitas nisi ex corde nulla est, c. 7. nu. 22. Non detrectat vilia & abiecta, n. 21. Quomodo seruetur veritas in deprimendo se? nu. 23. & c. & n. 28. Eius cum superbia collatio, & æncomia, n. 31. Quę dicitur veritatis, & charitatis? n. 25. Humiliora, & vilia, haud indecora *Monacho*, c. 7. n. 2. & c. 36. nu. 3. Humilitas S. Benedicti, in deprimenda propria Regula, c. 73. n. 10. Similiter S. Petri Damiani, in sua, nu. 11. Quę haberi debet, ex ignorantia nostra, in *Lacinia Segm. 26. n. 20.* Humilitatis, & obedientię conuertibilitas, c. 7. nu. 33. *in fine cum ibi citatis.*

I

**I**eiunium, est etiam ex sola consuetudine, obligans ad mortale, *Introduct. art. 8. nu. 5.* Non frangi per cholate, falsa, & inepta sententia, *cap. 38. nu. 16.* Eius totalis cessatio antiqua, à Pascha in Pentecostem, c. 41. nu. 2. Eius diuersa ratio, & modus, *ibid.* à num. 13. Regulare, & illius exceptiones, n. 3. & *seqq.* Eius fractio, ratione hospitis ex Regula, c. 53. nu. 9. & refutatus ibi, *Episc. Vrgell.* & n. 10. Ratio fractionis, nu. 11. Ieiunii diebus, mistum iuxta Regulam non sumendum, *cap. 35. num. 6. cum seqq.*  
 Ignorantia, multipliciter opinionum causa, *Lacinia, Segm. 8. n. 4.*  
 Impossibilia, quę dicantur iniungi? *cap. 68. n. 2.*  
 Improbabilitas opinionis, ex sententia I. Caram. cōperit ipsi. *Lacinia Segmet. 7. art. 1. & 2.*  
 Impunita multa apud homines, de effectu probationis, nō iurisdictionis, *Segm. 23. n. 4.*  
 Incorrigibilitas expellendorum à Monachis

- nasterio , secundum ius , & Regulam , & Urbanum VIII. cap. 28. á num. 1.
- Indifferens actus , præceptus à lege, aut Regula, sit necessarius, capit. 67. num. 6.
- Indulgentiæ Regulæ qui renuntiat, melius eam implet, *Introd. art. num. 6.*
- Ea parce utendum, capit. 36. num. 28.
- Indulgentiæ concessæ officio B. Mariæ Virg. & Defunctorum, *Lacin. Segm. 7. n. 1. & 2.*
- Infantes, vide verbo, *Pueri, & Oblati.* Eorum cura, & senum, cap. 37. Non probatur omnibus eorum receptio in Monasteriis, c. 63. n. 8. & 11. Intel ligibilis eorum ætas quæ? num. 9. Quam teneri recipiebantur? nu. 10. & 11.
- Infirmorum cura, c. 36. Animæ & corporis est, nu. 1. Obligatio, nu. 2. An in cella propria liceat eos curari? discutitur, á num. 3. vsque 6.
- Infirmorii communis incommoda, cap. 63. num. 4. & seqq. Infirmi Religiosi considerationes, num. 13. & 18.
- Ingratitudo quænam maior? cap. 58. num. 6.
- Inobedientia est, qualibet transgressio præcepti, etiam secluso voto, in *Lacinia, Segm. 6. n. 4.*
- Inscriptiones Regulæ, variæ, in *Notis ad ipsius inscriptionem, num. 1.*
- Instrumenta bonorum operum, ex Epistola Clementis Romani, c. 4. Ea loquutio explicatur & defenditur, *ibi, á num. 1.* Numerus eorum & significatio, num. 4. obligatio ex Regula, num. 5.
- Intentioni verba deseruiunt, *Introd. ar. 8. num. 12.*
- Intentio profitentium, ar. 6. n. 30. ar. 7. n. 6. art. 8. n. 8.
- Introductionis ad *Notas* intentio, *ibi, art. 1. n. 1.*
- Ioannes Caramuel, nonus Commentator Regulæ laudatus, in multis reprehendendus, *art. 1. n. 12. & c. & in Lacinia addita per totam.*
- Ioci immoderati, excludendi á Religione, tractatur, c. 6. á num. 9. vsque fin.
- Iouis hospitalis cur sic dictus? cap. 53. num. 3.
- S. Isidorus, quo anno mortuus, & cuius Regulæ Author? *Introd. art. 1. nu. 4. & art. 2. n. 3.* Eum Canonicum fuisse refellitur, c. 58. num. 22.
- Iudicium non ex parte, sed ex toto sumendum, *Lacinia, Segm. 6. n. 1. & 6.* Qualiter faciendum, ut selectus fiat, *Introd. art. 1. n. 16.*
- Iuramentum, nullum includitur in nostra professione, *Introd. Art. 7. á nu. 15. & in Lacinia Segm. 26. num. 5.* utrobique explicatus D. Bernardus. Iuramenti, & voti duplex obligatio diuersæ rationis, *art. 7. n. 15.* Aliquando iurare, sine vi iuramenti accipitur, *ibidem, n. 18.* Iuramentum perseverat in materia commutata, *art. 10. num. 4.*
- Iuri insertam esse Regulam, aut aliquid illius, quid præstet? *art. 8. n. 17.* Iuramentum loquentia de peculiari Religione, non obligant alias semper, & quomodo? c. 38. n. 8.
- Iurisdictio Ecclesiastica, necessaria ad obligationem Regulæ S. Benedicti, etiam à principio adfuit, *Introd. ar. 4. á n. 9.* Ordinaria, non tollitur per subordinationem ad aliam, *art. 4. n. 10.* Stare poterat in Abbatibus, sine exemptione, ne dum delegata, ad approbationem Regulæ, n. 11. Iurisdictio Regularium, etiam si non sit iuris diuini, non est vnicus effectus ab exemptione proueniens, n. 10. & 11. Iurisdictio Generalis, Capitulum, & Papæ, supra Abbates locales adstruitur, *ar. 4. á n. 8.* Iurisdictio nis ordinariæ ratio, c. 71. n. 12. distincta á Prælatura monastica, quæ est dominatiua, & ex voto, *ibid. & n. 13.* vsus vtriusque, num. 12. & 13. & 21. & 22. iurisditiones, quarum fami næ sunt capaces, *ibid.*
- Iustitia, vas viuarium, c. 40. n. 5. & cap. 57. n. 6.

## L

**L**aborum manuum, & lectionum institutio, modus, alteratio, & obligatio discutitur, c. 48. per totum. Labores in agris, Monachis, propter necessitatem indicati a Regula, c. 50. n. 1. Aliorum diuersitas, c. 57. a nu. 4. *vsque ad fin.*

Laici fratres, qualiter obligentur ad opus manuum? *Lacinia, segm. 11. n. 13.* Non tenentur ad officium diuinum Regulae, cap. 18 num. 5. Eorum principium, & occupatio, capit. 57. num. 7. & 8. Laicatus in Religione diuersus a Monachatu, cap. 58. num. 10. & seqq. & verbo *Conuersi.* Non satis colligitur ex illis verbis Regulae, *Si non scit literas,* a num. 9. &c.

*Lacinia* appellationis ratio, in additione adiecta huic operi, *ibi, Segment. 1. num. 4.*

Lacticinia & oua licent ex Regula, cap. 36. n. 20. & 21.

*Lamparilla*, Obseruatio quaedam inter nostros explicatur & discutitur, c. 8. a n. 12.

*Laudes*, quae in Regula Matutini dicuntur, pro Dominicis diebus disponuntur, c. 22, pro priuatis, c. 23. Reputantur diuersa hora, *Segm. 22. n. 1.*

Laudati, Mag. Ludouicus Bernaldus Cisterc. *Introd. art. 1. n. 10.* Constantinus Caietanus, n. 2. Anton. Yepes, nu. 5. & art. 3. nu. 1. Fr. Chisostomus Enriquez, ar. 1. n. 6. Mag. Ant. Perez Episc. n. 11. Tamburinius, art. 3. n. 14. Franc. Biuarius, n. 15. Mag. Lorca, ar. 4. n. 11. & c. 5. n. 11. Ioannes Lepaige, art. 6. n. 16. Petrus Venerabilis, c. 29. n. 3. Ioan. Caramuelus, in *Lacinia, segm. 1. n. 1.* Suarez, *segm. 4. n. 5.* Angelus Manrique Episc. *Segm. 16. nu. 1.* Petr. Ciaconius, c. 17. nu. 6. Cassianus, c. 1. n. 1. D. Basilius, *ibid.* Anton. Pinelus, c. 38. n. 16. Benedictus Haeftenus, *Introd. art. 1. n. 18.* &c. Alphonsus S. Vitores, *eod. art. n. 16.* & alii ipse, & alii quam plures in operis discursu non semel.

Laudatio, Regulae, *Introd. art. 3. num. 6.* Equalis omnium, quasi nulla est, ar. 2. n. 16.

Lectiones breuiare in choro, in officio diuino, quomodo liceat inter nostros? cap. 11. n. 6. Lectionis claustrum materia, c. 42. n. 2. Quae sacrae scripturae est praetium, *ibid.* cuiuslibet, quae sancta sit, fructus, c. 48. n. 16. &c.

Lector refectorii, vide *Mensa*, Summum ibi silentium, c. 38. n. 1. &c. legendi peritia indispensabilis ad Monachatum, c. 58. n. 11. &c.

Lectorum stramenta, cap. 55. num. 27. Lectisternia antiquis quid? cap. 22. num. 2.

Legislator potest in graui materia obligare leuiter, non vero in leui, grauiter, *Introd. art. 4. n. 3.* nisi ille aliud sufficienter declaret, lex etiam poenalis in conscientia obligat, num. 6. &c. Leges condere, est actus iurisdictionis delegabilis, n. 11. condite a seculari potestate, in conscientia obligant ex se, *ibidem.* Semel latae & promulgatae, aliam iussionem non requirunt, vt obligent, *Lacinia, segm. 2. num. 7.* Poenaliu forma & obligatio, *Segment. 5. per totum.* Sine vlla culpa, sola poena, potius conuentio & pactum est, *ibi, num. 8.* Qualis voluntas Principis requiratur ad valorem legis? *Segm. 11. n. 5.* & 12. Non petit simpliciter, aut essentialiter esse scriptam, c. 1. n. 13.

Leguminum nomine, quid veniat? c. 39. n. 3.

Libra panis Regulae discutitur, cap. 39. a num. 4. Probabilius pondus eius num. 7.

Liber etiam magnitudine comendatur, *Lacinia, segm. 1. n. 1.* Eius quem, de Praecepto & dispensatione scripsit B. Bernard. aequalis illustratio, *segm. 3. & 6.*

Licentiae generales, in cautionem Regulae, vilitate in Nostros, c. 43. n. 9. Petende ad extraordinariam poenitentiam, c. 48. n. 5.

Limitandi priuilegia & iura inferioribus, quae potestas in Capitulis remissive, in *Lacinia, segm. 25. nu. 6.*

- Loquutio per signa in obseruationem silentii, antiquus in mensis, & apud prophanos mos, *c. 38. num. 13. & 14.*  
 Loquutiones humilium nimium se deprimentium, quomodo verè sint? *c. 23. n. 1. cum seqq.*  
 Loticum pedum quoad fratres, *c. 35. n. 4.*  
 Pro hospitibus, quibus difficultatibus implicetur? *c. 53. n. 12.* Quæ sit dispositio Regulæ? *n. 13. & 14.* Quo tempore fiebat antiquitus? *ibidem.*  
 Moderatio adhibita aliquando, *nu. 15.* Omissa ab Hispanis, & quare? *n. 16. & 17.*  
 Lotus arbor obliuionis, in qua capilli suspendebantur, quid? *cap. 1. num. 30.*  
 Lucernaria hora, quæ? *c. 41. n. 9.*  
 Lucem habere in dormitorio, quatenus obliget? *c. 22. n. 9.*
- M.**
- M**ala defensionis prohibitæ in Regula, aut amicitiarum singulare, *c. 69. n. 2, & 3.*  
 Mancipia in Monasteriis olim quorsum, *c. 59. n. 2.*  
 Mandatum nihil differt à præcepto, *Lacinia. segm. 14. n. 6.*  
 Manuum osculatio verbalis, *c. 35. n. 9.*  
 Mapa quid? *cap. 55. n. 26.* Solita deferri olim à conuiujs. *ibid.* Quæ fuit in sacra cæna, *ibid.*  
 B. Mariæ officium, vide *Officium*, eius deuotio, & timore & amore, concilianda, *Lacinia. segm. 16. n. 3.* D. Mariæ vela, *laus, c. 25. n. 2.*  
 Materiæ de quibus discussio esse potest in Regula ad quinque classes reductæ, *Introd. art. 5.* Materiæ grauis consideratio, & excessus in paruitate, *Lacinia. segm. 4. nu. 3.* Eius paruitas in votis, & leuitas in transgressione locum habet, *Introd. art. 6. nu. 30. & art. 7. n. 2.* Materia voti obedientiæ, in Regula quasi remota, *art. 6. à num. 19.*  
 Matutini in Regula, idè quod nos *Laudes*, & Matuta aurora inde Matutini, *cap. 8. n. 11.*
- Media nocte*, vt verificetur non requirit omnem rigorem medietatis, *cap. 16. num. 6.*  
 Medicinæ, & Medicorum vsus, iuxta Regulam tractatur, *c. 36. à n. 9. vsque 16.* Resoluitur affirmatio & approbatio vsus, *n. 14. & seqq.* Apponitur moderamen, *nu. 18.* Et quatenus liceat respicere medicinam, *ibid.* Medicinæ fauent sacræ literæ & sancti, *nu. 16. & 17.*  
 Meditari, quid? *c. 8. n. 14.*  
 Melore, quid? *c. 55. n. 3. & 32. cum seqq.*  
 Mensa Abbatis, ex Regula, cum hospitibus, *c. 56.* An semper seorsum à cõuentu? *n. 1.* Quid in defectu hospitibus? *n. 2.* an cum omni hospite? *n. 3.* In mensa communi semper habenda lectio, *c. 38.* An primæ mensæ tantum? *n. 1.* Accipienda benedictio à Lectore, *ibid.* Notanda circa utrūq; *n. 3.* Tunc summū silentiū, *n. 11. & c.* Mensis seruire debēt omnes, *c. 35. n. 1.* id magis laboriosū antiquitus, *n. 2.*  
 Mensura vini, ex Regula, & aliæ, *c. 40. à num. 3.*  
 Metanea in cæremoniis Regularibus, quid significet, *c. 45. n. 3.*  
 Milites Alcantaræ, & c. non tenentur ad officium diuinum, *c. 18. nu. 5.* Militares pœnæ & castigationes, vide, *Ani maduersiones.*  
 Minutionis, seu plebotomiæ vsus antiquus, *c. 36. n. 28.*  
 Miracula per errorem applicata translationi S. Bened. *Introd. art. 3. n. 12.*  
 Misericordia exhibēda fugitiuis reuertentibus, *c. 29. n. 3.*  
 Missæ, aliæ significationes, præter Eucharistiæ sacrificiū, *c. 17. à n. 3.* De Eucharistia, *n. 5.* Pro hora Canonica, *n. 6. & c. 3. n. 12. & c. 60. n. 5.* Missæ solemnis celebratione stante tempore S. Benedicti cur in Regula tā exilis mētiod? *c. 17. n. 9. & 10.* Missæ ordinis quatenus obligēt, *Lacin. seg. 19. n. 5.*  
 Mistum, & mistare, quid sint, & significent? *c. 35. n. 5.* vsus & modus, *nu. 6.* Exceptio aliquorum dierum & ratio, *n. 7. & 8.* Quantitas & modus, *c. 38. n. 15.*

Moderatio tenenda in promissionibus  
Regulæ, c. 36. n. 13. & 28. Moderata  
potiosa in communi obseruatione,  
Ad prolog. num. 14. & cap. 36. num.  
15. & cap. 39. n. 9. & 10.  
Modulari proprie de cantu, c. 9. n. 11. &  
c. 11. n. 1.  
Monachus, non solum pro laicis, sed  
pro Clericis institutus, cap. 58. num.  
10. Moderandus in hoc Suarez, *ibid.*  
Eius antiquitatem ad quem termi-  
num reducant aliqui, *Lacinia, segm.*  
1. n. 2. & 3. Eius diuersitates antiqui-  
tus à nostro, c. 48. n. 14. & c. 50. n. 2.  
& cap. 57. num. 3. & 5.  
Monachus à Canonico aliquando, nec  
nomine distinctus, c. 58. n. 21. Quod  
ex facultatibus aliquid sibi referuet  
vt liceat, & deceat, maxima cautio  
adhibenda est, c. 58. n. 15. & 16. vt nō  
exeat à Monasterio, per eius fabri-  
cæ modum, cauet Regula, cap. 66. n.  
9. iter acturis quot cautiones adhi-  
bentur? c. 67. à n. 2. & an cū socio?  
quæritur, & difficultatur, n. 8. Quod  
sine illo resoluitur, quoad equestres  
num. 9. & de more equitandi Mona-  
chis, n. 10. Monachorum genera qua-  
tuor, c. 1. & alia numerata & exposi-  
ta in *Notis, ibid.* Malus Monachus  
mendacium quoddam, n. 1. & plum-  
bum dum propria voluntate ducun-  
tur, *ibid.* An cum socio habitare de-  
beat extra Monasterium? c. 31. n. 10.  
Eis parsimonia seruanda, c. 39. nu. 1.  
& per totū, & c. 40. Quoad sobriera-  
tem antiquorum exempla, cap. 39.  
n. 8. Cistercienses cum Nigris qua-  
tenus intelligantur, c. 38. n. 8.  
Monasterium nomine cellæ, cap. 31. n.  
1. Monasterii S. Pachomii amplitu-  
do, c. 54. nu. 3. Monasteriale regimen  
tantum constituitur in Regula, c. 1.  
n. 10. interdū gubernatio erat absq;  
Regula particulari, *ibid.* nu. 12. & c.  
Cum duodenario numero, sufficien-  
ter instructa ad obseruantiam Re-  
gulæ, exemplis probatur, c. 21. nu. 7.  
Monasterii structura, qualis ex Re-  
gula? cap. 66. n. 5.  
Moniales Choro destinatae, ad officiū

Canonicum tenetur sub mortali, c.  
18. n. 5. & defenditur latius, in *Laci.*  
*segm.* 12. n. 5. Eaq; est illarū à foemi-  
nis laicis Religiosis distinctio, *ibid.*  
Ad confessionē & cōmunionē mē-  
struam, quomodo obligentur? c. 38.  
à n. 6. Illas non respuit Regula, c. 58.  
n. 12. Earum antiquitas, n. 13. Fuerūt  
curæ S. Benedicto, c. 2. n. 11. §. 4. & 5.  
Monitiones plures in Preposito, quam  
in Decanis, ex Regula, c. 21. n. 8.  
Moralitatis duplex ratio, *Introd. art.* 2.  
n. 2. & 4. & in *Lacin. seg.* 16. n. 6. & 3.  
Moribundi signum in Monasterio, cap.  
47. n. 34. & ibi correctus Cerda. Mor-  
tis signa in morbis, in *Lacinia ante*  
*segm.* 8. in titulo *Plicatura* 2.  
Motus proprius Clementis VIII. pro  
nostra Congregatione, de cibis ex-  
penditur, c. 43. n. 10.  
Multę tarde venientium ad Chorum,  
& refectorium, c. 43. per totum.  
Multiplicatio, aut repetitio voti, de ea-  
dem re, nec multiplicat, nec auget  
culpam vt sic, & idem in præceptis,  
*Introd. art.* 6. à n. 3.  
Murmurationis infectatio in Regula,  
quanta, c. 5. n. 5. & c. 34. n. 3. & cap.  
40. n. 1. & c. 41. n. 3. Ea an dici pos-  
sit iusta, *ibid.*  
Mutuatio Regularium obseruantiarum  
cōuenienter fit interdū, *Intro. art.* 11.  
n. 10. & c. 53. n. 15. & *seqq.* Mutatio  
& alteratio Officii diuini, quatenus  
in pluribus casibus male fiat? *Lacinia*  
*segm.* 24. & 25. item Breuiarii, *segm.*  
24. n. 5. & 6.

N

Natalitia, aut Natalis, quā latā ha-  
beāt significationem? c. 14. n. 2.  
Nazareorum tonsio, cap. 1. n. 31.  
Necessaria, iuxta necessitatem minis-  
tranda, c. 34. declaratur, nu. 1. & eius  
obligatio, n. 2.  
Negligentiæ Regularis, & earum casti-  
gationes, vide verb. *Animaduersiones.* Etiam, sine culpa, indicitur re-  
cognitio, c. 46. n. 1.

Nobilium cum pauperibus contrapositione explicatur, c. 59. n. 1.

Nona hora, ordinaria prandii, in ieiunio, antiquitus, c. 41. n. 8. Et ad vesperam, n. 5. & c. 48. n. 3.

Noni nomen, & appellatio discutitur, c. 63. n. 5. & 7.

NOTARVM Literalium huius operis intentio, modus & nominis ratio, *Introd. art. 2. per totum.*

Nouitius, ex nostra Regula, nullam prorsus promissionem facit, ante professionem, *ibid. art. 8. n. 15.* Olim non tondebatur, nec induebatur habitu Monastico, c. 1. a n. 20. & ibi citatis. Eis parcius cibis congruere videtur, c. 39. n. 11. Suscipiendus, & probandus, & professurus, c. 58. Plura mutata post Regulam, *ibi, n. 1.* Difficultas ingressus, n. 2. Temperanda hodie, *ibid.* Non exuebantur, nec manducabant cum professis, *nu. 3.* Secus hodie, *ibid.* Annus integer probationis, etiam tunc, n. 4. Regula legenda sapius, & nouitiis ter in anno, *nu. 5.* Quomodo id impleatur, n. 6. Ignorantia eius quatenus culpabilis? *ibid.* Nouitiorum professio, & acceptatio cum emissionem votorum, n. 7. Forma professionis *num. 8.* Dispositio de rebus nouitii, n. 14. An sibi reseruare aliquid possit, & quomodo sit contra Regulam? *nu. 15.* & 16. Induebantur, & tondebantur in professione, n. 17. Quid de vestibus seculi fiebat? n. 18. Doctrina nouitiorum remissive, n. 19.

Nouitiatum intraturi Sacerdotes, aut Clerici, c. 60. Eorum susceptio, *nu. 1.* Gradus qui eis dandus erat explicatur, contra Episcop. Vrgell. a *nu. 3.* cum *seqq.*

**O**bedientia generalis, & votiue distinctio, *Intr. ar. 4. n. 5.* Eius votum non fertur in precepta Decalogi, aut Ecclesie, sed in Religionis, seu Regule propria, *ar. 6. n. 21.* Non sinit in Abbate cui fit, sed ad omnes Superiores subordinate usque, ad Papam transit, *ar. 7. n. 8.* & *ar. 11. n. 8.* Non comunicat

facilegiu preceptis Regule in transgressionem, nisi in illa exactio voti sit, aut Prælatus exigat formaliter per propria verba, *ar. 6. a n. 24.* Nunquam cessat defectu Superioris cui debeat, *art. 11. n. 8.* Obedientia, quæ cadit in Regulam qualis? *Lacin. seg. 6. n. 5.* Prima in introductione ad Monachatum, *in Prolog. §. 1.* & 5. Quasi vnica Regula doctrina commendatur, & defenditur, a quadam veluti censura S. Petri Dam. *in Prolog. a n. 8.* & c. 4. n. 1. & 2. De ea, c. 4. vbi dicitur *primus humilitatis gradus,* & discutitur, a n. 1. & c. De eius voto Authores, *nu. 4.* Obediendi fiducia etiam in difficilissimis, c. 68. n. 1. Resecandæ excusationes, n. 5. Quo effectu imperentur impossibilia, aut difficilia? *ibid. n. 2. 3. & 4.* Obedientia mutua Monachorum, c. 71. Quæ eius obligatio? n. 1. Obedientiæ meritum, etiam sine precepto saluatur, *Introd. art. 10. num. 4.* & ita in Christo Domino, *ibid.* Obedientiæ cum humilitate reciprocatio, *cap. 5. n. 2.* & *cap. 7. n. 33.*

Oblatio puerorum, & eorum obligatio, *cap. 59. n. 3.* & vide verb. *Pueri,* & *Infantes.* Quæ dicitur in illis intelligibilis ætas? c. 63. *num. 9.* in quam tenera ætate reciperentur, *num. 10.* & 11. *a eul. M.*

Obligatio ad culpam à lege abesse potest, declarante eius Authore, *Intr. art. 4. nu. 5.* & *seqq.* Exemplis & ratione probatur, *ibid. n. 1. 2.* & c. Inuenitur ad sustinendam poenam, etiam in lege non obligante ad culpam, *ibid. art. 4. a n. 4.* Obligationem venialis culpæ tribuere consiliis, & non nisi mortalem preceptis, erratum est aliquorum corrigendum, *ar. 6. a n. 16.* Obligatio maior Superioris, in obseruationibus Regule, *art. 11. a n. 3.* Ex officio, aut munere, prouenit à Regula, tãquam à conditione, *ibid. n. 13.* Obligationem moralem adimit I. Caramuel à Regula, *in Lacin. seg. 2. n. 2.* & refellitur *in seqq.* esse in lege legitimi Superioris, etiam secularis, de fide astruitur, *seg. 3. n. 7.* Obligationis nostre Regule optima descriptio, *segm. 4. n. 5.* & *segm. 11. n. 1.*

Obli-

- Obligatio leuis in materia graui compoſibilis. *Introd. art. 4. num. 3. & in Lacinia, Segment. 4. num. 2. & ſegm. 14. num. 3.* Obligatio iure conſtituta, de particulari Religione, quatenus obligetur aut extendatur ad alias? *cap. 38. n. 8.* Obligatio corrigendi, incumbit Præſato ex iuſtitia, *c. 70. nu. 3. & 4.*
- Obſeruatione Regulae, & mutari poſſunt & mutatae, vt regula habentur, vt ſic abſque culpa & laudabiliter ſiant, *Introd. art. 11. n. 10. & 11.*
- Obſeruatione Regulae bipartita, in cuſtodiendo præcepta, & in poenitendo de nõ cuſtoditis, *Laci. ſeg. 6. n. 6. 7. & 8.*
- Officium Cellerarii, dicitur, œconomia, & diaconia, *c. 31. nu. 1. & 2.* In Abbates, nimie eius officio vtentes, inueſtio, *n. 3.* Varia Monafterii officia, *c. 32. n. 1.* Officialium monafterii electio, & amotio, *c. 31. n. 4.* & eorũ obligatio, *n. 9.* Quæ officia exercebantur à Monachis, in opere manuum, vide, *Opera, & Artes.* Officia Monafterii, & quæ ſunt in Capitulis, quatenus dignis, vel dignioribus conferenda ſint, *c. 65. à n. 6. uſque in fin.* Eorum obligatio ex iuſtitia, & qualis in Religioſis, *Introd. art. 11. n. 13. & in Lacinia, ſegm. 11. n. 7.*
- Officium diuinum, quatenus obligetur? *Introd. art. 8. n. 5.* & alia remiſſiue, in profeſſis Monachis non dum initiatis ſacro ordine, *c. 18. n. 5.* & latius in *Lacinia, ſeg. 9. cū ſeqq.* Eius diſpoſitio fuit libera olim, *c. 18. n. 2.* An permiſſio mutationis, liceat hodie, *n. 3. & ſeqq. & c. 11. n. 6.* Quando magis firmum & ſtabile? *c. 18. à n. 3.* Eius alteratio penes Capitula & iuxta priuilegia, *ibid. n. 4. & c. 9. n. 1. & 12.* & quibus requiſitis, *ibid.* & in pluribus caſibus diſcutitur, in *Lacinia, ſegm. 24. & 25.* Illud priuatim recitare, flexis genibus, non obligat ex regula, *c. 5. n. 4.*
- Officium B. Mariæ tractatur pro noſtra Congregatione Caſtellæ, *c. 18. à n. 8.* & obligat in ea, & aliquibus aliis, ſub mortali, *ibid. n. 10. & 11.* & latinus
- in *Lacinia, ſegm. 13. & deinceps.* Eius initium, *ſegm. 16. n. 2.* Modus, *n. 3.* præceptum, *n. 4.* Ad quod peruaſerit, *n. 5.* Eius continuatio in Ciſterciensibus, *n. 6.*
- Officii defunctorum obligatio, in *Lacinia, ſegm. 19. per totum.*
- Omiſſa plura in Regula, *c. 73. n. 3. cum ſeqq.* & quæque omiſſa obligatoria non ſunt, *n. 6. & c. & introd. art. 10. n. 5.* Caſtitas nõ eſt omiſſa, *c. 73. n. 5.*
- Opinionis improbabilitas, iuxta l. Caramuelem, competit ipſi, in *Lacinia, ſeg. 7. n. 12.* Opinionones probabiles docere, quãdoque impedire decet, *ſeg. 8. n. 2.* Earum probabilitatem laudat aliqui, an omnino bene? *n. 3. 4. & 5.* Eſt contrarium unitati morum, *n. 6.* Omnem æque tutam eſſe, experientia refragatur, *n. 5.* Opinionis inceptio, & progreſſus, *ibid. num. 7.* earum collatio & iudicium, *n. 8. & 9.* Non omnibus indulgendum. *ſegm. 9. n. 1.*
- Opinionis explicandæ modus indigne ferendus, *ſegm. 21. n. 2.*
- Opus Dei quam impenſe traditum in Regula? *ſegm. 10. eius punctualitas, c. 43. n. 2.*
- Opus ex voto, aut præcepto melius, *ſegment. 18. n. 2.*
- Operis huius intencio, & modus, *Introd. art. 2. per totum.*
- Opus manuum in Regula tractatur late, *c. 48.* & de lectione. Vtrũque non omni continuatione fiebat, *ibi, n. 5.* Non ſemper Conuentualiter, *nu. 6. 7. & 8.* Quæ ſucceſſerint occupationes loco illorum, à *n. 9. cum ſeqq.* & repellitur ſugillatio Cardin. Turrecrematae, *ibid.* Ceſſarunt hodie rationes laboris manuum, quæ olim erant, *num. 14. cum citatis ibi:* Quænam opera erant antiquorũ, ante & poſt S. Benedictum, *c. 57. à n. 4.*
- Oratio Dñæ. in officio diuino, quare alta voce, ſemel & iterũ dicatur, *c. 13. n. 4.* & omni hora dicitur, *ibid.* Orationis requiſita, *c. 20. n. 1.* ſenſus illorum verborum, oportet ſemper orare, & ſine intermiſſione orate, *num. 2.* & qualis debeat eſſe? *cap. 52. num. 4.*

Orationes frequentēs, & breues, potio-  
riores habentur, & quare? *n. 3.* Ora-  
tio mentalis, quę habetur inter no-  
stros, an sit ex Regulari. *20. n. 5.* Ora-  
tio, quę in Regula dicitur, breuiāda  
in Cōuentu, quę *ibi. n. 4.* Est inchoa-  
tio omnis boni, in *Prologo, §. 1. & c.*  
*35. n. 9.* Remediū adhibendū incorre-  
gibili, *c. 28. n. 5.* & quam efficac, quo-  
que pacto? *ibid.* Eius diuisio in men-  
ralem, & vocalem, non est generis  
in species, *Lacin. Seg. 2. 1. n. 6. & c.*  
Vocalis sine mentali non est oratio,  
*n. 5. cū seqq. & seg. 23.* Sine attentio-  
ne, secluso etiam præcepto humano  
peccatum est, *ibid. n. 1.* Oratio, aliquā  
do pro benedictione accipitur, *c. 35.*  
*nu. 10.* Oratorij Chorique acceptio, *c.*  
*52. n. 1. & 2.* vsus proprius, *ibid.*  
Ordinaria iurisdictiones respectu eius-  
dem, possunt esse plures subordina-  
ta, *Introd. art. 4. n. 1.*  
Ordines minores qui, in rigore? *c. 11. n.*  
*10.* Quosnā possint Abbates confer-  
re? *c. 62. n. 1. & 2.* Ordinandus in Sa-  
cerdotē, eligēdus ab Abbate, iuxta  
Regulā, & obligatio vtriusque, *ibid.*  
Ordinati in sacris seculares, & reli-  
giosi professi choristæ, ante ordines,  
pares in obligatione officii diuini,  
*Lacinia. seg. 11. n. 10. & segm. 12. n. 2.*  
Ordinis Benedictini vnitas in Cister-  
ciensi, *segm. 20. n. 3.*  
Organa, instrumēta musica, & organic<sup>o</sup>  
cantus. Eorū principiū & vsus, *c. 11.*  
*n. 5.* & an sint contra Regulam, *ibid.*  
Originale Regulæ videtur non extare,  
*Introd. art. 3. n. 7.*  
Osculi vsus antiquis, *c. 53. n. 6.* Rationa-  
biliter omissus, etiam si Regula dis-  
ponat, *ibid. cum seqq.* Osculatio ma-  
nuū declaratur, & defenditur, *n. 7.*  
Ostentatio ingenii sine vtilitate, vana,  
*segm. 20. n. 7.*  
Ostiarum Monasterij munus, *c. 66.* Eius  
requisita, *nu. 1.* Decoꝛ exemplaris, &  
obligatio, vt ponatur, *ibid. & nu. 2.*  
Circumstantię officii, *n. 3.* Obligatio  
& momentum, *n. 4.* Nominis æqui-  
uocatio, cum Ostiaratu ordinis, tol-  
litur, *ibid.*

Otiolitas vitatio, præcipuus scopus  
institutionis lectionum, & laborum  
manuum, in Regula, *c. 48. n. 10. &*  
*18.*

Oua, & caseus, & lactinia, ex Regula  
licent, *c. 36. num. 20. & 24.* Quorum  
esus nimium extendit Fagundez ex-  
cedens, *ibid.*

## P.

**P**Anis mensura in Regula, *c. 39. n.*  
*4.* Expenduntur de illa, obscuris-  
sima verba P. Damiani, *n. 5. & 6.*

Papę potestas in quantum Prælati  
Religionis, ex vi voti, *Introd. art.*  
*11. n. 14. & seqq. & art. 7. n. 10.*

Parabola Patris familias, de operariis,  
quoad horarum spatia explicatur, *c.*  
*8. n. 10. & c.*

Parochus non Sacerdos, assistere potest  
& solemnizare matrimonium, *cap.*  
*11. n. 12.*

Paruitas materię esse potest, & aliun-  
de etiam venialis transgressio, *In-*  
*trod. art. 6. n. 30. & art. 7. n. 2.*

Paschæ celebratio & diuersitas, olim,  
*c. 49. n. 7.*

Pater noster, & c. an terminaret horam  
antiquitus, *c. 5. & 6.*

Patientia, humilitatis exercicium, *c. 7.*  
*num. 9.*

Patientia in habitu Monastico quid, *c.*  
*22. n. 13.*

Paupertatis votum, *c. 33.* & de eo, *n. 2.*  
*13. & 4.* Eius obligatio quatenus læ-  
datur ex reseruatione facultatum,  
aut annui census a Monacho? *c. 48.*  
*n. 15. & 16.*

Paxamacium, panis paruus, *c. 7. nu. 17.*  
*& c. 39. n. 8.*

Pestines inter opera manuum, *c. 57. n.*  
*6.* & vsus eorum, *c. 1. n. 24.*

Perfectionis tendentia in Religioso,  
quid sit? & quomodo obliget? *Intro.*  
*art. 11. n. 12.*

Pedilabium, vi de, *Lotio pedum.*

Pellicæ, & pelibus constans habitus  
monasticus, *c. 55. n. 32.*

Pesca, vera lectio Regulę, & eius expli-  
ca-

- catio, & probatio, c. 39. n. 7.
- Pertinacia digna maiori poena, *Introd. art. 6. n. 11.*
- B. Petrus Damian. an Benedictinus sit, dubium ipse facit, *Introd. ar. 11. n. 6. cū ibi citatis.* Eius laus & humilitas, n. 14. Quatenus dubitetur fuisse ordinis S. Benedicti, c. 58. n. 19. & 20. Fuisse vero Canonicum Regularem S. Augustini, aberrat quidā Author, n. 21. & peius de S. Ilidoro, n. 22. B. Petri Venerabilis laus, c. 29. n. 3.
- Philargiria (id est auaritia) vitanda, c. 57. n. 2.
- Phlebotomię vsus antiquus Religiosis, indicatur, c. 36. n. 28.
- Plicatiles naues, & plicaturę papyraceę, in *Lacinia, ante Segm. 12. in titulo Plicaturę 3.*
- Plicaturas stramentorum palpare, mortale signum, *ibid. ante Segm. 8. in titulo plicat. 2.*
- Plures, plusquam duos esse significat, c. 21. n. 4.
- Poëma Authoris defenditur contra Basilienfes, c. 73. a n. 12. Imo & contra alium defenforem, n. 17. & 27.
- Pœna pro transgressione legis deobligantis ad culpam, sub ea, subeunda est, *Introd. art. 4. n. 4.* Adiecta legi, vt sic, non arguit abesse culpam, *ibid. n. 7. & 8.* Præsupponit culpam, non auget, *ar. 6. n. 10.* nec minuit, *ibid.* Necessaria in omni republica, c. 44. n. 2.
- Pœnalis pure lex, nulla est in Regula, *Lacinia Segm. 5. nu. 5. & 6.* Pœnalitates Monasticę, ex Regula recensentur. *Ad Prolog. n. 10. & 11.*
- Pœnæ regulares, pro tarditate venientium ad chorum, & refectoriū, &c. c. 44. a n. 1. Modus, & multiplicitas earū, *ibidē per totū, & c. 45. & 46.*
- Pœnitentia (de qua D. Bernardus) nō excusat Regulę culpam, sed cōmissę culpę damnationem, *Lacin. seg. 6. n. 6.* Pœnitentię agendę etiā apta Regula, nō obstātē censura S. P. Damiani, in *Prologo, n. 10. & seqq.* Aliquę rigidiores recensentur, *ibid. n. 12.* Sed nō ideo aptiores, n. 13. Pœnitentię monasticę, nomine excōmuni-
- cationis intellecte, *Lacē, c. 23. nu. 1. vsque 16.*
- Pomorum nomine, quid veniat intelligendum? c. 39. n. 3.
- Portarii Nomen officium & obligatio, vide *Ostiaris.*
- Potestatis Ecclesiasticę, & dominatiuę distinctio, *Introd. art. 4. num. 9. cum citatis.* Quatenus coniungitur, & cōcurrit in Prælati, adstruitur, *art. 7. a num. 8.*
- Potestas Prælati, vt talis, est ordinaria, *cap. 71. num. 5. & 6.* Potest exigere obedientiam ex voto, *ibid.* corrigitur Llamas, parificans absentiam Abbatis cum vacante, in vsu illius potestatis, n. 7.
- Præceptorum a Consiliis distinctio, est de fide, *Introd. art. 4. n. 12.* Præceptū Regulę additum alteri vt sic, excepta votorum materia, non addit nouam culpam, *art. 6. per totum.* Præceptum verbis non præceptiuis, & cum præceptiuis consilium aliquando inuenitur, *ibid. num. 13. cum seqq.* Præceptum proprię, non requirit obligationem ad mortale, *ibid. a nu. 16.* Præcepta Ecclesię & similia, in Regula, non poni præcipiendo recte dici: sed cum sua solum obligatione simpliciter proponendo, n. 21. Præcepto deficiente, nec culpa est, nec obligatio pœnæ, *art. 9. n. 2. cum seqq.* Præcepta disiunctiue posita, aut arbitrio Abbatis relicta, qualiter obligent? *art. 10. n. 1. & 2.* Præcepta esse in Regula S. Benedictus ostēdit, *Lacinia, Segm. 2. num. 3. 4. & 5.* Præceptum non obligans, vere præceptum non est, n. 6. Præceptorū Regulę distinctio, ex D. Bernardo, *seg. 6. n. 2.* Præceptum de officio diuino, pro omnibus Monachis S. Benedicti, implicitum, & explicitū in eius Regula, *Segm. 10. n. 1. & 2.* Præcepta obligantia, esse in Regula contra Caramuelem, in *Lacinia lacē a segm. 2. vsque 7. & segm. 10. n. 4. & 5.* Præcepti, & mandati nulla est differentia, *Segm. 14. n. 6.* Præceptum auget bonitatem operis, *segm. 18. n. 2.* Præ-

- cepti vis, & efficacia, in obligatione, non à subdito, sed à Prælato pendet, contra Caramuel, *cap. 68. nu. 5.*
- Præcipio*, verbum in lege positum, non vt sic significat culpam mortalem, *Segm. 11. n. 12.*
- Prædicatio S. Benedicti expenditur, c. 2. n. 11. confirm. 1.
- Præminentia Abbatum, de insigniis Põtificibus, ordinibus, gradu, &c. c. 2. n. 19.
- Prælati subordinati ordinarii, & immediati esse possunt respectu eiusdem, *Introduct. art. 4. n. 10.* & constat exemplis, *ibid.* Prælatus præcipiens, nisi addat verba exigentia votum obedientia, non intelligitur præcipere, nisi solum ex iurisdictione Superioritatis, *art. 6. nu. 25.* & idem de mandatis in scriptis, *ibid.* An possit præcipere ea quæ in Regula per desuetudinem, dispensationem, aut alias, desierunt obligare? *art. 9. n. 8.* & c. Prælati obligatio in conscientia, vt talis, aut alterius officii, prouenit à Regula, tãquam à conditione, aut constituyente officium, *art. 11. n. 2.* Prælatos Religionis de iure diuino voluerunt aliqui, *Lacinia, Segm. 1. n. 2.* Eos vocari Abbates, non est reprehensibile, c. 2. n. 6. An aliter appellari liceat iuxta Regulam, *ibid. à n. 5.* Prælati sæpe absque Sacerdotio in Monachalibus, c. 2. n. 15. & 18. & in Minoribus S. Francisci, n. 16. & *cap. 6. n. 6.* cum Prælato non esse contendendũ, c. 3.
- Præpositus* in Regula semper, qui nunc Prior sit, licet secundus ab Abbate, & ostenditur late, *cap. 6. à n. 6.* Quot mala ex eius inquietudine, *cap. 65. in textu.* Eius nomen in Regula, & extra, *nu. 1.* incõmoda electionis illius, independenter ab Abbate, n. 2. Optio gubernii per ipsum, aut Decanos ex Regula, n. 3. Aptius per Præpositum, n. 4. Eius obligatio, n. 5. An sufficiat eligi dignus? n. 6. 7. & c. defectu digni quid agendum? *num. 12.* Qualiter procedendum contra eũ, iuxta Regulam? n. 19. Eius potestas in præsentia Abbatis, c. 71. num. 3. in absentia, n. 5. vsque 8. in vacante, n. 9. & 10. In suspensione Abbatis, *nu. 11. cum seqq.*
- Præsbytera, & Diaconisa, quæ? c. 9. n. 4.
- Præsbyter, & sacerdos, aliquando pro Episcopo, c. 65. n. 2.
- Præscriptio continet, ad valorem legis, voluntatem requisitam, *Lacinia, Segm. 11. n. 5.* & 12.
- Præsens vt dicatur Abbas, quid requiritur? c. 71. n. 3.
- Præsumptio Authorum, cuncta placitura esse, vana est, *Intro. ar. 1. à n. 13.*
- Prandium, qua hora? vide verb. *Hora,* & c. 42. n. 1. & 4. Dies ieiunii, contraponitur diei prandii, in Regula, *ibid.*
- Prima tonsura Ordinis, distincta à tonsura Monastica, c. 1. n. 26. & 27.
- Primus*, non semper numeri, sed principalitatis, c. 4. n. 2.
- Prior, in Regula variè accipitur, *cap. 6. à num. 6.*
- Principium omnis boni ab oratione inchoandum, in *Prologo, S. I.*
- Probabilitas opinionum incommodũ ingerit & laborem, *Lacinia, segm. 8. à num. 3.*
- Probationis tẽpus, ex Regula, & alias, c. 58. n. 4.
- Premium obseruantibus Regulam, c. 73. n. 12.
- Propositum non seruandi Regulam in leuibus, non est cõtemptus, *Introduct. art. 8. n. 3.* Sed quam obnoxium culpæ graui, *ibid. & remissive.*
- Priuegiolorum virtute, sunt plura, quæ seclusis illis possent fieri, c. 41. nu. 6. Sæpe sunt potius limitationes & ordinationes faciendorum quàm indulta, *ibid.* Impetrantur sæpe superuacue, *nu. 7.* Aliquid debent operari ultra ius, *ibidem.* Priuegia quædam pro Generali explicantur, *Introduct. ar. 7. n. 10.*
- Professio, facit subiectum legi Superioris & Regulæ adhuc seclusa vi voti, *Introduct. art. 4. n. 4.* & 5. & *art. 6. nu. 29.* & *art. 8. n. 8.* Benedictina, non tacita quoad vota, sed expressa dicenda est, *art. 7. n. 4.* & 5. *Cartusienfis, & alio-*

aliorum similis, *ibid.* Quid in ea contineatur nomine, *stabilitatis, & conuersionis, &c. num. 6. & 9. cum seqq.* Non interuenit in ea iuramentum, *ibid. à nu. 15.* Est uinculum indissolubile, quod nullatenus per disensum partium dissoluitur, *art. 11. n. 8.* Eius limites, *Lacinia Segm. 6. n. 3. & seg. 25. n. 10. & 11. & c. 73. n. 6.* Cum acceptatione etiam antiquitus fiebat *c. 58. n. 7.* Sine Sacerdotio in Abbatibus, perficiebatur, *c. 60. à n. 10.* Ad Regulam quatenus practicatur, obligat tantum, *Introd. art. 11. nu. 10. & 11.* Facta cum destinatione ad chorum, obligat extunc ad horas Canonicas, *Lacinia, segm. 9. cum seqq.* Promissio præter vota, nulla alia fit in professione nostra, *Segm. 16. num. 6.* Promissio S. Benedicti seruantibus Regulam, *c. 73. n. 18.* Proprietas, in munusculis cauenda, *c. 54. n. 1.* Eius vitium extirpandum, *c. 33. & opere, & verbo, num. 1. & 3.* Authores de voto paupertatis, *nu. 2. & 4.* Proprietariorum excommunicatio solemniter inter nostros, *n. 4.* Psalmi Pœnitentiales, & Psalterium hebdomadæ sanctæ non obligant. *Lacinia, segm. 15. n. 3.* Psalmorum numerus in uigiliis, *c. 10. nu. 1.* Conformatio Regulæ in hoc, cum antiquioribus, *nu. 2.* Aptitudo Dauidici Psalterii, ad chori officium, *ibid.* Psalmista, aut Cantor, ordines non sunt, *c. 11. n. 10.* Psalere eius significatio, *c. 19. num. 2.* Pueri olim recepti in Monachatu, *cap. 30. & 59. & 63. & 70.* Quandiu durabat ille puerilis status? *c. 30. nu. 1.* & mos iste, *n. 2.* eorum consideratio, *c. 39. n. 1.* & uide *Infantes, & oblatis.* Pulmentum quid sit, declaratur, *c. 39. n. 1. & 2.* diuersitatis, in assignando, *ratio, n. 3.*

**Q.**

**Q**uadra de pane dicitur, & exponitur, *c. 39. n. 6.*

Quadragesimæ peculiaris indictio lectionis, *c. 48. n. 15.* & obseruatio retenta inter nostros, *n. 10.* Commendatur impense, *c. 49. n. 1.* Eius nomine, etiam *Aduentus* compræhensus ab aliis, *n. 2.* Eius caput, *n. 6.* Varietas eius, & Paschæ, *n. 7.* iuxta Regulam, *n. 8.* iuxta Ambrosium, *num. 9.* concordantur, *n. 11.* Aliæ Quadragesimæ uoluntariæ, *n. 3.*

Quadrupedum carnibus prohibitis, etiam aliæ & uolatilia intelliguntur, *c. 36. à n. 19. & c.*

Quæstiones inutiles omittendæ, *Lacinia, segm. 1. n. 2. & 3.*

Quantitas, & qualitas officii diuini, pro quolibet die quatenus seruanda? *Segm. 24. à n. 8. usque in fin.*

Quinquagesima quid sit? *c. 41. n. 2.*

**R.**

**R**ationis, rationisque destinatio, *e. 1. n. 31.*

Recollectiones Religiosæ Benedictinæ præter Regulam, tollunt cantum, *c. 11. n. 3.*

Recreationes, an liceant ex Regula? discutitur, *c. 6. à nu. 9. & deinceps.* Modus seruandus, *n. 13.* Difficultas seruandi illum, *n. 15.* Firmantur in Regula, *n. 11.* & in antiquitate, *n. 12.*

Refectionis horæ in ieiuniis, & aliis diebus, *c. 41. à n. 8. & deinceps.* Refectionem (vulgo *colacionem*) redditur ratio, & an sit ex Regula? *n. 10.* & 11. discutitur nomen, *ibid.* & quatenus liceat? *n. 12.*

Regulæ S. Benedicti Commentatores, *Introd. art. 1. à n. 1.* ubi ab eo scripta & quando? *art. 3. nu. 2.* Eius approbationes, *num. 3. & 4.* Regulæ plures ante S. Benedictum, *n. 5.* Sed approbatione Apostolica, omnibus prior, *nu. 6.* Eius cœnomia & excellentia, *ibid. & c. 1. n. 12. & c. 73. n. 16.* An extet originalis? *Introd. art. 3. n. 7. & 8.* Obligat ad culpam, *art. 4. à n. 6. & c. 43. n. 8. & in Lacinia, segm. 2. & c.* Præcepta, ut propria ipsius obligant

ad

- ad veniale, *Introd. art. 8. per totū.*  
 Exceptiones maioris obligationis, *ibid. n. 2. & c.* Ex approbatione Pontificis, aut ex insertione in iure, quā obligationem inducat? *art. 8. nu. 17.* Plura iuxta Regulam admissa, non iussa, *c. 73. n. 5.* Regula viua sæpius sola Monachis, *c. 2. n. 2. & c. 73. nu. 2.* Prout exhortando, mouendo, consulendo, narrando, aut doctrinaliter docendo procedit, nullā infert culpam, *art. 9. vsque ad num. 7.* Obligat secundum voluntatem absolutam, non secundum veilitatem, *art. 10. n. 1. & 3.* Solum Monasteriale gubernium attendit, *art. 11. nu. 6.* Quæ dicitur, *communis Monasterij Regula?* *n. 11.* Eius professio non inducit maiorem rigorem, quam vt quis eam inuenerit obseruari, *num. 10. & 11.* Eius deobligatio, iuxta I. Caramuellem, *in Lacinia, seg. 2. n. 2.* Impugnatur, *in seqq.* Eius modus in ratione pœnalis, *segm. 5. per totum.* Eius trāgressio ex voto obedientiæ, qualis, *segm. 6. nu. 5.* Observatio etiam eius est, poenitere de illius transgressione, *segm. 6. n. 6. 7. & 8.* Regula, quid? *in Notis ad inscriptionem eius, nu. 2.* Quam apta obseruationi omnium. *ad Prolog. n. 13. & 14.* Nullam aliam professus est S. Benedictus, *c. 1. nu. 11. & 12. cum seqq.* Regula constituens Abbatem, neque in legislatore, nec in constituto, infert Sacerdotium, *c. 2. nu. 10. & seqq.* Illius subiectionem etiam Abbas subit, *c. 3. a nu. 1. vsque in fin.* Sæpius legenda, *c. 58. n. 5. & c. 66. n. 10.* Ignorantia illius quatenus culpabilis? *cap. 58. n. 6.* Nouitiis, ter legenda, *ibid. & fratres laicos & fœminas moniales admittit, & quomodo? a n. 9. cū seqq.* Nec nobiles, nec ignobiles, ex se respuit, *c. 59. n. 1. & 2. & si monasterialis, non excludit politicam gubernationem, Lacinia, Segm. 25. n. 9.* Regulæ caput vltimū, nullam adducit obligationem, *c. 73. n. 1. cum seqq.* Regula admittit vsum contra se, ex quo iam non erit contra illam, *Introd. art. 11. n. 11. & c. 7.*
- n. 30.* Quam genuinus partus S. Benedicti, *c. 73. a n. 12.* Non solum laicis, sed clericis per se instituta, *c. 58. n. 10.* Plura in Regula omissa, & quare? *c. 17. n. 10.* Plura aliunde mutata, insigniter, caput 16. ex Concilio Agathensi, *c. 12. n. 4. & aliunde, c. 4. de instrument. Ad ipsum, n. 1. & caput 7. de gradibus humil. Ad ipsum, n. 32. caput 13. de oratione Dominica dicenda, Ad ipsum, nu. 4.* Regulæ approbatio antiquitus, ab Episcopis *Introd. art. 3. nu. 3. & 4.* Non defuit nostræ ante approbationem Papæ, *ibid. Regulæ S. Isidori ratio & modus, art. 1. n. 4.*
- Relaxatio, in Superioribus & officialibus, culpabilis, *art. 11. n. 3.*
- Religio olim, non semper constitit certa Regula, ne dum approbata, *art. 3. n. 4.* Solum potestate laica dominatiua stetit, *art. 4. n. 9.*
- Religiosi S. Francisci vltra communē obligationem recitandi officium diuinum, etiam non ordinati, eam habent ex Regula, *in Lacinia, segm. 9. num. 5.*
- Reliquia insignis S. Benedicti ad Vallis-oletum allata, *Introd. art. 3. n. 13.* Easde Reliquias duplici, aut diuerso loco esse contententes, quomodo componendi, *ibid.* Exigua pars corporis præstat quod totum, *ibid.*
- Renuitæ Monachi, qui? *c. 1. n. 3. & Remohot, n. 4.*
- Repetitio & multiplicatio præceptorū eiusdem rationis, non augent culpam, *Introd. art. 6. per totum.*
- Reprehensi, quantum ad absurdiora aliqua sic visa, Caramuelus, in Notis sæpe, & tota Lacinia, & segmentis Pellizer, *c. 38. nu. 16.* & nonnulli alii in discursu operis, sed modeste.
- Responsa breuiare quo pacto, iuxta Regulam? *c. 11. n. 7.*
- Retractationes humiles fecere insignes sancti, *Introd. art. 1. a num. 13. & c.*

**S** Abbarini cibi Castellani, quatenus  
 liceat Monachis nostris? *c. 36. à n. 23.* Principium moris, *nu. 25.* moderatio & cautio, *n. 29.*

Sacerdotium B. Benedicto certo negari nequit, stabiliturque, eius probabilitas maxima, *c. 2. n. 11.* & *c. 11. nu. 8.* defenditur, contra, Basilium Pontium, & D. Bonaventuram, *c. 60. n. 10.* Nihil iuuatur ex ceremoniis professionis, *n. 11. cum seqq.*

Sacerdotii ordinem suscepturi Monachi, eliguntur ab Abbate, & eorū obligatio, *c. 62. n. 1. & 2.*

Sacerdos suscepturus Monachatum, quo modo? *c. 60. n. 1.* Qui gradus ei conferendus, discutitur iuxta Regulam, *à n. 3.* & deinceps. Quali etiam Clericis infra Sacerdotium? *n. 9.* Sacerdotem necessario debere esse Abbatem, an arguatur ex Regula? *Late, c. 2. à n. 9.* & *c. 7. n. 11.* & *c. 9. à n. 3.* & *c. 6. n. 5.* & *c. Sacerdotum raritas, in antiquis Monachis, c. 9. nu. 5.*

Sacerdos, pro Episcopo, *c. 65. n. 2.*

Sacrilegium voti obedientie, non admiscetur in transgressione Regule, nisi ubi formaliter exigitur in ea, aut à Prælato, *Introd. art. 6. à n. 24.*

Salve, & c. decantatio Cluniaci, & eius motiuum, *Lacinia, Segm. 16. nu. 3.*

Sanguinis minuendi vius antiquus, *c. 33. n. 28.*

Sandalium, pedules & caligæ in quo cõsentiant, *c. 55. n. 10.* Sarabaitæ, qui? *c. 1. n. 3.*

Scapulare deponere in dormiêdo, quæ culpa? *c. 22. n. 10.* Illud breue nostris ad dormiendum, *n. 10. & 11.*

Schola Dei Monastica, laboriosa esse oportet, *in Prologo, S. 5. & n. 1.*

S. Scholasticæ Monachatus, *c. 58. n. 13.*

Scopus huius Operis, circa Regulam est litera & obligatio conscientie, *Introd. art. 2. n. 3. & 4.*

Scribendi apparatus, graphium, pugillares, & c. *c. 55. n. 27.* & *in Lacinia, pliat. 2. & 3. in earum viculis,* Scribendi

lapsus, cuique timendus, & indulgendus, *Introd. art. 1. n. 13.* Scriptio non est de essentia legis, nec simpliciter necessaria, *c. 1. n. 13.* Scriptura, dicuntur scripta exẽpla, *c. 7. n. 7.* & scriptura sacra, tota Epistola dicitur, *ibid.* Eius lectio proficua, *c. 42. nu. 2.* Scribere, erat frequentius opus manuū Monachorum, *c. 57. n. 5.* & *6.* Nescire scribere, minor ineptitudo ad Monachatum chori, quam nescire legere, *c. 58. n. 11.*

Scrutinium cellarum frequenter faciendum, *c. 55. n. 22.*

Scurrilitas abigenda, *c. 6. nu. 8.* Eius damna, *n. 15.*

Semel peccanti indulgetur mitius, *Introd. art. 6. n. 11.*

Senuim immunitas ex Regula, *cap. 37. num. 2.*

Seniores deputati, ex Regula, tempore Quadragesimæ, non sunt Decani, de quibus in ipsa Regula, *c. 65. nu. 3.*

Separatio à consortio Conuentus, pœna Monastica, quanti reputabatur? *c. 23. à n. 3.*

Setuos inutiles esse, faciendo quæ debuerunt facere, quomodo intelligendum? *c. 7. n. 24.*

Signa ad officium, & horas eius, *c. 47.* De tubis, *n. 1.* & *4.* Per ligna, *nu. 2.* Per maleum, *ibid.* Per campanas, *n. 5.* Per tintinabula, *nu. 6.* Per Allelujâ cantatū, *ibid.* Significantis officii divini horas, per pulsū Campanæ, quanta cura? *n. 7.*

Signa lethalia iuxta Plinium, *in Lacinia ante segm. 8. in triplicat. 2.*

Silentium indictum reuertentibus de via, *c. 67. n. 6.* Summitum in mensa, *c. 38. à n. 11.* Post Completorium, *cap. 42. nu. 1.* Nocturnum maius, *nu. 3.* in Ecclesia, *c. 52. n. 3.*

Sinaxis quid? *c. 12. n. 4.* & *cap. 17. n. 1.*

Smaragdus Abbas Commentator Regule, *Introd. art. 1. nu. 6.* Testimoniū eius de functionibus Abbatum, nō sacerdotum, *c. 11. nu. 9.* Non nihil correctum in eo, *n. 10.*

Solarium in Reg. Socius, *c. 31. num. 10.* An extra Monasterium, *ibid.*

I N D E X.

- Solum incedere Monachum, an liceat aut deceat? *c. 67. à n. 8.*
- Specifica diuersitas peccati, ex diuersa ratione virtutis sumitur, *Introd. art. 6. n. 3.*
- Stabilitas promissa in professione, quid? *Introd. art. 7. n. 6. & 12. & Lacinia, segm. 26. n. 4. 5. 6. & 8.*
- Status perfectio peccatum auget, *Introd. art. 6. n. 8. & 9.* Status Religiosi professio, secum adducit trium solemnum votorum promissionē, *art. 7. n. 4. & 5.* Constat potest, absque Sacerdotio, *c. 2. n. 10.*
- Statuta aliqua mutari cōuenit. *Introd. art. 11. n. 10.*
- Stramēta lectorum, matta, sagum, &c. *c. 35. n. 21.*
- Strictio Religionis qualiter consideranda? *c. 61. n. 2.*
- Supererogatio ad praeceptum, melior adimpletio est, *Introd. art. 10. nu. 6.* Sed modus tenendus, in supererogationibus, *n. 7.*
- Supplicatio quid sit? *c. 53. n. 21.*
- Suspenſio sine ratione censurę poenitentia Monastica, *c. 23. nu. 5. & cap. 25. n. 1.*
- Suum dicere aliquid in Monacho, qua tenus sit culpa? *c. 33. n. 3.*
- T**
- T**Abachi abulus reprehensus, *cap. 38. n. 16.*
- Tabulæ percussio, moribundi signum in Monasterio, *c. 47. n. 3.*
- Tabulę officiorum modus, & vsus, in nostris iuxta S. Bened, *c. 47. n. 9. & c. 63. n. 5.*
- Taciturnitas, *c. 6.* differentia eius, *nu. 1.* Grauitas & respectiua obligatio, *nu. 2. & 3.* Decet iuniores, *ibid.* & vide, *Silentium.*
- Tarditatis eorum qui ad chorum, vel refectorium veniunt, multa, *c. 43.*
- Temere*, quid significet? *c. 3. n. 12.*
- Temporalia etiam debere curare Abates, defenditur & explicatur, *c. 32. à n. 2. & c.*
- Tendentia ad perfectionem, quid sit? & qualiter obliget religiosum? *Introd. art. 11. n. 12.*
- Testimonia Casiani & Basili, regulariter aptiora explicationi disciplinæ Monasticę, *c. 1. n. 1.*
- Textus promissionis, vocata professio, *Introd. art. 7. n. 7.*
- S. Thomas Aquinas, ex oblatiſ Casini, iuxta Regulam, *c. 63. n. 11.*
- Thomæ Sanctii de verbis consilii & præcepti doctrina discutitur, *Introd. art. 6. à n. 13.* & quæ denegat Abbatissis potestatem imponendi præceptum obedientiæ, non admittitur, *c. 7. à n. 16.*
- Timor Dei humilitatem fundat, *cap. 7. num. 4.*
- Typi, seu typhi, explicatio, *c. 31. num. 7. & 8.*
- Titulus Regulæ S. Benedicti, quis fuerit, expenditur, *In Notis ad inscriptionem Prol. à n. 1. cum seqq.* Titulus libri I. Caramuelis in Regulam proponitur, *in Lacinia, segm. 1. n. 1.* Tituli huius nostri operis ratio, *Introd. art. 2. n. 3. & 4.*
- Tonsuræ Monachalis antiquitas, *c. 1. n. 31. & 32.* Olim non fiebat, vsque ad professionem, *c. 1. nu. 20. & 21. & c. & cap. 58. n. 3. & 17.* Qua forma? *c. 1. n. 23.* Vnde dicta Corona? *ibid.* Differentia à Clericali, *n. 26.* & differentia in ratione ordinis, *n. 27.* Appellatio diuersa, *n. 28. & 29.*
- Traditionibus gubernata olim Monasteria, *c. 1. n. 13. & cap. 3. n. 13.* Traditionis, & consuetudinis cōueniētia, *Lacinia, segm. 11. n. 8.*
- Traddi sathanae, &c. iuxta Apost. exponitur, *c. 25. n. 2. & 3.*
- Transeuntes Monachi ab alia Religione, aut Monasterio alieno, quomodo suscipiendi? *cap. 61.* Hodie qualis transitus? *n. 1.* Strictio Religionis ad illum qualiter consideranda? *ibid.* Non recipi de Monasterio noto, ex Regula explicatur, *n. 2.*
- Trāslatio S. Benedicti, à quo & quādo facta? *Intr. ar. 3. n. 11.* Diuersa festiuitas à Tumulatione, & quæ, *ibi, à n. 10.* Confusio prædicantium de illa, *n. 9.* Quantū dubiū in trāslatione? *n. 13.*

Tritemii Abbatis Commentarius Regule, inchoatus, *Intrad. art. 1. nu. 8.*  
 Correctus, *art. 3. n. 15.*

Turre-crematae Cardini. Regule Commentator Laudatus cum aliis suae Religionis, *Intrad. art. 1. n. 8.* Repulsus alias, *art. 6. n. 17.* & *c. 48. nu. 9.* & alibi.

Turrium cum cāpanis edificatio, olim haud libera, *c. 47. n. 8.*

## V

Vagatio à Monasterio quantum cauenda, *c. 66. n. 8.* & *cap. 67. n. 1.* & *c. Benedictionem petit iturus, n. 2.* Oratio fit pro absente, *n. 5.* redies se commendat orationibus omniū, *ibid.*

Vel, copulatiue sumptum, *c. 13. n. 5.* & *c. 17. n. 1.* & *c.*

Veniæ petitio, quæ ceremonia regularis, *c. 45. n. 2.*

Verba indicantia præceptum, non vnde quaque nude sumenda, *Intrad. art. 6. à nu. 13.* In lege ad minorem obligationem sunt trahenda, quoad patiuntur, *n. 26.* Intentioni deseruiunt, *art. 8. n. 11.* Etiam si non satis apta ad præcipiendum, si constat, Superiorem præcipere, non cadunt à valore, quem possunt habere, *c. 71. nu. 19. & 20.* Illa, in *virtute sanctæ obedientiæ*, aut, *Spiritus sancti*, & *c.* in Religionem exigunt obligationem voti, *art. 6. nu. 30.* Sed in re leui non obligant ad mortale, etiam si id velit præcipiens, *ibid.*

Verborū significatio, iuxta Regule dialecton, aliqua etiā in suis literis huius indicis posita, scilicet: Sine Añā, & in directum, *c. 12. n. 1.* & *2.* Benedictiones, Laudes, Ambrosianum, Litanie, *c. 9. n. 2.* & *c. 12. n. 3.* Psalmi directanei, *n. 2.* Natalitia, *c. 14. nu. 2.* Versus, pro, *Deus in adiutorium*, & *c.* *c. 17. n. 1.* & *c.* Missæ sint, *ibi, à n. 3.* & *5.* Lectisternia, *c. 22. n. 2.* disciplina regularis, *c. 3. à n. 8.* Instrumenta bonorum operum, *c. 4. à n. 2.* Benedicite, *c. 6. n. 4.* Prior & Præpositus, *c. 6. à n. 6.* Per humilem confessionem, *c. 7. à*

*n. 14.* Modice amplius, *c. 8. n. 2.* Vigiliæ & Matutinum, *n. 11.* Meditari, *n. 14.* Pfallere, *c. 19. nu. 2.* Intelligibilis ætas, *c. 30. n. 1.* Typus, *c. 31. n. 7.* Solacium, *n. 10.* Breuis, *c. 32. n. 2.* Corruptio, *c. 33.* Mistum, & mistare, *c. 35. n. 5.* & *6.* Genibus obuolui, *nu. 9.* Balnear, *c. 36. n. 7.* Pensa, *cap. 39. n. 7.* Hæmina, *c. 40. n. 3.* & *c.* Quinquagesima, *c. 41. n. 2.* Mox, *c. 42. n. 4.* Coquina, cellarium, ministerium, pistrinū, *c. 46. n. 2.* Hortus, *n. 3.* Eulogia, *c. 54. n. 1.* Cedere, & excommunicare, *cap. 70. n. 2.* Impossibilia iniūgi, *c. 68. n. 2.* Veritas rei, nec prosa deserenda, nec versu, *c. 73. n. 17.*

Vestimenta Monachalia, *c. 55. per totū late.* Conditionate disponit Regula de his, & dependenter ab arbitrio Abbatis, & exigentia regionis, *ibi. n. 1.* In expressis, quibus indutus & calcæatus Monachus, *n. 2.* Interiora vestimenta omissa, *ibid.* Curiositas reprobat, *n. 5.* Duplicata conceduntur, *n. 6.* Color non determinatur, *n. 11.* non tamen omnis relinquatur liber, *ibid.* Vilitas statuitur, *n. 16.* Mēsurā decens iniungitur, *n. 17.* Veterū traditio iubetur, cum accipiuntur noua, *n. 19.* Vestiarium disponitur, & quo pacto? *n. 28.* & *29.* An ibi cuncta singulorum reponēda à nostris, iuxta Motum Clemētis VIII? *n. 30.* obligatio circa prædicta, *n. 31.*

Vestimenta specialiter explicantur, *c. 55.* Cuculla multiplex, stocus, cappa, casula, melotes, *nu. 3.* Colobium, *nu. 4.* Tunica, scapulare, Analobum, *nu. 9.* Pedules & caligæ, *n. 10.* Caliga & sandalium, *ibid.* femoralia, *nu. 20.* Bracile, *n. 23. cum seqq.*

Vestimentorum colores Monastici vsitati, *c. 55. n. 11.* & *14.* & pro Cisterciensibus, *num. 15.* Albus etiam ante Cistercienses, probatur eōtra Biuarium & P. Venerabilem, *n. 12.* & *13.*

Vestimentorum interiorum prophantitas condemnatur, *c. 55. nu. 31.* Additio, vel detractio in numero rationalis, omnino licita, *ibidem.* Illustrat

# INDEX.

- tur Canon Concilii Aquisgr. de vestibus, *n. 17. & 18.*
- Vestitos dormire Monachos, tractatur, *c. 22. á n. 9. vsque fin. De cuculla, á n. 10. De Cingulo, á n. 14. Vestes seculares nouitii, vt quid post professionem iubentur aseruari in Regula? c. 59. n. 18.*
- Vigiliæ in Regula, idem quod nos Matutinum, vulgo *Maitines*, *c. 8. n. 11.*
- Vilia exercicia humiliter obeunda Religioso, *c. 7. n. 21. & c. 36. n. 3.*
- Vinum, vel nullum, vel moderatũ Monachis, *c. 40. n. 1. Mensura eius ex Regula discutitur, n. 2. & c. Maior parcitas in vino decentior, quam in pane, n. 5. Vina pigmentata, omnino á Monasterio ableganda, n. 6. Ceruicia alicubi subrogatur pro vino, cap. 55. n. 17.*
- Vitam prolongare quis, aut breuiare qualiter possit? *c. 36. n. 18.*
- Vnitas in Monasterio, quã commẽdata, *c. 13. n. 4.*
- Volatilia prohibita, in esu carniũ, *c. 36. n. 19. & 20. & c.*
- Vouẽs in materia graui, potest ad veniale tantum se obligare, *Introd. art. 4. n. 3. & Segm. 4. n. 2. Voti repetitio de eadem re, non addit nouam obligationem. Idem repetitio præcepti, art. 6. n. 3. per totum, etiam si aliud velit vouens, aut præcipiens, ibid. nu. 5. & c. Vt votum obedientiæ operetur sacrilegii culpam in transgressione, debet aplicari formaliter per verba id significantia, á n. 24. In re leui solum ad veniale obligat, art. 6. n. 3.*
- Votum á voluntate vouentis dependet in obligatione, quando fit, secus post factum, *ibid. n. 30. Addit præexistenti præcepto obliganti, distinctã sacrilegii culpam, art. 7. per totum. Quoad paupertatem, & castitatem, pro expressis reputantur in nostra professione, n. 4. & 5. In qua solum tria vota continentur, eod. art. Voti & iuramenti duplex est obligatio diuersæ rationis, ibidem, num. 15. Sed maior obligatio voti, quam iuramenti ei adiecti, n. 18. Voueo pro Iuro, aliquando, *Introd. art. 8. num. 10. Votum de seruandis omnibus, impossibile, & nullum, in Lacinia, segm. 6. num. 5. Ex voto operari, est magis meritorium, quã sine illo, segm. 18. n. 2. Votum obedientiæ quod in professione Religiosa fit Pape, quatenus intelligatur ab ipso exerceri, *Introd. art. 11. á nu. 14. & expressum quod faciunt Minores, & Iesuitæ, quid addat? ibi, n. 20.***
- Vota seu suffragia Monachorum, ex Regula, sunt consultiua, sed hodie iam aliter constitutum, *c. 3. n. 2. & 3.*
- Vrbani secundus confirmat ordinem Cisterciensem, *c. 18. nu. 15. indixit officium B. Mariæ, ibid. & n. 11. & in Lacinia, segm. 16. per totum.*

## Z.


- Z**ELI boni, malique distinctio, *c. 72. nu. 2. Cautio adhibenda ad bonum, n. 1.*
- Zona inter habitus Monasticos, *c. 22. n. 15. & cap. 58. n. 23.*
- Zurdos, sic appellati á nostris, Monachi qui sint? *Lacinia, segm. 26. n. 2.*

# FINIS



Excussæ in Regali OLIVÆ Coenobio per Martinum à Labáyen, &  
Didacum á Zabala, Typographos Regni Nauarræ.  
ANNO M. DC. XLVIII.

16



B

R

S

ant. Top.  
Est. 49  
No. 4  
Vol. 1

BRAVO

in

NEQUAM

S. Benedicti

2153  
637